BIBLIOTHÈQUE

DES

ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

2e SÉRIE

LES

REGISTRES D'ALEXANDRE IV

PAR

MM. C. BOUREL DE LA RONCIÈRE, J. DE LOYE, P. DE CENIVAL et A. COULON

TOME II

PUBLIÉ PAR

JOSEPH DE LOYE ET PIERRE DE CENIVAL

TOURS. — IMPRIMERIE DESLIS FRÈRES ET Cie

LES

REGISTRES D'ALEXANDRE IV

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LES MANUSCRITS ORIGINAUX DES ARCHIVES DU VATICAN

PAR

MM. C. BOUREL de LA RONCIÈRE, J. de LOYE, P. de CENIVAL et A. COULON

ANCIENS MEMBRES DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME, ANCIENS ÉLÈVES DE L'ÉCOLE DES CHARTES

TOME II – III

TEXTE. — ANNÉE III (1256-1257)

PUBLIÉ PAR

Joseph de LOYE et Pierre de CENIVAL



PARIS

FONTEMOING & CIE, ÉDITEURS

E. de BOCCARD, Succ.

LIBRAIRIE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
DU COLLÈGE DE FRANCE ET DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE

4, Rue Le Goff, 4

—

1917

INCIPIT REGESTUM

DOMINI ALEXANDRI PAPE IIII

PONTIFICATUS SUI ANNO TERTIO

1573 Latran, 22 décembre 1256.

Confirmat sententiam a magistro Jacobo Falconario latam in causa, quae inter Matthaeum de Sancto Cassiano, presbyterum, ex una parte, et Marinum Dantuli, clericum de Venetiis, ac clericos ecclesiae S. Mariae de Murianis, ex altera, vertebatur. (Reg. 25, a. III, c. 1, f. 1.)

« *Almerico canonico Ravennatensi.* Exhibita nobis dilecti filii Mathei de Sancto Cassiano, presbiteri, petitio continebat, quod cum in causa, que inter ipsum ex parte una, et Marinum Dantuli, clericum de Venetiis, ac clericos ecclesie Sancte Marie de Murianis, Torcellane diocesis, super eo quod dictum Matheum jamdicta ecclesia, quam auctoritate apostolica se canonice assecutum et aliquandiu possedisse proponit, contra justitiam spoliarunt, ex altera, vertebatur, primo venerabilem fratrem nostrum M. Bracharensem archiepiscopum, tunc capellanum nostrum, ac inter suum et adverse partis procuratores tunc presentes lite legitime contesta ta , juramento hinc inde de veritate dicenda prestito, factis positionibus et responsionibus subsecutis, receptis testibus et eorum attestationibus publicatis, assumptis exinde rubricis et examinatis etiam diligenter, postmodum dilectum filium magistrum Bernardum Ispanum, ac ipso se ad partes alias transferente, Jacobum Falconarium capellanos nostros dederimus partibus auditores, demum idem magister Jacobus, cognitis ipsius cause meritis et juris ordine observato, facta quoque de hiis relatione coram dilecto filio nostro R. Sancti Angeli diacono cardinali et a nobis licentia pronuntiandi recepta, dicto procuratore suo presente, ac prefato alterius partis procuratore citato pluries in audientia publica, et se per contumaciam absentante, nec aliquo alio pro eadem parte altera comparente; dictum Marinum ad restituendum eidem presbitero eandem ecclesiam, cum fructibus, obventionibus et proventibus exinde medio tempore perceptis, ac tandem eum dicto presbitero in certa summa pecunie pro expensis in lite factis, taxatione prehabita et juramento a dicto procuratore suo super hoc prestito, sententialiter condempnavit, prefatis clericis ecclesie Sancte Marie ab impetitione dicti presbiteri seu procuratoris ipsius super premissis nichilominus absolutis, prout in patentibus litteris confectis exinde, ac sigillo ejusdem magistri Jacobi signatis, plenius continetur. Nos itaque ipsius presbiteri supplicationibus inclinati, sententiam et condempnationem hujusmodi provide latas, ratas et

firmas habentes, eas per nostras litteras duximus confirmandas. Ideoque discretioni tue, per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam et condempnationem easdem, per te vel per alium, executioni debite, auctoritate nostra, demandes. Contradictores, etc. invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis; non obstante constitutione de duabus dietis, etc., dummodo infra ipsas non possit super hiis commode assequi justitie complementum, et ultra tertiam vel quartam aliquas etc. Dat. Laterani, XI kalendas januarii, anno tertio. »

1574 Latran, 22 décembre 1256.

Clero Monopolitano mandat, quatenus Julio episcopo Monopolitano, quem ad sedem propriam remittit, humiliter intendat. Reg. 25, a. III, c. 2, f. 1.

« *Clero Monopolitano.* Venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Monopolitanae ecclesie, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, cui de manibus nostris munus consecrationis impendimus, ad sedem propriam cum nostre gratie plenitudine remittentes, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsum ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram recipientes hylariter et benigne tractantes, ei tamquam episcopo et pastori animarum vestrarum humiliter intendatis, impendendo sibi obedientiam et reverentiam debitam et devotam. Alioquin sententiam, quam idem episcopus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Dat. Laterani, XI kalendas januarii, anno tertio. »

1575 Latran, 22 décembre 1256.

Populo Monopolitano mandat, quatenus supradicto episcopo humiliter intendat. (Reg. 25, a. III, c. 3, f. 1.)

« *Populo Monopolitano.* Populo Monopolitanae civitatis et diocesis —. Dat. ut alias. »

1576 Latran, 5 janvier 1257.

De Helbinga et de Culmea prioribus ordinis Praedicatorum et guardiano fratrum Minorum in Toruno mandat, ut excommunicationis sententiam in magistrum et fratres domus Sanctae Mariae Theutonicorum, ab abbate de Mezano, tunc Apostolice Sedis legato, latam, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari faciant. Reg. 25, a. III, c. 4, f. 1; Potthast 16653.

« .. *de Helbinga et.. de Culmea prioribus, ordinis Predicatorum et .. guardiano fratrum Minorum in Toruno, Culmensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Kazmiri ducis Lancicie et Cuyavie, devoti nostri, petitio continebat, quod cum olim ei, felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster, terras paganorum, que Golens et Polexici vulgariter appelantur, duxerit concedendas, dummodo pagani terrarum illarum sponte sine gladio fidem Christi susciperent per baptismum, dilecto filio.. abbate de Mezano, Placentine diocesis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legato, sibi super hoc conservatore concesso, non obstante quod tota terra Pruscie concessa fuit a Sede Apostolica.. magistro et fratribus domus Sancte Marie Theutonicorum, quam possent sibi per gladium subjugare, idem abbas in dictum magistrum et quosdam de ipsis fratribus, quia ipsi, ut evacuarent gratiam eidem duci super hoc factam a predecessore predicto, terras easdem, ipsis paganis paratis et volentibus sponte unda renasci baptismatis, intrantes in gladio, eam sibi non sine multa effusione sanguinis subjugarunt, et diligenter ab ipso abbate moniti, ab hujusmodi subjugatione resipiscere contumaciter denegarunt, cum hoc esset adeo notorium quod nulla poterat tergiversatione celari, excommunicationis sententiam, exigente justitia promulgavit. Quare fuit ex parte ipsius ducis nobis humiliter supplicatum, ut eandem sententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Ideoque discretioni vestre, ad instar predecessoris ejusdem, per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis, auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Non obstante indulgentia, qua fratribus vestrorum ordinum ab eadem Sede dicitur esse concessum, ne de causis eis ab eadem Sede commissis inviti cognoscere teneantur. Quod si non omnes etc. Datum Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1577 Latran, 2 janvier 1257.

Magistro et fratribus Hospitalis Jerosolymitani, quibus concessit locum, in quo monasterium Montis Tabor situm extitit,

indulget, ut hostilitatum tempora et quibus idem monasterium vacasse dinoscitur, contra ipsis non currant, nec ad praescribendum cuiquam prodesse valeant. (Reg. 25, a. III, c. 5, fol. 1v; J. Delaville Le Roulx. *Cart. gén. des Hospitaliers de S. Jean de Jérusalem*, t. II, n° 2847.)

« .. *magistro et fratribus Hospitalis Jerosolimitani.* Personas vestras sincera diligentes in Domino caritate, profectibus vestris libenter intendimus et vos, ab hiis per que vobis possent provenire dispendia, libentius preservamus. Cum igitur, sicut ex tenore vestre petitionis accepimus, nos locum, in quo monasterium Montistabor situm extitit, cum terris, possessionibus, hominibus, juribus, libertatibus, immunitatibus et pertinentiis omnibus ad idem monasterium quoquo modo spectantibus vobis et per vos Hospitali vestro, per nostras litteras, de speciali gratia. duxerimus concedendum, nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut hostilitatum tempora et quibus idem monasterium vacasse dinoscitur contra vos non currant nec ad prescribendum cuiquam prodesse aliquatenus valeant, vobis auctoritate presentium indulgemus. Non obstantibus aliquibus indulgentiis vel litteris quibuscumque personis vel locis seu ordinibus ab Apostolica Sede concessis, de quibus plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, IIII nonas januarii, pontificatus nostri anno tertio. »

1578 Latran, 3 janvier 1257.

Kasimirum Cracoviae et Cujaviae ducem ac alios duces, barones et universos crucesignatos per Poloniam, Moraviam et Austriam constitutos, cum familia et omnibus bonis, sub beati Petri et sua protectione suscipit, concedens ut eisdem indulgentiis et immunitatibus gaudeant, quibus gaudent crucesignati in Terrae Sanctae subsidium accedentes. (Reg. 25, a. III, c. 6, f. 2; Potthast 16652.

« *Nobilibus viris Kazmiro Cracovie et Cujavie duci ac aliis ducibus, baronibus et universis crucesignatis per Poloniam, Moraviam et Austriam constitutis.* Dignum est ut celestis Regis obsequiis inherentes speciali debeant prerogativa gaudere. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos zelo fidei et devotionis accensi ad exhortationem venerabilium fratrum nostrorum.. archiepiscopi Gneznensis [1] et suffraganeorum ejus ac dilecti filii fratris Bartholomei de ordine fratrum Minorum, contra Licwanos, Jacintiones et alios paganos et scismaticos, qui terris Christianorum confines existunt, de mandato nostro predicantium verbum Dei, vivifice crucis assumpto signaculo, contra eosdem perfidos velitis viriliter cum Dei adjutorio proficisci. Nos propter hoc vos benigne favore prosequi delectantes, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras cum familia et omnibus bonis, que inpresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus vobis, auctoritate presentium nichilominus concedentes, ut eisdem indulgentiis et immunitatibus gaudeatis, quibus gaudent crucesignati in Terre Sancte subsidium accedentes. Nulli etc. nostre protectionis et concessionis, etc. Datum Laterani, nonis januarii, anno tertio »

1. *Ms.* : Grezriensis.

1579 Latran, 5 janvier 1257.

Johanni Cracoviensi et Thomae Wratislaviensi episcopis, et.. abbati de Suleioy, Gneznensis dioecesis, notum facit, se, cum Kasmirus Lanciciae et Cujaviae dux, ac alii crucesignati per Poloniam, Boemiam, Moraviam et Austriam constituti, ad exhortationem archiepiscopi Gneznensis viriliter proficesci velint, eos cum familia et omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipere ; mandat eis ne permittant ut illi super hiis ab aliquibus indebite molestentur. (Reg. 25, a. III, c. 7, f. 2 ; Potthast 16655.)

« .. *Cracoviensi et .. Wratislaviensi episcopis et .. abbati de Suleioy, Gnesnensis diocesis.* Cum sicut ex parte —. Dat. Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1580 Latran, 3 janvier 1257.

Roberto canonico Constantiensis ecclesiae indulget, ut dum studio litterarum insistit, proventus praebendae, quam in dicta ecclesia possidet, cum ea integritate percipere valeat ac si in ipsa personaliter resideret. (Reg. 25, a. III, c. 8, f. 1v; Bernoulli, *Acta pontificum helvetica*, t. I, 659.)

« *Roberto canonico Constantiensis ecclesie.* Cum illectus amore scientie — Dat. Laterani, III nonas januarii, anno tertio. »

1581 Latran, 3 janvier 1257.

Praeposito ecclesiae S. Lucii extra muros Curiensis, mandat, ut dicto canonico proventus prebendae ejus faciat integre

ministrari. Reg. 25, a. III, c. 9, f. 1; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 660.

« .. *preposito ecclesie Sancti Lucii* [1] *extra muros Curiensis*. Cum dilectus filius Robertus canonicus Constantiensis ecclesie —. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno tertio. »

1582 Latran, 5 janvier 1257.

Magistro Comiti de Casate, in ecclesia Mediolanensi juxta Innocentii IV litteras recepto in canonicum, sed quadam constitutione generali destituto, jus canonicatus restituit. Reg. 25, a. III, c. 10, f. 1v.

« *Magistro Comiti de Casate, clerico Mediolanensi*. Quia dudum in plerisque —. Dat. Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1583 Latran, 4 janvier 1257.

Joanni Petri portionario ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae Toletanae indulget, ut praeter portiones, quas in Sanctae Mariae Magdalenae, Sancti Laurentii et Sancti Salvatoris Toletanis ecclesiis se proponit canonice assecutum, quarum portionum una curam animarum habet annexam et quarum proventus quatuor marcarum argenti valentiam singulis annis vix excedunt, adhuc beneficia ecclesiastica sine cura, usque ad valorem decem marcarum argenti, recipere valeat. » Reg. 25, a. III, c. 11, f. 2.

« *Johanni Petri portionario ecclesie Sancte Marie Magdalene Tolletane*. Cum sicut decoris —. Dat. Laterani, II nonas januarii, anno tertio. »

1584 Latran, 5 janvier 1257.

Abbati Sancti Simpliciani Mediolanensis mandat, ut jam dicto magistro Comiti de Casate de praebenda providere procuret. Reg. 25, a. III, c. 12, f. 2.

« .. *abbati Sancti Simpliciani Mediolanensis*. Quia dudum in plerisque —. Dat. Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1585 Latran, 8 janvier 1257.

Abbati monasterii Sancti Petri Viennensis et successoribus ejus, usum anuli concedit. Reg. 25, a. III, c. 13, f. 2.

« .. *abbati monasterii Sancti Petri foris portam Viennensis, ordinis Sancti Benedicti*. Ad ecclesiastici decoris augmentum reperta sunt insignia dignitatum, que sacrosancta Romana Ecclesia congrua in singulis humilitate distribuit et devotis filiis prout dignum judicat obtinenda concedit. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu et abbates monasterii Sancti Petri Viennensis predecessores tui usum mitre, ex concessione Sedis Apostolice, habere consueveritis ab antiquo, ut ipsius Sedis devotione sedula te gratum reddidisse gaudeas et habere circa eam plene sinceritatis studium tuis successoribus sit votivum, usum anuli tibi et ipsis successoribus de gratia concedimus liberali. Nulli, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1. Ms. : Lucri.

1586 Latran, 3 janvier 1257.

Episcopo Eistettensi indulget, ut ei per translationem corporis s. Wilebaldi in aliud altare, nullum praejudicium generetur, de collatione capellaniae altaris dicti sancti, quae collatio dicto episcopo pertinere noscitur. Reg. 25, a. III, c. 14, f. 2.

« .. *episcopo Eistetensi*. Significasti nobis, quod cum collatio perpetue capellanie altaris sancti Wilebaldi in Eistetensi ecclesia ad te pertinere noscitur, tu et dilecti filii capitulum Eistetense, corpus ipsius sancti de altari in quo tunc erat reconditum in alium decentiorem locum ejusdem ecclesie transtulistis, ibidem quoddam aliud altare construi facientes. Unde cum perpetuus capellanus, qui deservire consuevit in primo altari, deserviat in secundo, et redditus percipiat consuetos, ne per hoc juri tuo in aliquo derogetur, petisti super hoc per Sedem Apostolicam provideri. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ne per translationem hujusmodi, juri tuo in collatione dicte capellanie aliquod prejudicium generetur, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli, etc., nostre concessionis etc. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno tertio. »

1587 Latran, 2 janvier 1257.

Confirmat litteras quibus Aegidius Tullensis episcopus, curam ecclesiae de Blanzeis rectori ecclesiae de Bosceriis committit. Reg. 25, a. III, c. 15, f. 2v.

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie ad Nemus, Premonstratensis ordinis, Tullensis dio-*

cesis. Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum. Ex parte quidem vestra fuit propositum coram nobis, quod venerabilis frater noster.. episcopus Tullensis attendens quod parrochia ecclesie vestre de Blanzeis, Tullensis diocesis, in qua consuevistis per vestros canonicos deservire, per rectorem ecclesie de Bosceriis[1], ejusdem diocesis, que ab ipsa ecclesia de Blanzeis parum distat, utilius quam per eosdem canonicos poterat[2] gubernari, parrochiam ejusdem ecclesie de Blanzeis, vestro et ipsius rectoris ad id accedente consensu, eidem ecclesie de Bosceriis counivit, ipsorum parrochianorum curam rectori ejusdem ecclesie de Bosceriis[3] totaliter committendo, prout in litteris inde confectis, ipsius episcopi signalis sigillo, dicitur plenius contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc., nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno tertio. »

1588 Latran, 3 janvier 1257.

Episcopo Metensi mandat, quatenus nonnullos praepositos et rectores ecclesiarum, personalem residentiam in eisdem ecclesiis facere compellat. (Reg. 25, a. III, c. 16, f. 2v.

« .. *episcopo Metensi.* Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli prepositi et rectores ecclesiarum tue civitatis et diocesis, ad ordines, quos ecclesiarum ipsarum cura requirit, promoveri, et in eisdem ecclesiis personalem residentiam facere pretermittunt, licet prepositurarum et ecclesiarum ipsarum percipiant cum integritate proventus ; propter quod eedem ecclesie obsequiis debitis defraudantur et in eis cura negligitur animarum. Cum igitur scriptum sit « qui non laborat non debeat manducare » mandamus, quatenus, si est ita, dictos prepositos et rectores, quod ad hujusmodi ordines se promoveri et in eisdem ecclesiis personalem residentiam faciant ut tenentur, monitione premissa, per subtractionem proventuum eorumdem, ac etiam si contumacia ipsorum exegerit, per censuram ecclesiasticam, necnon et privationem prepositurarum et ecclesiarum ipsarum, eis qui nostris et fratrum nostrorum obsequiis immorantur exceptis, appellatione remota, compellas. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno tertio. »

1. *Ms.* : Basceriis.
2. *Ms.* : poterant.
3. *Ms.* : Basceriis.

1589 Latran, 23 décembre 1256.

Guardiano et fratribus de ordine Minorum Wratislaviensibus notum facit, se omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam monasterii in die consecrationis, in anniversario ejusdem ac in festo beati Jacobi, in cujus honore eadem ecclesia est constructa, et usque ad octo dies sequentes visitarint annuatim, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum conferre. Reg. 25, a. III, c. 17, f. 2v ; Potthast 16626.

« .. *guardiano et fratribus de ordine Minorum Wratislaviensibus.* Sanctorum meritis inclita —. Dat. Laterani, X kalendas januarii, anno tertio. »

1590 Latran, 23 décembre 1256.

Wlod praepositum ecclesiae Wizegradensis et nobiles viros Henricum, Boslaum et Conradum duces Zlesiae sub sua protectione suscipit. (Reg. 25, a. III, c. 18, f. 2v.

« *Wlod preposito ecclesie Wizegradensis capellano nostro et nobilibus viris Henrico, Boslao et Conrado ducibus Zlesie.* Consuevit Sedes Apostolica precibus condescendere devotorum, et ne pravorum molestiis agitentur, specialibus gratiarum suarum privilegiis communire. Hinc est quod devotionis vestre precibus inclinati, personas vestras, cum universis bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, et in futurum justis poteritis titulis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre constitutionis, protectionis et concessionis etc. Dat. Laterani, X kalendas januarii, anno tertio. »

1591 Latran, 23 décembre 1256.

Confirmat fratribus Deo deservientibus in ecclesia, in qua corpus H. quondam ducis Zlesiae sepultum est, liberam facultatem utendi pallis et sacris vestibus sericis in divinis officiis. Reg. 25, a. III, c. 19, f. 2v. Sans adresse et sans date[1].

« Ex parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris A. relicte ac filiorum clare memorie H. ducis Zlesie,

1. Cette lettre ne porte pas de numéro d'ordre dans le registre.

fuit propositum coram nobis, quod cum corpus ipsius ducis in ecclesia vestra fuisset traditum ecclesiastice sepulture, dilectus filius frater T. tunc minister generalis vestri ordinis, volens propter hoc eandem ecclesiam aliquibus insigniis decorare, utendi perpetuo pallis et sacris vestibus sericis in divinis misteriis et horis canonicis, vobis concessit liberam facultatem. Nos itaque obtentu predictorum relicte ac filiorum, vestris supplicationibus annuentes, ut hujusmodi pallis et vestibus juxta concessionem eandem, non obstante contraria constitutione ipsius ordinis facta vel facienda, uti possitis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli [etc nostre concessionis etc. Datum. »

1592 Latran, 4 janvier 1257.

Omnibus qui ecclesiam monasterii S. Clare Wratislaviensis in die festi ejusdem sanctae et in anniversario et consecrationis die ipsius cum devotione accesserint, unum annum et quadraginta dies de injuncta paenitentia relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 20 [1], f. 2v; Potthast 16649.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Clare, ordinis Sancti Damiani, Wratislaviensis*. Sanctorum meritis inclita —. Dat. Laterani, II nonas januarii, anno tertio. »

1593 Latran, 31 décembre 1256.

Episcopo Lubucensi, cui Opizo abbas monasterii de Mezano, tunc in partibus Poloniae Apostolicae Sedis legatus, concesserat ut in omnes, qui bona Lubucensis ecclesiae diripere aut invadere attemptarent, debite posset censuram ecclesiasticam exercere, hanc concessionem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 21, f. 2v; Potthast 16638.)

« .. *episcopo Lubucensi*. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod frater Opizo abbas monasterii de Mezano tunc in partibus Polonie Apostolice Sedis legatus, Lubucensem ecclesiam sub sua protectione suscipiens, per suas ibi duxit litteras concedendum, ut in omnes, qui bona ipsius ecclesie diripere aut invadere attemptarent, nisi diligenter moniti resipiscerent, debite posses censuram ecclesiasticam, etiamsi de Lubucensi diocesi non existerent, exercere, prout in litteris predictis plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod per legatum ipsum in hac parte factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« Venerabili in Christo patri [Guilelmo] Dei gratia episcopo Lubucensi, frater Opizo monasterii de Mezano « abbas, Apostolice Sedis legatus, salutem in Domino. « Cum, sicut accepimus, bona Lubucensis ecclesie a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non « formidant, invadantur et etiam dissipentur in con« temptum ecclesiastice libertatis et animarum sua« rum non modicum detrimentum, nos vestris suppli« cationibus, quas quidem justitia comitatur, grato « concurrentes assensu, ecclesiam ipsam cum bonis « suis, que nunc juste possidet, sub Dei et nostra pro« tectione suscipimus, providentie vestre, auctoritate « qua fungimur committentes, quatinus invasores « quoslibet, raptores et molestatores ecclesie Lubu« censis et bonorum pertinentium ad eandem, etiam« si ad aliam diocesim molestatores et raptores hu« jusmodi pertinere noscantur, et ad competentem « vestram monitionem resilire noluerint, excommuni« cationis sententia innodetis et faciatis eos ab aliis « usque ad satisfactionem condignam artius evitari. « Datum Wrazelavie, XIIII kal. decembris, pontifica« tus domini Innocentii pape IIII, anno undecimo. » Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, II kal. januarii, anno tertio. »

1594 Latran, 30 avril 1256.

Nicholao rectori ecclesiae S. Mariae de Platea Sagiensis, indulget, ut decanatum ecclesiae Omnium Sanctorum de Mauritania, Sagiensis dioecesis, una cum aliis quibusdam beneficiis recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 22, f. 3.

« *Nicholao rectori ecclesie Sancte Marie de Platea Sagiensis*. Etsi propter ambitiones —. Cum igitur de litterarum scientia, munditia vite, bonisque moribus commenderis, nos bonis benefacere cupientes ac intendentes te per hoc prerogativa gratie prosequi speciali, ut decanatum ecclesie Omnium Sanctorum de Mauritania, Sagiensis diocesis, recipere libere, si tibi canonice offeratur, ac una cum Sancti Hilarii de Sosayo et Sancte Marie de Platea Sagiensis ecclesiis, curam animarum habentibus, quas ex dispensatione apostolica obtines, retinere, ac si eadem beneficia te resignare contigerit, loco cujuslibet aliud similem

1. Le registre porte par erreur XVIII et passe ensuite à XXI.

curam habens recipere licite, si tibi canonice offeratur, constitutione non obstante predicta, valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus, proviso ut beneficia ipsa debitis obsequiis non fraudentur et in eis animarum cura nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, II kalendas maii, anno secundo. »

1595 Anagni, 12 novembre 1256.

Archiepiscopo et capitulo Eboracensibus notum facit quasdam litteras rectori et fratribus hospitalis S. Leonardi Eboracensis super concessione ecclesie de Neuton. super Usam directas, et de falsitate suspectas, de cancellaria sua emanare. (Reg. 25, a. III, c. 23, f. 3.)

« .. *archiepiscopo et capitulo Eboracensibus.* Sua nobis dilecti filii .. rector et fratres hospitalis Sancti Leonardi Eboracensis petitione monstrarunt, quod nos ecclesiam de Neuton. super Usam, Eboracensis diocesis, in qua jus obtinent patronatus, cum pertinentiis suis eis in proprios usus concessimus, ipsis super hoc nostras litteras concedendo ; verum, quibusdam asserentibus in Eboracensi capitulo, quod filum litterarum ipsarum obfuscatum erat, quodque littere ipse manifestum continebant in constructione peccatum et quedam alia frivola contra eas proponentibus, propter que dicebantur de falsitate suspecte, iidem rector et fratres litteras ipsas ad nostram presentiam transmiserunt, nobis humiliter supplicantes, ut, ne quis emulus de cetero aliquid in eos propter hoc possit detractionis impingere, providere ipsis super hoc misericorditer curaremus. Cum autem dilectus filius magister Rollandus, sacrosancte Romane Ecclesie vicecancellarius, litteras easdem in notariorum nostrorum ac .. auditoris contradictarum et .. correctoris litterarum nostrarum, presentia, diligenter examinans, eas repperierit esse veras, quarum tenor talis est :

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. rectori et fratribus hospitalis Sancti « Leonardi Eboracensis, salutem et apostolicam « benedictionem. Ex parte vestra fuit propositum « coram nobis, quod cum in hospitali vestro multi « pauperes et languidi collocentur, et infantes inibi « aliquando exponantur, quibus vos oportet necessaria ministrare, nobis humiliter supplicastis, ut ec« clesiam de Neuton. super Usam, Eboracensis dio« cesis, in qua vos jus habere proponitis patronatus, « vobis concedere de benignitate solita curaremus. « Nos igitur, devotionis vestre precibus inclinati, « prefatam ecclesiam, cum omnibus pertinentiis suis, « applicandam usibus vestris, auctoritate presentium « de gratia vobis concedimus speciali ; concedentes « nichilominus, ut cedente vel decedente ipsius rec« tore, possessionem ejusdem, auctoritate nostra, « libere ingredi, archiepiscopi vel cujuslibet alterius « assensu minime requisito, ac in ea per presbiteros « valeatis ydoneos deservire, ita quod animarum « cura nullatenus negligatur in ipsa, jure nichilomi« nus diocesani in aliis que ad ipsum pertinent sem« per salvo. Non obstantibus aliquibus litteris quan« tumcumque specialibus, vobis vel aliis ab Apostolica « Sede pro quibuscumque personis directis, super « provisione earum de ecclesiis ad vestram collatio« nem vel presentationem spectantibus, seu inhibi« tionibus factis per eas, vel aliqua alia indulgentia « seu privilegio eidem archiepiscopo vel quibus« cumque concessis, per que effectus presentium im« pediri valeat vel differri. Nulli etc. nostre conces« sionis etc. Dat. Neapoli, X kalendas maii, anno « primo. »

« nos litteras ipsas postmodum nobis exhibitas approbantes, tenore presentium declaramus, quod dicte littere de cancellaria nostra et de certa nostra scientia emanarunt. Dat. Anagnie, II idus novembris, anno secundo. »

1596 Latran, 8 janvier 1257.

Cum Rannerio canonico Florentino dispensat, ut praeter beneficia ecclesiastica, quae se canonice proponit adeptum, unicum aliud beneficium, etiam curam animarum habens annexam, licite recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 24, f. 3v.)

« *Rannerio canonico Florentino.* Per studia laudabilis —. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1597 Latran, 8 janvier 1257.

Statutum quoddam decani et capituli Cathalaunensium de studio canonicorum confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 25, f. 3v.)

« .. *decano et capitulo Cathalaunensibus.* Hiis qui pro ecclesiarum utilitatibus —. Cum igitur, sicut

lecta coram nobis vestra petitio continebat, vos, ecclesie vestre utilitate pensata, unanimiter et concorditer duxeritis statuendum, ut canonicis ejusdem ecclesie transferendi se ad studium, nisi prius in pleno capitulo juraverint, quod a vobis pro necessitatibus et urgentibus negotiis ecclesie predicte vocati veniant, dummodo infra regnum Francie vel extra in loco unde possint evocari commode studio immorentur, hujusmodi licentia nullatenus concedatur, quodque quilibet canonicus teneatur vobis una vice centum solidos Turonensium pro fabrica necnon et exoneratione debitorum ipsius ecclesie exhibere, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri ; nos vestris devotis supplicationibus inclinati, statutum hujusmodi, sicut provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1598 Latran, 27 décembre 1256.

Confirmat facultatem claudendi claustrum a Ludovico rege Franciae capitulo Cathalaunensi concessam. (Reg. 25, a. III, c. 26, f. 3ᵛ.)

« *Eisdem.* Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster.. episcopus Cathalaunensis, qui jurisdictionem in civitate Cathalaunensi spiritualem et temporalem obtinet, ut claustrum habeatis liberum et ab omni temporali exactione, collecta et servitute immune, accedente ad id assensu carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francie, domini principalis, vobis de novo concessit, et, ut liberius et securius ad ecclesiam in matutinis et aliis horis possitis accedere, quod illud muro et portis claudere valeatis. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, VI kalendas januarii, anno tertio. »

1599 Latran, 8 janvier 1257.

Decano Cathalaunensi, senio jam confecto, indulget, ut de causis aliquibus ei committendis cognoscere non teneatur. (Reg. 25, a. III, c. 27, f. 3ᵛ.)

« .. *decano Cathalaunensi.* Per laudabilia conversationis et vite studia te dignum reddidisse diceris, ut a Sede Apostolica favorem et gratiam consequaris. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, propter causarum strepitum, que tibi senio jam confecto a Sede Apostolica delegantur, non possis contemplationi vacare, ac horis debitis, prout ad tuum spectat officium, divinis officiis interesse, propter quod tibi et ecclesie Cathalaunensi non modicum imminet detrimentum, nos, tuis supplicationibus inclinati, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut de causis aliquibus tibi de cetero a Sede Apostolica committendis cognoscere non tenearis invitus, nisi commissionis littere plenam de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1600 Latran, 22 décembre 1256.

Statuit terram Aquilae esse de cetero civitatem, ac eidem concedit episcopalem dignitatem, atque Furconensem sedem ad ecclesiam S. Maximi et S. Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem esse decernit, transfert, constituendo ut de cetero loci praesul non Furconensis sed Aquilensis episcopus nominetur. (Reg. 25, a. III, c. 28, f. 3ᵛ; Rodenberg, t. III, nº 448.)

« *Potestati, consilio et communi Aquilensibus, fidelibus nostris.* Pure fidei claritate —. Dat. Laterani, XI kal. januarii, anno tertio[1]. »

1601 Latran, 23 décembre 1256.

Clerum civitatis et dioecesis Aquilensis monet et hortatur, ut dictum Aquilensem episcopum tamquam patrem suscipiant, eique obedientiam debitam impendant. Sententiam, quam idem episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebit. (Reg. 25, a. III, c. 29, f. 4; Potthast 16631.)

« *Clero civitatis et diocesis Aquilensis.* Cum terram Aquile —. Dat. Laterani, X kal. januarii, anno tertio. »

1602 Latran, 23 décembre 1256.

Potestatem, consilium et populum Aquilenses monet et hortatur, quatenus faciant novo episcopo Aquilensi et eccle-

1. Une bulle dans la même forme, un peu plus développée, sous la date du 20 février 1257, se trouve dans le même registre sous le numéro 167. Cf. le présent volume, nº 1763.

siis omnibus civitatis ipsius a vassalis quondam eorum octavam partem immobilium et uncetuplum pro recompensatione debitorum in quibus tenebantur eisdem, juxta ordinationem factam exinde, integraliter exhiberi. (Reg. 25, a. III, c. 30, f. 4.)

« *Potestati, consilio et populo Aquilensibus*. Cum terram Aquile —. Dat. ut supra. »

1603 Latran, 23 décembre 1256.

Berardo episcopo quondam Furconensi, nunc Aquilensi, mandat, quatenus ad predictam civitatem Aquilensem accedat, seque de cetero nominet ac nominari faciat episcopum Aquilensem. (Reg. 25, a. III, c. 31, f. 4 ; Potthast 16632.)

« .. *episcopo quondam Furconensi, nunc Aquilensi*. Cum nos terram Aquile —. Dat. ut supra. »

1604 Latran, 3 janvier 1257.

Abbati et conventui monasterii Sancti Thomae Martyris de Aberbrothoc, intuitu Joannis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis concedit, ut ecclesiam de Fernindrauit, Aberdonensis dioecesis, in qua jus patronatus habent, et proventus ejus, annuam valentiam triginta marcarum sterlingorum vix excedentes, cedente vel decedente rectore, suis usibus, divino cultui et hospitalitatis officio applicare possint. (Reg. 25, a. III, c. 32, f. 4 ; Potthast 16647.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Thome Martiris de Aberbrothoc, ordinis S. Benedicti, Sancti Andree diocesis*. Gratia Sedis Apostolice —. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno tertio. »

1605 Latran, 17 janvier 1257.

Notificat.. de May et.. de Rustinot prioribus, S. Benedicti et S. Augustini ordinum, Sancti Andreae dioecesis, se abbati et conventui monasterii Sancti Thomae de Aberbrothoc, ordinis Sancti Benedicti, concessisse ut proventus ecclesiae de Fernindraut, Aberdonensis dioecesis, propriis usibus applicare valeant, proviso tamen quod capellano dictae ecclesiae competens portio assignetur. Supradictis prioribus mandat, quatenus eosdem abbatem et conventum in possessionem dictae ecclesiae inducant et inductos defendant. (Reg. 25, a. III, c. 33, f. 4.)

« .. *de May et .. de Rustinot prioribus S. Benedicti et S. Augustini ordinum, Sancti Andree diocesis*. A dilectis filiis —. Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno tertio. »

1606 Latran, 3 janvier 1257.

Abbati et conventui monasterii Sancti Thome Martiris de Aberbrothoc, ordinis Sancti Benedicti, quibus Willelmus de Fornindraut miles, Aberdonensis dioecesis, patronus ecclesiae de Fornindraut, jus patronatus ipsius ecclesiae tunc ad eum pertinens concesserat, hanc concessionem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 34, f. 4v ; Potthast 16646.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Thome Martiris de Aberbrother, ordinis Sancti Benedicti, Sancti Andree diocesis*. Lecta coram nobis —. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno tertio. »

1607 Latran, 2 janvier 1257.

Petro Girondi, canonico ecclesiae S. Donatiani in Brugis, indulget ut residentiam canonicalem in quocumque anni tempore incipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 35 [1], f. 4v.)

« *Petro Girondi, presbitero, canonico ecclesie Sancti Donatiani in Brugis, Tornacensis diocesis*. Sicut petitio tua nobis exhibita continebat, in ecclesia Sancti Donatiani in Brugis, Tornacensis diocesis, statutum existit firmatum juramento et per Sedem Apostolicam confirmatum, ut ipsius ecclesie canonici, annis singulis, in octavis apostolorum Petri et Pauli residentiam incipiant facere, ac eam usque ad sequens festum Purificationis beate Marie Virginis contin[u]ent in eadem. Quia vero tibi, prout asseris, interdum est difficile in eisdem octavis hujusmodi residentiam inchoare, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc, paterna sollicitudine, curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut statuto, juramento et confirmatione predictis nequaquam obstantibus, in quocumque anni tempore possis in dicta ecclesia residentiam incipere supradictam, ita quod ipsam, continue vel interpolate, in predicta ecclesia, tanto tempore annuatim facias quanto tenentur facere alii canonici, qui eam incipiunt facere in octavis eisdem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno tertio. »

1608 Latran, 2 janvier 1257.

Decano Atrebatensi mandat, quatenus compellat praepositum et capitulum ecclesiae S. Donatiani in Brugis, Tornacensis dioecesis, ut Petro Girondi, canonico ejusdem ecclesiae et in ipsa residentiam facienti, proventus ejus

prebendae predictae ecclesiae eo pretextu non subtrahant, quod forte interdum in eisdem octavis non incipiet facere hujusmodi residentiam. (Reg. 25, a. III, c. 35[2], f. 4v.)

« .. *decano Atrebatensi*. Sicut petitio dilecti —. Dat. ut supra. »

1609 Latran, 2 janvier 1257.

Willelmo Girondi, presbitero, canonico Sancti Donatiani in Brugis, Tornacensis dioecesis, eandem facultatem indulget, quam Petro Girondi, canonico ejusdem ecclesiae, eadem die indulserat. (Reg. 25, a. III, c. 36[1], f. 4v.)

« *Willelmo Girondi, presbitero, canonico Sancti Donatiani in Brugis, Tornacensis diocesis*. Sicut petitio tua —. Dat. ut supra. »

1610 Latran, 2 janvier 1257.

Decano Atrebatensi mandat, quatenus Willelmo Girondi eundem favorem praebeat, quem Petro Girondi. (Reg. 25, a. III, c. 36[2], f. 4v.)

« .. *decano Atrabatensi*. Petitio dilecti filii. — Dat. ut supra. »

1611 Latran, 5 janvier 1257.

Henrico, episcopo Lincolniensi concedit, ut viginti excommunicatis possit absolutionis beneficium impertiri. (Reg. 25, a. III, c. 37, f. 4v.)

« *Henrico episcopo Lincolniensi*. Geritur in affectu nostro precipuum, ut nostre cooperationis auxilio salus proveniat animarum. Sane, sicut ex tenore tue petitionis accepimus, nonnulli clerici et laici tue civitatis et diocesis, pro violenta injectione manuum in religiosas personas et clericos seculares, excommunicationis vinculo sunt astricti; quia vero, propter remota locorum spatia et[1] viarum pericula, eis nimis difficile ac dispendiosum existeret adire Sedem Apostolicam, pro absolutionis beneficio obtinendo, humiliter petebas a nobis, ut super hoc providere salubriter de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi, presentium tibi auctoritate concedimus, ut viginti ex eisdem excommunicatis, cum ab eis fueris humiliter requisitus, hac vice, juxta formam Ecclesie, vice nostra, possis super premissis absolutionis beneficium impertiri, dummodo ipsi passis injuriam satisfaciant competenter, et eorum non sit adeo gravis et enormis excessus, quod merito propter hoc sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Dat. Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1. *Ms.* : locorum et spatia viarum.

1612 Latran, 5 janvier 1257.

Henrico, episcopo Lincolniensi, concedit, ut cum decem religiosis, super defectu natalium quem patiuntur, dispensare valeat. (Reg. 25, a. III, c. 38, f. 5.)

« *Henrico, episcopo Lincolniensi*. Humiliter a nobis fuit ex tua parte petitum, ut super defectu natalium, quem nonnulli religiosi tue civitatis et diocesis patiuntur, dispensandi cum eis, quod ministrare in susceptis ordinibus et ascendere ad majores, ac etiam quod ad regulares administrationes et prelaturas seu dignitates sui ordinis assumi valeant, tibi licentiam de benignitate solita largiremur. Nos itaque, tuis precibus inclinati, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut cum decem dumtaxat de religiosis ipsis, qui non sint de incestu vel adulterio aut regularibus procreati, sed bone conversationis et vite, aliasque sibi merita suffragantur ad dispensationis gratiam obtinendam, super premissis, vice nostra, dispensare valeas, prout, secundum Deum, saluti animarum suarum videris expedire. Dat. Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1613 Latran, 13 janvier 1257.

Magistro Guillelmo, archidiacono Sancti Andreae in Scotia, indulget ut confessorem eligere possit. (Reg. 25, a. III, c. 39, f. 5.)

« *Magistro Guillelmo, capellano nostro, archidiacono Sancti Andree in Scotia*. Benigno tibi illa —. Hinc est quod nos, tue devotionis precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut aliquem ydoneum confessorem tibi possis eligere, qui, quotiens a te requisitus fuerit, confessionem tuam audiat tibique auctoritate nostra penitentiam salutarem injungat, nisi talia forte commiseris, super quibus Sedes esset Apostolica consulenda. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1614 Latran, 18 janvier 1257.

Cum Henrico de Lastene, canonico ecclesiae Saresburiensis, dispensat, ut licite insimul retinere valeat ecclesiam de Lym' curam animarum habentem, quae prebendae ejus Saresburiensis ecclesiae est annexa et ecclesiam de Pangeburno, Saresburiensis dioecesis, cui similis cura imminet, et quam se canonice proponit adeptum. (Reg. 25, a. III, c. 40, f. 5.)

« *Henrico de Lastene, canonico ecclesie Saresbiriensis.* Volentes persone tue —. Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno tertio. »

1615 Latran, 13 janvier 1257.

Omnibus elemosinas ecclesiae S. Thomae de Formis erogantibus, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum concedit. (Reg. 25, a. III, c. 41 [1], f. 5.

« *Universis Christi fidelibus, ad quos littere iste pervenerint.* Quoniam, ut ait apostolus etc. usque : vitam eternam. Cum igitur dilecti filii... magister et fratres ecclesie Sancti Thome de Formis de Urbe, ordinis S. Trinitatis et Captivorum, ad hoc totis laborent viribus, ut captivos redimere valeant et egenorum necessitatibus subvenire, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut, per subventionem vestram adjuti, exercere valeant hujusmodi officium pietatis et vos per hec et alia bona, que, Domino inspirante, feceritis, ad eterne — usque : pervenire. Nos enim — usque : confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eis ad hoc pias elemosinas et grata caritatis subsidia duxerint eroganda, unum annum et quadraginta dies — usque : relaxamus. Presentibus post triennium etc. quas mitti etc. Dat. Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1616 Latran, 23 janvier 1257.

Priori de Ingan., Mediolanensis dioecesis, mandat, quatenus procedat juxta continentiam litterarum Innocentii papae ei destinatarum, super provisione Ottonis dicti *Veritas*, clerici Mediolanensis, in civitate vel dioecesi Mediolanensi, e quibus litteris dictus clericus nullum commodum est adeptus. (Reg. 25, a. III, c. 41 [2], f. 5.

« .. *priori de Ingan., Mediolanensis diocesis.* Exposuit nobis dilectus —. Dat. Laterani, X kal. februarii, anno tertio. »

1617 Anagni, 11 juillet 1256.

Bartholomeo de Amanio judicatus officium concedit. (Reg. 25, a. III, c, 42, f. 5.)

« *Bartholomeo de Amanio, clerico Leodiensis diocesis.* Ne contractuum memoria deperiret — usque : notarentur. Hinc est quod predictum officium, ad quod fuisti reppertus ydoneus, cum potestate dandi tutores et curatores, emancipandi, decretum interponendi, decernendi alimenta, testes recipiendi et publicandi et alios actus legitimos exercendi, auctoritate presentium tibi duximus concedendum, ut illud prudenter et fideliter exequaris, et ad te, cum necesse fuerit, in hiis, que ad officium ipsum pertinent, recurratur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, V idus julii, anno secundo. »

1618 Latran, 16 janvier 1257.

Generali capitulo Cartusiensis ordinis indulget, ut postquam priores electi electioni de se factae assensum praestiterint, et eorum electio per alios priores sic vocatos fuerit confirmata, possint et debeant plenam animarum curam in suos subditos exercere. (Reg. 25, a. III, c. 43, f. 5v ; Potthast 16680.)

« *Generali capitulo Cartusiensis ordinis.* Licet, sicut accepimus, tam ex constitutionibus vestris per Sedem Apostolicam confirmatis, quam ex antiqua et approbata consuetudine vestri ordinis habeatur, ut, cum aliquam domum ordinis ejusdem vacare, ac ei de aliquo per electionem seu postulationem contingit canonicam provideri, duo vicini priores aut, si domus vacans a domo Cartusiensi remota sit ita, ut non teneatur annis singulis generale visitare capitulum, tantum unus a fratribus ejusdem domus vocati electionem vel postulationem hujusmodi confirment auctoritate vestri capituli, vel admittant, et electus hujusmodi, postquam electioni de se facte assensum prestiterit, plenam animarum curam in suos subditos consueverit exercere ; quia tamen nonnulli priores et fratres ipsius ordinis nichilominus dubitant, quod hujusmodi curam gerere nequeant priores taliter instituti, et propter hoc habeant conscientiam scrupulosam, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis et eis

saltem ad cautelam super hoc salubriter curaremus. Volentes igitur de talium conscientiis, quantum ad istum articulum pertinet, omnem ambiguitatis scrupulum amoveri, vobis ac hujusmodi prioribus et fratribus specialiter indulgemus, ut postquam in priores electi electioni de se facte assensum prestiterint, et eorum electio per alios priores sic vocatos, prout superius dicitur, fuerit confirmata, possint et debeant tam nostra quam ipsius constitutionis vestre auctoritate curam gerere supradictam. Nulli [etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, XVII kal. februarii, anno tertio. »

1619 Latran, 13 janvier 1257.

Fratribus Praedicatoribus Matisconensibus confirmat concessionem capellae S. Mariae de Castro ac plateae quae est circa eam. Reg. 25, a. III, c. 44, f. 5v; Potthast 16677.

« *Fratribus Predicatoribus Matisconensibus.* Ex tenore vestre petitionis accepimus, quod venerabilis frater noster.., episcopus Matisconensis, erga vos pro vestre religionis meritis dirigens affectum benivolentie specialis, capellam Sancte Marie de Castro Matisconensem et plateam que est circa eam, sitas juxta locum vestrum, prout spectabat ad ipsum, vobis pia liberalitate concessit, exceptis ipsius capelle redditibus, quos ecclesie Sancti Stephani Matisconensi dinoscitur reservasse: quare humiliter petebatis a nobis, ut concessionem hujusmodi apostolico roborare munimine dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, concessionem eandem ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, defectum in ipsa pro eo habitum, quod Matisconensis capituli non intervenit assensus, de nostre supplentes plenitudine potestatis. Nulli etc. nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1620 Latran, 13 janvier 1257.

Fratribus Praedicatoribus Matisconensibus, quibus episcopus Matisconensis certum censum in quadam vinea contulerat, hanc collationem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 45, f. 5v; Potthast 16676.

« *Fratribus Predicatoribus Matisconensibus.* Exhibita nobis vestra petitio continebat, quod venerabilis frater noster.., episcopus Matisconensis, bone conversationis et vite vestre studium, ac etiam sollicitudinem efficacem, quam circa lucrum geritis animarum, attente considerans, et propter hoc pie cupiens vos in civitate Matisconensi locum habere, cum nullum tunc optineretis ibidem, quicquid census vel servicii aut alterius juris sibi competeret in loco, quem in civitate acceptaretis eadem, in elemosinam vobis liberali contulit pietate. Quare humiliter petebatis a nobis, ut cum pars loci vestri, quem ibidem adepti estis, fuerit vinea, in qua episcopus ipse certum censum vel jus aliud dicitur habuisse, hujusmodi collationem episcopi memorati, per quam eadem census et jus vobis remissa esse noscuntur, apostolico roborare munimine dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, concessionem eandem firmam et ratam habentes, eam auctoritate apostolica communimus, defectum in ipsa pro eo habitum, quod Matisconensis capituli non intervenit assensus, de nostre supplentes plenitudine potestatis. Nulli [etc.] nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1621 Latran, 17 janvier 1257.

Priori S. Eligii Parisiensis et decano S. Martini Turonensis mandat, quatenus certam pecuniae summam colligant, et Alfonso comiti Augi assignent. Reg. 25, a. III, c. 46, f. 5v.

« .. *priori Sancti Eligii Parisiensis et.. decano Sancti Martini Turonensis.* Ex parte dilecti filii nobilis viri Alfonsi, comitis Augi, et camerarii regni Francie, nati clare memorie Johannis regis Jerosolimitani, fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster diligenter attendens labores multiplices, quos idem comes in executione voti sui pro Terre Sancte subsidio pertulerat, per biennium hujusmodi subsidio insistendo: considerans etiam quod propter sumptus nimios, quos ob id fecerat, compulsus fuerat gravia subire onera debitorum, presertim cum nullam gratiam nullamque subventionem habuisset, que tantam ejus sarcinam relevaret, ac dignum et congruum extimans, quod ei ad hujusmodi alleviationem oneris aliqua suffragia procuraret, dilectis filiis .. de Neatla Veteri et.. Augi, Carnotensis et Rothomagensis diocesium, abbatibus, suis sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut ipsi vel eorum alter de redemptionibus votorum crucesignatorum, postquam per ipsos vel alios, quibus

id auctoritate apostolica committerent, si senes, debiles et inhabiles ad pugnandum existerent, forent a votis hujusmodi absoluti, et de legatis ac relictis indistincte, necnon et de obventionibus ex quacumque causa predicte terre subsidio provenientibus in Rothomagensi et Turonensi provinciis, usque ad summam sex milium librarum Turonensium, per se vel per alios colligere, ipsamque summam in tutis locis deponere, ac eidem postmodum comiti vel suis procuratoribus, maxime cum alias similis ei gratia facta non fuisset, integre assignare curarent. Contradictores etc. Nos etiam postquam sumus ad apicem Summi Apostolatus assumpti, eisdem abbatibus nostris injunximus litteris, ut si esset ita, nec idem comes de hujusmodi gratia fructum reportasset optatum, sibi de redemptionibus hujusmodi et aliis, que in predicti predecessoris litteris continentur, satisfacerent juxta traditam eis formam; unde predictus comes nobis humiliter supplicavit, ut cum ex hujusmodi ejusdem predecessoris et nostris litteris nondum sit speratum comodum assecutus, providere in hac parte sibi, presertim cum expensas et dampna gravia in ipsius gratie prosecutione subierit, de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur gerentes ad ipsum comitem, ob suam et progenitorum suorum devotionem, paterne dilectionis affectum, ac cupientes ut hujusmodi sibi gratia fructuosa reddatur, ipsius supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ad colligendum usque ad predictam summam de redemptionibus et aliis supradictis, computato eo quod jam idem comes percepisse dinoscitur, et ad assignandum id quod colligeretis eidem comiti vel procuratoribus suis, per vos vel per alium seu alios efficaciter procedatis, juxta predictarum ejusdem predecessoris continentiam litterarum. Non obstantibus aliquibus litteris a Sede Apostolica impetratis, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri. Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno tertio. »

1622 Latran, 12 janvier 1257.

Abbati et conventui monasterii Sanctae Mariae de Gloria Anagnini indulget, ut nulli teneantur solvere aliquid de quibuscumque bonis monasterio suo legatis vel in posterum legandis. (Reg. 25, a. III, c. 47, f. 6.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Gloria Anagnini, Florensis ordinis*. Cum monasterium vestrum, utpote Sedi Apostolice immediate subjectum, sincera diligamus in Domino caritate, vobis auctoritate presentium indulgemus, ut de quibuscumque bonis monasterio vestro a Christi fidelibus in vita vel in ultima voluntate legatis vel legandis in posterum nulli teneamini solvere aliquid, pretextu cujuslibet juris diocesani seu alicujus canonice portionis. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, II idus januarii, anno tertio. »

1623 Latran, 20 décembre 1256.

Episcopo Anagnino mandat, quatenus de hiis, quae quondam Stephanus de Anagnia capellanus ipsius papae monasterio Sanctae Mariae de Gloria Anagnino, Florensis ordinis, in ultima voluntate legavit, a dilectis filiis.. abbate et conventu ipsius monasterii nihil pretextu alicujus portionis canonicae aut alio jure dioecesano exigat. (Reg. 25, a. III, c. 48, f. 6.)

« .. *episcopo Anagnino*. Cum monasterium Sancte Marie —. Dat. Laterani, XIII kal. januarii, anno tertio. »

1624 Latran, 5 février 1256.

Jacobo canonico ecclesie S. Clementis de Urbe mandat, ut archipresbiterum et capitulum majoris ecclesiae Civitatis Castellanae, quibus ruralem ecclesiam S. Sisti, Civitatis Castellanae dioecesis, ad monasterium S. Eliae, ordinis Sancti Benedicti, Nepesinae dioecesis, spectantem, cum terris et possessionibus in loco quem dicitur Portellis versus Civitatem Castellanam, ad usum communis mensae concesserit, in corporalem ipsius ecclesiae ac terrarum possessionem inducat et tueatur inductos. (Reg. 25, a. III, c. 49, f. 6 ; Potthast 16228.)

« *Jacobo canonico ecclesie Sancti Clementis de Urbe*. Ex parte dilecti —. Dat. Laterani, nonis februarii, anno secundo. »

1625 Latran, 13 janvier 1257.

Decano, capitulo et portionario ecclesiae Ispalensis indulget, ut quilibet eorum, quamdiu in ecclesia ipsa Ispalensi residentiam fecerit, possit proventus aliorum beneficiorum, quae in Hispania possidet, integre percipere. (Reg. 25, a. III, c. 50, f. 6.)

« .. *decano et capitulo et.. portionario, ecclesie Ispalensis*. Volentes ut Ispalensi ecclesie, que de

novo rediit ad Ecclesie unitatem, debitum obsequium impendatur, carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle ac Legionis illustris supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut quilibet vestrum, quamdiu in ecclesia ipsa Ispalensi residentiam fecerit personalem, proventus beneficiorum suorum, que in quibuscumque ecclesiis Yspanie obtinet, possit cum ea integritate percipere, cum qua eos perciperet si personaliter in eisdem ecclesiis resideret; non obstantibus ipsarum ecclesiarum contraria consuetudine vel statuto, presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1626 Latran, 13 janvier 1257.

Episcopo Zamorensi mandat, quatenus decano ac cuilibet de capitulo et portionariis Ispalensis ecclesie proventus beneficiorum eorum faciat assignari. (Reg. 25, a. III, c. 51, f. 6.)

« .. *episcopo Zamorensi*. Volentes ut Ispalensi —. Dat. ut supra. »

1627 Latran, 18 janvier 1257.

Henrico rectori ecclesiae Sanctae Cristinae, Perusinae dioecesis, indulget ut praeter ecclesiam S. Cristinae, quam tenues habentem redditus et absque animarum cura obtinet, unicum adhuc beneficium, plebanatum vel prioratum ecclesiae secularis, etiamsi curam habeat animarum, recipere ac libere retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 52, f. 6v.)

« *Henrico rectori ecclesie Sancte C[r]istine Perusine diocesis*. Tue bonitatis meritis —. Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno tertio. »

1628 Latran, 18 janvier 1257.

Episcopo Eistetensi indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus vel aliis ecclesiasticis beneficiis ad ejus collationem spectantibus, per litteras Apostolicae Sedis vel legatorum ipsius compelli non possit invitus, absque speciali mandato Sedis ejusdem faciente plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 53, f. 6v.)

« .. *episcopo Eistetensi*. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Laterani ut supra. »

1629 Latran, 19 janvier 1257.

Ministro et fratribus hospitalis de Caritate Terdonensis dioecesis confirmat salubria et honesta statuta, quae potestas et commune civitatis Terdonensis pro immunitatibus ipsius hospitalis ediderunt. (Reg. 25, a. III, c. 54, f. 6v.)

« .. *ministro et fratribus hospitalis de Caritate, Terdonensis diocesis*. Solet annuere Sedes —. Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno tertio. »

1630 Latran, 19 janvier 1257.

Rogerio de Massanelli ejusque heredibus, villas Gorgolioni, Petrae Acenae et Acceptoti, in feudum concedit. (Reg. 25, a. III, c. 55, f. 6v.)

« *Nobili viro Rogerio de Massanelli fideli nostro*. Sincere devotionis, quam ad nos et Romanam Ecclesiam habuisse ac habere dinosceris, non sumus immemores nec dampnorum plurium aliorumque gravaminum, que pro ipsa sustinuisti Ecclesia, possumus oblivisci —. Hinc est quod nos, volentes dolorum et dampnorum incendia, que pro ipsa sustinuisti Ecclesia, apostolice consolationis lenire fomentis, tuis supplicationibus inclinati, Gorgolioni, Petre Acene et Acceptoti villas, Tricaricensis diocesis, ad curiam pertinentes, quarum proventus quindecim uncias auri annis singulis valere dicuntur, tibi tuisque heredibus in fidelitate ac devotione ipsius Ecclesie persistentibus, sub debitis et consuetis servitiis in feudum concedimus de gratia speciali. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, XIIII kal. februarii, anno tertio. »

1631 Latran, 8 janvier 1257.

Raynerio Jacobi de Scala canonico Florentino indulget, ut praeter beneficia ecclesiastica, quae se canonice proponit adeptum, unicum aliud beneficium, etiam curam animarum habens annexam, licite recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 56[1], f. 6v.)

« *Raynerio Jacobi de Scala canonico Florentino*. Per studia laudabilis. — Dat. Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1632 Latran, 8 janvier 1257.

Praeposito ecclesiae S. Petri Duacensis indulget, ut non obstante statuto de certo canonicorum numero, unum cle-

ricum in canonicum dictae ecclesiae recipi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 56[2], f. 6v.)

« .. *preposito ecclesie Sancti Petri Duacensis, Atrabatensis diocesis.* Tue devotionis obtentu tibi gratificari et per impensam tibi gratiam alii providere volentes, faciendi recipi unum de clericis tuis in ecclesia Sancti Petri Duacensis, in qua prebendarum collatio ad te pertinere dicitur, in canonicum et in fratrem, et providendi sibi de prebenda si vacat ibidem ad presens vel quamcito se facultas obtulerit, non obstante statuto de certo canonicorum numero, juramento vel confirmatione Sedis Apostolice aut alia firmitate vallato, seu si aliqui recepti sunt in ipsa ecclesia, quibus eundem clericum in assecutione prebende volumus anteferri, sive qualibet dicte Sedis indulgentia, per quam id impediri valeat vel differri et de qua in presentibus mentio fieri debeat specialis, necnon et compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, statuto et indulgentia ipsis post receptionem ejusdem clerici nichilominus in suo robore duraturis. Datum Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1633 Latran, 18 janvier 1257.

Cum Dominico Joannis canonico Auriensi, intuitu [Joannis] episcopi Auriensis dispensat, ut canoniam et praebendam Aurienses sine cura et ecclesiam Sancte Crucis de Raveeda, curam animarum habentem, Auriensis dioecesis, retinere valeat, non obstante constitutione bonae memoriae Sabinensis episcopi tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legati. (Reg. 25, a. III, c. 57, f. 6v.)

« *Dominico Johannis canonico Auriensi.* Meritis laudabilis conversationis —. Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno tertio. »

1634 Latran, 18 janvier 1257.

Confirmat litteras a Joanne S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali datas, quibus idem cardinalis declarat ecclesiam de Rochymay, quae ecclesiae de Rechmalrune capella existit ab antiquo, ad mensam episcopalem Moraviensem spectare, non obstante quod quondam [Symon], Moraviensis episcopus, dictam ecclesiam de Rochymay constituit parrochialem. (Reg. 25, a. III, c. 58, f. 7; Potthast 16684.)

« *Archebaldo episcopo Moraviensi.* Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum ecclesia de Rechmalrune, Moraviensis diocesis, spectans ad episcopalem mensam, fuisset eidem mense per Sedem Apostolicam confirmata, bone memorie.. Moraviensis episcopus, predecessor tuus, ecclesiam de Rochymay, prefate diocesis, que prefate ecclesie de Rechmalrune capella extitit ab antiquo, auctoritate ordinaria parrochialem ex certa causa constituit, quam nichilominus tam predecessor ipse, quam successores ejus usque nunc ad usus ejusdem mense pacifice tenuerunt. Quia vero dilectus filius noster J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis dictam ecclesiam de Rochymay, non obstante quod parrochialis est, tibi et per te tuis successoribus, ad usus prefate mense de mandato nostro perpetuo deputavit ac etiam confirmavit, prout in patentibus litteris ejus inde confectis et suo sigillo munitis plenius continetur, nos tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« Frater Johannes miseratione divina tituli Sancti « Laurentii in Lucina presbiter cardinalis, venerabili « in Christo patri Archebaldo, Dei gratia Moraviensi « episcopo, salutem in Domino. Porrecta per nos et « perlecta domino pape tua petitio continebat quod, « cum ecclesia de Rechmalrune, cujus ecclesia de « Rochymay tue diocesis capella extitit ab antiquo, « dudum fuerit episcopali mense Moraviensi per « Sedem Apostolicam confirmata, et bone memorie... « Moraviensis episcopus predecessor tuus capellam « ipsam auctoritate propria constituerit parrochialem « ecclesiam ex causa necessaria et honesta, ipseque « ac ejus successores nichilominus dictam ecclesiam « de Rochymay ad usus ipsius mense usque ad hec « tempora tenuerint, et tu etiam ipsam pacifice pos- « sideas et quiete, ne per hoc, quod dictus predeces- « sor prefatam capellam ecclesiam parrochialem « constituit, ullum tibi vel eidem mense prejudicium « generetur, et ut sine conscientie scrupulo eandem « posses ecclesiam libere retinere, Sedis ejusdem « providentiam implorasti, et supplicasti tibi et suc- « cessoribus tuis eandem ecclesiam ad usus predicte « mense confirmari de novo. Nos autem de ipsius « domini pape mandato, et licentia super hoc a nobis

« specialiter requisita, eandem ecclesiam, non obs-
« tante quod parrochialis existit, tibi et per te suc-
« cessoribus tuis ad usus predicte mense perpetuo
« deputamus, et auctoritate nobis ab eodem indulta
« Domino confirmamus, presentes tibi litteras in tes-
« timonium concedentes; ita tamen, quod eadem
« ecclesia debitis obsequiis non fraudetur. Datum
« Rome, VII idus decembris, pontificatus domini
« Alexandri pape IIII anno primo. »

Nulli (etc.) nostre confirmationis etc. Datum Laterani, XV kalend. februarii, anno tertio. »

1635 Anagni, 23 octobre 1256.

Petro Fernandi, cantori Astoricensi, capellano regis Castelle, indulget, ut praeter cantoriam Astoricensem, unicum alium personatum vel dignitatem curam habentem animarum annexam recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 59, f. 7.)

« *Petro Fernandi cantori Astoricensi, capellano carissimi in Christo filii nostri.., regis Castelle illustris.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, X kal. novembris, anno secundo. »

1636 Anagni, 21 octobre 1256.

Martino Dominici presbytero, rectori ecclesiae Sancti Sepulchri, Ovetensis dioecesis, indulget, ut praeter eandem ecclesiam, cujus proventus duarum marcarum argenti valentiam vix excedunt, adhuc unicam canoniam recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 60, f. 7.)

« *Martino Dominici presbitero, rectori ecclesie Sancti Sepulchri, Ovetensis diocesis.* Ad faciendam tibi —. Dat. Anagnie, XII kal. novembris, anno secundo. »

1637 Anagni, 28 octobre 1256.

Martino episcopo Legionensi indulget, ut ad solutionem debitorum, quibus Legionensis ecclesia a (Nunio) quondam episcopo gravata est, minime teneatur, nisi creditores eorum probaverint eadem in utilitatem dictae ecclesiae conversa esse. (Reg. 25, a. III, c. 61, f. 7v.)

« .. *episcopo Legionensi.* Ecclesie Legionensi, que, sicut accepimus, per predecessorem tuum gravata est eris onere alieni, paterne compatientes affectu, ad instar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ad solutionem debitorum ejus minime tenearis, nisi creditores eorum probaverint liquido eadem conversa esse in utilitatem ecclesie memorate. Non obstantibus — Nulli (etc.) nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, V kal. novembris, anno secundo. »

1638 Latran, 4 janvier 1257.

Eidem indulget, ut super hujusmodi debitis, ab aliquibus creditoribus Italicis non nisi apud Sedem Apostolicam valeat conveniri. (Reg. 25, a. III, c. 62, f. 7v.)

« .. *episcopo Legionensi.* Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, quod bone memorie.. Legionensis episcopus predecessor tuus, multis debitis Legionensem ecclesiam nonnullis creditoribus obligavit, confectis exinde, ut dicitur, quampluribus instrumentis; nos igitur tuis supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri presentium tibi auctoritate indulgemus, ut super hujusmodi debitis, ab aliquibus creditoribus Italicis non, nisi apud Sedem Apostolicam, valeas conveniri. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, II nonas januarii, anno tertio. »

1639 Anagni, 23 octobre 1256.

Cum Pelagio de Meyra, milite, et nobili muliere Majora Petri, uxore ejus, inter se quarto affinitatis gradu conjunctis, dispensat. Reg. 25, a. III, c. 63, f. 7v.

« *Nobili viro Pelagio de Meyra, militi carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle illustris.* Cum summus pontifex —. Dat. Anagnie, X kal. novembris, anno secundo. »

1640 Anagni, 23 octobre 1256.

Cum Roderico Garsie, milite, et nobili muliere Elvira, uxore ejus, inter se quarto affinitatis gradu conjunctis, dispensat. (Reg. 25, a. III, c. 64, f. 7v.)

« *Nobili viro Roderico Garsie, militi carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle illustris.* Cum summus pontifex —. Dat. ut supra. »

1641 Latran, 19 décembre 1256.

Episcopo Legionensi ad instar Innocentii IV concedit facultatem conferendi personis idoneis et compescendi cano-

nias, portiones ecclesiasticas et beneficia in civitate et dioecesi Legionensibus vacantia jam tanto tempore, quod earum collatio ad Sedem Apostolicam, secundum statuta Lateranensis concilii, est devoluta. (Reg. 25, a. III, c. 65, f. 7v.)

« .. *episcopo Legionensi*. Cum sicut tua —. Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno secundo. »

1642 Anagni, 28 octobre 1256.

Decano Salamantino mandat, ut episcopo Legionensi faciat integre ministrari quartam partem terciarum deputatarum fabricis ecclesiarum Legionensis dioecesis juxta concessionem Innocentii IV. (Reg. 25, a. III, c. 66, f. 7v.)

« .. *decano Salamantino* [1]. Sicut ex parte venerabilis fratris nostri.., episcopi Legionensis, fuit propositum coram nobis, felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster, intellecto quod Legionensis ecclesia gravi premeretur onere debitorum, ad solutionem quorum non sufficiebant ejus redditus et proventus, cum existerent tenues et exiles, pro exoneratione debitorum hujusmodi, percipiendi per biennium quartam partem tertiarum deputatarum fabricis ecclesiarum Legionensis diocesis, necnon et compescendi, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam contradictores et rebelles, concessit eidem episcopo per suas litteras facultatem. Quare fuit ex parte ipsius episcopi nobis humiliter supplicatum, ut cum propter gratiam concessam a Sede Apostolica carissimo in Christo filio nostro.. illustri regi Castelle ac Legionis de percipienda usque ad certum tempus certa parte tertiarum hujusmodi in eadem diocesi, hactenus usus non fuerit litteris supradictis, et idem tempus de percipiendis a rege predicto hujusmodi tertiis sit elapsum, providere super hoc eisdem episcopo et ecclesie misericorditer curaremus. Quocirca discretioni tue mandamus, quatenus, si est ita, easdem tertias facias eidem episcopo, per te vel per alium, juxta concessionem ipsius predecessoris nostri integre ministrari. Contradictores etc. Dat. Anagnie, V kal. novembris, anno secundo. »

1643 Anagni, 28 octobre 1256.

Eidem mandat, ut dicto Legionensi episcopo, juxta concessionem Innocentii quondam papae, proventus beneficiorum vacantium, usque ad triennium, in ecclesiis dioecesis Legionensis, faciat integre ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 67, f. 7v.)

1. Ms : Ealamantino.

« *Eidem*. Cum sicut ex parte venerabilis fratris nostri.., episcopi Legionensis, fuit propositum coram nobis, felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster, pro exoneratione debitorum, quibus Legionensis ecclesia premitur, retinendi per unum annum ad manus suas proventus beneficiorum vacantium usque ad triennium in ecclesiis civitatis et diocesis Legionensis cathedrali et aliis, necnon et compescendi contradictores et rebelles, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam, sibi concesserit facultatem, et hujusmodi litteris usus non fuerit ante obitum mandatoris, nos nolentes eundem episcopum effectum gratie hujusmodi defraudari, mandamus, quatenus, si est ita, proventus ipsos facias eidem auctoritate nostra per te vel per alium, juxta tenorem concessionis ejusdem, integre ministrari. Contradictores etc. Dat. Anagnie, V kal. novembris, anno secundo. »

1644 Anagni, 23 octobre 1256.

Episcopo et capitulo Legionensibus mandat, quatenus in ecclesia Legionensi recipiant in canonicum Petrum Fernandi, ecclesiae Astoricensis cantorem, eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 68, f. 8.)

« .. *episcopo et capitulo Legionensibus*. Digne credimus agere —. Dat. Anagnie, X kal. novembris, anno secundo. »

1645 Anagni, 25 octobre 1256.

Episcopo Legionensi indulget, ut cum nonnullis canonicis, portionariis et aliis clericis dioecesis Legionensis, qui pro ipsorum excessibus interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias incurrerunt et, sic ligati, beneficia et ordines receperunt ac divina celebraverunt officia, injuncta eis paenitentia competenti, possit de misericordia dispensare. (Reg. 25, a. III, c. 69, f. 8.)

« .. *episcopo Legionensi*. Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli canonici et portionarii Legionensis ecclesie ac alii clerici civitatis et diocesis Legionensis, latas in eos pro ipsorum excessibus, a bone memorie Legionensibus episcopis seu ipsorum archidiaconis vel archipresbiteris et eorum vices gerentibus, interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias incurrerunt, quorum quidam receperunt beneficia et ordines ac divina celebrarunt officia

sic ligati. Unde, cum sint hujusmodi sententie relaxate, supplicasti nobis, ut eis super irregularitate, quam ex hoc contraxerunt, providere misericorditer curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, ad instar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, presentium tibi auctoritate concedimus, ut hac vice cum illis, qui juris ignari vel immemores facti, absolutionis beneficio non obtento receperunt beneficia et ordines ac divina officia celebrarunt, injuncta ipsis pro culpe modo penitentia competenti et ea peracta, liceat tibi de misericordia, que superexaltat judicio, prout eorum saluti expedire videris, dispensare. Si vero prefati excommunicati scienter, non tamen in contemptum[1] clavium talia presumpserunt, eis per biennium ab ordinum executione suspensis, et imposita ipsis penitentia salutari, eos postmodum, si fuerint bone conversationis et vite, ad gratiam dispensationis admittas. Datum Anagnie, VIII kalendas novembris, anno secundo. »

1646 Latran, 13 décembre 1256.

Decano et abbati de Lavaticia, et Sancio Petri, canonico Palentino, mandat, quatenus quaecumque bona ad mensam episcopalem Legionensem spectantia invenerint a [Nunio] quondam episcopo Legionensi illicite alienata vel distracta, ad proprietatem ipsius mensae revocare studeant. (Reg. 25, a. III, c. 70[1], f. 8.)

« .. *decano et .. abbati de Lavaticia, et Sancio Petri canonico Palentino.* Sicut ex parte venerabilis fratris nostri .. episcopi Legionensis fuit propositum coram nobis, predecessores sui decimas, redditus, maneria, possessiones et quedam alia bona ad mensam suam spectantia, datis super hoc litteris et interpositis juramentis, necnon et penis adjectis, in enormem lesionem ipsius mense nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo, ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super hiis litteras confirmationis in forma communi a Sede Apostolica impetrarunt; nos itaque, ipsius episcopi supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis I. pape predecessoris nostri, discretioni vestre mandamus, quatinus ea que de bonis ad eandem mensam spectantibus per concessiones hujusmodi alienata inveneritis illicite vel distracta, non obstantibus predictis juramentis, penis et litteris seu confirmationibus, adjus et proprietatem ipsius mense studeatis per vos vel per alios, legitime revocare. Contradictores etc. Testes, etc. Quod si non omnes etc. Datum Laterani, idibus decembris, anno secundo. »

1. *Ms.* : Contentum.

1647 Anagni, 5 octobre 1256.

Episcopo, decano et capitulo Legionensibus mandat, quatenus Martinum Johannis, clericum, in portionarium recipientes, ei de portione providere curent in ecclesia Legionensi, in qua diu laudabiliter dicitur deservisse. (Reg. 25, a. III, c. 70[2], f. 8.)

« .. *episcopo.. decano et capitulo Legionensibus.* Credentes vos illa. — Dat. Anagnie, III nonas octobris, anno secundo. »

1648 Anagni, 1[er] juillet 1256.

Decano, archidiacono et cantori ecclesiae Salamantinae mandat quatenus quicquid invenerint temere attemptatum in praejudicium [Martini] Legionensis episcopi, iter ad Apostolicam Sedem facientis, in statum debitum legitime revocent. (Reg. 25, a. III, c. 71, f. 8v; Rodenberg, t. III, n° 436.)

« .. *decano.. archidiacono et.. cantori ecclesie Salamantine.* Cum venerabilis frater noster.. episcopus Legionensis ad Apostolicam Sedem accesserit pro suis et ecclesie sue ac carissimi in Christo filii nostri.., illustris regis Castelle ac Legionis, negotiis promovendis, ejusdem episcopi precibus inclinati, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus quicquid inveneritis in dictorum episcopi et ecclesie prejudicium, postquam ad eandem Sedem iterveniendi arripuit, temere attemptatum, in statum debitum legitime revocetis. Contradictores, etc. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie, kalendis julii, anno secundo. »

1649 Latran, 29 janvier 1257.

Abbatissae et conventui monasterii Sanctae Mariae Vallis Gloriae de Spello, ordinis Sancti Damiani, quibus B[artholomaeus] Spoletanus episcopus, de mandato Gregorii IX papae, possessiones quae fuerunt quondam monasterii Sancti Silvestri de Monte Subasio, ejusdem diocesis, concesserat, hujusmodi concessionem et emptionem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 72, f. 8v; Potthast 16699.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Marie Vallis Glorie de Spello, ordinis Sancti Damiani, Spoletane diocesis.* Ex tenore vestre petitionis —. Dat. Laterani, IIII kalendas februarii, anno tertio. »

1650 Latran, 25 janvier 1257.

Decano ecclesiae Sancti Theobaldi Metensis mandat, quatenus procedat ad receptionem et provisionem in Metensi ecclesia Nicolai canonici Tullensis, nepotis dilecti filii Juliani cancellarii Metensis, clerici et familiaris episcopi Metensis, super qua provisione P(etrus), Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in regno Alamaniae legatus, executorias litteras destinaverat. (Reg. 25, a. III, c. 73, f. 8v.)

« .. *decano ecclesie Sancti Theobaldi Metensis.* Ex parte dilecti —. Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno tertio. »

1651 Latran, 30 janvier 1257.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum confirmat permutationem quarumdam vinearum, quas prope Romam possidebant, cum capitulo ecclesiae Lateranensis, pro censu unius fertonis argenti de ecclesia Niplawicensi huic debito. (Reg. 25, a. III, c. 74, f. 8v; Potthast 16701.)

« *Magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Jerosolimitani.* Petitionis vestre seriem audivimus continentem, quod dilecti filii .. prior et capitulum ecclesie Lateranensis annuum censum unius fertonis argenti tunc ad eos in ecclesia de Niplawiz, Olomucensis diocesis, pertinentem pro quibusdam vineis sitis prope Urbem, tunc ad vos spectantibus, sollempni tractatu ac diligenti deliberatione hinc inde habitis et utriusque partis utilitate pensata, vobiscum perpetuo permutarunt, prout in publico instrumento confecto exinde plenius continetur. Nos itaque vestris ac etiam dictorum prioris et capituli supplicationibus inclinati, quod super premissis factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica de certa scientia confirmamus — usque : communimus. Defectum, si quis in hiis est habitus, supplentes de nostre plenitudine potestatis. Tenorem autem instrumenti prefati de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Amen. Anno « Nativitatis ejusdem M.CC.LVII, XV indictione, « die martis nono intrante mensis januarii, pontifica« tus domini Alexandri pape IIII anno tertio, in pre« sentia mei Benedicti infrascripti scriniarii et « testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum, « religiosi viri.. prior et capitulum ecclesie Latera« nensis, diligenti deliberatione ac sollempni tractatu « inter se habito, attendentes utilitatem ipsius eccle« sie Lateranensis annuum censum unius fertonis ar« genti, in quo ecclesia de Niplawiz de Opavia, Olo« mucensis diocesis, erat eidem ecclesie Lateranensi « censualis, cum honorabili viro magistro Johanne de « Capua, domini pape notario, fratre ac generali procu« ratore totius ordinis hospitalis Sancte Marie Teutoni« corum Jerosolimitani, et fratre Alberto de Boemia, « presbitero, speciali procuratore ejusdem ecclesie de « Niplawiz, permutarunt hoc modo, videlicet quod « dicti magister Johannes et frater Albertus, propter « evidentem utilitatem et relevationem seu exhone« rationem predicte ecclesie de Niplawiz, duas petias « vinearum, que sunt in loco ubi dicitur *ad Vallem*, inter « hos fines a primo latere est mons qui dicitur *Domini* « *pape*, et ab alio latere est forma aqueductus, et ab « aliis lateribus tenet ecclesia Lateranensis, de quibus « magis quam de predicto censu ipsi Lateranensi « ecclesie singulis annis preter alias utilitates poterit « provenire, maxime cum utile sit etiam ultra commu« nem extimationem vicinos fundos habere, titulo « permutationis, dictis priori et capitulo nomine Late« ranensis ecclesie, et ipsi Lateranensi ecclesie in per« petuum contulerunt. Iidem vero prior et capitulum « unanimi consensu eandem procurationem accep« tantes quitaverunt, remiserunt prefatis magistro « Johanni et fratri Alberto, nomine prefati hospitalis et « specialiter ipsius ecclesie de Nipliwis, dictum an« nuum censum unius fertonis argenti, et ipsos procu« ratores nomine hospitalis ejusdem, nec non ecclesiam « de Niplawis liberaverunt et absolverunt omnino, ac « liberos et absolutos esse in perpetuum voluerunt. « Promiserunt autem sibi ad invicem predicti prior « et capitulum ex parte una, et magister Johannes ac « frater Albertus ex altera, nomine predictorum ordi« nis et hospitalis Sancte Marie Theutonicorum, pre« sentem permutationem inviolabiliter observare, et « contra eam nullo facti vel juris remedio ordinario « vel extraordinario contravenire, renuntiantes ac« tioni cuilibet et exceptioni, et omni alii auxilio, per « quod posset presens permutatio revocari vel quomo-

« dolibet impediri. Ad majorem etiam cautelam et « ejusdem permutationis perpetuam firmitatem, tam « dictus frater Albertus procurator habens ad hec « mandatum, quam etiam Petrus de Sancto Bartholo- « meo, yconomus predictorum prioris et capituli « Lateranensis ecclesie, de mandato ipsorum prioris « et capituli presentium, predicta omnia partes « inviolabiliter servaturas prestito corporaliter jura- « mento firmarunt. In cujus rei testimonium et « evidentiam pleniorem, dicti magister Johannes et « frater Albertus, ac prior et capitulum presens « instrumentum suorum sigillorum fecerunt appen- « sione muniri. Actum Rome, in palatio de Laterano, « presentibus hiis testibus, videlicet fratre Bartholo- « meo de Boemia ordinis fratrum Minorum, fratre « Lamberto Theoton. ejusdem ordinis, magistro « Gentile de Montegranerio, domini pape scriptore, « magistro Petro, canonico Theanensi, magistro Bono « Pergamensi, scriniario, et Calcedonio de Roccawillel- « mi, judice, ad hoc rogatis. Et ego Benedictus de « Castronovo auctoritate apostolica scriniarius omni- « bus hiis interfui et hoc instrumentum scripsi et « complevi rogatus. »

Nulli etc. nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Laterani, III kal. februarii, anno tertio. »

1652 Latran, 30 janvier 1257.

Episcopo Olomucensi mandat, quatenus, occasione supradictae permutationis, magistrum et fratres hospitalis Sanctae Mariae Teutonicorum Jerosolimitani, in possessionem ecclesiae de Niplawiz, cum juribus et pertinentiis suis, inducat et defendat inductos. Reg. 25, a. III, c. 75, f. 9; Potthast 16702.

« .. *episcopo Olomucensi*. Exhibita nobis dilecti filii —. Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno tertio. »

1653 Latran, 30 janvier 1257.

Przemislaum Otakarum, regem Boemiae rogat et monet, quatenus occasione supradictae permutationis, fratres hospitalis Sancte Mariae Teutonicorum morantes in ecclesia de Niplawiz commendatos habeat et eos in possessione ipsius ecclesiae manuteneat et defendat. Reg. 25, a. III, c. 76, f. 9; Potthast 16703.

« .. *regi Boemie*. Relatu fidedigno percepimus —. Dat. Laterani ut supra. »

1654 Latran, 25 janvier 1257.

Abbatissae et conventui monasterii monialium inclusarum Sancti Angeli Esculanensis, ordinis Sancti Damiani, indulget, ut privilegiis et indulgentiis ordini fratrum Minorum ab Apostolica Sede concessis uti possint. Reg. 25, a. III, c. 77, f. 9; Potthast 16696.

« .. *abbatisse et conventui monasterii monialium inclusarum Sancti Angeli Esculanensis, ordinis Sancti Damiani*. Devotionis vestre precibus —. Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, anno tertio. »

1655 Latran, 10 janvier 1257.

Sententiam confirmat a quibusdam arbitris latam, de modo celebrandi capitulum ordinis Cartusiensis et ibidem definiendi et de quibusdam aliis articulis. Reg. 25, a. III, c. 78, f. 9.

« *Capitulo generali Cartusiensis ordinis*. Hiis que digne statui dinoscuntur, ut semper illibata permaneant, libenter adicimus apostolici roboris firmitatem. Sane cum olim, inter dilectum filium.. priorem et conventum domus Cartusiensis et adherentes eis ex parte una, et H. Portarum et R. Vallis Sancte Marie priorem, Cartusiensis ordinis, procuratores universitatis priorum, qui tunc fuerant congregati Cartusie in capitulo generali, ex altera, super modo celebrandi generale capitulum et ibidem diffiniendi, ac quibusdam aliis articulis, orta fuisset materia questionis, tandem utraque pars, super hiis omnibus, in venerabilem fratrem nostrum .. Viennensem archiepiscopum ejusque collegas compromittere curaverunt, et promiserunt, tactis sacrosanctis evangeliis, stare in hiis predictorum ordinationi vel dicto, qui Deum habentes pre oculis, circa premissa, prout eis melius visum fuerit, deliberatione provida ordinarunt, sicut in litteris inde confectis et sigillis ipsorum archiepiscopi et collegarum ac quorumdam aliorum munitis plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ordinationem hujusmodi ratam habentes et gratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Lyon, 20 février 1255.

« Johannes, Dei gratia sancte Viennensis ecclesie « vocatus archiepiscopus, et Philippus, permissione

« divina prime Lugdunensis ecclesie electus, et frater « Humbertus, magister ordinis fratrum Predicatorum, « et frater Petrus Rocelinus de Tarentasia, et frater « Radulphus de Varey, ejusdem ordinis, universis « presentes litteras inspecturis salutem cum notitia « rei geste. Universitati vestre tenore presentium « innotescat, quod, cum inter Bernardum priorem do- « mus Cartusiensis et G. Delgroin monachum ejus- « dem domus et conventum ejusdum domus et adhe- « rentes eis ex una parte, et Henricum priorem Por- « tarum, et Rifferium, priorem Vallis Sancte Marie, « ordinis Cartusiensis, procuratores universitatis « priorum, qui fuerunt congregati Cartusie in capi- « tulo generali celebrato anno Domini M.CC.LIIII, « die veneris ante Ascensionem Domini, et adherentes « eis ex altera parte, super modo celebrandi capitu- « lum generale, et super modo diffiniendi ibidem, et « super quibusdam aliis, orta esset materia questio- « nis, tandem utraque pars, super premissis et super « pertinentibus ad premissa, compromiserunt in nos « sponte et unanimiter, prout in instrumento sigillis « eorumdem roborato plenius continetur sub hac « forma :

16 février 1255.

« Nos frater Bernardus prior domus Cartusie, et « frater Guido del Groin monachus ejusdem domus, « et frater Henricus prior Portarum, et frater Rif- « ferius prior Vallis Sancte Marie, ordinis Cartusien- « sis, notum facimus universis presentes litteras ins- « pecturis, quod nos super discordia mota de modo « celebrandi capitulum nostrum generale, et de modo « diffiniendi in capitulo, et super omnibus querelis « motis propositis usque ad hodiernum diem et etiam « proponendis infra tres dies, inter nos videlicet predic- « tos fratrem B. priorem et fratrem G. et domum Car- « tusie et adherentes nobis ex una parte, et nos « alios predictos priores, videlicet fratrem Henri- « cum et fratrem Rifferium, procuratores universi- « tatis priorum ordinis Cartusiensis, qui fuerunt con- « gregati in capitulo generali celebrato anno Domin « M.CC.LIIII, die veneris ante Ascensionem Domini, « et adherentes nobis ex altera parte, promittimus « bona fide, et stipulatione legitima interposita, et « sacrosanctis tactis corporaliter evangeliis, pro no- « bis et domibus et conventibus nostris, et monachis « et prioribus adherentibus nobis, et pro successoribus « nostris et eorum quantum possumus, stare super « premissis et super omnibus pertinentibus ad pre- « missa de plano et sine strepitu advocatorum seu « judiciorum, alte et basse, arbitrio, ordinationi seu « dicto venerabilium patrum et dominorum J. Dei « gratia archiepiscopi Viennensis, et Philippi ejus- « dem miseratione prime Lugdunensis ecclesie electi, « et virorum religiosorum fratris Humberti magistri « ordinis fratrum Predicatorum et fratri Radulphi de « Varei et fratris Petri Rocelin, de ordine fratrum « Predicatorum, concorditer ab eis prolatis etiam « juris ordine non servato. Predicta etiam facta « sunt et concessa de consilio et consensu prioris « Majorevy et prioris Allionis, ordinis Cartusiensis, « quos nos predicti frater Henricus et frater Riffe- « rius specialiter vocavimus ad premissa. Et ego « etiam, predictus frater Henricus, premissa universa « et singula, pro me et pro priore Silve, ordinis Cartu- « siensis, qui mihi commisit vices suas, promitto bona « fide et stipulatione legitima interposita et per « juramentum corporaliter prestitum, servare firmi- « ter et fideliter adimplere. Quod si forte super pre- « missis a predictis arbitris seu arbitratoribus non « fieret, vel non perficeretur infra quindecim dies or- « dinatio, tunc debent littere et rationes et jura « utriusque partis et etiam aliud compromissum, « quod precessit, in suo robore permanere. Predicta « igitur omnia et singula promittimus et juramus « servare et tenere pro nobis et nobis adherentibus, « et inducere adherentes nobis et socios nostros, « bona fide et pro posse nostro, ad consentiendum « ordinationi, que fiet super premissis concorditer per « predictos, et procurare et laborare bona fide in ca- « pitulo nostro generali proximo celebrando, ut or- « dinatio, que super premissis, per predictos, modo « predicto, facta fuerit, approbetur et ratificetur, et « tandem etiam quod a domino papa confirmetur et « ut, si quod forte secundum jura ibi deficeret, per « ipsum suppleatur de plenitudine potestatis ; est « etiam actum et concessum inter partes ut[1] predicta « cum expensis taxandis, a predictis arbitris procu- « rentur et compleantur. Renuntiamus autem nos « omnes predicti spontanei et ex certa scientia et « sub vinculo prestiti juramenti, beneficio restitutio- « nis in integrum, et exceptionibus doli et in factum et « omni[2] exceptioni et privilegio seu indulgentie cui-

1. *Ms.* : et.
2. *Ms.* : omnia.

« cumque impetratis vel etiam impetrandis, et juri « dicenti generalem renuntiationem non valere, et « omni auxilio juris canonici vel civilis, vel etiam « consuetudinis, quod contra predicta posset nobis « aliquo modo competere vel prodesse. In cujus rei « testimonium, ego predictus frater Guido del Groin, « cum sigillum proprium non haberem, presenti « carte sigillum prioris domus Cartusie apponi feci. « Et nos etiam alii predicti priores, sigilla nostra « apposuimus. Nos etiam predicti .. prior Majorevi « et.. prior Allionis, ad preces predictorum, presenti « carte sigilla nostra apposuimus, in testimonium ve- « ritatis. Actum anno Domini M.CC.LV, XIIII kalen- « das martii.

« Nos igitur predicti, Johannes, Dei gratia sancte « Viennensis ecclesie vocatus archiepiscopus, et Phi- « lippus, divina permissione prime Lugdunensis ec- « clesie electus, et frater Humbertus magister ordinis « fratrum Predicatorum, et frater Petrus Rocelinus, « et frater Radulphus de Varei, ejusdem ordi- « nis, predictum compromissum de assensu et ad « preces dictarum partium pro bono pacis in nos « recipientes, auditis et ventilatis diligenter hiis, que « dicte partes coram nobis proponere voluerunt, et « diligenti et frequenti tractatu super hiis habito, « Deum habentes pre oculis, tandem, anno Domini « M.CC.LV., mense februario, die sabbati ante fes- « tum Cathedre sancti Petri dictis partibus assi- « gnata legitime et peremptorie ad audiendum sen- « tentiam seu ordinationem nostram, eadem die « presentibus coram nobis omnibus, qui in nos com- « promiserant super premissa questione et aliis que- « relis coram nobis propositis in scriptis, ferendo sen- « tentiam omnes simul unanimiter et concorditer, uno « pro omnibus seu vice omnium pronuntiante, arbi- « trati sumus, ordinavimus seu diximus in hunc mo- « dum : arbitramur, ordinamus, seu dicimus super « premissis unanimiter et concorditer in primis, ut ca- « pitulum generale totius ordinis Cartusiensis in domo « Cartusie semper annis singulis celebretur, nisi forte « ad certum tempus, ex aliqua certa causa et nunc « de consensu prioris domus Cartusie et omnium dif- « finitorum oporteret illud alibi celebrari. Singulis « vero annis, collecto generali capitulo apud domum « Cartusie, prior domus Cartusie unum discretum et « ydoneum nominet electorem diffinitorum, videlicet « quem voluerit, seu de monachis domus Cartusie, « seu de prioribus in eodem capitulo congregatis. « Deinde, quinque priores primarum domorum ipsius « ordinis post domum Cartusie, singulariter singuli « alios singulos diffinitorum nominent electores, sive « de monachis domus Cartusie, sive de prioribus in « eodem capitulo constitutis, hoc pensato tamen de « equali et debita portione, ut quinque predicti priores, « qui diffinitorum electores nominant, annis mutentur « singulis, successive domorum ordinis Cartusiensis « ordine conservato descendendo, videlicet per singu- « los priores in capitulo presentes usque ad ultimum « inclusive et postmodum a capite inchoando, priore « domus Cartusie non mutato. Sex igitur electores « statim, postquam, ut supra dictum est, fuerint nomi- « nati, secedant in locum ad hoc specialiter deputa- « tum et, brevi tractatu inter se habito, absque ulla « personarum, partium, nationum vel conditionum ac- « ceptione, eligant octo diffinitores pro sue arbitrio « voluntatis, sive de se ipsis, sive de prioribus, sive « de monachis domus Cartusie, in eodem capitulo « constitutis, quos teste fideli conscientia magis ydo- « neos judicabunt ; quibus electis, unus eligentium dif- « finitores ipsos, per hunc modum electos, vice sua « et collegarum suorum, in communi mox audien- « tia publicabit. Qui diffinitores electi et nominati « habebunt plenitudinem potestatis, una cum priore « domus Cartusie, ordinare, statuere et diffinire, que « secundum Deum et propositi Cartusiensis observa- « tionem melius et utilius in ipso capitulo viderint « ordinanda, ita dumtaxat quod quicquid ab omnibus « eis, vel saltem a majori parte ipsorum omnium, hoc « est a quinque, diffinitum fuerit vel sta[tu]tum, ple- « nam habebit in toto ordine firmitatem, hoc excepto « quod generalem et evidentem relaxationem ordinis « vel propositi Cartusiensis, per constitutionem ali- « quam vel statutum, facere non valebunt, nisi vel « omnes diffinitores cum priore Cartusiensi, vel saltem « quatuor cum eodem consenserint in idipsum. Si « vero, dissentiente priore Cartusiensi, septem vel « octo diffinitorum aliquid in hoc casu ordinaverint « vel statuerint, tunc duo arbitri eligantur, unus ex « parte prioris Cartusiensis et alius ex parte diffi- « nitorum, et tertius sit communis de toto electus « monachorum Cartusiensium et priorum collegio, ita « tamen quod nullus sit de diffinitoribus supradictis. « et quicquid ipsi tres, vel saltem duo ex eis, su- « per ordinatione illorum septem vel octo diffinito-

« rum tenendum vel respuendum esse dixerint, preva-
« lebit. Ad hec etiam ordinamus, quod dispensatio ad
« relaxationem rigoris ordinis pertinens, cum aliqua
« vel aliquibus domibus specialiter per capitulum ge-
« nerale facta non valeat, usquequo per duo capitula
« generalia continua fuerit approbata ; nulla etiam
« constitutio vel statutum per capitulum generale
« fieri poterunt cum effectu, nisi per duo generalia
« capitula continua approbentur, non obstante ali-
« quo quod superius sit expressum ; sed nec sin-
« gulares libertates, prerogative seu emmunitates
« domus Cartusiensis, quas hactenus habere singula-
« riter consuevit per aliquam diffinitionem unius sive
« plurium capitulorum, sive privatorum, sive genera-
« lium, afferentur eidem. Insuper etiam potestas prio-
« ris Cartusiensis et auctoritas, quam habet in capi-
« tulis generalibus et quam hactenus habuit super
« annum auctoritate capituli generalis, eidem semper
« remaneat, et eadem super annum auctoritate capi-
« tuli generalis utatur, nec alteri possit committi, nisi
« ex aliqua causa, in certo articulo et ad tempus de-
« terminatum, de consensu ejusdem prioris et omnium
« diffinitorum aliter contingeret ordinari ; per hoc ta-
« men nullum prejudicium volumus hiis fieri, que sunt
« superius ordinata. Ad celebrandum vero privatum
« capitulum super annum vocare tenebitur prior Car-
« tusiensis priores alios quatuor de magis discretis et
« ydoneis nec multum remotis, illos dumtaxat, qui
« per diffinitionem generalis capituli ad hoc fuerint
« nominati. Ordinamus etiam, ut utraque pars ad hujus
« ordinationis nostre confirmationem a Sede Aposto-
« lica obtinendam, laborare sine mora, bona fide, te-
« neatur, ita ut si fieri poterit, habeatur ante conci-
« lium generale capitulum proximum celebrandum, et
« secundum ipsam regatur capitulum si fuerit con-
« firmata. Si vero ante proximum capitulum confir-
« matio hujus ordinationis obtenta non fuerit, capi-
« tulo congregato, inducantur ab utraque parte,
« bona fide et pro posse suo, omnes in capitulo con-
« gregati, ut consentiant et ratam habeant et con-
« firmari sine mora procurent a Sede Apostolica
« ordinationem premissam. A nominationibus vero
« electorum et ab electione diffinitorum et ab hiis
« quecumque per diffinitores fieri solent in illo capi-
« tulo supersedeatur omnino. Utraque vero pars
« confirmationem ordinationis nostre hujus in for-
« ma sua integra et tenore, sine additione vel dimi-
« nutione vel mutatione aliqua procurare, sine mora,
« bona fide, pro posse suo, efficaciter expensis pro-
« priis, teneatur. Refundantur autem eisdem expense,
« secundum taxationem in primo generali capitulo
« postea celebrando, Martini prioris Vallis Sancti Pe-
« tri et Henrici prioris Portarum, Cartusiensis ordi-
« nis, et Hugonis monachi domus Cartusiensis vel
« duorum ex ipsis, si discordarent, arbitrio facien-
« dam. Quorum si forte aliquem vel aliquos abesse
« contigerit, loco illius vel illorum, per capitulum
« ydonei taxatores alii statuantur. Omnes autem te-
« neantur in hoc casu solutionis, videlicet expensarum,
« quas taxaverint, predictis taxatoribus obedire. De
« expensis vero in procurando confirmationis negotio
« ab utraque parte factis, eorum qui nuncios vel pro-
« curatores ad hoc mittent, juramento sine alia pro-
« batione credatur. Hanc autem ordinationem, de com-
« missione taxationis expensarum, fecimus de consensu
« partium speciali. Hec autem predicta universa et sin-
« gula, que pro bono pacis ordinavimus, salva in omni-
« bus auctoritate et voluntate Sedis Apostolice, intelli-
« gimus et intelligi volumus esse facta. In cujus rei tes-
« timonium nos prefati, Johannes, Dei gratia sancte
« Viennensis ecclesie vocatus archiepiscopus, et Phi-
« lippus, permissione divina, prime Lugdunensis ec-
« clesie electus, et frater Humbertus magister ordinis
« fratrum Predicatorum, et frater Petrus Rocelinus de
« Tarentasia, et frater Radulphus de Varen, ejusdem
« ordinis, presenti carte sigilla nostra apponimus. Ad
« majorem etiam firmitatem, nos predicti priores, vide-
« licet Bernardus prior Cartusie, Henricus prior Por-
« tarum, Rifferius prior Vallis Sancte Marie, premissa
« approbando, presenti carte sigilla nostra apponimus.
« Ego etiam predictus Guido del Groin, cum sigillum
« proprium non habeam, premissa approbando, pre-
« senti carte sigillum prioris domus Cartusie appono,
« et nos prefatus B. prior domus Cartusie, sigillum
« nostrum predicto G. del Groin ad preces ejus acco-
« modamus. Actum Lugduni in domo fratrum Predi-
« catorum, anno Domini M.CC.LV., mense februario,
« die sabbati ante festum Cathedre sancti Petri. »
Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, IIII idus januarii, anno tertio.

1656 Latran, 23 janvier 1257.

Confirmat litteras, quibus Juhellus, quondam Turonensis archiepiscopus, concedit, ut rectores parrochiarum Turonensis

dioecesis, qui ei propter urgentes ecclesiae necessitates quoddam pecuniale subsidium praestiterunt, ad aliam quaestam seu talliam non teneantur. Reg. 25, a. III, c. 79, f. 10 v.

« *Rectoribus ecclesiarum parrochialium civitatis et diocesis Turonensis.* Porrecta nobis vestra petitio continebat, quod vos bone memorie J. Remensi tunc Turonensi archiepiscopo, propter urgentes necessitates ecclesie Turonensis, quoddam pecuniale subsidium spontanei prestitistis, et ne, occasione hujusmodi, vobis posset in posterum prejudicium generari, confessus est idem archiepiscopus et etiam recognovit, quod predictum subsidium gratis ob dictas necessitates a vobis recepit, ne vos ad alium questum seu talliam teneamini, preter illam, quam pro cathedratico prestatis archiepiscopis Turonensibus, prout in litteris inde confectis, ipsius archiepiscopi et capituli Turonensis sigillorum munitis, plenius continetur. Nos itaque vobis et ecclesiis vestris in posterum precavere volentes, ut pro hujusmodi exhibitione subsidii nullum possit vobis prejudicium generari, auctoritate vobis presentium indulgemus, et quod ab eodem archiepiscopo in hac parte provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Février 1244.

« Universis presentes litteras inspecturis, Guido « decanus, Philippus thesaurarius, totumque capitu- « lum ecclesie Beati Martini Turonensis salutem in « Domino. Noverint universi nos vidisse, legisse et « diligenter inspexisse litteras bone memorie Johelli, « miseratione divina quondam Turonensis archiepis- « copi, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua « parte sui vitiatas, sub sigillo suo et sigillo capi- « tuli Turonensis, in hec verba : « Juhellus, Dei mi- « seratione Turonensis archiepiscopus, universis ad « quos presentes littere pervenerint, salutem in Do- « mino. Ad universorum tam presentium quam futu- « rorum notitiam volumus pervenire, quod nos ques- « tam, quam tempore nostro nobis impenderunt « presbiteri nostre diocesis, gratis impenderunt prop- « ter urgentes necessitates ecclesie Turonensis, et « eam ab eis gratis recepimus, nec nobis vel succes- « soribus nostris archiepiscopis Turonensibus, qui pro « tempore fuerint, prout ab antiquis et fidedignis di- « dicimus, teneantur prestare questam sive talliam, « preter unam in intronizatione eorum. In cujus rei « memoriam presentes litteras conscribi fecimus, de « consensu capituli Turonensis, sigilli nostri munimine « et sigilli dicti capituli roboratas. Actum anno Do- « mini M.CC.XLIIII, mense februario. »

Nulli etc. nostre concessionis et confirmationis etc. Dat. Laterani, X kal. februarii, anno tertio. »

1657 Latran, 8 janvier 1257.

Universis Christi fidelibus per Esculanensem civitatem et dioecesim constitutis, qui ad monasterium pauperum inclusarum S. Angeli Esculanensem, ordinis Sancti Damiani, in die Passionis Dominice annuatim accesserint, indulgentiam centum dierum concedit. Reg. 25, a. III, c. 80, f. 10 v; Potthast 16660.

« *Universis Christi fidelibus per Esculanensem civitatem et diocesim constitutis.* Vite perempnis gloria —. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno tertio. »

1658 Latran, 31 janvier 1257.

Magistro et fratribus hospitalis S. Antonii indulget ut nullum in magistrum dicti hospitalis, pro tempore magistri regimine destituti, recipere teneantur, nisi illum quem canonice duxerint eligendum. Reg. 25, a. III, c. 81, f. 11.

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancti Antonii, Viennensis diocesis.* Hoc apud Sedem Apostolicam meruit vestra religio, ut ipsam vobis benivolam, et in vestris petitionibus facilem ad exauditionis gratiam habeatis. Vestris itaque precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut hospitali vestro pro tempore magistri regimine destituto, nullum in magistrum recipere teneamini, vel compelli per ipsius Sedis litteras, que de hac indulgentia expressam et plenam mentionem non fecerint, valeatis, nisi illum, quem de vestro ordine vos vel major et sanior pars vestrum canonice duxeritis, prout ad vos de jure ac consuetudine pertinere dicitur eligendum. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani, II kal. februarii, anno tertio. »

1659 Latran, 23 décembre 1256.

Obtentu Guidonis de Pilleo, capellani et consanguinei sui, Johanni de Rumigniaco, praeposito ecclesiae Cameracensis

indulget, ut non obstante quod singulis annis per tres menses in dicta ecclesia residentiam facere tenetur, theologico studio per quatriennium insistere valeat, necnon interim percipere praepositurae ac praebendae proventus, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 25, a. III, c. 82, f. 11.)

« *Johanni de Rumigniaco, capellano nostro, preposito ecclesie Cameracensis.* Devotionis tue merita —. Dat. Laterani, X kal. januarii, anno tertio. »

1660 Latran, 23 décembre 1256.

Decano ecclesiae S. Symphoriani Remensis mandat, quatenus Johanni de Rumigniaco, praeposito Cameracensi, dictae praepositurae proventus faciat integre ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 83, f. 11.)

« .. *decano ecclesie S. Simphoriani Remensis.* Dilecti filii Johannis —. Dat. ut supra. »

1661 Latran, 23 janvier 1257.

Decano et capitulo ecclesiae de Homborg, quibus dotandis [Jacobus] Metensis episcopus ecclesiam de Alba concessit, hanc concessionem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 84, f. 11.)

« .. *decano et capitulo ecclesie de Horburgis, Metensis diocesis.* Ad exaudiendum petitiones vestras eo benignius invitamur, quo minorem provisionem de patrimonio Christi, in cujus militatis obsequio, consueti, favore Sedis Apostolice noscimini potius indigere. Exhibita quidem nobis vestra petitio continebat, quod venerabilis frater noster.. Metensis episcopus in novo castro nomine Homborg, quod in diocesi sua nuper ipse construxit, in honore beate Marie fundavit ecclesiam, vosque ad serviendum Deo instituit in eadem. Verum, cum ad dotandum decenter ipsam ecclesiam proprie sibi non suppeterent comode facultates, ecclesiam de Alba, dicte diocesis, cujus patronus existit, eo modo vobis pia et provida liberatione concessit, ut decedente rectore ipsius in usus vestros cederet, ea vobis perpetuo possidenda, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo pie ac provide factum est super hoc ratum et gratum habentes, illud, non obstante quod capituli Metensis ad id non intervenerit assensus, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, X kal. februarii, anno tertio. »

1662 Latran, 23 janvier 1257.

Eisdem pro dotatione supradictae ecclesiae confirmat concessionem ecclesiae de Thetwilre, Argentinensis dioecesis, a Metensi episcopo factam. (Reg. 25, a. III, c. 85, f. 11.)

« *Eisdem.* Ad exaudiendum petitiones —. Dat. Laterani, X kal. februarii, anno tertio. »

1663 Latran, 30 janvier 1257.

Magistro et fratribus militiae hospitalis S. Thomae Martyris in Accon, facultatem concedit retinendi ecclesiam S. Marie de Colechirche Londoniensem, eidem hospitali contiguam, in qua jus patronatus habent et cujus proventus quinque marcarum argenti annuum valorem non excedunt, proviso quod, per aliquem idoneum capellanum faciant in eadem ecclesia deserviri. (Reg. 25, a. III, c. 86, f. 11.)

« .. *magistro et fratribus milicie hospitalis S. Thome Martiris Cantuariensis in Accon.* Religiosorum virorum —. Dat. Laterani, III kal. februarii, anno tertio. »

1664 Latran, 9 février 1257.

Priori et fratribus ordinis Praedicatorum Mediolanensibus indulget, ut tempore generalis interdicti, in vigilia et festo beati Petri Martyris, cujus corpus in eorum ecclesia requiescit, apertis januis, excommunicatis dumtaxat exclusis, in eadem ecclesia divina officia celebrare possint. (Reg. 25, a. III, c. 87 ; f. 11v; Potthast 16724.)

« .. *priori et fratribus ordinis Predicatorum Mediolanensibus.* Pro reverentia beati Petri —. Dat. Laterani, V idus februarii, anno tertio. »

1665 Latran, 28 janvier 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Eadmundi indulget, ut nullum eis praejudicium generetur, pretextu aliquarum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiarum, si qua forte, de quibusdam causis, a quibuscumque, quavis auctoritate, in eos promulgata fuerit. (Reg. 25, a. III, c. 88, f. 11v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Eadmundi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Devotis dilectorum filiorum fratris Johannis de Walsingham, et fratris Johannis de Mildenhale monachorum et procuratorum vestrorum precibus inclinati, quod pretextu aliqua-

rum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiarum, si que forte, postquam iidem pro vestris negotiis promovendis iter arripuerunt ad Sedem Apostolicam veniendi, occasione retentionis decime, carissimo in Christo filio nostro regi Anglorum illustri, de proventibus ecclesiasticis, ab Apostolica Sede concesse, vel pecunie contente in obligatione facta quibusdam mercatoribus de monasterio vestro per venerabilem fratrem nostrum .. Herefordensem episcopum non solute, a quibuscumque, quavis auctoritate, in vos vel vestrum aliquem sive ipsos monachos promulgate fuerunt, nullum vobis vel eisdem monachis super indulgentiis, litteris seu gratiis quibuslibet ab eadem Sede, per ipsos monachos, medio tempore impetratis, prejudicium generetur, cum dilectus filius magister Rostandus, capellanus noster, quamdam inter monasterium predictum et mercatores prefatos ordinationem apud Sedem Apostolicam fecerit, super cujus executione eidem magistro scripta nostra direximus, auctoritate presentium indulgemus. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, V kal. februarii, anno tertio. »

1666 Latran, 6 février 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Albani, Coloniensis dioecesis, indulget, ut nullatenus archiepiscopis, episcopis et archidiaconis obedientiam teneantur exhibere, ratione ecclesiarum, dicti monasterii usibus deputatarum. (Reg. 25, a. III, c. 89, f. 11r.

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Albani, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, in Colniensi diocesi.* Etsi ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem ex injuncto nobis apostolatus officio gerere teneamur, de illis tamen sollicitius cogitare nos convenit, que ad nos et Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod venerabiles fratres nostri archiepiscopi et episcopi et dilecti filii archidiaconi, in quorum civitatibus, diocesibus, et archidiaconatibus ecclesie vestris et priorum ac conventuum prioratuum subjectorum vobis usibus deputate consistunt, obedientiam a vobis et eisdem prioribus pari vobiscum libertate gaudentibus, ratione ecclesiarum ipsarum, quanquam earum vicarii eisdem archiepiscopis, episcopis et archidiaconis, de omnibus juribus et aliis ipsis pro eisdem ecclesiis debitis plene respondeant, pro sua exigunt voluntate, contra concessa vobis a Sede Apostolica privilegia temere veniendo, licet nunquam vos vel predecessores vestri hanc eis obedientiam duxeritis exhibendam. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, ut hujusmodi eis obedientiam exhibere de cetero nullatenus teneamini, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli [etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, VIII idus februarii, anno tertio. »

1667 Latran, 10 février 1257.

Abbate et conventu monasterii de Lyndore supplicantibus, inhibet ne dioecesanus vel archidiaconus loci aliquid de portione, quam idem monasterium obtinet in ecclesia de Dunde, occasione episcopalium onerum, quae perpetuus vicarius ejusdem ecclesiae supportare tenetur, exigere, vel ipsam portionem sequestrare praesumant. Reg. 25, a. III, c. 90, f. 11r; Potthast 16725.

« .. *abbati et conventui monasterii de Lyndore, ordinis Sancti Benedicti, Sancti Andree diocesis.* Significastis nobis quod vos ecclesiam de Dunde, Brechinensis diocesis, in usus proprios obtinetis, in qua perpetua vicaria auctoritate ordinaria est taxata, in ea perpetuo vicario ejusdem ecclesie de ipsius proventibus assignata portione, ex qua commode sustentari potest, et tam episcopalia quam alia ipsius ecclesie onera supportare. Nos vestris supplicationibus inclinati, ne diocesanus vel archidiaconus loci, occasione predictorum onerum, que dictus vicarius supportare tenetur, aliquid de portione, quam vos in eadem ecclesia obtinetis, exigere, vel ipsam portionem sequest[r]are presumant, auctoritate presentium districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si quid contra inhibitionis nostre tenorem a quoquam contigerit attemptari. Nulli [etc.] nostre inhibitionis et constitutionis [etc.]. Datum Laterani, IIII idus februarii, anno tertio. »

1668 Latran, 7 février 1257.

Episcopo Zamorensi praecipiendo mandat, quatenus ad provisionem Garsiae Petri, clerici magistri Stephani capellani sui, portionarii ecclesiae Zamorensis, in ecclesia predicta procedat, juxta priorum continentiam litterarum. (Reg. 25, a. III, c. 91, f. 11r.)

« .. *episcopo Zamorensi.* Dilectus filius Garsias —. Dat. Laterani, VII idus februarii, anno tertio. »

1669 Latran, 21 décembre 1256.

Inhibet ne dioecesani seu archidiaconi de portione, quam abbas et conventus monasterii de Aberbrothot in nonnullis Scotiae ecclesiis possident, occasione onerum quae vicarii earumdem ecclesiarum supportare tenentur, aliquid exigere praesumant. (Reg. 25, a. III, c. 92, f. 11v.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Aberbrothot, ordinis Sancti Benedicti, Sancti Andree diocesis.* Significastis nobis, quod vos in Aberdonensi, Brechinensi et quibusdam aliis diocesibus regni Scotie, quasdam ecclesias in usus proprios obtinetis, in quibus perpetue vicarie, quedam auctoritate Apostolice Sedis, quedam auctoritate ordinaria sunt taxate, assignata in eis perpetuis vicariis earumdem de ipsarum proventibus congrua portione, ex qua possint commode sustentari et episcopalia ac alia onera debita sustinere. Nos igitur, paci et tranquillitati vestre providere volentes, vestris inclinati precibus, ne diocesani locorum seu archidiaconi, occasione predictorum onerum, que ipsi vicarii supportare tenentur, aliquid de portione, quam vos in eisdem ecclesiis obtinetis, exigere, vel portionem ipsam sequestrare presumant, auctoritate presentium districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si contra prohibitionem nostram aliquid contigerit attemptari. Nulli etc. nostre inhibitionis et constitutionis etc. Datum Laterani, XII kal. januarii, anno tertio. »

1670 Latran, 30 janvier 1257.

Episcopo Constantiensi indulget, ut in usus proprios quasdam decimas bladi, quas predecessor ejus cuiquam clerico contulerat, eodem clerico cedente vel decedente, retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 93, f. 2.)

« .. *episcopo Constantiensi.* Devotionis tue merita exigunt, et affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam habere dinosceris, promeretur, ut votis tuis favorabiliter annuentes, faciamus tibi gratiam specialem. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, quondam Radulfus de Guivonfosse quasdam decimas bladi, quas idem ejusque progenitores in villa que dicitur Buschervilla, tue diocesis, a tempore cujus non estat memoria in feudum laicale tenuerat, in manu bone memorie G. episcopi Constantiensis predecessoris tui, ut de ipsis pro sua voluntate disponeret, dimisisset, licet idem predecessor cuidam clerico, cui donec eidem provideret tenebatur in quadam pensione annua, decimas predictas contulerit, nos tamen tuis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eodem clerico cedente vel decedente, in usus proprios easdem decimas valeas retinere. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, III kal. februarii, anno tertio. »

1671 Latran, 30 janvier 1257.

Joanni, dicto le Botillier, indulget, ut duo beneficia retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 94, f. 12.)

« *Johanni dicto le Botillier clerico, nepoti venerabilis fratris nostri episcopi Constantiensis.* Volentes tibi obtentu venerabilis fratris nostri.. episcopi Constantiensis gratiam facere specialem, ut duo beneficia ecclesiastica, curam animarum habentia, recipere licite, si tibi canonice offerantur, ac retinere libere valeas, non obstante constitutione generalis concilii et defectu etatis, quem pateris, cum jam fere septimum decimum annum pergeris, auctoritate tibi presentium indulgemus, proviso ut eadem beneficia debitis obsequiis non fraudentur et in eis animarum cura nullatenus negligatur. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum ut supra. »

1672 Latran, 9 février 1257.

Magistro et fratribus hospitalis S. Antonii concedit facultatem utendi officio Ecclesiae Romanae, praeterquam in psalterio, hymnis et beatae Virginis Mariae ac mortuorum officiis. (Reg. 25, a. III, c. 95, f. 12.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancti Antonii, Viennensis diocesis.* Justis petentium — usque : complere. Cum igitur proprium in divinis celebrandis officium, sicut habent alie religiones, hospitale vestrum non habeat, prout ex parte vestra fuit propositum coram nobis, nos vestris supplicationibus inclinati, utendi officio Ecclesie Romane circa divina celebranda, preterquam in psalterio, ymnis et beate Virginis Marie ac mortuorum officiis, plenam vobis concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, V kal. februarii, anno tertio. »

1673 Latran, 28 janvier 1257.

Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum concedit omnibus poenitentibus et confessis, qui ecclesiam Beatae

Mariae Virginis Laudunensem, in quibusdam festivitatibus, annis singulis visitabunt. (Reg. 25, a. III, c. 96, f. 12.

« .. *decano et capitulo ecclesie Laudunensis*. Divina sapientia rationis sue lege multiplici creature a se condite jura disponens, quemadmodum preminens celum sideribus ornat, et subjectam terrarum latitudinem vernanti rerum varietate depingit, ita circulares temporum cursus voluit dierum interjectione celebrum variari, ut fidelium devotio, que in cotidiana justitie torpescit instantia, dum interposita sanctorum sollempnia studet voto reduci celebrare, ipsorum exemplis ad pietatis desideria revirescat, et qui corpore peregrinantur ab illis eternis eorum festivitatibus et gaudiis inpermixtis, per sancte conversationis studium, et morum similitudinem gestiant spiritualiter interesse. Ad hoc autem non solum exhortationibus admonendus est Dei populus, verum etiam spiritualium munerum largitionibus inducendus, ut ad spem eternorum saltem gustata in hiis aliqua dulcedine subleventur. Cupientes igitur ut ecclesia vestra, que in honore beate Marie Virginis, ut asseritis, est constructa, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in Assumptionis et Nativitatis ejusdem Virginis festivitatibus, et in septem diebus festivitates ipsas immediate sequentibus, ac anniversario dedicationis ecclesie ejusdem die annis singulis venerabiliter visitabunt, de omnipotentis etc. usque : confisi unum annum et quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, V kalendas februarii, anno tertio. »

1674 Latran, 9 février 1257.

Cum Caziacomite dispensat super irregularitate, quam idem recipiendo a Conrado Romanorum imperatore, Casentinum archiepiscopatum contraxit. (Reg. 25, a. III, c. 97, f. 12; Rodenberg, t. III, n° 449.

« *Caziacomiti, clerico, Aretine diocesis*. Sedes Apostolica pia mater uteri sui filios, etiam graviter delinquentes, indurata facie non repellit, sed eis ad ipsius ubera[1] redeuntibus, leta occurrens et procumbens ad reconciliationis osculum supra collum gratiosius ipsos prosequitur, cum in spiritus humilitate redierint post delictum. Lecta siquidem coram nobis tua petitio continebat, quod quondam Aldebrandino Cazacomite patre ac fratribus tuis quondam Fr. olim Romanorum imperatori, et Conrado ac aliis natis ejusdem Fr. adherentibus, quidam ex predictis tuis fratribus, ab eodem Corrado archiepiscopatum Casentinum de facto tibi concedi obtinuit, quem tu recipiens ex eo aliquandiu redditus percepisti. Postmodum vero, in mortis constitutus articulo, fuisti a quodam presbitero, ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurreras, juxta formam Ecclesie absolutus, sicut plene nobis constitit per publicum instrumentum. Cum igitur prefati delicti macula virtutum purgata lavacro, nobilitatem generis morum munias[1] honestate atque ad obtinendam predicte Sedis gratiam, dono scientie ac laudabili fidedignorum testimonio adjuveris, nos, tue devotionis precibus inclinati, absolutionem hujusmodi approbantes, tecum super irregularitate, quam exinde contraxisse dinosceris, auctoritate presentium dispensamus, ita quod, hoc non obstante, possis beneficium ecclesiasticum quod obtines licite retinere ac ad quamcumque[2] etiam episcopalem eligi dignitatem, quam licite recipere valeas, et super eis, ac etiam quibuslibet gratiis a te ab eadem Sede obtentis vel etiam obtinendis[3], occasione hujusmodi nullum tibi queat obstaculum interponi; quod ad restitutionem predictorum redditum seu satisfactionem de ipsis alicui faciendam minime tenearis, nec ad id ullo tempore possis apostolica vel quavis auctoritate compelli, devotioni tue nichilominus concedentes. Nulli etc. nostre dispensationis et concessionis etc. Dat. Laterani, V idus februarii, anno tertio. »

1. *Ms.* : ubere.

1675 Latran, 15 février 1257.

Priori Cartusiensi et ceteris prioribus et fratribus Cartusiensis ordinis notum facit se statuere, ut a solis fratribus, quos ipsi priores deputandos duxerint, visitari ac corrigi possint. (Reg. 25, a. III, c. 98, f. 12v; Potthast 16772.

« .. *priori Cartusiensi, et ceteris prioribus et fratribus Cartusiensis ordinis*. Thesauro virtutum sic preclara vestra religio suum semper astrinxit affectum, quod habetur et in conspectu Regis eterni placita et in oculis hominum grata. Ipsa quidem ut columba mitis et humilis et electa Domini specialis pulcra per totum aspicitur, omnem a se rugam enormitatis abiciens et maculam deformitatis excludens, vigilantibus illis,

1. *Ms.* : munies.
2. *Ms.* : quemcumque.
3. *Ms.* : obtinentis.

qui paterne sollicitudinis in ea gerunt officium, quod ibidem nulle possint vitiorum spine succrescere sed ipsa florum honoris et fructuum honestatis immarcescibili polleat ubertate. Propter hunc etenim sancte operationis effectum, nunquam ordo vester officio aliene visitationis vel correctionis indiguit, sed de ipso aliquibus aliis reformationis beneficium ex providentia Sedis Apostolice jam provenit. Cum itaque nos, qui ex hujusmodi virtuosis actibus spiritu in Domino exultamus, claris agnoscimus indiciis dictum ordinem esse aliis recte vite speculum et salutifere conversationis exemplum, quod ipse sicut olim sic et in posterum ab ejusdem dumtaxat prioribus ac fratribus idoneis, quos vos filii priores duxeritis deputandos, et a nullo alio visitari possit aut corrigi, auctoritate presentium duximus statuendum, eadem auctoritate nichilominus decernentes, ut si aliquid contra statutum hujusmodi, a quoquam, propria extiterit temeritate presumptum, sit irritum et inane, et si forte alique sententie in vos, occasione hujusmodi prolate fuerint, nullum robur obtineant firmitatis, mandato Sedis Apostolice semper salvo. Nulli etc. nostre constitutionis etc. Datum Laterani, VI idus februarii, anno tertio. »

1676 Latran, 8 février 1257.

Eisdem petentibus inhibet, ne quis praelatus aut ejus familiares, causa debiti exigant ab eis hospitalitatem vel eos gravent aliis expensis. (Reg. 25, a. III, c. 99, f. 12v ; Potthast 16721.)

« *Eisdem.* Exhibita nobis devotionis vestre petitio continebat, quod cum exhibeatis vos in hospitalitate omnibus liberales, diocesanis vestris et aliis ecclesiarum prelatis eorumque familiis, cum ad domos vestras declinant, caritative necessaria ministrantes, nonnulli prelatorum, hujusmodi gratiam convertere molientes in debitum et deberi sibi quod sic sponte illis impenditis asserentes, vos et domos vestras multipliciter aggravant et molestant. Nos igitur quieti vestre in hac parte, paterna volentes diligentia providere, ne quisquam prelatus de cetero id presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli etc. nostre inhibitionis etc. Datum ut supra. »

1677 Latran, 8 février 1257.

Eisdem indulget, ut ipsi et fratres presbyteri confessiones mercenariorum, qui eis domestice famulantur, audire et eis sacramenta ministrare possint. (Reg. 25, a III, c. 100, f. 12v ; Potthast 16720.)

« *Eisdem.* Animarum salutem plenis desideriis affectantes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut vos et fratres ordinis vestri presbiteri, quibus id duxeritis committendum, mercennariorum vestrorum, qui vobis domestice famulantur, possitis confessiones audire, penitentiam illis salutarem injungere, ac exhibere etiam ecclesiastica sacramenta, sine juris prejudicio alieni. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum ut supra. »

1678 Latran, 8 février 1257.

Confirmat litteras, quibus prior et conventus domus de Parco proventus quarumdam decimarum sibi spectantium rectori ecclesiae de Saugia ad firmam perpetuam concedunt. (Reg. 25, a. III, c. 101, f. 12v.)

« .. *priori et conventui domus de Parco, Cartusiensis ordinis, Cenomanensis diocesis.* Cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos proventus quarumdam decimarum ad vos spectantium.. rectori ecclesie de Saugia, ejusdem diocesis, ad firmam perpetuam provide duxeritis concedendos, nos vestris supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi ratam habentes et gratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Septembre 1243.

« Gaufridus, Dei gratia Cenomanensis episcopus, « universis presentes litteras inspecturis salutem in « Domino. Noveritis quod in nostra presentia constituti, .. prior et conventus Cartusienses, Cenomanensis diocesis, decimam sibi collatam a confraternitate presbiterorum totius decanatus de Brullone, sitam in parrocchia de Saugia, tradiderunt ad firmam « perpetuam persone de Saugia, sub annua pensione « quadraginta soldorum Turonensium, ad festum Omnium Sanctorum annuatim solvendorum apud Saugiam, sub pena quinque soldorum Turonensium pro « qualibet die, qua retardaretur solutio pecunie supradicte. Nos autem utilitatem utriusque partis in « hoc attendentes, ut firma et rata maneat perpetuo « traditio supradicta, et ecclesia predicta ad hoc in « perpetuum obligetur, huic traditioni auctoritatem

« prestitimus et consensum, auctoritate diocesana con-
« firmantes eandem. Datum anno Domini M.CC.XLIII
« mense septembri. »

Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum ut supra.

1679 Latran, 8 février 1257.

Universos Christi fideles rogat, quatenus ad ecclesiam fratrum ordinis Praedicatorum Mediolanensem, in qua corpus beati Petri Martyris professoris praedicti ordinis requiescit, accedant, eisque in festo ejusdem martyris, et septem diebus immediate sequentibus, annuatim, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum concedit. (Reg. 25, a. III, c. 102, f. 12v; Potthast 16723.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria —. Dat. Laterani, VI idus februarii, anno tertio. »

1680 Latran, 13 février 1257.

Rectorem et fratres hospitalis S. Mariae ad S. Gallum Florentini sub beati Petri et sua protectione suscipit eisque nonnullas immunitates confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 103, f. 13.)

« .. *rectori hospitalis Sancte Marie ad Sanctum Gallum Florentini, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus [etc.] usque : infringat. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et hospitale Sancte Marie ad Sanctum Gallum Florentinum, quod ad jus et proprietatem beati Petri noscitur pertinere, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti patrocinio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam, in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem hospitale in presentiarum etc. usque : permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo prefatum hospitale situm est, cum ecclesia et omnibus pertinentiis suis, domos, terras et vineas quas habetis in loco qui dicitur Monrohor., domos terras et vineas quas habetis in loco qui vocatur Jassus de Macorema, terras quas habetis in plano de Campo, domos, terras et vineas in loco Cassalbato vocato, domos terras et vineas in loco qui planus de Lignaio vocatur, domos, terras et vineas quas habetis in villa que vocatur Galliana, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis etc. usque : immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis etc. usque : presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos, e seculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in hospitali vestro professionem, fas sit sine rectoris sui licentia etc. usque : retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque : interdicto. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit etc. usque : exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolice Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parrochie vestre nullus, sine assensu diocesani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones etc. usque : prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotionis etc. usque : obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias quas pertinent revocandi, libera sit vobis, de nostra auctoritate, facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci rectore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu etc. usque : eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque : exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus hospitali vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum, a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus percepte a Sede Apostolica libertatis unam libram cere nobis nostrisque

successoribus, annis singulis, persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum hospitale temere perturbare etc. usque : profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum etc. usque : ultioni. Cunctis autem etc. usque : inveniant. Amen. Amen. Datum Laterani per manum magistri Rolandi, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, idibus februarii, indictione XIIII, Incarnationis dominice anno M.CC.LVI[I], pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno tertio. »

1681 Anagni, 13 novembre 1256.

Blasio nepoti et capellano suo indulget, ut fructus beneficiorum quae obtinet, ubicumque morari contigerit, percipere valeat, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 25, a. III, c. 104[1], f. 13.)

« *Blasio nepoti et capellano nostro*. Devotionis tue precibus —. Dat. Anagnie, IIII idus novembris, anno secundo. »

1682 Anagni, 10 novembre 1256.

Abbati Sanctae Genovefae Parisiensis mandat, ut dicto Blasio proventus praebendarum, quas possidet, faciat integre ministrari. (Reg. 25, a. III, [c. 104[2]], f. 13.)

« .. *abbati Sancte Genovefe Parisiensis*. Devotionis dilecti filii —. Datum Anagnie, IIII idus novembris, anno secundo. »

1683 Anagni, 23 octobre 1256.

Magistro Gundisalvo, canonico Astoricensi indulget, u praeter praestimonia, quae in Astoricensi ecclesia obtinet, unicum alium ibidem personatum vel dignitatem curam habentem animarum annexam, recipere valeat, non obstante constitutione bonae memoriae J. Sabinensis episcopi, tunc in Hispaniae partibus Apostolicae Sedis legati. (Reg. 25, a. III, c. 104[3], f. 13)

« *Magistro Gundisalvo, canonico Astoricensi, capellano dicti filii nostri J. sancti Nicolai in Carcere Tulliano dyaconi cardinalis*. Apostolice Sedis benignitas —. Datum Anagnie, X kal. novembris, anno secundo. »

1684 Anagni, 23 octobre 1256.

Roderi Johannis, Astoricensi canonico, in eumdem modum. (Reg. 25, a. III, c. 104[4], f. 13v.)

« *Roderi Johannis, Astoricensi canonico*. Apostolice Sedis benignitas —. Datum Anagnie, X kal. novembris, anno secundo. »

1685 Latran, 9 février 1257.

Petro de Stavinford indulget, ut praeter ecclesiam de Standeford et ecclesiam de Querington ac medietatem ecclesiae de Riskinton, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 105, f. 13v.)

« *Petro de Stavinford, rectori ecclesie de Standeford, Lincolniensis diocesis*. Licet ne quis —. Dat. Laterani, V idus februarii, anno tertio. »

1686 Latran, 5 février 1257.

Mathaeo archipresbytero majoris ecclesiae Civitatis Castellanensis indulget, obtentu R[iccardi] S. Angeli diaconi cardinalis, cujus idem Mathaeus capellanus existit, ut praeter archipresbyteratum dictae ecclesiae, unicum aliud beneficium curam animarum habens recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 106, f. 13v.)

« *Matheo archipresbitero majoris ecclesie Civitatis Castellanensis*. Obtentu dilecti filii —. Datum Laterani, nonis februarii, anno tertio. »

1687 Latran, 11 février 1257.

Oddenum, abbatem monasterii de Castennola in suum capellanum admittit. (Reg. 25, a. III, c. 107, f. 13v.)

« *Oddeni abbati monasterii de Castennola, Cisterciensis ordinis, Senogaliensis diocesis*. Cum de honestate vite —. Datum Laterani, III idus februarii, anno tertio. »

1688 Latran, 23 janvier 1257.

Magistro ac prioribus et fratribus ordinis Praedicatorum mandat, ut ea, quae ad curam priorissae et sororum monasterii S. Dominici juxta Montargiacum, ordinis S. Augustini, ipsorum ordini incorporatarum spectent, diligenter ac sollicite adimpleant. (Reg. 25, c. 108, f. 13v; Potthast 16692.)

« .. *magistro ac prioribus et fratribus ordinis Predicatorum*. Sua nobis dilecte in Christo filie .. priorissa et sorores monasterii Sancti Dominici juxta Montargiacum, ordinis Sancti Augustini, Senonensis diocesis, petitione monstrarunt, quod olim felicis re-

cordationis I. papa predecessor noster vos ab omni cura et sollicitudine monasteriorum monialium incorporatorum seu admissorum, vel quomodolibet unitorum ordini vestro, Sancti Sisti de Urbe et Sancte Marie de Pruliano Tholosane diocesis duntaxat exceptis, duxit de fratrum suorum consilio absolvendos, cujus absolutionis pretextu, quamvis ordini vestro incorporate extiterint, sicut in ejusdem predecessoris litteris plenius dicitur contineri, cum curam non geratis de ipsis tam in spiritualibus quam in temporalibus ut asserunt, patiuntur non modicem lesionem. Quare eedem priorissa et sorores nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur circa eas debitum habentes compassionis affectum, discretionis vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus ea, que secundum tenorem litterarum predicte incorporationis ad curam et sollicitudinem vestram spectare noscuntur, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, litteris super absolutione hujusmodi nequaquam obstantibus, studeatis circa ipsas diligenter ac sollicite adimplere, non obstante aliqua constitutione seu indulgentia aut privilegio cujuscumque tenoris existant, vobis super predictis ab Apostolica Sede concessis, etiamsi contineatur in eis quod alique vobis cujuscumque tenoris impetrate vel etiam impetrande littere non obsistant. Datum Laterani, X kalendas februarii, anno tertio. »

1689 Latran, 31 décembre 1256.

Ministro, custodibus et fratribus Minoribus Boemiae, Moraviae, Poloniae et Prusciae notificat se omnibus Christi fidelibus, qui eorum ecclesias in diebus consecrationis et anniversarii dedicationis ipsarum et in sanctorum Francisci et Antonii sanctaeque Clarae et post octo dies sequentes et sanctorum, quorum ibi altaria sunt, festivitatibus, visitaverint annuatim, indulgentiam centum dierum largiri. Reg. 25, a. III, c. 109, f. 13v; Potthast 16639.

« .. *ministro, custodibus et fratribus Minoribus Boemie, Morarie, Polonie et Pruscie.* Sanctorum meritis inclita —. Dat. Laterani, II kal. januarii, anno tertio ».

1690 Latran, 13 février 1257.

Danielem regem Russiae, de defectione sua a fide catholica objurgat eumque monet et hortatur, ut perditionis viam abjuret et id quod de Romanae Ecclesiae obedientia, juramento praestito, promiserit, inviolabiliter observet. Reg. 25, a. III, c. 110, f. 14; Potthast 16731.

« *Danieli regi Ruscie timorem Divini nominis et amorem.* Inter alia, que nobis ex injuncto apostolatus incumbunt officio, animarum nos convenit precipue invigilare saluti, ut eas regum Regi, qui nos illarum, licet immeritos, voluit preesse regimini, lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia non est Deo acceptum obsequium, quod sine fide prestatur, nec pervenitur operum edificio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit, ad propagandam eam et corroborandam in mentibus omnium et specialiter regum et principum, intentione tota omnique sollicitudine ac verbi et operis efficacia laborare debemus, ut Christiana religione latius diffusa per orbem, Patris eterni Filius multiplicatis servitoribus plenius honoretur. Sane tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, que postquam etiam renatus fuisti fonte babtismatis, oculos tue mentis involverant, ad lumen catholice fidei, sine qua nemo salvatur, et ad obedentiam Ecclesie Romane non sine divina inspiratione redire, juramento prestito, promisisti Ecclesie predicte tanquam fidelis ejus filius obedire ac fidem catholicam sicut alii orthodoxi mundi principes observare. Propter quod Ecclesia eadem volens te in sui devotione congruis firmare favoribus et condignis gratiis confovere, personam tuam ad regalis dignitatis apicem sublimavit, faciendo te inungi[1] sacri crismatis oleo, tuoque imponi capiti regum diadema. Sed tu, sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione pervenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius Ecclesie immemor, tanteque gratie prorsus ingratus, prestiti juramenti religione contempta, id quod circa obedientiam ejusdem Ecclesie ac predicte observationem fidei promisisse dinosceris, observare postmodum non curasti in anime tue periculum, ipsius injuriam fidei, Ecclesie predicte contemptum et obprobrium Jesu Christi; super quo tanto vehementius contristamur quanto ferventius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus ejusdem fidei per orbem longius latiusque diffusus, continuum, auctore Domino, suscipiat incrementum. Volentes igitur apostolicis apud te super hoc insistere monitis, et ad veritatem, quae Christus est, paternis te persuasionibus revocare,

1. *Ms.* : unjungi.

ac sperantes quod te graviter contra Deum et ejus Ecclesiam deliquisse considerans, condigne peniteas, et errorem tuum corrigere studeas per te ipsum, magnitudinem tuam monendam duximus attentius et hortandam, quatenus ad tuam memoriam revocans quanto studio quantaque sollicitudine circa exaltationem tuam Sedes Apostolica laborarit, considerans etiam quod non Ecclesiam sed te ipsum decipis, tuum in hac parte promissum dampnabiliter non servando, perditionis viam, qua graderis, non differas abjurare, et id quod de ipsius observatione fidei et predicte Ecclesie obedientia, juramento prestito, promisisti, inviolabiliter observare procures, ita quod nos, tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi letitia, dulcia ipsius Ecclesie ubera, que copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione suxisti, tibi, tuis exigentibus meritis, affectuosius porrigamus. Alioquin venerabilibus fratribus nostris.. Olomucensi et.. Wratislaviensi episcopis, litteris nostris injungimus, ut te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant, invocato nichilominus contra te auxilio brachii secularis, non obstantibus aliquibus litteris apostolicis, cujuscumque tenoris existant, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Laterani, idibus februarii, anno tertio. »

1691 Latran, 13 février 1257.

Olomucensi et Wratislaviensi episcopis mandat, quatenus si memoratus Daniel rex Russiae praemissa neglexerit adimplere, eum ad id per censuram ecclesiasticam compellant. (Reg. 25, a. III, c. 110[2], f. 14; Potthast 16732.)

« .. *Olomucensi et.. Wratislaviensi episcopis.* Inter alia que nobis —. Dat. ut supra. »

1692 Latran, 11 février 1257.

Episcopo Lubucensi, qui propter magnam diffusionem terrae ac perfidiam dominorum ipsius, necnon malitiam habitantium in eadem pro tempore, spiritualem jurisdictionem super omnes Latinos existentes in Russia exercere non poterat, indulget, ut ei et suae ecclesiae nullum hac occasione in posterum super ipsa jurisdictione praejudicium generetur. (Reg. 25, a. III, c. 111, f. 14; Potthast 16726.)

« .. *episcopo Lubucensi.* Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Lubucenses episcopi predecessores tui, qui fuere pro tempore, in possessione spiritualis jurisdictionis super omnes Latinos existentes in Ruscia et aliorum legem colentium eorumdem fuerint a tempore, cujus memoria non existit, et tu etiam in possessione adhuc existas eadem, ac propter magnam diffusionem terre ac perfidiam dominorum ipsius necnon malitiam habitantium in eadem, non possis commode predictam diocesim visitare, providere in hac parte tibi et ecclesie tue, ne ex hoc jus ipsius ecclesie deperire contingat, apostolica diligentia curaremus. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, tibi et eidem ecclesie, ut nullum, hac occasione, vobis in posterum super ipsa jurisdictione prejudicium generetur, auctoritate presentium indulgemus. Nulli (etc.) nostre concessionis etc. Dat. Laterani, III idus februarii, anno tertio. »

1693 Latran, 11 février 1257.

Praeposito ecclesiae Wissegradensis indulget, ut praeter praeposituram dictae ecclesiae curam habentem animarum, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 112, f. 14; Potthast 16727[a].)

« .. *preposito ecclesie Wissegradensis, consobrino et cancellario carissimi in Christo filii nostri illustris regis Boemie.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Laterani, III idus februarii, anno tertio. »

1694 Latran, 30 janvier 1257.

Gelasio abbati monasterii S. Jacobi Scotorum Ratisponensis confirmat concessionem in usus proprios, quoad vixerit, bonorum dicti monasterii, quae per industriae suae diligentiam recuperaverit. (Reg. 25, a. III, c. 113, f. 14.)

« *Gelasio abbati monasterii Sancti Jacobi Scotorum Ratisponensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Lecta siquidem coram nobis tua petitio continebat, quod monasterii tui conventus considerans multa de bonis ipsius monasterii per tuam industriam et sollicitudinem recuperata esse, que alienata fuerant et distracta, ut circa recuperationem aliorum bonorum ejusdem monasterii magis etiam sollicitus redderêris, omnia bona dicti monasterii, qualitercumque alienata, que per industrie tue diligentiam recuperari con-

tigerit in futurum, tibi personaliter duxit ad usus proprios, quoad vixeris, concedenda, prout in litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque, tuis precibus inclinati, quod ab eodem conventu super hoc provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Laterani, III kal. februarii, anno tertio. »

1695 Latran, 5 février 1257.

Paulo, nato nobilis viri Petri de Paliano, domum cum turri, sitam juxta arcem de Paliano, confert. (Reg. 25, a. III c. 114[1], f. 14v.)

« *Paulo nato nobilis viri Petri de Paliano domicello Anagnino.* Dignum est ut illos prosequamur favore gratie specialis, qui nobilitate generis et proprie bonitatis amplis meritis decorantur. Hinc est quod nos volentes tibi facere gratiam specialem, domum tuam cum turri sitam juxta arcem nostram de Paliano, que fuit quondam nobilis viri Gerardi de Paliano avi tui, tibi tuisque heredibus in perpetuum auctoritate presentium de gratia conferimus speciali et donationem, si qua de hiis facta est per quondam P. dictum Rubeum castellanum dicte arcis, revocantes et cassam et irritam[1] reportantes, illam decernimus non tenere. Nulli [etc.] nostre concessionis, revocationis et constitutionis etc. Datum Laterani, nonis februarii, anno tertio. »

1696 Latran, 5 février 1257.

Nokerio archipresbytero S. Andreae et magistro Gualterio, castellano de Paliano mandat, quatenus, amoto a dicta domo quolibet detentore, dictum Paulum in possessionem ejusdem inducant et defendant inductum. (Reg. 25, a. III, c. 114[2], f. 14v.)

« *Nokerio archipresbitero Sancti Andree et magistro Gualterio, capellano venerabilis fratris nostri.. episcopi Penestrini, castellano de Paliano, Penestrine diocesis.* Dignum est —. Dat. ut supra. »

1697 Latran, 6 février 1257.

Godefrido clerico indulget, ut proventus ecclesiarum de Hakendover et de Wluenesem, quas de novo assecutus est, percipere possit, non obstante concessione proventuum beneficiorum in dioecesi Leodiensi vacantium, a Sede Apostolica, per duos annos, Henrico Leodiensi electo facta. (Reg. 25, a. III, c. 115[1], 14v.)

« *Godefrido clerico nobilis viri.. ducis Lothoringie et Brabancie, canonico ecclesie Sancti Johannis Leodiensis, de Haukenderer et de Wluenensem rectori, quarum una dependet ab altera, Leodiensis diocesis.* Desideriis tuis in hiis affectu benivolo libenter annuimus, que tibi profutura speramus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod dilecto filio.. Leodiensi electo, ut proventus beneficiorum, que in Leodiensi civitate ac diocesi usque ad certum tempus vacare contigerit, possit per duos annos percipere, a Sede Apostolica est indultum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum de Hakendover et de Wluenesem ecclesias, quarum una dependet ab altera, ejusdem diocesis, de novo sis auctoritate apostolica canonice assecutus, providere tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, ut proventus ecclesiarum ipsarum, etiam per illos duos annos, in quibus proventus beneficiorum eorumdem civitatis et diocesis eidem ecclesie per indulgentiam hujusmodi sunt concessi, possis percipere, predicta indulgentia, quam ad eandem ecclesiam extendi nolumus, non obstante, et quod super perceptione proventuum ipsorum, pretextu dicte indulgentie, nullum possit tibi obstaculum interponi, devotioni tue, auctoritate presentium indulgemus. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, VIII idus februarii, anno tertio. »

1698 Latran, 6 février 1257.

Cantori ecclesiae Tornacensis mandat, quatenus [Henricum] Leodiensem electum compellat ne impediat, quominus dictus Godefridus proventus ecclesiarum earumdem percipiat. (Reg. 25, a. III, c. 115[2], f. 14v.)

« .. *cantori ecclesie Tornacensis.* Petitio dilecti filii Godifridi clerici dilecti filii nobilis viri.. ducis Lothoringie et Brabantie, canonici ecclesie Sancti Johannis Leodiensis, de Hakendover et de Wluenesem ecclesiarum rectoris, quarum una dependet ab alia, Leodiensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod dilecto filio.. Leodiensi electo, ut proventus beneficiorum etc. verbis competenter mutatis, ut in alia usque : indulgendum. Quocirca mandamus, quatenus predictum electum et quoslibet alios, pretextu

1. *Ms.* : cassum et irritum.

hujusmodi indulgentie ipsi electo concesse, ne impediant per se vel per alium, quominus dictus Godefridus proventus ecclesiarum percipiat, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Non obstante si dicto electo a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum ut supra. »

1699 Latran, 30 novembre 1256.

Inhibet ne quis, pretextu cujusdam pravae consuetudinis fratres et bona hospitalis S. Lazari Jerosolimitani in Burgundia, molestare praesumat. (Reg. 25, a. III, c. 116, f. 14v.)

« *Magistro et fratribus hospitalis Sancti Lazari Jerosolimitani in Burgundia.* Ex tenore vestre petitionis accepimus, quod nonnulli clerici et laici, asserentes se contra vos aliquid questionis habere, aliquando fratres, interdum vero animalia et alia bona vestra, pretextu cujusdam prave consuetudinis, temeritate propria vadiare, invadere ac tandiu detinere presumunt, donec sit eis de hujusmodi questionibus juxta ipsorum beneplacitum satisfactum, licet jurisdictionem ordinariam seu delegatam in vos non habeant, qua ipsis hoc facere permittatur. Cum itaque judicialis ordo ideo sit constitutus in medio, ut nemo sibi audeat presumere ultionem et, ob hoc, predicta consuetudo tamquam nullo jure subnixa nullatenus debeat sustentari, nos paci et quieti vestre in hac parte sollicitudine paterna providere volentes, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quis occasione predicte consuetudinis, vobis memoratas inferre molestias, aut fratres et bona vestra sine juris ordine occupare, vadiare, invadere seu quolibet modo detinere presumat. Nulli (etc.) nostre inhibitionis etc. Datum Laterani, II kalendas decembris, anno secundo. »

1700 Latran, 5 février 1257.

Episcopo Laudunensi mandat, quatenus Stephano dicto Bos facultatem concedat propria bona alienandi vel obligandi, ut creditoribus satisfacere possit, non obstante quod eadem bona dictus Stephanus filiis suis dedit. (Reg. 25, a. III, c. 117, f. 15.)

« .. *episcopo Laudunensi.* Ad audientiam nostram pervenit, quod Stephanus dictus Bos, laicus, tue diocesis, tunc infirmitate gravi detentus, de bonis suis condidit testamentum, in quo Johanni, Robino, Sybille, Ysabelle et Sybille minori, filiis suis, donavit hereditatem suam, ita quod de ipsa nichil idem Stephanus posset vendere, permutare, donare, vel pignori obligare aut alio quocumque modo alienare, seu dominium hereditatis ipsius in alterius transferre personam, nec quicquam aliud de ipsa facere, quominus ipsa hereditas, post mortem ejusdem Stephani, ad eosdem filios, seu ipsorum heredes totaliter valeat devenire, fide super hoc prestita ab eodem. Quia vero, prout asseritur, dictus Stephanus diversis tenetur creditoribus obligatus, nec alias habet unde ipsis creditoribus satisfactio valeat provenire, nos dignum arbitrantes et congruum et saluti dicti Stephani expedire ut per ipsum eisdem creditoribus satisfiat, fraternitati tue mandamus, quatinus si tibi constiterit ita esse, predicto Stephano vendendi, alienandi, vel pignori obligandi tantum de hereditate predicta quod satisfieri possit creditoribus memoratis, fide et donatione predictis nequaquam obstantibus, concedas, auctoritate nostra, liberam facultatem. Contradictores etc. Datum Laterani, nonis februarii, anno tertio.

1701 Latran, 28 janvier 1257.

Magistro et fratribus hospitalis de Alto Passu indulget, ut bona, quae eos, si remansissent in saeculo, ratione successionis vel qualibet justa causa contigissent, petere, recipere ac retinere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 118, f. 15.

« *Magistro et fratribus hospitalis de Alto Passu, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Devotionis vestre precibus inclinati, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, exceptis feudalibus, que personas liberas fratrum ad hospitale vestrum, mundi relicta vanitate, volantium et professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, ratione successionis vel quocumque alio justo titulo contigissent, petere, recipere ac retinere libere valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli (etc.) nostre concessionis etc. Datum Laterani, V kalendas februarii, anno tertio. »

1702 Latran, 20 février 1257.

Infrascriptis mandat, quatenus universis parrochianis suis prohibeant sub anathematis interminatione, ne a

fratribus dicti hospitalis exactionem quamlibet seu extorsionem exigere praesumant. Reg. 25, a. III, c. 119, f. 15.

« *Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint.* Religiosos viros fratres hospitalis de Altopassu, pro religione ac honestate sua, tanto propensius a malignorum incursibus protegere volumus et tueri, quanto puriorem devotionem circa nos et Romanam Ecclesiam, ad quam immediate spectant, habere noscuntur. Inde est quod vobis per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus universis parrochianis vestris sub interminatione anathematis prohibere curetis, ne a prefatis fratribus vel eorum hominibus, de victualibus, vestimentis, pecudibus, seu de aliis rebus eorundem fratrum usibus deputatis, pedagium, vendam, passagium, caucagium, exactionem seu quamlibet extorsionem exigere vel extorquere presumant. Si qui autem contra inhibitionem nostram venire presumpserint, eos a presumptione sua, monitione premissa, non differatis per excommunicationis sententiam cohercere et in terris eorum, si quas habent, omnia divina, preter baptisma parvulorum et penitentias morientium, prohibeatis, appellatione remota, officia celebrari. Ad hec quia, sicut predicti fratres asserunt, quidam presbiteri, et alii clerici vestre jurisdictionis, in ecclesiis illis, que pro excessibus in domum predictorum fratrum commissis sub interdicto tenentur, divina celebrare presumunt, eos, si res ita se habet, a sue presumptionis audacia, per suspensionis et excommunicationis sententiam, appellatione postposita, compescatis. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1703 Latran, 3 janvier 1257.

Cum decanus et capitulum ecclesiae Metensis statuerint se proventus unius anni praebendarum in eadem ecclesia vacaturarum ante consummationem constructionis jamdudum inceptae, operi fabricae dictae ecclesiae cessuros, hanc cessionem confirmat. Reg. 25, a. III, c. 120[1], f. 15.

« .. *decano et capitulo Metensibus.* Hiis que pro ecclesiarum utilitatibus provide statuuntur, libenter adjicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant que nostro fuerint presidio communita. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos, prout ad vos spectat, unanimiter statuistis, ut postquam canonicis, qui sunt de numero per ordinationem nostram in vestra ecclesia reservato, provisum fuerit de prebendis, proventus unius anni prebendarum, quas in eadem ecclesia, ante consummationem ipsius, quam jamdudum incepistis construere opere plurimum sumptuoso, vacare contigerit, post annum gratie, qui, ecclesie predicte canonicis decedentibus, de consuetudine ipsius ecclesie indulgetur, cedant operi fabrice ecclesie memorate, ac magistri seu procuratores ipsius operis eos percipiant, in usus ejusdem fabrice integre convertendos, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, statutum hujusmodi, sicut provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nolumus autem, quod dilectis filiis magistro Huguitioni de Cingulo, capellano et camerario, et Oddoni nepoti dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, canonicis Metensibus, per statutum et confirmationem hujusmodi aliquod prejudicium generetur. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, III nonas januarii anno tertio. »

1704 Latran, 5 février 1257.

Priori S. Petri ad Arenas Metensis mandat, quatenus supradictos proventus dictis magistris seu procuratoribus operis integre ministrari faciat. Reg. 25, a. III, c. 120[2], f. 15.

« .. *priori Sancti Petri ad Arenas Metensis.* Petitio dilectorum filiorum —. Dat. Laterani, nonis februarii, anno tertio. »

1705 Latran, 15 février 1257.

Episcopo Claromontensi mandat, quatenus magistro Dionysio, qui dudum in ecclesia Lemovicensi receptus extitit in canonicum et in fratrem, non obstante constitutione quadam, de praebenda providere procuret. Reg. 25, a. III, c. 121, f. 15v.

« .. *episcopo Claromontensi.* Petitio dilecti filii magistri Dionisii, capellani dilecti filii nostri O. Sancti Adriani diaconi cardinalis, canonici ecclesie Sancti Martini Rausoliensis, Lemovicensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod ipse dudum auctoritate apostolica in ecclesia Lemovicensi receptus extitit in canonicum et in fratrem. Verum per constitutionem nostram, per quam receptiones prebendas expectan-

tium vacaturas, factas in quibuscumque ecclesiis, quatuor dumtaxat exceptis, decreverimus irritas et inanes, ipsius canonici receptio est cassata. Nos itaque prefato canonico propter sue probitatis merita, quibus juvari proponitur, et consideratione cardinalis ejusdem, nobis pro ipso cum instantia supplicantis, volentes gratiam facere specialem, ac jus canonicatus, quod sibi in eadem ecclesia ex receptione hujusmodi competebat, constitutione non obstante predicta, in statum pristinum suscitantes, ac nolentes quod ei, per constitutionem eandem, super receptione sua in dicta ecclesia, jure ipsius, et assecutione prebende in ea, prejudicium aliquod generetur, fraternitati tue mandamus, quatinus eidem canonico de prebenda nulli alii de jure debita, si qua in ipsa ecclesia vacat ad presens vel quamprimum obtulerit se facultas, per te vel per alium, auctoritate nostra, providere procures, faciens eum omnibus ante constitutionem prefatam, post eum tamen receptis ibidem, qui a nobis consimilem gratiam reportarunt, et hiis qui postmodum per nostras litteras sunt recepti, et non sunt assecuti prebendas, vel ut recipiantur insistant in assecutione prebende, preferri. Contradictores etc. Datum Laterani, XV kalendas martii, anno tertio. »

1706 Latran, 22 décembre 1256.

Praeposito ecclesiae S. Audomari mandat, quatenus eidem magistro Dionysio, qui, auctoritate litterarum Innocentii quondam papae, in ecclesia Morinensi receptus fuit in canonicum, non obstante supradicta constitutione, de praebenda providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 122, f. 15v.)

« .. *preposito ecclesie Sancti Audomari, Morinensis diocesis.* Petitio dilecti filii —. Dat. Laterani, XI kal. januarii, anno tertio. »

1707 Latran, 23 janvier 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Naboris, ordinis S. Benedicti, Metensis dioecesis, confirmat potestatem convertendi in usus proprios fructus ecclesiae de Taneya, in qua jus patronatus habent. (Reg. 25, a. III, c. 123[1], f. 15v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Naboris, ordinis Sancti Benedicti, Metensis diocesis.* Ex tenore vestre petitionis accepimus, quod cum olim dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in Alamanie partibus Apostolice Sedis legatus, vobis ecclesiam de Taneya, Metensis diocesis, in qua jus patronatus habetis, cedente vel decedente rectore ipsius, retinendi ad manus vestras, et fructus ac proventus ejusdem in usus proprios libere convertendi, dum tamen ad id venerabilis fratris nostri.. Metensis episcopi, loci diocesani, interveniret assensus, plenam, prout super hoc facultatem habebat, concesserit potestatem, tandem idem episcopus, tenuitate communis mense vestre pia et provida consideratione pensata, concessioni dicti cardinalis in hac parte suum assensum exhibuit, prout in litteris suis inde confectis dicitur plenius contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem cardinali et episcopo pie ac provide factum est super hoc ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, X kalendas februarii, anno tertio. »

1708 Latran, 23 janvier 1257.

Abbati monasterii S. Martini Treverensis mandat, ut supradictos abbatem et conventum S. Naboris in corporalem possessionem ecclesiae de Taneya inducat. (Reg. 25, a. III, c. 123[2], f. 15v.)

« .. *abbati monasterii Sancti Martini Treverensis, ordinis Sancti Benedicti.* Ex tenore petitionis dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancti Naboris, ordinis Sancti Benedicti, Metensis diocesis, accepimus, quod cum olim dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in Alamanie partibus Apostolice Sedis legatus, ecclesiam de Taneya, Metensis diocesis, in qua jus patronatus habent etc. ut in alia, verbis competenter mutatis, usque : confirmamus. Ideoque mandamus, quatinus eosdem abbatem et conventum in corporalem ejusdem ecclesie possessionem, si vacat ad presens, vel quamcito vacaverit, inducas vel induci facias, et tuearis inductos. Contradictores etc. Datum ut supra. »

1709 Latran, 13 février 1257.

Confirmat privilegia, indulgentias et gratias, ordini Cisterciensi, sub diversitate temporum, a Sede Apostolica concessa. (Reg. 25, a. III, c. 124, f. 15v.)

« .. *abbati Cisterciensi ejusque coabbatibus, et conventibus universis Cisterciensis ordinis.* Plantatus olim in agro Ecclesie vester ordo sic a suis primordiis, gratia operante divina, laudabilibus incrementis successive profecit, quod assidue flores proferens copiosius honestatis, et producens uberius fructus vite, inter alia plantaria dominica puritate conversationis, dono scientie et virtutis merito, dinoscitur specialiter insignitus. Unde nos in agro ipso cultores licet immeriti a Domino deputati eundem ordinem grandi prosequi favore proponimus, et exaltationem ipsius jugis diligentie studio multipliciter procurare, ut apostolice gratie rore continue irroratus, majoribus semper, Deo tribuente, consurgat et dilatetur augmentis. Cum igitur Apostolica Sedes nonnulla privilegia et quamplures indulgentias et gratias eidem ordini generaliter, et quibusdam ex vobis specialiter, sub diversitate temporum duxerit concedenda, nos cupientes ea, que vobis et ipsi ordini a predicta Sede concessa sunt, non solum integra et illesa servare, immo potius adaugere, dilecti filii nostri J. tituli sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis supplicationibus inclinati, hujusmodi privilegia et indulgentias ac gratias vobis et eidem ordini, non obstantibus quibuslibet constitutionibus, provisionibus, diffinitionibus, et ordinationibus factis vel promulgatis ab Apostolica Sede, ad instantiam prelatorum ecclesie Gallicane et quorumcumque aliorum, et quibuscumque litteris super hiis per eos vel per quoscumque alios obtentis a Sede predicta, per quas premissis privilegiis et indulgentiis ac gratiis in nullo derogari volumus, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes omnes excommunicationis, interdicti ac suspensionis sententias, si quas in vos vel vestrum aliquos, aut in monasteria seu quelibet loca dicti ordinis, per predictos prelatos, aut quoscumque alios, pretextu predictarum constitutionum, provisionum, diffinitionum et ordinationum ac litterarum super hiis ab eadem Sede obtentarum, promulgari contigerit, irritas et inanes. Nulli etc. nostre confirmationis et constitutionis etc. Datum Laterani, idibus februarii, anno tertio. »

1710 Latran, 20 février 1257.

Magistro Bonifacio, presbytero, canonico ecclesiae Beati Laurentii de Joavilla indulget, ut dum studio theologiae insistit, proventus praebendae ipsius ecclesiae cum ea integritate percipere valeat, ac si in ipsa personaliter resideret. Reg. 25, a. III, c. 125, f. 16.

« *Magistro Bonefacio presbitero, canonico ecclesie Beati Laurentii de Joavilla, Cathalaunensis diocesis.* Obtentu scientie, cui velle desudare dinosceris, te dignum speciali gratia reputantes, ut non obstante juramento a te prestito de residentia in ecclesia Beati Laurentii facienda, usque ad quinquennium theologice facultatis insistens studio generali, proventus prebende tue ipsius ecclesie cum ea integritate percipere valeas, qua illos perciperes si in eadem ecclesia personaliter resideres, auctoritate tibi presentium indulgemus ; ita tamen quod in dicta ecclesia facias interim per ydoneum vicarium deserviri. Nulli etc. nostre concessionis, etc. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1711 Latran, 20 février 1257.

Marino electo Capuano indulget, ut una cum ecclesia Capuana, etiam post susceptum consecrationis munus, omnia beneficia retinere valeat, quae ante hujusmodi promotionem in Anglia possidebat. Reg. 25, a. III, c. 126[1], f. 16.

« *Magistro Marino electo Capuano.* Dudum felicis recordationis I. papa predecessor noster te, tunc Romane Ecclesie vicecancellarium, de apostolice potestatis plenitudine, Capuane ecclesie tunc pastoris solatio destitute in archiepiscopum preficiens et pastorem, omnia beneficia et prebendas ac centum marcharum argenti de thesauraria Saresbiriensi, necnon et alios totidem marcarum redditus de ecclesie de Helm., Elyensis diocesis, proventibus, tibi debitos, donec in beneficiis usque ad certam marcarum argenti summam in regno Anglie tibi provisum existeret, prout in ordinationibus super hiis factis et auctoritate apostolica confirmatis plenius continetur, que ante hujusmodi tuam promotionem habebas, tibi eadem auctoritate plenarie reservavit, ita quod ea omnia simul cum ecclesia Capuana retineres libere ac licenter, ipsorumque fructus, redditus, et proventus, necnon et omnia, que tibi eorum ratione antea competebant, integre perciperes sicut prius, non obstante constitutione concilii generalis, et quibuscumque consuetudinibus vel statutis contrariis, juramento, confirmatione apostolica seu qualibet firmitate alia roboratis et indulgentia Sedis Apostolice, qua forte Anglicis

vel aliis est concessum, ut si quis Italicus vel Sedis ejusdem officialis promoveatur ad aliquam prelaturam, beneficia prius ab ipso in terris illorum habita libere aliis tamquam vacantia, per eos, ad quos beneficiorum ipsorum spectat donatio, conferantur, et quibuslibet aliis apostolicis indulgentiis quibuscumque personis vel locis generaliter vel specialiter concessis, per quas hujusmodi gratia vel reservatio posset quomodolibet impediri, etiamsi de ipsis et earum tenore de verbo ad verbum, vel de personarum seu locorum aliquorum nominibus plenam et expressam fieri oporteat in apostolicis litteris mentionem; et ut liberum atque plenum absque ullo obstaculo de reservatione hujusmodi consequereris effectum, predecessor ipse decrevit penitus irritum et inane quicquid contra eam super premissis beneficiis, prebendis, fructibus et proventibus, ac redditibus ducentarum marcarum per quoscumque contingeret attemptari. Nos etiam generalis Ecclesie suscepto regimine, hujusmodi tibi gratiam innovantes, quod etiam post susceptum consecrationis munus et pallium, possis premissa omnia cum predicta Capuana ecclesia retinere, per nostras tibi duximus litteras indulgendum, prout hec omnia in predicti predecessoris et nostris litteris plenius continetur. Cum autem predicta provisio tibi de beneficiis ecclesiasticis facienda, pro eo non posse procedere videatur, quod in pastorem ipsi Capuane ecclesie prefectus existis, ac per hoc dilecti filii .. archidiaconus Eliensis, qui ecclesiam obtinet supradictam, et thesaurarius Saresbiriensis liberari a prestatione predictorum reddituum nequeuntes, se gravatos, occasione tue promotionis, querantur, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et eis super hoc de consueta Sedis Apostolice diligentia misericorditer curaremus. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod, sepedicta tua promotione nequaquam obstante, usque ad ipsam summam, de beneficiis ecclesiasticis etiam curam habentibus animarum, tibi provideri valeat, sicut antequam in pastorem prefectus esses ecclesie supradicte, ac beneficia, de quibus tibi provideri contigerit, una cum dicta ecclesia Capuana, etiam post susceptum consecrationis munus et pallium, licite retinere valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus, volentes predictos archidiaconum et thesaurarium teneri tibi sicut prius ad solutionem pensionum ipsarum, donec pacificam possessionem hujusmodi provisionis habueris, et fructus perceperis ex eadem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, IIII nonas februarii, anno tertio. »

1712 Latran, 5 février 1257.

Episcopo Wigorniensi mandat, quatenus in negotio provisionis magistri Marini electi Capuani, tunc Romanae Ecclesiae vicecancellarii, sine dilatione procedat. (Reg. 25, a. III, c. 126², f. 16ᵛ.)

« .. *episcopo Wigorniensi*. Dudum felicis recordationis —. Dat. Laterani, nonis februarii, anno tertio. »

1713 Latran, 12 février 1257.

Episcopo, decano et capitulo Cathalaunensibus injungit, ut non obstantibus statutis, in ecclesia Cathalaunensi Stephanum de Jonnivilla recipiant in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 127, f. 16ᵛ.)

« .. *episcopo, decano et capitulo Cathalaunensibus*. Sua nobis Stephanus de Jonnivilla canonicus ecclesie Sancti Laurentii loci ejusdem petitione monstravit, quod cum vobis, filii decane et capitulum, preces olim direxerimus et mandatum, ut ipsum ob reverentiam Sedis Apostolice et nostram in ecclesia vestra, in qua prebendarum collatio ad vos, frater episcope, decane et capitulum, dicitur pertinere, si de voluntate majoris partis vestrum procederet, contradictione minoris partis minus rationabili non obstante, reciperetis in canonicum et in fratrem, et de prebenda, si qua ibidem tunc vacaret, vel quamprimum ad id facultas se offerret, curaretis eidem liberaliter providere, vos ad id surdis auribus transeuntes, mandatum apostolicum pro vestre voluntatis arbitrio adimplere aliquatenus non curastis, asserentes vos habere statutum, quod neminem in vestra ecclesia potestis nisi compulsi ammittere in canonicum et in fratrem, donec recepti in dicta ecclesia prebendas sibi debitas fuerint assecuti, propter quod idem Stephanus ad nos duxit humiliter recurrendum. Nolentes igitur quod de ipso incepimus relinquere imperfectum, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica scripta vobis precipiendo mandantes, quatenus statuto predicto nequaquam obstante, ipsum ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram recipiatis juxta priorum ad vos directarum continentiam. Datum Laterani, II idus februarii, anno tertio. »

1714 Latran, 15 février 1257.

Petro Petri, cantori Visensis ecclesiae, indulget, ut quamdiu in exilio fuerit et in regno Portugalliae morari non poterit, fructus et proventus praebendarum, quas in ecclesia Visensi possidet, integre percipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 128[1], f. 16v.)

« *Petro Petri, cantori Visensis ecclesie*. Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus, et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu, ea occasione dumtaxat quod te opposuisti electioni de dilecto filio .. electo Visensi, tunc capellano carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Portugalie, in Visensi ecclesia celebrate, propter metum ipsius regis Portugalie regnum exiens, penas exilii cogeris experiri. Nos itaque volentes tibi, qui dilecti filii nostri R. Sancti Angeli diaconi cardinalis capellanus existis, super hoc paterna sollicitudine providere, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut quamdiu in hujusmodi exilio fueris, et in eodem regno secure morari non poteris, fructus et proventus prebendarum tuarum et beneficiorum cum ea integritate percipere valeas, cum qua eos perciperes si in ecclesiis, in quibus eos obtines, personaliter resideres, non obstante contraria ecclesiarum ipsarum consuetudine, vel statuto, juramento, confirmatione Sedis Apostolice sive quacunque firmitate vallatis, aut aliqua indulgentia Sedis ipsius, de qua oporteat in presentibus plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus hujusmodi gratie tibi facte impediri valeat vel differri. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, etc. XV kalendas martii, anno tertio. »

1715 Latran, 15 février 1257.

Episcopo Salamantino mandat, quatenus Petro Petri, cantori Visensis ecclesiae, fructus beneficiorum tam pro praeterito tempore, quo fuit in exilio, quam pro futuro, faciat integre ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 128[2], f. 16v.)

« .. *episcopo Salamantino*. Exigentibus meritis —. Dat. Laterani ut supra. »

1716 Latran, 31 janvier 1257.

Cum abbas et conventus monasterii de Alna de suis animalibus custodiendis et nutriendis societatem cum quibusdam contraxerint, dictis monachis indulget, ut de eos contingente dictorum animalium seu fructuum eorumdem portione, non teneantur cuiquam solvere decimas. (Reg. 25, a. III, c. 129, f. 16v.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Alna, Cisterciensis ordinis, Leodiensis*[1] *diocesis*. Cum sepe contingat, sicut lecta coram nobis ex parte vestra petitio continebat, quod vos de vestris animalibus societatem cum aliis contrahentes, ea ipsis ad certam partem custodienda traditis seu etiam nutrienda, nos vestris supplicationibus inclinati, ut de contingente vos predictorum animalium seu fructuum eorumdem portione non teneamini cuiquam solvere decimas, nec possitis ad eas solvendas, vos aut dictorum animalium nutritores, pro dicta vestra portione compelli, vobis auctoritate presentium indulgemus, proviso quod nulla super hoc fraus aut malitia procuretur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, II kalendas februarii, anno tertio. »

1717 Latran, 14 février 1257.

Abbati et conventui monasterii Karoli Loci idem indulget. (Reg. 25, a. III, c. 130, f. 16v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Karoli Loci, Cisterciensis ordinis, Silvanectensis diocesis*. Presignis ordinis vestri religio fecunditate referta virtutum et meritorum conspicua sanctitate, necnon et devotionis sinceritas, quam reverenter et sedulo erga nos et Romanam exhibetis Ecclesiam, promerentur, ut vos apostolici favoris plenitudine prosequentes, vobis assidue nos reddamus ad gratiam liberales. Sane, sicut lecta nobis ex parte vestra petitio continebat, sepe contingit, quod vos de vestris animalibus societatem cum aliis contrahentes, ea ipsis ad certam partem custodienda traditis seu etiam nutrienda. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut de contingente vos predictorum animalium seu fructuum eorumdem portione non teneamini cuiquam decimas solvere, nec ad eas solvendas compelli possitis auctoritate vobis presentium indulgemus, proviso quod nulla super hiis fraus vel malitia committatur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, XVI kalendas martii, anno tertio. »

1718 Latran, 28 décembre 1256.

Johanni de Cameraco, canonico et procuratori ecclesiae

1. *Ms.* : Laudunensis.

et conventus monasterii Sancti Martini Laudunensis indulget ut pro expediendis negotiis dictorum conventus et ecclesiae, mutuum usque ad summam septingentarum marcarum sterlingorum contrahere valeat. Reg. 25, a. III, c. 131, f. 16v.

« *Johanni de Cameraco, canonico et procuratori ecclesie et conventus monasterii Sancti Martini Laudunensis, Premonstratensis ordinis.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expediendis negotiis ecclesie et conventus Sancti Martini Laudunensis, pro quibus ad Sedem Apostolicam accessisti, te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam septingentarum marcarum sterlingorum et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi dictam ecclesiam et conventum ac bona ipsius ecclesie, et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscumque tenoris in posterum impetrari contigerit, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem, ita tamen, quod ecclesia, conventus et successores eorum teneantur ad hujusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non persolverint memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi, quod pecunia ipsa in utilitatem conversa sit dictorum ecclesie et conventus, pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis; non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis, de quibus in nostris litteris fieri oporteat mentionem, et per que idem conventus et successores eorum valeant se tueri. Dat. Laterani, V kal. januarii, pontificatus nostri, anno tertio. »

1719 Latran, 8 février 1257.

Episcopo Briocensi, qui pro expediendis negotiis ipsius ecclesiae ad Sedem Apostolicam accesserat, et onera expensarum subiverat, ne eadem negotia inexpedita remanere contingat, concedit facultatem contrahendi mutuum usque ad summam mille et quingentarum librarum Turonensium, et obligandi usque ad summam hujusmodi se, suos successores, ac bona suae ecclesiae. Reg. 25, a. III, c. 132, f. 17; Potthast 16719.

« .. *episcopo Briocensi.* Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, VI idus februarii, anno tertio. »

1720 Latran, 29 avril 1257.

Abbati et conventui monasterii Casae Dei indulget, ut possint praelatis eorum ecclesias visitantibus denegare procurationem pro evectionibus vel personis, si numerum evectionum et personarum in Lateranensi concilio constitutum, forte praesumpserint excedere. Reg. 25, a. III, c. 133, f. 17.

« .. *abbati et conventui monasterii Case Dei, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Exigentibus vestre devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si ecclesiarum prelati numerum evectionum et personarum in Lateranensi concilio constitutum, cum ecclesias vestras visitaverint, excedere forte presumpserint, et pro evectionibus vel personis, in quibus excesserint eundem numerum, procurationem exegerint, liberum sit vobis pro illis procurationem hujusmodi denegare, et si forte propter hoc in ecclesias ipsas vel religiosos aut clericos ibidem morantes aliquam sententiam promulgaverint, ipsam decernimus non tenere. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Laterani, III kalendas maii, anno tertio. »

1721 Latran, 17 février 1257.

Prohibet ne judices a Sede Apostolica deputati possint, in causis ad privatas personas pertinentibus, ecclesias et parrochiam Castri Montis Ferrandi ecclesiastico interdicto supponere, in praejudicium omnium parrochianorum. Reg. 25, a. III, c. 134, f. 17.

« ..*priori monasterii Castri Montis Ferrandi, Claromontensis diocesis.* Exposita coram nobis tua petitio continebat, quod cum privatas personas Castri Montisferrandi coram judicibus a Sede Apostolica deputatis, vel subdelegatis eorum, aut delegatis a legatis dicte Sedis, seu ordinariis etiam conveniri contingit, frequenter iidem judices non solum in ipsas privatas personas, nec ejusdem terre habentes dominium, ob eorum delictum seu contumaciam, suspensionis vel excommunicationis sententias proferunt, verum etiam ecclesias et parrochiam dicti Castri, in qua eedem persone consistunt, ecclesiastico interdicto supponunt, mandantes cessari sic in predictis ecclesiis penitus a divinis in aliorum gravamen, qui delicti

hujusmodi fautores vel participes ullatenus non existunt, propterquod predicte ecclesie debitis fraudantur obsequiis et in eis cura negligitur animarum, super quo salubre adhiberi remedium per Sedis ipsius providentiam suppliciter postulasti. Nos igitur attendentes, quod pena tenere non debet quos a culpa reddit innocentia excusatos, quod predicti judices delegati vel subdelegati aut ordinarii, pro delicto vel contumacia hujusmodi privatarum personarum, prefatas ecclesias seu parrochiam ecclesiastico interdicto supponere nequeant, vel mandare in eis a divinis penitus abstinere, nisi forsitan ex mandati apostolici vel dictorum legatorum forma specialiter hoc haberent, tuis precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, XIII kalendas martii, anno tertio. »

1722 Latran, 20 février 1257.

Cum sint in ecclesia S. Aniani Aurelianensis quotidianae distributiones propter numerum praebendarum adeo tenues, quod ipsius ecclesiae canonici in ea non possint nec curent personaliter residere, decano et capitulo dictae ecclesiae indulget, ut proventus quatuor praebendarum ad dictas distributiones deputent. (Reg. 25, a. III, c. 135[1], f. 17; Potthast 16743.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Sancti Aniani Aurelianensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cotidiane distributiones ecclesie vestre, in qua sexagenarius et major etiam habetur numerus prebendarum, adeo sunt tenues et exiles, quod ipsius ecclesie canonici propter hoc in ea non possunt nec curant personaliter residere, propter quod dicta ecclesia debitis obsequiis defraudatur. Unde nobis humiliter supplicasti[s], ut providere in hac parte ipsi ecclesie apostolica diligentia curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, deputandi quatuor prebendas de hujusmodi multitudine prebendarum ejusdem ecclesie, quas primo vacare contigerit, earumque redditus et proventus ad predictas cotidianas distributiones, non obstantibus si aliqui in ipsa ecclesia in canonicos sunt recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus quoad assecutionem[1] aliarum prebendarum nolumus prejudicium generari, et quibuslibet apostolicis litteris super quorumlibet provisionibus impetratis, liberam vobis, auctoritate presentium, concedimus facultatem, proviso ne prebendas ipsas aut redditus et proventus illarum in alios usus convertere presumatis. Quod si presumpseritis, volumus hujusmodi factam vobis gratiam existere vacuam et inanem et presentes litteras nullam habere penitus firmitatem, statuentes nichilominus, ut eedem prebende ad statum pristinum revertantur, canonicis ipsius ecclesie more solito conferende. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1. *Ms.* : essecutionem.

1723 Latran, 20 février 1257.

Capicerio ecclesiae S. Aviti Aurelianensis mandat, quatenus supradictam indulgentiam ad effectum adduci procuret. (Reg. 25, a. III, c. 135[2], f. 17v.)

« .. *capicerio ecclesie S. Aviti Aurelianensis.* Ex parte dilecti filii —. Datum ut supra. »

1724 Latran, 25 février 1257.

Magistro Guillelmo de Brayo indulget, ut praeter decanatum Laudunensem, quem obtinet, unicum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 136, f. 17v.)

« *Magistro Guillelmo de Brayo, decano Laudunensi.* Licet ne quis plures ecclesias —. Dat. Laterani, V kal. martii, anno tertio. »

1725 Anagni, 13 octobre 1256.

Litteras confirmat, quibus Paschalis quondam papa abbati monasterii Casae Dei nonnulla jura concesserat. (Reg. 25, a. III, c. 137, f. 17v; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 657.)

« .. *abbati et conventui monasterii Case De[i], ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Devotionis vestre precibus inclinati, tenorem privilegii, quod felicis recordationis Paschalis papa predecessor noster monasterio vestro concessisse dinoscitur, de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto
« filio Aymerico abbati Case Dei ejusque successoribus
« regulariter substituendis in perpetuum. Ait gentium
« doctor apostolus Paulus : « Christi bonus odor sumus
« Deo in hiis, que pereunt et hiis, qui salvi sunt. »
« Hunc odorem Christi de vestro cenobio sentientes

« per Dei gratiam plurimi in Domino salutem consequun-
« tur. Unde et nos fidei vestre congratulamur, fide
« enim statis, et plures adhuc per bonum odorem
« vestrum salvos fieri exoptamus. Idcirco, tam tibi quam
« successoribus tuis, quorumdam monasteriorum, que
« a vobis longius absunt, ordinationem committimus.
« Statuimus enim, ut in Beati Marini monasterio, quod
« infra civitatem Papiensem situm est, in monasterio
« etiam Fraxinorensi, quod ab egregia comitissa
« Matildi vel ejus parentibus edificatum et beato
« Petro oblatum est, abbas semper per vestram sol-
« licitudinem ordinetur. Alias etiam abbatias, in
« quibus abbates hactenus instituere consuevistis, ob
« id ipsum, dispositioni vestre in perpetuum confirma-
« mus, videlicet Brantholme, Galliaci, Sancti Theodardi,
« ex quibus videlicet abbatibus si quis erga obedien-
« tiam vestram rebellis extiterit, liceat discretioni
« vestre disciplina eum regulari cohercere, nec episco-
« porum quisquam vobis in parte hac seposito depo-
« sitionis articulo adversetur. Preter hec Sancti
« Quirici ecclesiam, in Lucane urbis suburbio sitam,
« sicut a bone memorie Anselmo Lucano episcopo
« tradita est vestro in perpetuum monasterio possi-
« dendam, presentis decreti auctoritate corroboramus.
« Prioratum etiam Sancti Baudelii, et prioratum de
« Valle Transversa, et cetera omnia, que vestrum ce-
« nobium, largiente Deo, in hac prima indictione
« legitime possidet, vobis vestrisque successoribus
« quieta semper et integra permanere sancimus. Si
« quis autem, quod absit, huic nostre constitutioni
« pertinaciter contraire temptaverit, honoris et officii
« sui periculum patiatur, nisi presumptionem suam
« digna satisfactione correxerit. Amen. »

« Nolumus autem quod, per annotationem hujusmodi, aliquod jus de novo vestro monasterio acquiratur, sed antiquum sibi tantummodo conservari. Datum Anagnie, III idus octobris, anno secundo. »

1726 Latran, 12 février 1257.

J[acobo] patriarchae Jerosolymitano concedit, ut redemptiones votorum crucesignatorum et diversas restitutiones in regno Jerosolymitano possit percipere; insuper, cum Innocentius quondam papa jus percipiendi easdem redemptiones et restitutiones ubicumque locorum extra regnum Alamanniae, usque ad summam decem milium marcarum argenti, magistro et fratribus militiae Templi concesserit, eis in recompensationem indulget, ut dictam summam in Alamannia et aliis partibus extra dictum regnum Jerosolymitanum percipiant. (Reg. 25, a. III, c. 158, f. 17v; Rodenberg t. III, n° 450.)

« *J. patriarche Jerosolimitano*. Olim felicis recordationis I. papa predecessor noster dilectis filiis .. magistro et fratribus militie Templi Jerosolimitani concessit, ut de redemptionibus votorum crucesignatorum in Terre Sancte subsidium, quos a prosecutione voti sui paupertas, vel probabilis personarum debilitas, seu obtenta per Sedem Apostolicam dispensatio commutans in tale subsidium personalem executionem[1] voti hujusmodi excusarent, necnon et de usuris, rapinis et aliis quocumque modo illicite acquisitis, que fideles mandant restitui in ultima voluntate, vel dum vivunt, etiam si sospitate fruantur, restituere sunt parati, si quibus horum restitutio fieri debeat inveniri non possint, de testamentis quoque ipsorum fidelium, que legantur in subsidium dicte terre, non expressis locis aliquibus vel personis, usque ad summam decem milium marcarum argenti, ubicumque locorum extra regnum Alamanie percipere possent, certis super hoc eis executoribus deputatis. Nos autem postmodum, antequam ipsi magister et fratres, ut asserebant, perciperent summam hujusmodi, ex premissis tuis necessitatibus et expensis paterno compatientes affectu, quod redemptiones votorum et legata predicta in regno Jerosolimitano perciperes sub certa forma tibi duximus concedendum, et nolentes ex hoc inter te ac ipsos magistrum et fratres alicujus turbationis materiam suscitari, tuis inducti precibus in recompensationem gratie hujusmodi facte ipsis in dicto regno Jerosolimitano, eisdem magistro et fratribus per litteras nostras concessimus, ut in predicto regno Alamanie ac alibi ubicumque locorum preterquam in jamdicto regno Jerosolimitano, per se aut executores eosdem, percipere possent predicta omnia, in concessa eis ejusdem predecessoris concessione comprehensa, quousque perciperent ex eis integre quod adhuc percipiendum restaret de summa superius nominata. Cum autem, ut asseris, sepedicti magister et fratres in perceptione usurarum et rapinarum et illicite acquisitorum hujusmodi, de quibus nondum, ut asserunt, perceperunt aliquid in prenotato Jerosolimitano regno, tibi cedere sint parati, nos attendentes, quod, sicut te intimante didicimus, preter id quod gravatus es non modicum eris onere

1. *Ms.* : exactionem.

alieni, te formidantem Tartarorum adventum, pro ecclesie ac subditorum tuorum defensione, necnon et Terre Sancte subsidio subire oportet gravia onera expensarum, ad que subeunda patriarchatus tui redditus, utpote tenues et exiles, sufficere minime asseruntur, ac per hoc ex prerogativa dilectionis et gratie, qua, tuis meritis exigentibus, personam tuam complectimus, volentes alicujus subventionis solatio te gaudere, quod de supradictis usuris, rapinis et acquisitis illicite, possis in ea quantitate, quam jamdicti magister et fratres de hiis percepturi erant, et sub ea forma percipere, fraternitati tue auctoritate presentium indulgemus, ita quod si aliquid de premissis dimiseris vel restitueris aut dederis illis, a quibus ea receperis, hujusmodi dimissum vel restitutum seu datum nihil ad liberationem eorum prosit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, II idus februarii anno tertio. »

1727 Latran, 23 février 1257.

Cum Jacobo de Cawriolo scolari Brixiensis dioecesis, qui militiae clericali ascribi cupit, dispensat de defectu natalium, quem patitur. (Reg. 25, a. III, c. 139, f. 18.)

« *Jacobo de Cawriolo scolari Brixiensis diocesis.* Cum de conversatione laudabili et bonis moribus fidedignorum testimoniis commendatus, defectum natalium, quem pateris, de dilecto filio nobili viro Gualando, milite dilecti filii nobilis viri M. senatoris Urbis, tunc soluto genitus et soluta, redimas[1] insigniis probitatis, et ipsius G. merita, quibus Apostolice Sedi obsequiosum se exhibet ad dispensationis obtinendam gratiam te conforment, nos ejusdem G. supplicationibus inclinati, tecum, qui cupis, ut intelleximus, ascribi militie clericali, quod eodem non obstante defectu, ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium, etiamsi sit dignitas vel personatus et curam habeat animarum, obtinere possis, auctoritate presentium dispensamus, ita tamen, quod si ad episcopalem dignitatem te vocari contigerit, illam nequaquam recipias sine Apostolice Sedis licentia speciali. Nulli etc. nostre dispensationis etc. Datum Laterani, VII kalendas martii, anno tertio. »

1. Ms. : redimat.

1728 Latran, 22 février 1257.

Decano et capitulo Briocensibus notum facit, se electionem Radulfi officialis et canonici Briocensis in episcopum Briocensem confirmasse, eique munus consecrationis de suis manibus impendisse. Mandat eis, ut dicto episcopo obedientiam et reverentiam debitam impendant. (Reg. 25, a. III, c. 140[1], f. 18; Potthast 16744.)

« .. *decano et capitulo Briocensibus.* Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore Domino, continuum suscipiant incrementum. Sane Briocensis ecclesia dudum pastoris solatio destituta, vos, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia prout moris est invocata, demum in tres ex vobis providendi eidem ecclesie per electionem de pastore contulistis unanimiter potestatem, promittentes illum recipere, quem ipsi communiter de ipsius ecclesie gremio ducerent eligendum, qui, ejusdem ecclesie statu provida consideratione pensato, venerabilem fratrem nostrum Radulfum episcopum, tunc officialem et canonicum Briocensem, virum utique litteratum, morum honestate conspicuum, consilio providum, et in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in episcopum ipsius ecclesie canonice ac concorditer elegerunt. Vos autem quod per illos in hac parte factum extiterat communiter acceptantes, ad bone memorie .. archiepiscopum Turonensem, loci metropolitanum, sollempnes nuntios destinastis, petentes humiliter per eosdem, ut electionem hujusmodi confirmare metropolitica auctoritate curaret. Sed quia dictus archiepiscopus confirmare illam pro sue voluntatis libito in ipsius ecclesie prejudicium differebat, fuit ex parte ipsius episcopi propter hoc et ex causis aliis ad Sedem Apostolicam appellatum. Negotio igitur electionis ipsius ad examen Sedis ejusdem per appellationem hujusmodi devoluto, quia invenimus prefatam electionem de persona ydonea canonice celebratam, illam, de fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, duximus confirmandam, munus consecrationis ipsi episcopo de nostris manibus post-

modum impendentes. Ideoque universitati vestre mandamus, quatinus eundem episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, sibi obedientiam et reverentiam debitam impendatis, ejus monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani, VIII kalendas martii, anno tertio. »

1729 Latran, 22 février 1257.

In eumdem modum, clero civitatis et dioecesis Briocensis. (Reg. 25, a. III, c. 140², f. 18ᵛ.)

« *Clero civitatis et diocesis Briocensis*. Debitum officii nostri —. Ut in alia per totum usque in finem. »

1730 Latran, 22 février 1257.

In eumdem modum populo civitatis et dioecesis Briocensis. (Reg. 25, a. III, c. 140³, f. 18ᵛ.)

« *Populo civitatis et diocesis Briocensis*. Debitum officii nostri —. Dat. ut supra. »

1731 Latran, 22 février 1257.

Comitissae Marchiae et Engolismae mandat, quatenus dicto episcopo bona ecclesiae Briocensis, quae detinere dicitur, restituat. (Reg. 25, a. III, c. 140⁴, f. 18.)

« .. *comitisse Marchie et Engolisme*. Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines etc. ut in alia usque : impendentes. Ideoque nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus bona temporalia ecclesie Briocensis, que ad manus tuas detinere diceris, sibi vel procuratori suo ejus nomine prompta liberalitate ac celeritate restituas, ac facias sine difficultate qualibet assignari, et tam ipsum episcopum quam commissam sibi ecclesiam divine majestatis intuitu, pro nostra quoque et Apostolice Sedis reverentia, favore benivolo prosequaris, ita quod tibi exinde a Deo retributionis eterne premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Alioquin dilecto filio.. officiali Trecorensi, nostris damus litteris in mandatis, ut te ad debitam assignationem temporalium predictorum, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compellat. Datum ut supra. »

1732 Latran, 22 février 1257.

Officiali Trecorensi mandat, quatenus si dicta comitissa, apostolicum mandatum adimplere neglexerit, eam ad id per censuram ecclesiasticam compellat. (Reg. 25, a. III, c. 140⁵, f. 18ᵛ.)

« .. *officiali Treocorensi*. Debitum officii nostri —. Dat. ut supra. »

1733 Latran, 12 février 1257.

Intuitu R[iccardi], S. Angeli diaconi cardinalis, cujus Petrus Petri capellanus existit, ei indulget, ut praeter cantoriam ecclesiae Visensis, sine animarum cura, non excedentem valorem annuum novem marcarum sterlingorum, unicum aliud beneficium etiam curam animarum habens licite recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 140⁶, f. 18ᵛ.)

« *Petro Petri cantori Visensi*. Adjutos virtutum meritis —. Dat. Laterani, II idus februarii, anno tertio. »

1734 Latran, 2 février 1257.

Andreae abbati monasterii de Berola indulget, ut, non obstante quod eum conjugatus de soluta suscepit, possit ministrare in ordinibus susceptis et retinere abbatiam monasterii de Berola, quam canonice assecutus est, ac dignitatem episcopalem obtinere, si eum ad eandem contigerit evocari. (Reg. 25, a. III, c. 140⁷, f. 18ᵛ.)

« *Andree abbati monasterii de Berola, Cisterciensis ordinis, Tirasonensis diocesis*. De Apostolice Sedis consueta clementia —. Dat. Laterani, IIII nonas februarii, anno tertio. »

1735 Latran, 20 février 1257.

Confirmat sententiam a Willelmo de Brayo, decano Laudunensi, et a Gerardo de Aubermarla, Cameracensi canonico, latam, in quaestione quadam suborta, de prioratu de Heudrivilla, inter Egidium, dicti prioratus priorem, et quondam Thomam, abbatem monasterii Fidemiensis, cui supradictus prioratus subesse dinoscitur. (Reg. 25, a. III, c. 141, f. 18ᵛ.)

non sit jus alicui acquisitum, vel etiam impetrandas, ultra unam dietam extra tuam diocesim ad judicium nequeas evocari, nisi dicte Sedis littere impetrande plenam et expressam fecerint de hac indulgentia mentionem; presentibus post triennium minime valituris. Nulli etc. nostre concessionis. Datum Laterani, III kalendas martii, anno tertio. »

1743 Latran, 27 février 1257.

Cum quidam ex fratribus hospitalis S. Mariae Theutonicorum Jerosolymitani, officium, quod secundum ordinem fratrum Praedicatorum in ordine dicti hospitalis, ex concessione Sedis Apostolicae, observatur, ad quandam formam religioni suae congruam redegerint, quod in hac parte factum est confirmat, et inhibet, ne de praedicta forma ipsius officii, sine consensu majoris et sanioris partis ordinis, ullus aliquid de cetero immutare praesumat. (Reg. 25, a. III, c. 149, f. 19; Potthast 16754.)

« .. *magistro et conventui hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Jerusolimitani.* Pie conversationis et vite vestre merita nos inducunt, ut desideria vestra, in hiis que digne possumus, affectu benivolo compleamus. Sane divinum officium, quod secundum ordinem dilectorum filiorum fratrum Predicatorum, in ordine vestro, ex concessione Sedis Apostolice, prout accepimus, observatur, ad quandam formam secundum Deum religioni vestre congruam et salubrem, per quosdam ex fratribus vestris clericis utique timoratos et providos ac in spiritualibus circumspectos, cum magna diligentia et vigilanti studio est redactum. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod in hac parte factum est ratum habentes et firmum, id auctoritate apostolica de certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ut de predicta forma ipsius officii, que ad presens in eodem ordine vestro servatur, nullus sine consensu majoris et sanioris partis vestrum aliquid de cetero innovare vel immutare presumat; irritum etiam et inane decernimus, si contra hujusmodi confirmationem et inhibitionem nostram, secus fuerit attemptatum. Nulli etc. nostre confirmationis, inhibitionis, et constitutionis etc. Datum Laterani, III kalendas martii, anno tertio. »

1744 Anagni, 17 septembre 1255.

Universis prioribus et fratribus ordinis Cartusiensis indulget, ut ad praestationem aliquarum collectarum, subsidiorum et aliarum exactionum eis imponendarum non teneantur per litteras Sedis Apostolicae seu legatorum ejus, quae expressam de hujusmodi indulgentia mentionem non fecerint. (Reg. 25, a. III, c. 150, f. 19.)

« .. *Cartusie ac universis prioribus, et fratribus Cartusiensis ordinis.* Religionis vestre meretur honestas, ut vos speciali diligentes in Domino caritate, prosequamur gratia Sedis Apostolice ac favore. Sane tenuitatem vestrorum redditnum et proventuum sollicite attendentes, ac per hoc volentes alicujus relevationis solatio vos gaudere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad prestationem aliquarum collectarum, subsidiorum, et aliarum exactionum imponendarum vobis et domibus vestris a Sede Apostolica seu legatis ejusdem, aut ipsorum auctoritate ac mandato, non teneamini per litteras ipsius Sedis seu legatorum ejus, que plenam et expressam de indulgentia hujusmodi et ordine vestro non fecerint mentionem, etiamsi contineatur in eisdem litteris, ut id, quod[1] per eas mandatur, fiat aliqua indulgentia non obstante. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas occasione predictorum in vos communiter vel aliquos vestrum ab aliquo promulgari contigerit, decernimus non tenere. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie, XV kalendas octobris, anno primo. »

1745 Latran, 12 février 1257.

Guillelmo de Alarico, sacristae Valentino, indulget, ut in ecclesia de Vallibus, cujus rector existit, usque ad triennium per vicarium idoneum faciat deserviri, et ejusdem ecclesiae proventus integre percipiat, et ad faciendum in ea personalem residentiam cogi non possit. (Reg. 25, a. III, c. 151, f. 19v.)

« *Guillelmo de Alarico sacriste Valentino, capellano dilecti filii nostri R. Sancti Angeli diaconi cardinalis.* Inducunt nos tue devotionis merita et venerabilis fratris nostri .. episcopi Valentini devota supplicatio, ut personam tuam prosequamur gratia et favore. Hinc est quod nos, tuis et ipsius episcopi supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut possis in ecclesia de Vallibus, Terraconensis diocesis, cujus rector existis, quamque cum sacristia ecclesie Valentine ex dispensatione apostolica canonice obtines, usque ad triennium per idoneum

1. *Ms.* : quod id.

vicarium facere deserviri, et ejusdem ecclesie de Vallibus percipere cum integritate proventus, et interim ad faciendum in ea personalem residentiam a quoquam nequeas coartari, non obstantibus indulgentia Sedis Apostolice, qua venerabili fratri nostro.. archiepiscopo Terraconensi dicitur esse indultum, ut rectores ecclesiarum sue civitatis et diocesis possit compellere ad faciendam personalem residentiam in eisdem, seu aliquibus litteris a Sede impetratis eadem vel etiam impetrandis, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, II idus februarii, anno tertio. »

1746 Latran, 12 février 1257.

Camerario ecclesiae Dertusensis mandat, ut Guillelmo de Arbera, canonico Valentino, proventus ecclesiae de Maela, cujus rector existit, faciat ministrari, quamvis in dicta ecclesia dictus Guillelmus residentiam personalem non faciat. (Reg. 25, a. III, c. 152[1], f. 19v.)

« .. *camerario ecclesie Dertusensis*. Quia civitas et diocesis Valentine de novo redacte sunt ad cultum nominis Christiani, non modicum expedire videtur ecclesie Valentine, quod ipsius ministri personalem residentiam faciant in eadem, ut ipsorum fulta presidiis in spiritualibus et temporalibus salubriter dirigatur. Nos itaque consideratione hujusmodi et obtentu etiam venerabilis fratris nostri.. episcopi Valentini, dilecto filio Guillelmo de Arbera, canonico Valentino, pro quo idem episcopus apostolicam gratiam imploravit, per nostras duximus litteras indulgendum, ut residendo in dicta ecclesia possit in ecclesia de Maela, Cesaraugustane diocesis, cujus rector existit, usque ad quinquennium per idoneum vicarium facere deserviri, ac ipsius interim percipere cum integritate proventus, et ad faciendum in ea personalem residentiam nequeat coartari, non obstantibus indulgentia Sedis Apostolice, qua venerabili fratri nostro.. episcopo Cesaraugustano dicitur esse concessum, ut rectores et clericos ecclesiarum sue civitatis et diocesis compellere possit ad faciendum personalem residentiam in eisdem, seu aliquibus litteris a Sede impetratis eadem, vel etiam impetrandis, que de indulgentia hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem canonico predictos proventus, juxta hujusmodi concessionis nostre tenorem, facias per te vel per alium exhiberi. Contradictores etc. Datum Laterani ut supra. »

1747 Latran, 12 février 1257.

Guillelmo de Areyns, canonico Valentino, indulget, ut residendo in dicta ecclesia, faciat in ecclesia de Agebuto, Ilerdensis dioecesis, cujus rector existit, usque ad quinquennium per idoneum vicarium deserviri. (Reg. 25, a. III, c. 152[2], f. 19v.)

« *Camerario ecclesie Dertusensis*. Quia civitas —. Dat. ut supra. »

1748 Latran, 13 décembre 1256.

Magistro Petro de Castra indulget, ut in Bituricensi vel Carnotensi aut Autisiodorensi civitatibus, in quarum majoribus ecclesiis existit canonicus, possit insistere studio theologicae facultatis, et percipere proventus beneficiorum, quae possidet. (Reg. 25, a. III, c. 152[3], f. 19v.)

« *Magistro Petro de Castra, canonico Bituricensi*. Virtutum merita —. Dat. Laterani, idibus decembris, anno secundo. »

1749 Latran, 12 février 1257.

Episcopo Valentino indulget, ut omnes redditus beneficiorum, quae in dicta dioecesi usque ad triennium vacare contigerit, primo anno, quo vacabunt, possit integre percipere, in solutionem debitorum convertendos. (Reg. 25, a. III, c. 153, f. 19v.)

« .. *episcopo Valentino*. Cum, sicut tua petitio —. Dat. Laterani, II idus februarii, anno tertio. »

1750 Latran, 22 février 1257.

Patriarchae Jerosolymitano, Apostolicae Sedis legato, et capitulo ecclesiae Jerosolymitanae indulget, ut nullus cuicumque possit de personatibus vel praebendis seu aliis ecclesiasticis beneficiis ad eorum collationem aut praesentationem spectantibus providere per litteras Sedis Apostolicae, nisi hujusmodi litterae plenam et expressam de hac indulgentia fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 154, f. 19v.)

« .. *patriarche Jerosolimitano, Apostolice Sedis legato et capitulo ecclesie Jerosolimitane*. Illo vos et ecclesiam vestram affectu dilectionis amplectimur,

« *Egidio capellano nostro, priori prioratus de Houdrivilla, ordinis Sancti Benedicti, Laudunensis diocesis.* Cum a nobis petitur etc. usque : effectum. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod olim, occasione electionis de te in monasterio Fidesmensi, ordinis Sancti Benedicti, Cameracensis diocesis, cui prioratus de Heudrivilla, ejusdem ordinis, subesse dinoscitur, celebrate, et provisionis facte ipsi monasterio per venerabilem fratrem nostrum.. Cameracensem episcopum, loci diocesanum, auctoritate ordinaria de quondam Thoma abbate dicti monasterii, inter te ac ipsum Thomam questione suborta, demum quia timebatur ne idem monasterium pretextu questionis hujusmodi gravia in spiritualibus et temporalibus incurreret detrimenta, magistri Willelmus de Bravo, decanus Laudunensis, et Gerardus de Aubermarla, Cameracensis canonicus, quorum ordinationi partes, predicto episcopo ad hoc eisdem decano et canonico auctoritatem prestante, se totaliter submiserunt, de consensu ipsius episcopi et partium earumdem et conventus dicti monasterii ordinarunt, quod prioratum ipsum, cujus etiam tunc temporis prior eras, cum omnibus appenditiis suis retineas vita tua, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati ordinationem hujusmodi ratam et firmam habentes ac supplentes defectum, si quis in ea fuit, de apostolice plenitudine potestatis, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli [etc.] nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1736 Latran, 20 février 1257.

Abbati Cistercii ejusque coabbatibus, et conventibus universis Cisterciensis ordinis indulget, ut possint recipere ac ecclesiasticae tradere sepulturae corpora fidelium, qui apud eos sepulturam elegerint. (Reg. 25, a. III, c. 142, f. 18v.)

« .. *abbati Cistercii, ejusque coabbatibus, et conventibus universis Cisterciensis ordinis.* Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, vobis, auctoritate presentium, indulgemus, ut si fundatores domorum vestrarum vel quicumque alii fideles apud vos elegerint sepulturam, dummodo non sint excommunicati vel interdicti seu publice usurarii, ut eorum devotioni vel extreme voluntati nullus obsistat, liceat vobis ipsorum corpora, cum decedunt, non obstante alicujus contradictione temeraria, recipere, ac ecclesiastice tradere sepulture; salva tamen canonica justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1737 Latran, 20 février 1257.

Eisdem indulget, ut de bonis, quae monasteriis eorum totaliter offeruntur, nullam cogantur solvere portionem praelatis ecclesiarum, quarum donatores existunt parrochiani. (Reg. 25, a. III, c. 143, f. 18v.)

« *Eisdem.* Cum ea, que vobis pietatis intuitu offeruntur, quasi totaliter pauperibus Christi cedant, ita quod potius exinde vobis dispensationis onus incumbat, quam comoditatis usus accrescat, reputandum est non solum impium, set etiam abusivum, aliquid de datis vobis elemosinis aliquorum avaritia vel invidia defalcari. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod si quando fideles Christi aliqua de bonis suis mobilia vel inmobilia, devotionis obtentu, in vita sua, monasteriis vestris donant, ecclesiarum prelati, quorum parrocchiani donatores existunt, super hiis temere se opponunt, exigendo exinde certam aliquam portionem. Volentes igitur super hoc quieti vestre congruo remedio providere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut de hiis, que monasteriis vestris totaliter offeruntur, nullam cogamini solvere portionem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1738 Latran, 20 février 1257.

Plebano et capitulo plebis de Figino, propter magnum detrimentum, quod sustinuerunt, indulget, ut ad exhibendas aliquas procurationes pecuniarias aut alias exactiones legatis et nuntiis Sedis Apostolicae, absque speciali mandato dictae Sedis, aliquatenus compelli non possint. (Reg. 25, a. III, c. 144, f. 19.)

« .. *plebano et capitulo plebis de Figino, Fesulane diocesis.* Cum, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, in destructione plebis vestre ac quarumdam ecclesiarum subjectarum eidem, necnon et castri de Figino, magnum sustinueritis detrimentum, nos super hoc vobis paterno compatientes affectu, auctoritate

vobis presentium indulgemus, ut ad exhibendas aliquas procurationes pecuniarias aut alias exactiones legatis et nuntiis Sedis Apostolice, nisi fuerint sacrosancte Romane Ecclesie cardinales, sive alii de nostro latere destinati, vel ad contribuendum in eis, per litteras dicte Sedis compelli aliquatenus non possitis, absque speciali mandato Sedis ejusdem faciente plenam et expressam de indulgentia hujusmodi mentionem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1739 Latran, 20 février 1257.

Indulgentiam centum dierum concedit omnibus Christi fidelibus Fesulanae, Florentinae et Aretinae dioecesium subsidia erogantibus ad reedificandam de novo ecclesiam de Figine, quae a Florentinis funditus est destructa. (Reg. 25, a. III, c. 145, f. 19.)

« *Universis Christi fidelibus per Fesulanam, Florentinam et Aretinam civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait apostolus etc. usque : eternam. Cum igitur [sicut] dilectus filius .. plebanus et capitulum plebis de Figine, Fesulane diocesis, sua nobis insinuatione monstrarunt, ipsi ecclesiam ipsorum, que a Florentinis funditus est destructa, intendant reedificare de novo, et ad id eis proprie non suppetant facultates, universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus de bonis vobis collatis a Deo, pias elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus hujusmodi valeat consumari, et vos per hoc et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia etc. usque : adjutricem centum dies de injuncta [etc.] usque : relaxamus. Presentibus post quinquennium etc. quas mitti etc. Datum Laterani ut supra. »

1740 Latran, 25 février 1257.

Consulibus et communi Montis Pessulani notum facit Joannem Tabernarium et Stephanum Capsani camerae suae satisfecisse de tribus millibus trecentis et quinquaginta duobus obolis aureis simplicibus a dicta communitate Sedi Apostolicae debitis. (Reg. 25, a. III, c. 146, f. 19.)

« *Consulibus et communi Montis Pesulani.* Tenore vobis presentium volumus esse notum, quod dilecti filii Johannes Tabernarius et Stephanus Capsani, nuntii vestri, ad Sedem Apostolicam accedentes, de tribus milibus trecentis et quinquaginta duobus obolis aureis simplicibus, in quibus pro censu preteritorum annorum computato presenti vestra nobis communitas tenebatur, camere nostre satisfacere integre, vestro nomine, curaverunt. In cujus rei testimonium, presentes vobis litteras duximus destinandas. Datum Laterani, X kalendas martii, anno tertio. »

1741 Latran, 31 janvier 1257.

Consulibus et universitati hominum Montis Pessulani indulget, ut nulli eorum extra Montem Pessulanum vel dioecesim Magalonensem, super hiis, quae infra ipsam habent, trahi possint in causam per litteras Sedis Apostolicae seu legatorum ipsius. (Reg. 25, a. III, c. 147, f. 19.)

« *Consulibus et universitati hominum Montis Pesulani, Magalonensis diocesis.* Per devotionis sincere ac fidei studia dicimini meruisse, ut Sedis Apostolice providentia vos speciali prosequatur gratia et favore, petitionibus vestris, quantum cum Deo potest, oportunis temporibus facile annuendo. Hinc est quod nos vestris devotis precibus benignum accomodantes assensum, ut vos seu aliqui de universitate vestra, extra Montem Pesulanum vel diocesim Magalonensem, super hiis, que infra ipsam habetis, trahi non possitis in causam per litteras Sedis Apostolice vel legatorum ipsius, nisi littere Sedis ejusdem plenam et expressam de indulgentia hujusmodi mentionem fecerint, vobis et singulis vestrum auctoritate presentium indulgemus. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Presentibus post triennium minime valituris. Datum Laterani, II kalendas februarii, anno tertio. »

1742 Latran, 27 février 1257.

Episcopo Trecorensi indulget, ut per Apostolicae Sedis vel legatorum ipsius litteras, ultra unam dietam extra Trecorensem dioecesim, ad judicium nequeat evocari. (Reg. 25, a. III, c. 148, f. 19.)

« *H. episcopo Trecorensi.* Tue querentes pacis commodum et quietis, libenter ea tibi concedimus, per que, materia submota gravaminis, status tui tranquillitas procuretur. Hinc est quod, tuis precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut per Apostolice Sedis vel legatorum ipsius litteras impetratas, per quas

ut petitionibus vestris quantum cum Deo possumus favorem benivolum largiamur, ea vobis concedendo precipue, que vos et ecclesiam ipsam possunt a vexationis et scandali materia preservare. Hinc est quod nos, vestris devotis supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, quod ad receptionem vel provisionem alicujus non possitis compelli, nec aliquis cuiquam possit de personatibus vel prebendis seu aliis ecclesiasticis beneficiis ad vestram collationem aut presentationem spectantibus providere per litteras Sedis Apostolice vel legatorum ipsius impetratas, per quas jus alicui non fuerit acquisitum, seu etiam impetrandas, nisi hujusmodi littere apostolice impetrande plenam et expressam de hac indulgentia fecerint mentionem. Nos enim omnes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas contigerit contra ipsius indulgentie tenorem proferri, decernimus irritas et inanes. Nulli [etc.] nostre concessionis, et constitutionis etc. Datum Laterani, VIII kalendas martii, anno tertio. »

1751 Latran, 9 janvier 1257.

Priori et praelatis aliis ordinis Camaldulensis indulget, ut non teneantur respondere per litteras apostolicas contra quosdam fratres dicti ordinis impetratas, quae de ordine ipso expressam non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 155, f. 19v; Potthast 16665.)

« .. *priori et prelatis aliis ordinis Camaldulensis.* Cum, sicut asseritis, gravis nimis existeret, quod vos, pro qualibet ordinis vestri domo, specialem procuratorem apud Sedem Apostolicam haberetis, et unus, si constitueretur pro universitate ordinis, omnibus precavere non posset, cum nonnumquam contra fratres vestri ordinis apostolice littere, nulla de ordine ipso mentione habita, impetrentur, nos vestris precibus inclinati, obviare vestris molestiis et quieti providere volentes, ad instar felicis recordationis G. pape predecessoris nostri, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut super hiis, que vobis a Sede Apostolica sunt indulta, non teneamini vos et alii predicti ordinis fratres per illas litteras respondere, que de ordine ipso expressam non fecerint mentionem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, V idus januarii, anno tertio. »

1752 Latran, 3 mars 1257.

Confirmat litteras, quibus abbas et conventus monasterii Casae Dei, Joanni de Camezano in personale beneficium, de camera dicti monasterii annuam pensionem decem librarum Viennensium concedunt. (Reg. 25, a. III, c. 156, f. 20.)

« *Magistro Johanni de Camezano, capellano nostro, ac nostrarum contradictarum auditori.* Ex tuis et progenitorum tuorum meritis provenit, ut in hiis, que digne postulas, nos sentias ad gratiam liberales. Cum igitur dilectus filius.. abbas monasterii Case Dei, Claromontensis diocesis, ordinis Sancti Benedicti, tibi in personale beneficium, decem librarum Viennensium concesserit annuam de camera sui monasterii pensionem, ad solutionem ipsius annuatim certis terminis se et successores suos ac monasterium ipsum, de sui conventus assensu, nichilominus obligando, prout in litteris inde confectis et ipsius abbatis sigillo munitis plenius continetur, nos tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc per abbatem ipsum dictumque conventum in hac parte factum est gratum et ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Le Puy, 12 août 1254.

« Noverint universi presentes litteras inspecturi, « quod nos B. Dei gratia abbas monasterii Case Dei, « Claromontensis diocesis, de consensu et voluntate « conventus nostri, inspectis meritis et utilitate, que « per venerabilem virum magistrum Johannem de « Camezano, summi pontificis nepotem et capellanum, ac ejusdem contradictarum auditorem poterit « nostro monasterio provenire, ob reverentiam domini « pape, per nos ac successores nostros, nos ac monasterium ipsum in personali beneficio eidem magistro « obligari volumus in decem librarum Viennensium « annua pensione de bursa nostra, donec prefato magistro in certo loco dictam pensionem duxerimus « assignandam, de qua pensione medietatem singulis « annis in festo Omnium Sanctorum, et aliam in festo « beati Roberti, predicto magistro vel ejus certo nuntio, reddere promittimus, difficultate qualibet pretermissa. In cujus rei testimonium et ad fidem « pleniorem in posterum faciendam, presentes litteras « dicto nepoti concessimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum apud Anicium, II idus augusti, « anno Domini M.CC.LIIII. »

Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Laterani, V nonas martii, anno tertio.

1753 Latran, 28 février 1257.

Confirmat sententiam ab O[ctaviano] S. Mariae in Via Lata diacono cardinali latam in quaestione orta inter Petrum episcopum Aquinatensem ex una parte, et magistrum Joannem de Ponte Curvo ex altera, super ecclesia S. Mariae de Canonica, prope Pontemcurvum. (REG. 25, a. III, c. 157, f. 20.)

« *Petro episcopo Aquinati.* Ea que judicio etc. usque : communiri. Sane presentata nobis ex parte tua petitio continebat, quod cum inter te et magistrum Johannem de Pontecurvo, scriptorem nostrum, dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis capellanum, super ecclesia Sancte Marie de Canonica, posita prope Pontecurvum, Aquinatis diocesis, quam idem cardinalis, dum in regno Sicilie legationis officio fungeretur, fecit eidem capellano conferri, questio fuisset exorta, tandem tibi et eidem magistro constitutis in nostra presentia cardinalem ipsum dedimus auditorem. Cum autem in cardinalem eumdem, lite coram eo legitime contestata, factis positionibus et responsionibus subsecutis, receptis quoque testibus et attestationibus publicatis, fuisset ab eodem Johanne ac Constantio procuratore tuo, a te ad compromittendum habente speciale mandatum, tanquam in arbitrum arbitratorem et amicabilem compositorem, sub certa pena, juramento hinc inde prestito, super hoc concorditer compromissum, idem cardinalis, a nobis petita licentia et obtenta statuendi, ordinandi, et diffiniendi, prout sibi et utilitati partium expedire videret, cognitis cause meritis, de speciali mandato nostro precepit, statuit, ordinavit et diffinivit, quod tu vel successores tui quinque uncias auri annuatim des et solvas, vel dari et solvi facias prefato magistro, vel ejus procuratori aut nuntio, in festo Purificationis beate Virginis, nomine pensionis, quousque in beneficio vel beneficiis, quod vel que idem magister J. duxerit acceptanda, valoris annui decem unciarum, per te vel successores tuos, provisum existat, tibi et mense Aquinati in perpetuum dictam ecclesiam cum omnibus pertinentiis, juribus corporalibus et incorporalibus et capellis suis, quas episcopi Aquinates cum dicta ecclesia consueverunt ad mensam propriam retinere, salvo tamen jure, si quod in capellis ipsis obtinet .. archipresbyter Pontiscurvi, sententialiter adjudicans et episcopali mense Aquinati perpetuo annectens de nostro beneplacito et mandato, prout in instrumento publico inde confecto, dicti cardinalis sigillo signato, plenius continetur. Nos igitur, tuis devotis precibus inclinati, preceptum, statutum, ordinationem, seu diffinitionem hujusmodi provide facta, rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem ejusdem instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Rome, 10 février 1257.

« In nomine Domini. Amen. Universis presens instru-
« mentum et litteras inspecturis, Octavianus, misera-
« tione divina, Sancte Marie in Via Lata diaconus
« cardinalis, salutem in Domino. Cum inter venera-
« bilem patrem.. episcopum Aquinatem, sive procura-
« torem ipsius ex parte una, et magistrum Johan-
« nem de Pontecurvo, domini pape scriptorem,
« capellanum nostrum, ex altera, occasione provisio-
« nis ecclesie Sancte Marie de Canonica prope Pontem-
« curvum, Aquinatis diocesis, quam eidem magistro
« fecimus, dum in regno Sicilie legationis officio fun-
« geremur, orta esset materia questionis, tandem
« nos predictis concessit dominus papa partibus au-
« ditorem. Unde per eundem magistrum J. et Cons-
« tantium canonicum Aquinatem, predicti episcopi
« procuratorem, coram nobis libello oblato, cujus
« tenor talis est :

Capoue, 8 novembre 1256.

« Coram vobis venerabili patre domino O. Sancte
« Marie in Via Lata diacono cardinali partibus audi-
« tore concesso, proponit magister J. de Pontecurvo,
« domini pape scriptor, contra venerabilem patrem
« episcopum Aquinatem, quod licet ecclesia Sancte
« Marie de Canonica prope Pontecurvum sibi per
« vos canonice collata fuisset, tamen dictus episco-
« pus, non absque juris injuria, ipsum magistrum
« impedit et molestat, quominus idem magister pos-
« sessionem ipsius ecclesie nancisci[1] possit, ac idem
« episcopus dictam ecclesiam in prejudicium dicti
« magistri contra justitiam detinet occupatam ; unde
« petit per vos, pater sancte, se in possessionem vel
« quasi ipsius ecclesie cum pertinentiis et juribus
« suis induci et inductum defendi, amoto ab ea epis-
« copo supradicto, et hoc petit cum fructibus percep-
« tis et percipiendis, quos extimat sex uncias. Item
« petit expensas, quas extimat sex uncias et protes-

1. *Ms.* : nameisci.

« tatur faciendas, salvo jure etc. Lite quoque super « ipso coram nobis legitime contestata, juramento « hinc inde prestito de veritate dicenda, factis posi- « tionibus et responsionibus subsecutis, receptis tes- « tibus ac etiam publicatis et in omnibus, usque ad « diffinitivam sententiam, juris ordine observato, eli- « gentes potius viam concordie quam judicium expec- « tare, in nos idem magister pro se et Constantius, « procuratorio nomine pro ipso episcopo, habens ad « compromittendum super predictis speciale manda- « tum, cujus mandati tenor talis est :

« Noverint universi presentes litteras inspecturi, « quod nos Petrus, Dei gratia episcopus Aquinas, faci- « mus et constituimus dilectum socium et familiarem « nostrum presbiterum Constantium de Sancto Patre, « Aquinatem canonicum, generalem procuratorem nos- « trum in Romana curia, in omnibus causis, quas habe- « mus ibidem vel nos habere contigerit, et specialiter « in causis, quas habemus cum magistro Johanne dicto « Picano, domini pape scriptore, archipresbitero Pon- « tiscurvi, super ecclesia Sancte Marie de Canonica et « rebus aliis, ad agendum, defendendum, responden- « dum, excipiendum, replicandum, cujuslibet gene- « ris sacramentum in anima nostra prestandum, « componendum, paciscendum, in arbitros vel com- « positores amicabiles compromittendum, beneficium « restitutionis in integrum quotienscumque necesse « fuerit petendum, sententiam audiendum, arbitrium « vel amicabilem compositionem accipiendum vel acci- « piendam, ad appellandum ad judices eligendos et « ad omnia et singula faciendum, que verus et legi- « timus procurator facere potest et debet vel nos in « propria persona deberemus facere vel possemus, pro- « mittentes nos ratum habiturum et firmum quicquid « idem procurator super premissis vel aliquo premisso- « rum duxerit faciendum. In cujus rei testimonium « presentes litteras procuratori predicto concessi- « mus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum Capue, « anno Domini M.CC.LVI, mense novembri, VIII die « mensis ejusdem, indictione XV.

« Tamquam in arbitrum, arbitratorem, ordinatorem, « ac amicabilem compositorem, sub certa pena jura- « mento hinc inde prestito, compromittere curave- « runt. Unde nos a partibus recepto hujusmodi com- « promisso, petita et obtenta a domino papa licentia « statuendi et ordinandi, prout nobis et utilitati « partium videbitur expedire, de ipsius domini pape « speciali mandato, precipimus, statuimus, ordinamus « et amicabiliter diffinimus, quod idem episcopus « Aquinas, vel successores ipsius, quinque uncias « auri annuatim det et solvat, dari et solvi faciat, in « festo Purificationis, nomine pensionis, magistro « Johanni predicto vel ejus procuratori aut nuntio, « quousque in beneficio vel beneficiis, quod vel que « idem magister J. duxerit acceptanda, valoris annui de- « cem unciarum, sibi provisum existat per episcopum « memoratum vel successores ejusdem, eidem epis- « copo sive mense episcopali dictam ecclesiam cum « omnibus pertinentiis, juribus corporalibus et incorpo- « ralibus et capellis suis, quas episcopi Aquinates cum « dicta ecclesia consueverunt ad mensam propriam « retinere, salvo tamen jure, si quod habet in capellis « predictis archipresbyter loci ejusdem, sententialiter « adjudicantes, et mense episcopali, de speciali ipsius « domini pape mandato, perpetuo unientes. Et ut « nostra ordinatio, pronuntiatio sive sententia firmius « observetur, dictum episcopum et successores suos, « donec de beneficio vel beneficiis, quod vel que dic- « tus magister duxerit acceptanda, per eum vel eos « sibi provisum extiterit, a collatione beneficiorum, « usque ad summam quantitatis predicte, duximus « suspendendos, precipientes, statuentes ac etiam « ordinantes, de ipsius domini speciali mandato, ut pro « quibuslibet duabus unciis, quas idem magister in « beneficio acceptato receperit, una de pensione annua « minuatur, reservata nobis interpretatione super pre- « dictis, si qua inter eos aliquando dubietas oriretur, « ab impetitione expensarum factarum hinc inde eos « ad invicem absolventes et decernentes irritum et « inane si quid contra ordinationem, pronuntiationem, « sive sententiam ac suspensionem hujusmodi fuerit « attemptatum. In cujus rei testimonium, presentem « ordinationem sigilli nostri fecimus appensione mu- « niri. Lata fuit hec ordinatio sive pronuntiatio in « Urbe, in hospitio predicti domini cardinalis, sub anno « Domini M.CC.LVII, indictione XV, mense fe- « bruario, die X intrante, presentibus domino Uberto « de Cocanato, domini pape capellano, magistro Ra- « dulpho de Podio Bonizii, domino Ubertino clerico « de Montedomo, et notario Johanne de Campulo, « familiaribus jamdicti domini cardinalis, testibus « ad hec vocatis. Ego Zambrasius de Burgo Sancti « Laurentii, Florentine diocesis, imperiali auctoritate « notarius, predicte ordinationis pronuntiationi inter-

« fui et de mandato venerabilis patris domini O. car- « dinalis prefati, scripsi et in publicam formam re- « degi. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Laterani, II kalendas martii, anno tertio. »

1754 Latran, 5 mars 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam cathedralem Civitatis Castellanae in honore beatae Mariae Virginis fundatam in festo Assumptionis ejusdem Virginis et in septem diebus festum ipsum immediate sequentibus singulis annis visitaverint, unum annum et quadraginta dies de injuncta paenitentia relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 158, f. 21.)

« .. *archipresbitero et capitulo ecclesie cathedralis Civitatis Castellane.* Divina sapientia rationis —. Dat. Laterani, III nonas martii, anno tertio. »

1755 Latran, 27 février 1257.

Episcopo Virdunensi indulget, ut Theobaldo comiti Barri Ducis concedat facultatem convertendi in constructionem cujusdam hospitalis omnia bona a parentibus ejus legata et ad pios usus indeterminate eroganda. (Reg. 25, a. III, c. 159, f. 21.)

« .. *episcopo Virdunensi.* Ex parte dilecti filii nobilis viri Theobaldi comitis Barri Ducis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum quondam parentes ipsius quedam bona ad ipsos spectantia, indistincte et indeterminate, non expressis locis aliquibus vel personis legaverint, et per executores testamentorum suorum in pios usus mandaverint erogari, convertendi omnia bona ipsa in constructionem cujusdam hospitalis, in quo recipiantur pauperes et infirmi, sibi licentiam concedere curaremus. Nos igitur ejusdem nobilis laudabile propositum in hac parte favore benivolo prosequentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dicto nobili, faciendi hoc de executorum ipsorum, si superstites fuerint, alioquin de tuo consilio et assensu concedas liberam facultatem. Datum Laterani, III kalendas martii, anno tertio. »

1756 Latran, 25 février 1257.

Archiepiscopo Remensi mandat, ut Thomam de Albomonte, clericum, nepotem comitis Barri Ducis, qui nullum est adhuc ecclesiasticum beneficium assecutus, in ecclesia Remensi recipi faciat in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 160, f. 21.)

« .. *archiepiscopo Remensi.* Cum dilectus filius Thomas de Albomonte —. Dat. Laterani, V kal. martii, anno tertio. »

1757 Latran, 4 mars 1257.

Rogero decano S. Salvatoris Metensis confirmat indulgentiam Innocentii, quondam papae, ut decanatum et praebendam, quae possidet in ecclesia S. Salvatoris, una cum canonicatu ecclesiae Metensis retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 161, f. 21.)

« *Rogero decano Sancti Salvatoris Metensis.* Exposuisti nobis, quod felicis recordationis —. Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno tertio. »

1758 Latran, 1er mars 1257.

Rogero decano ecclesiae S. Salvatoris Metensis, ad instar Innocentii quondam papae, indulget, ut decanatum et praebendam, quae in ecclesia S. Salvatoris Metensi possidet, una cum canonicatu et praebenda ipsius Metensis ecclesiae, licite retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 162, f. 21v.)

« *Rogero decano ecclesie Sancti Salvatoris Metensis.* Probitatis tue —. Dat. Laterani, kal. martii, anno tertio. »

1759 Latran, 28 février 1257.

Confirmat quamdam bonorum permutationem factam inter N. Frangipanem stipulantem pro se, pro patre et pro fratre suis, ex una parte, et Jacobum abbatem monasterii S. Petri de Perusio, ex altera. (Reg. 25, a. III, c. 163, f. 21v.)

« .. *Frangipani, civitatis Perusine.* Consuevit Sedes Apostolica precibus condescendere devotorum et eorum votis favorem benivolum impertiri. Cum itaque, sicut lecta nobis tua petitio continebat, pro te et quondam patre ac fratre tuis, cum quondam.. abbate monasterii Sancti Petri Perusini, ordinis Sancti Benedicti, quendam permutationis contractum super quadam camera et rebus aliis celebraris, prout in publico instrumento confecto exinde, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur, nos tue devotionis precibus inclinati, permutationem eandem ratam habentes et gra-

tam, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem ipsius instrumenti talis est :

28 décembre 1240.

« In nomine Domini et individue Trinitatis. Amen. « Anno Domini M.CC. quadragesimo, die quarto « exeunte mensis decembris, indictione XIII[a], tem- « pore domini Gregorii noni pape, donnus Jacobus « abbas monasterii Sancti Petri de Perusio, nomine « dicti monasterii, presentibus et consentientibus et « volentibus donno Hondedeo camerario, donno « Tebaldo, donno Bernardo, donno Domestico, donno « Bonajuncta, donno Ufreducio, donno Michele, « donno Philippo, et donno Angelo, monachis dicti « monasterii, pro se suisque successoribus, pro « utilitate et melioramento dicti monasterii dedit et « tradidit, titulo permutationis et cambii, Frangipani « Vitalis stipulanti pro se et pro Ugnitione fratre « suo et Vitale patre ipsorum, eorumque heredibus, « unam cameram positam in civitate Perusina juxta « mercatum, cui de antea ipsum mercatum, ab uno « latere Rigones et dicti Frangipanis et frater et « pater ejus, et ab alio latere iidem Frangipanis et « Uguitio et Vitalis, et de retro Jacobus Martoli tenent ; « que camera est computatis muris de antea et « de retro de septem pedibus et per longum de « triginta pedibus, cum superioribus et inferioribus « finibus, accessibus et egressibus suis, usque in vias « publicas, omnique jure et actione, usu seu requi- « sitione et accessione dicto monasterio ex dicta re « competenti, ad habendum, tenendum, possidendum, « et quicquid eis eorumque heredibus deinceps pla- « cuerit faciendum, confirmans eis possessionem, quam « ex ea habent, et dedit, cessit et concessit atque « mandavit per se suisque successoribus, dicto Fran- « gipani stipulanti pro se et dictis fratre et patre « suis eorumque heredibus, omne jus, omnemque « actionem et rationem utilem et directam, realem « et personalem seu mixtam, quod et quam dictum « monasterium habet vel habere videtur quoquomodo « in[1] dicta camera et versus omnes et singulas per- « sonas hominum, occasione ipsius camere, et ut « eorum proprio nomine possint ejus occasione in « qualibet curia agere, respondere, excipere, repro- « bare et se tueri, confitendo, negando et alia « omnia et singula faciendo, que viderint expedire, « ipsos procuratores constituit inter eorum[... , ponens « eos inde in locum suum et dicti monasterii ; pro qua « camera et permutatione ipsius et omnibus singulis « predictis confitetur se recepisse pro dicto monas- « terio et nomine ipsius monasterii a dicto Frangipane « dante pro se et dictis suis fratre et patre, nomine « permutationis et cambii, unum tenimentum terre et « vinee positum in pertinentiis Sancte Marie Rubee, « in loco qui dicitur Bagnolum Arogetis, infra hos « fines, cui a primo latere tenet Mainardus Impera- « toris et ab alio filius Amedei et filius Stofollii et « ipse Mainardus, et ab alio Hermannus et filius « Guidocti et Guaranguus, et a pede fossatum, quod « tenimentum emit a Ranerio a Padrini, et si qui alii « sunt ei confines, de quo consueverunt reddi sin- « gulis annis quadraginta corbes spelte et reddere « tenentur laboratores ipsius ex publico instrumento, « renuntians non habiti et recepti dicti cambii pro « dicto monasterio boni et meliorati et privilegio « clericali, et renuntians[1] quod non opponet nec « petet restitutionem in integrum adversus predic- « ta vel aliquod predictorum, et constitutioni de « duabus dictis, et omni alii occasioni, exceptioni et « auxilio juris, consuetudinis et statuti, asserens « quod ipse vel ejus predecessores nulli persone ho- « minum de dicta camera vel parte ipsius dederunt « nec concesserunt aliquod jus, vel occasionem, que « huic contractui vel eis noceat, et si datam[2] apparebit « aliquo tempore vel concessam, promisit pro se « suisque successoribus dicto Frangipani stipulanti « pro se, pro dictis suis fratre et patre, eorumque « heredibus, ipsos et eorum heredes et bona et res « inde omni tempore conservare indempnem et dic- « tam rem ab omni persona hominum defendere, « quietare, guarentare, auctorizare ac disbrigare ab « omni litigatione, persona, omnibus pignoribus, « expensis et advocatis dicti monasterii, et dampna « omnia et expensas exinde competituras in curia et « extra curiam reficere. Que omnia et singula promi- « sit pro se suisque successoribus dicto Frangipani « stipulanti pro se et dictis suis fratre et patre, eorum- « que heredibus, facere, attendere et observare et non « contrafacere nec venire aliquo tempore, aliqua occa- « sione vel exceptione, sub pena dupli extimationis « ipsius camere, ab eo eis sollempni stipulatione pro-

1. *Ms.* : et.

1. *Ms.* : renuntiant.
2. *Ms.* : dadam.

« missa in quolibet capitulo committenda, quam penam « si ipse vel ejus successores predicta omnia et sin- « gula non observarent, eidem Frangipani stipulanti « pro [1] se et dictis suis fratre et patre, eorumque « heredibus dare et solvere promisit, sub obligatione « bonorum dicti monasterii, et ea pena soluta vel non « soluta, omnia et singula predicta firma permaneant. « Actum in claustro dicti monasterii, coram domino « Guidone de Montesporello, domino Bonocomite « Ugnitionis Vilani, domino Johanne Rusticelli, Vivolo « de Olmeto. Ego Ranucius, imperialis aule notarius, « predictis omnibus interfui et rogatus scripsi et pu- « blicavi. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis, etc. Datum Laterani, II kalendas martii, anno tertio. »

1760 Latran, 7 mars 1257.

Episcopo Ferrariensi indulget, ut dummodo abbati et conventui monasterii S. Salvatoris Papiensis persolvat quemdam canonem per viginti annos retentum, et in futurum illum eis exhibeat, nullum ecclesiae Ferrariensi, hac occasione praejudicium generari valeat. (Reg. 25, a. III, c. 164 [1], f. 22.)

« .. *episcopo Ferrariensi*. Tua nobis fraternitas intimavit, quod.. abbas et conventus monasterii Sancti Salvatoris Papiensis, ad Romanam Ecclesiam immediate spectantis, ordinis Sancti Benedicti, recepta dudum a bone memorie G. Ferrariensi episcopo, predecessore tuo, quadam pecunie quantitate, sibi et successoribus suis in perpetuum curtem Mellarie cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ad monasterium ipsum spectantem, positam in Ferrariensi diocesi, sub certo censu annuo concesserunt. Verum, cum tam tu quam [2] predecessores tui, per viginti annos et amplius, duxeritis in hujusmodi canonis solutione cessandum, nobis humiliter supplicasti, ut Ferrariensi ecclesie super hoc providere misericorditer curaremus. Nos igitur attendentes, quod delictum persone non debet in dampnum ecclesie redundare, presentium tibi auctoritate concedimus, ut dummodo prefato monasterio de toto preterito tempore canonem retentum persolvas, et in futurum illud exhibeas monasterio memorato, nullum per hoc eidem ecclesie prejudicium generetur. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Dat. Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1. *Ms.* : pre.
2. *Ms.* : quas.

1761 Latran, 5 mars 1257.

Priori S. Romani Ferrariensis notum facit se episcopo Ferrariensi concessisse, ut dummodo abbati et conventui monasterii S. Salvatoris Papiensis persolvat quemdam canonem per viginti annos retentum et in futurum illum eis exhibeat, nullum ecclesiae Ferrariensi, hac occasione praejudicium generari valeat. (Reg. 25, a. III, c. 164 [2], f. 22.)

« .. *priori Sancti Romani Ferrariensis*. Venerabilis frater noster —. Dat. Laterani, III nonas martii, anno tertio. »

1762 Latran, 1er mars 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Martini Nivernensis, ordinis S. Augustini, indulget, ut per apostolicas litteras ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur nec compelli possint, nisi eedem litterae de hac indulgentia fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 165, f. 22.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Martini Nivernensis, ordinis Sancti Augustini*. Vestre pacis querentes comodum et quietis, libenter vobis illa concedimus, per que, materia submota gravaminis, status vestri tranquillitas procuretur. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per Apostolice Sedis vel legatorum ipsius litteras impetratas generales seu etiam speciales, per quas non sit jus alieni acquisitum, vel etiam impetrandas, ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneamini, nec compelli possitis, nisi eedem littere apostolice impetrande de hac indulgentia fecerint mentionem, etiamsi contineatur in ipsis, quod earum impetratoribus qualibet dicte Sedis indulgentia non obsistat. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, kalendis martii, anno tertio. »

1763 Latran, 7 mars 1257.

Cum Alberto de Winzenheim dispensat, ut ecclesias de Winzenheim et de Egisheim, Basiliensis dioecesis, quae quadraginta librarum Argentinensis monetae valorem habent, una cum canonicatu ecclesiae Lumbacensis valeat retinere. (Reg. 25, a. III, c. 166, f. 22; Bernoulli, *Acta pontif. Helvetica*, t. I, 662.)

« *Alberto de Winzehem, canonico Lumbacensi, Basiliensis diocesis*. Cum, sicut dicaris —. Dat. Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1764 Latran, 20 février 1257.

Statuit terram Aquilae esse de cetero civitatem, ac eidem concedit episcopalem dignitatem, atque Furconensem sedem ad ecclesiam S. Maximi et S. Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem esse decernit, transfert, constituendo, ut de cetero loci praesul non Furconensis sed Aquilensis episcopus nominetur. Reg. 25, a. III, c. 167, f. 22 ; Potthast 16740.

« *Communi Aquilensi, fidelibus nostris in perpetuum.* Pure fidei claritate conspicua terra vestra et lucidis in se ac magnificis proficit actibus, et aliis civitatibus regni Sicilie spectabili sectande probitatis exemplo libertatis amplectende profectum manifeste propinat : propter quod terra eadem, que a menium fundatione suorum gestorum nobili ingenuitate conspicitur, sic apud proximos et remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis et penes nos et Apostolicam Sedem precipuis attollenda favoribus et gratiis potioribus honoranda, quod non solum per singulas ejusdem regni urbes clare resonat sue preconium bonitatis, sed et longius tuba intonat laudis ejus suaque remotius acta volantis fame diffusione notescunt, et nos dictaque Sedes totis affectibus ducimur, ut congruis eam sublimemus honoribus et condignis gratiis exaltemus. Attendentes igitur sincere devotionis constantiam et indeficientis fidei firmitatem, quibus terra eadem erga Romanam Ecclesiam pollere dinoscitur, ac volentes ex hoc affectus nostri plenitudinem, quem habemus, ad illam ostendere per effectum, pensantes etiam, quod omnes fere habitatores Furconis et Amiterni, videlicet ab Urno Putrido et Befti ac Rivo Gamberario usque Cornu et Montem Rigalem, incolatum suum ad predictam terram transtulisse dicuntur, considerantes insuper, quod vos tamquam orthodoxe cultores et amatores fidei ecclesiam Sanctorum Maximi et Georgii de Aquila, quam de novo construitis et quam cum instantia petitis in cathedralem auctoritate apostolica erigi, bonis vestris temporalibus secundum facultates vestras jam laudabiliter dotare cepistis, unum molendinum et dimidium et duo alia sedilia pro construendis duobus aliis molendinis liberaliter concedendo, prout in instrumento publico confecto exinde plenius perspeximus contineri, vestris supplicationibus inclinati, predictam terram Aquile, quam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, de fratrum nostrorum consilio et plenitudine potestatis statuimus esse de cetero civitatem, episcopalem dignitatem concedentes eidem, ac Furconensem sedem cum omnibus suis juribus, dignitatibus et honoribus, presertim cum ad id venerabilis fratris nostri Berardi episcopi et dilectorum filiorum magistri Angeli, capellani nostri, archipresbiteri, et capituli quondam Furconensis vota concurrant, ad predictam ecclesiam Sanctorum Maximi et Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem esse decernimus, transferentes, constituendo, ut de cetero loci presul non Furconensis sed Aquilensis episcopus nominetur. Nulli etc. nostre protectionis, constitutionis, concessionis et translationis etc. usque : incursurum. Amen. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Rolandi, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, X kal. martii, indictione XV, Incarnationis Dominice anno M.CC. LVII, pontificatus vero domni Alexandri papae IIII, anno tertio. »

1765 Latran, 7 mars 1257.

Magistro Roberto dicto Malech indulget, ut praeter ecclesiam de Bovilla, cujus rector existit, unum aliud beneficium recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 168, f. 22v.

« *Magistro Roberto dicto Malech rectori ecclesie de Bovilla*[1], *Rothomagensis diocesis.* Probitatis tue —. Dat. Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1766 Latran, 5 mars 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Salvatoris Papiensis notum facit se episcopo Ferrariensi concessisse, ut dummodo persolvat eisdem quemdam canonem per viginti annos retentum et in futurum illum exhibeat, nullum eidem episcopo vel ecclesie Ferrariensi hac occasione praejudicium generari valeat. Reg. 25 a. III, c. 169, f. 22v.

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Salvatoris Papiensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Venerabilis frater noster —. Dat. Laterani, III nonas martii, anno tertio. »

1767 Latran, 9 mars 1257.

Obtentu comitis Barriducis, Joanni canonico ecclesiae S. Maximi de Barroducis dispensando concedit, ut, non obs-

1. La rubrique porte Poevilla ; le texte Bovilla.

tante defectu natalium quem patitur, de presbitero genitus et soluta, personatum vel dignitatem aut ecclesiasticum officium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 170, f. 22v.)

« *Johanni canonico ecclesie S. Maximi de Barroducis, Tullensis diocesis.* Ut tibi favorem —. Dat. Laterani, VIII idus martii, anno tertio. »

1768 Latran, 14 février 1257.

Cum prior monasterii S. Crucis Colimbriensis a laicali potentia compulsus regimini dicti monasterii cesserit, conventui notum facit se nullam penitus reputare cessionem hujusmodi. (Reg. 25, a. III, c. 171, f. 23.

« *Conventui monasterii Sancte Crucis Colimbriensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini.* Cum, sicut accepimus, dilectus filius Martinus Petri prior monasterii vestri dudum a nobis, per nuntium et litteras, cedendi licentiam postulasset, nos attendentes, quod si ei licentiam concessissemus eandem, poterat ex hoc dictum monasterium non modicum incurrere detrimentum, petitione hujusmodi non admissa, vobis dedimus nostris litteris in mandatis, ut eidem priori sicut prius exhiberetis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo; sed postmodum idem prior a laicali compulsus potentia, per vim et metum, qui cadere potuit in constantem de facto cum de jure non posset, sponte etiam sine nostra licentia speciali regimini cessit monasterii memorati, quare nobis extitit supplicatum, ut providere super hoc de solita providentia curaremus. Nos igitur cessionem hujusmodi nullam penitus reputantes, ac quicquid ex ea vel ob eam secutum est decernentes irritum et inane, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita, non obstante cessione prioris ejusdem, seu aliquibus litteris post ipsam cessionem obtentis a nobis, et processibus habitis per easdem, vel etiam obtinendis, cujuscumque tenoris existant, que de dicta violentia plenam et expressam non fecerint mentionem, eidem priori obediatis devote et intendatis humiliter, juxta priorum continentiam litterarum. Alioquin dilecto filio.. cantori ecclesie Salamantine nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id, per se vel per alium, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat, non obstante si vobis a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari minime valeatis per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem etc. Constitutione [etc.] usque: generali. Datum Laterani, XVI kal. martii, anno tertio. »

1769 Latran, 28 février 1257.

Cum plures amici abbatissae monasterii Jotrensis velint ei sine usuris pecuniam mutuare ad solutionem debitorum dicti monasterii, dummodo in contractu mutui interveniat consensus ejusdem conventus, abbati monasterii S. Memmii Cathalaunensis mandat, quatenus conventum compellat, ut hujusmodi contractui praestet assensum. (Reg. 25, a. III, c. 172[1], f. 23.)

« *Abbati monasterii Sancti Memmii Cathalaunensis, ordinis Sancti Augustini.* Sicut petitio dilecte in Christo filie.. abbatisse monasterii Jotrensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis, nobis exhibita continebat, monasterium ipsum, pro suis utilitatibus, a nonnullis creditoribus jamdudum recepit ad usuras quamplures pecunie quantitates, de quibus non est eisdem creditoribus satisfactum. Cum autem plures amici ejusdem abbatisse velint sibi sine usuris pecuniam mutuare, dummodo in contractibus hujusmodi mutuorum interveniat conventus monasterii predicti assensus, eadem abbatissa nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc dicto monasterio paterna sollicitudine curaremus. Quia vero id in utilitatem predicti monasterii noscitur redundare, mandamus, quatinus, si est ita, predictum conventum, ut ad recipiendum gratis et sine usuris mutuo hujusmodi pecunie quantitates, ita tamen quod dicte pecunie in solutionem debitorum dicti monasterii convertantur, suum prestent assensum, monitione premissa, presentium ratione, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, proviso ut quod pro ejusdem monasterii utilitate mandamus fieri, in ipsius [non] possit vergere detrimentum, idque a te a Domino requiratur [1]. Datum Laterani, II kalendas martii, anno tertio. »

1770 Latran, 28 février 1257.

Cantori Salamantino notum facit se nullam penitus reputare cessionem prioris monasterii S. Crucis Colimbriensis. (Reg. 25, a. III, c. 172[2], f. 23.

1. *Ms.* : requirantur.

« .. *cantori Salamantino.* Cum sicut accepimus —. Dat. ut in ipsa [1]. »

1771 Latran, 12 février 1257.

Episcopo Brixiensi mandat, quatenus Zamboldo clerico S. Cassiani Brixiensis in majori ecclesia Brixiensi de praebenda providere procuret, quamvis secundum statuta, ipsius receptio sit cassata. (Reg. 25, a. III, c. 173, f. 23.)

« .. *episcopo Brixiensi.* Petitio dilecti filii Zamboldi, clerici Sancti Cassiani Brixiensis, nobis exhibita continebat, quod ipse auctoritate litterarum dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, tunc in partibus Lombardie Apostolice Sedis legati, in majori ecclesia Brixiensi ad presbiteralem prebendam receptus est in canonicum et in fratrem. Verum per constitutionem nostram, per quam receptiones prebendas expectantium vacaturas factas in quibusdam ecclesiis, quatuor duntaxat exceptis, decrevimus irritas et inanes, ipsius receptio est cassata : quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque predicto clerico intendentes gratiam facere specialem, et jus quod sibi in eadem ecclesia ex receptione hujusmodi competebat, constitutione non obstante predicta, in statum pristinum suscitantes, ac nolentes, quod eidem clerico super receptione sua in predicta ecclesia jure ipsius, et assecutione prebende in ea, per eandem constitutionem aliquod prejudicium generetur, mandamus, quatinus predicto clerico de prebenda nulli alii de jure debita, si qua in prefata ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, per te vel per alium providere procures. Contradictores etc. Datum Laterani, II nonas februarii, anno tertio. »

1772 Latran, 28 février 1257.

Episcopo Cameracensi mandat, quatenus provideat Liurno de Filfort presbytero et Joanni dicto de Dist clerico, in beneficiis ecclesiasticis competentibus, juxta continentiam litterarum Innocentii quondam papae. (Reg. 25, a. III, c. 174 f. 23v.)

« .. *episcopo Cameracensi.* Ex parte dilecti filii Liurni de Filfort presbiteri, et Johannis dicti de Dist clerici, Cameracensis diocesis, fuit propositum coram nobis, quod licet felicis recordationis I. papa predecessor noster, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Pruscie, Livonie et Estonie suis sub certa forma dedisset litteris in mandatis, ut eisdem presbitero et clerico, tunc ejusdem archiepiscopi clericis, in terra nobilis viri.. ducis Brabantie, de qua traxerunt originem, in prebendalibus vel aliis ecclesiasticis beneficiis competentibus, etiamsi curam animarum haberent annexam, vel de personatibus si tunc vacarent, vel quamcito ad id se offerret oportunitas, provideret, vel faceret provideri, contradictores etc., et idem archiepiscopus dilecto filio .. decano Lovaniensi, Leodiensis diocesis, suoque college, vices suas super hoc, quamquam ex predictarum litterarum beneficio non posset, totaliter commisisset, nullum tamen adhuc ex hujusmodi litteris commodum reportarunt. Nolentes igitur quod circa predictos presbiterum et clericum gratiose inceptum est in hac parte relinquere imperfectum, fraternitati tue mandamus, quatinus, si est ita, ad provisionem eorumdem procedas, per te vel per alium, juxta predictarum ejusdem predecessoris continentiam litterarum, non obstante indulgentia, qua tibi et per te electo tunc civitatis et diocesis ab Apostolica Sede dicitur esse concessum, quod nulli possit in ecclesiis ipsius civitatis et diocesis provideri per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de eisdem civitate et diocesi mentionem. Datum Laterani, II kalendas martii, anno tertio. »

1773 Latran, 3 mars 1257.

Confirmat litteras, quibus Hugo S. Sabinae presbyter cardinalis cum magistro Alberto canonico ecclesiae S. Pauli Halberstadensis dispensat, super interdicto et excommunicatione, quae contraxisse dinoscitur. (Reg. 25, a. III, c. 175, f. 23v.

« *Magistro Alberto canonico ecclesie Sancti Pauli Halberstadensis.* Constitutus in presentia nostra retulisti, quod olim in Halberstadensi ecclesia due electiones, una videlicet de venerabilibus fratribus nostris Wolrado, Halberstadensi episcopo, et altera de Ludolfo, quondam episcopo Halberstadensi, celebrate fuissent, tandem orta inter ipsos super Halberstadensi episcopatu materia questionis, et ea ad presentiam felicis recordationis I. pape predecessoris nostri delata, idem predecessor, auditis que partes coram ipso proponere voluerunt, electionem

[1]. Cf. n° 1768.

de dicto Wolrado factam, cassata reliqua, confirmavit, certis super hoc eidem W. executoribus deputatis, qui postmodum in te, pro eo quod Ludolfo adherebas eidem, interdicti et excommunicationis sententias promulgarunt. Sed tu, de appellatione, que pro parte tua et cleri Halberstadensis fuit ab eis ad Sedem Apostolicam interjecta confisus, in quibusdam locis propter hoc interdictis, presentibus quibusdam aliis, qui erant similibus sententiis innodati, te inmiscuisti divinis, absolutionis beneficio non obtento; cumque tu, per dictos executores, a sententiis ipsis fuisses rite ac juxta formam Ecclesie absolutus, dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis, cui curam penitentiarie nostre commisimus, tecum, auctoritate nostra, super irregularitate, quam ex premissis contraxisse dinosceris, dispensavit, prout in patentibus litteris ejus confectis exinde plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Rome, 24 novembre 1256.

« Universis presentes litteras inspecturis, frater « Hugo miseratione divina, tituli sancte Sabine pres- « biter cardinalis, in vero salutari salutem. Accedens « ad Apostolicam Sedem magister Albertus, custos « et canonicus ecclesie Sancti Pauli Halberstadensis, « proposuit coram nobis, quod cum olim in Halbers- « tadensi ecclesia de venerabili patre Wolrado, nunc « ejusdem ecclesie episcopo, ac Ludolpho de Sladem, « episcopo, electiones[1] due celebrate fuissent, felicis « recordationis I. papa IIII, auditis a procuratori- « bus partium hinc inde propositis, electionem de « prefato Wl. celebratam, cassata reliqua, confir- « mavit ... abbate monasterii de Balensted., « et .. preposito ecclesie Sancte Marie Erphordensis, « Halberstadensis et Maguntine diocesium, super hoc « executoribus deputatis, qui pro eo, quod dicto L. « tunc temporis adherebat, in ipsum nominatim inter- « dicti et excommunicationis sententias promulga- « runt. Sane idem custos, confisus de appellatione, « quam nunc una cum clero civitatis et diocesis « Halberstadensis ad Sedem Apostolicam interjece- « rat, in locis interdictis, excommunicatis et inter- « dictis hujusmodi occasione presentibus, se divinis « inmiscuit, absolutionis beneficio super hoc non « obtento. Verum cum a dictis excommunicationis et « interdicti sententiis sit rite juxta formam Ecclesie, « sicut asserit, absolutus, supplicavit humiliter sibi « super eo, quod predicto modo se divinis immiscuit, « de Sedis predicte clementia provideri. Nos igitur « attendentes ipsius custodis devotam instantiam, « auctoritate domini pape, cujus penitentiarie curam « gerimus, super irregularitate inde contracta dis- « pensamus misericorditer cum eodem, injuncto sibi « quod vidimus expedire, presentes eidem litteras, « nostri sigilli munimine roboratas, nichilominus « in testimonium concedentes. Datum Rome apud « Sanctam Sabinam, VIII kalendas decembris, pon- « tificatus domini Alexandri pape IIII anno se- « cundo. »

1. *Ms.* : electionis.

« Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Laterani, V nonas martii, anno tertio. »

1774 Latran, 13 mars 1257.

Bartholomeo de Benavarre, rectori ecclesiae de Viacamp, intuitu Andreae Valentini episcopi indulget, ut praeter dictam ecclesiam, cujus proventus quinque marcas argenti singulis annis non excedunt, unicum aliud beneficium, etiamsi ei cura animarum sit annexa, recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 176, f. 23v.)

« *Bartholomeo de Benavarre, rectori ecclesie de Viacamp, Ilerdensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1775 Latran, 5 mars 1257.

Jacobo patriarchae Jerosolymitano indulget, ut Florentius, Acconensis episcopus, in eum, quacumque causa, vel in clericos seu alios familiares ejus, ratione delicti, nullam jurisdictionem exercere possit. (Reg. 25, a. III, c. 177, f. 24.)

« *Jacobo patriarche Jerosolimitano Apostolice Sedis legato.* Ex tuorum provenit exigentia meritorum, ut te, apostolica favoris gratia honorantes, ad optatum illa perducamus effectum, que tuum et ecclesie tue honorem ac profectum respicere dinoscuntur. Tuis igitur supplicationibus inclinati, persone tue, auctoritate presentium, indulgemus, ut venerabilis

frater noster Florentinus, Acconensis episcopus, in te quacumque occasione vel causa, in clericos vero seu alios familiares tuos ratione delicti, dummodo alias sibi non subsint, excommunicationis sive suspensionis aut interdicti sententias auctoritate propria promulgare non possit, seu jurisdictionem aliquam exercere. Nos enim decernimus irritum et inane si quid contra hujusmodi nostri indulti tenorem ab ipso episcopo fuerit attemptatum. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Laterani, III nonas martii, anno tertio. »

1776 Latran, 7 mars 1257.

Episcopo Morinensi indulget, ut magistrum Alanum de Mellento, officialem Morinensem, in ecclesia Morinensi recipi faciat in canonicum eique de praebenda provideat. Reg. 25, a. III, c. 178, f. 24.

« .. *episcopo Morinensi*. Cum dilectus filius magister Alanus de Mellento, officialis Morinensis, tibi servisse ac servire fideliter et devote dicatur, seque dignum ecclesiasticis beneficiis reddat continuo exercitio probitatis, nos bonis benefieri cupientes, fraternitati tue faciendi eum recipi in ecclesia Morinensi, in qua prebendarum collatio tibi pertinere dicitur, in canonicum et in fratrem, presertim cum ad hoc dilectorum filiorum .. decani et capituli Morinensium, qui devote nobis pro ipso officiali per suas litteras supplicarunt, assensus accedat, et providendi sibi de prebenda, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, liberam concedimus facultatem, non obstante statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roborato, aut si aliqui Apostolice Sedis vel legatorum ipsius auctoritate, aut proprio motu tuo et ejusdem capituli, in canonicos inibi sunt recepti, quibus nolumus tenore presentium prejudicium generari, seu si tibi et eisdem decano et capitulo communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneamini, quodque ad id compelli per litteras apostolicas non possitis, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, et qualibet alia ipsius Sedis indulgentia cujuscumque tenoris existat, per quam ipsius receptio vel provisio impediri valeat vel differri, et quod idem officialis alias beneficiatus existit; volumus autem, ut predictum statutum et indulgentia hujusmodi, post receptionem ipsius, in sua nichilominus firmitate perdurent, auctoritate apostolica semper salva. Datum Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1777 Latran, 6 mars 1257.

Priorissae et conventui monasterii S. Crucis de Carpita Antiochensis, quae a prima institutione per fratres ordinis fratrum Minorum fuerint informatae, ob devotionem, quam erga SS. Franciscum et Antonium professores, necnon et S. Claram gerint, notum facit se omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam earum in festivitatibus eorumdem sanctorum et septem diebus sequentibus accesserint, centum dies de injunctis paenitentiis relaxare. Reg. 25, a. III, c. 179, f. 24; Potthast 16766.

« ..*priorisse et conventui monasterii Sancte Crucis de Carpita Antiocensis, ordinis Sancti Benedicti*. Licet is, de cujus munere —. Dat. Laterani, II nonas martii, anno tertio. »

1778 Latran, 6 mars 1257.

Abbati et conventui monasterii Trenorchiensis indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus seu beneficiis ecclesiasticis minime teneantur per litteras Sedis Apostolicae seu legatorum ipsius, quae de hujusmodi indulto non fecerint mentionem. Reg. 25, a. III, c. 180, f. 24; Potthast 16765.

« .. *abbati et conventui monasterii Trenorciensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Cabilicensis diocesis*. Devotionis vestre merita —. Dat. Laterani, II nonas martii, anno tertio. »

1779 Latran, 7 mars 1257.

Inhibet ne aliqui ecclesiarum praelati in fraudem privilegiorum a Sede Apostolica Hospitali Jerosolymitano in Alvernia concessorum excommunicationis sententias in homines dicti Hospitalis proferre praesumant. Reg. 25, a. III, c. 181, f. 24; J. Delaville Le Roulx, *Cart. gén. des Hospitaliers de S. Jean de Jérusalem*, t. II, n° 2862.

« .. *priori et fratribus Hospitalis Jerosolimitani in Alvernia*. Oblata nobis ex parte vestra conquestio patefecit, quod nonnulli ecclesiarum prelati et eorum officiales, ac alii viri ecclesiastici vestris libertatibus invidentes, cum non possint in vos vel Hospitale ves-

trum pro eo, quod estis muniti apostolicis privilegiis, excommunicationis sententiam promulgare, per excogitatam malitiam, in homines vestros, licet sint immunes a culpa, presumunt excommunicationis proferre sententiam pro sue libito voluntatis, propter quod vos contingit, non sine detrimento ipsorum hominum debitis obsequiis defraudari. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, volentes quieti vestre paterna sollicitudine providere, ne quis predictorum in fraudem privilegiorum Sedis Apostolice de cetero hujusmodi sententiam taliter promulgare presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli etc. nostre inhibitionis etc. Datum Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1780 Latran, 10 mars 1257.

Obtentu Caroli comitis Andegaviae et Provinciae, Henricum Carnotensem canonicum, cancellarium et familiarem ejusdem comitis, in capellanum suum recipit. (Reg. 25, a. III, c. 182, f. 24v.

« *Henrico Carnotensi canonico.* Pro re delectabili —. Dat. Laterani, VI idus martii, anno tertio. »

1781 Latran, 10 mars 1257.

Cum abbas et conventus monasterii de Ponte Roberti quasdam terras pene steriles et infructuosas duxerint comparandas, eis concedit, ut si contingat ipsas per studium monachorum ad fructiferam culturam redigi, decimas de ipsis praestare non teneantur, nisi pro ea portione, quam tempore sterilitatis hujusmodi persolverunt. (Reg. 25, a. III, c. 183, f. 24v.

« .. *abbati et conventui monasterii de Ponte Roberti, Cisterciensis ordinis, Cicestrensis diocesis.* Exigentibus vestre devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos considerantes monasterii vestri possessiones per alluvionem maris continuam in brevi tempore perituras in diversis locis, quasdam pene steriles et infructuosas, de quibus sine magnis sumptibus et laboribus vix aliquis fructus haberi poterit, duxeritis comparandas. Nos vestris supplicationibus inclinati, ut si contingat possessiones ipsas per studium vestrum ad fructiferam culturam redigi, decimas de ipsis, nisi pro ea portione, qua tempore sterilitatis hujusmodi persolvistis, prestare non teneamini, nec ad id possitis quavis auctoritate compelli, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, VI idus martii, anno tertio. »

1782 Latran, 7 mars 1257.

Jacobo archiepiscopo Lundensi concedit, ut quae parentes ejus minus licite acquisiverint, piis locis conferat, si forte quibus eorum restitutio fieri debeat, nequaquam inveniri possint. Reg. 25, a. III, c. 184, f. 24v; Potthast 16768.

« *Jacobo*] *archiepiscopo Lundensi.* Habens, ut asseris, conscientiam scrupulosam, quod parentes tui aliqua minus licite acquisiverunt, quibus jure successisti hereditario, petisti super hoc tibi a nobis salubriter provideri. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, conferendi talia piis locis, si forte quibus eorum restitutio fieri debeat, nequaquam inveniri valeant, fraternitati tue, auctoritate presentium, concedimus facultatem. Dat. Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1783 Latran, 7 mars 1257.

Petro Munionis indulget, ut una cum ecclesia S. Mariae de Sacaves, ac canonicatu, quem in Lamecensi ecclesia obtinet, magisterium scolarum in Bracharensi ecclesia retinere valeat. Reg. 25, a. III, c. 185 [1], f. 24v.

« *Petro Munionis, rectori ecclesie de Sacaves, Ulixbonensis diocesis.* Tue probitatis meritis, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, inducimur, ut te speciali Apostolice Sedis gratia prosequamur. Cum igitur, sicut asseris, olim tecum fuerit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut cum ecclesia Sancte Marie de Sacaven, Ulixbonensis diocesis, quam curam animarum habet [1], ac prebenda, quam in Lamecensi ecclesia, cujus existis canonicus, canonice obtinebas, posses unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiamsi curam haberet similem et tibi offerretur, canonice recipere ac libere retinere, ac venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Bracharense nuper vacans magisterium scolarum in Bracharensi ecclesia, cui cura imminet animarum, tibi apud Sedem Apostolicam constituto, prout ad eos pertinet, obtulissent, nos tuis supplica-

1. *Ms.* : habentem.

tionibus, ac ipsius archiepiscopi, cujus familiaris existis, consideratione inducti, ut ipsum magisterium scolarum licite recipere, ac una cum eisdem ecclesia et prebenda retinere valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus, non obstantibus constitutionibus generalis concilii super hoc editis, et illa, quam bone memorie J. episcopus Sabinensis, tunc in partibus Ispanie Apostolice Sedis legatus, contra obtinentes plura ecclesiastica beneficia dicitur edidisse: proviso quod ecclesia et magisterium scolarum hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1784 Latran, 27 février 1257.

Cum sit ecclesia Florentina gravi debitorum onere pergravata, archidiacono Aretino mandat, quatenus circa solutionem debitorum hujusmodi statuat et disponat. (Reg. 25, a. III, c. 185[2], f. 24v.)

« .. *archidiacono Aretino.* Ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod ecclesia Florentina est adeo gravi debitorum onere pregravata, quod non nisi per apostolice providentie remedium adiciet ut resurgat, et licet pro exoneratione hujusmodi debitorum fuerit ibidem provida ipsius capituli deliberatione statutum, et per Sedem Apostolicam roboratum, ut redditus prebendarum canonicorum absentium, preterquam illorum, qui de licentia ejusdem capituli vel ob theologie studium absentes fuerint, debeat ad capitulum ipsum pro hujusmodi exolvendis debitis pervenire. Quia tamen per hoc non potest provenire, ut dicitur, hujusmodi solutio debitorum, fuit nobis pro predicta ecclesia humiliter supplicatum, ut universos comunes proventus ipsius capituli, necnon et prebendarum tam absentium, juxta predictum statutum, quam presentium etiam canonicorum ipsius ecclesie usque ad triennium diligenter colligi faceremus, et ipsos vel in solutionem converti hujusmodi debitorum, vel concedi ex nunc creditoribus in solutum, quatuor autem sacerdotibus et quinque clericis interim eidem ecclesie in divinis officiis servituris de ipsis proventibus sustentationem congruam reservari. Quia vero nobis non constitit de premissis, et predicte ecclesie tam gravis non est dissimulanda ruina, nos de tua discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatinus Dei timorem ac reverentiam nostram pre oculis tuis habens, et circumstantias negotii considerans universas, circa solutionem debitorum hujusmodi, deservientium ibidem canonicorum nichilominus communicato consilio vice nostra statuas et disponas, quod exonerationi prefate ecclesie, divini nominis cultui et honestati ecclesiastice videris expedire, sciens quod nostre alias intentionis existit vel aliocumque modo hujusmodi debita persolvantur. Contradictores etc. Invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Datum Laterani, III kalendas martii, anno tertio. »

1785 Latran, 10 mai 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Joannis in Valeya indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in dicto monasterio, per apostolicas litteras compelli non possint, nisi eedem litterae de indulto hujusmodi fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 185[3], f. 25.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sanctis Johannis in Valeya Carnotensis, ordinis Sancti Augustini.* Quieti vestre precavere —. Dat. Laterani, VI idus maii, anno tertio. »

1786 Latran, 10 mars 1257.

Magistro Petro de Benevento obtentu Aimericij Lemovicensis episcopi indulget, ut resignans unum de beneficiis, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 186, f. 25.)

« *Magistro Petro de Benevento, canonico Lemovicensi.* Meritis laudabilis —. Dat. Laterani, VI idus martii, anno tertio. »

1787 Latran, 15 mars 1257.

Jacobo Raponis de Castro Silicis judicatus officium concedit. (Reg. 25, a. III, c. 187, f. 25.)

« *Jacobo Raponis de Castro Silicis laico, Castellane diocesis.* Ne contractuum memoria —. Datum Laterani, idibus martii, anno tertio. »

1788 Latran, 13 mars 1257.

Cum Roberto Brathel, rectore ecclesiae de Rodmertone, dispensat, ut praeter dictam ecclesiam, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 188, f. 25.)

« *Roberto Brathel, rectori ecclesie de Rodmertone, Wigorniensis diocesis.* Etsi propter —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1789 Latran, 13 mars 1257.

Magistro Joanni, nato Roberti, S. Mauchani de Lanherno et de Egglesros ecclesiarum rectori, indulget, ut praeter beneficia, quae obtinet, quorum proventus quindecim marcarum sterlingorum valentiam vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 189, f. 25.)

« *Magistro Johanni, nato Roberti, Sancti Mauchani de Lanherno et de Egglesros ecclesiarum rectori, Exoniensis diocesis.* Illos precipue. — Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1790 Latran, 2 mars 1257.

Magistro Vincentio confirmat cantoriam Majoricensis ecclesiae, necnon alia beneficia et praestimonia, quae obtinet, quorum proventus quinquaginta marcarum argenti valorem annuum non excedunt. (Reg. 25, a. III, c. 190, f. 25.)

« *Magistro Vincentio cantori ecclesie Majoricensis.* Probitatis tue —. Dat. Laterani, VI nonas martii, anno tertio. »

1791 Latran, 17 mars 1257.

Confirmat revocationem cujusdam sententiae ab abbate Cisterciensi temere in Stephanum Claraevallis abbatem promulgatae. (Reg. 25, a. III, c. 191[1], f. 25.)

« *Magistro Thome de Luda, rectori ecclesie de Gretford., Lincolniensis diocesis.* Ut eorum, que nostri fiunt auctoritate mandati, perpetua et inconvulsa sit firmitas, non inmerito hiis adicimus apostolici muniminis firmitatem. Licet siquidem dilecto filio .. abbati Cistertii per nostras dederimus litteras in virtute obedientie districtius in preceptis, ut depositionis sententiam in dilectum filium Stephanum abbatem Clarevallis, de facto, contra jussiones apostolicas temere promulgatam, sine more dispendio revocare, ipsumque in statum et locum pristinum cum integra juris et facti plenitudine reparare curaret, quod tamen idem abbas erecto inobedientie vertice, apostolica in hac parte precepta surdis auribus transiens, post varias exhortationes, admonitiones et mandata nostra sibi a nobis litteratorie destinata et ab eo suscepta, id efficere non curabat, tu litterarum nostrarum auctoritate dictam depositionis sententiam revocans, ipsum in statum et locum pristinum cum integra juris et facti plenitudine reparasti, prout in litteris tuis confectis exinde plenius continetur. Nos itaque quod a te super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud, non obstantibus exceptionibus contra personam suam vel nostras litteras ex parte ipsius abbatis propositis, vel appellationibus ad defensionem temerarii processus ab eodem abbate procuratore ipsius vel alio quocumque contra ipsum habiti, ad Sedem Apostolicam interjectis, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Litterarum tuarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Paris, 25 janvier 1257.

« Anno Domini M.CC.LVI, nos magister Thomas « de Luda, mandata apostolica magistro Rostando « domini pape subdiacono et capellano directa, una « cum commissione ejusdem magistri Rostandi nobis « facta, super revocatione sententie depositionis « contra fratrem Stephanum abbatem Clarevallis in« consulte late, recepimus, quorum tenorem de verbo « ad verbum in quadam alia cedula sigillo nostro si« gnata, duximus inserendum. Hiis itaque mandatis « susceptis et plenius intellectis, associatis nobis « viris venerabilibus et discretis magistris Hugone « dicto Piccardo, doctore decretorum, domini pape « subdiacono, canonico Abbatisville, Adam de Bels« tede juris canonici professore, et aliis fidedignis, ad « abbatem Cistertii personaliter accessimus et eidem « litteram apostolicam sibi directam porreximus, ac « ipsi petenti ejus copiam fecimus in scriptis, et aliorum « rescriptorum, quorum copiam sibi fieri postulavit, « diligenter monentes et eidem firmiter injungentes, « ut mandatum apostolicum sibi directum et porrectum, « sedulo festinaret adimplere. Cumque postmodum « per multos dies dictus abbas Cistertii mandatum « apostolicum adimplere neglexisset, nos super hoc « vehementius admirantes, iterum ad domum, in qua « tunc Parisius personaliter morabatur, dictis ma« gistris et aliis nobis specialiter propter hoc adjunc« tis, die sanctorum Fabiani et Sebastiani declina« vimus eidem injungere, salubriter intendentes, ut « mandatis apostolicis saltem tunc obtemperaret. Ve« rum idem abbas, cum causam adventus nostri, per

« quendam monachum suum, sibi ex parte nostra « nuntiatam cognovisset, in non modicum Sedis Apostolice contemptum ac mandati ejusdem elusionem, « copiam sui subtrahens, nos ad eum ob negotium Sedis Apostolice venientes non admisit, sed nobis intrare volentibus, hostia prius reserata, per ministros ad hoc deputatos viliter objecit, ac per eosdem « denuntiavit, quod ad eum nullatenus haberemus accessum; propter quod presentibus ibidem religiosis « et aliis de familia sua quamplurimis in domo sua, « publice denuntiavimus et eidem abbati auctoritate « apostolica injunximus, ut idem abbas ad domum « Sancti Bernardi Parisiensem in Cardineto, ordinis Cistertiensis, in capitulo monachorum ibidem degentium personaliter accederet et qualiter mandatum « apostolicum fuisset executus nos certiorare curaret. Nobis siquidem ad dictum locum venientibus et « eundem abbatem diutius expectantibus, dum mandata apostolica tractaremus, quidam monachus, qui « se dicebat procuratorem abbatis Cistercii et totius « ordinis sindicum, qui tamen sepius requisitus mandatum noluit exhibere, comparuit cum multitudine « religiosorum et secularium onerosa, qui, quasi volentes in nos irruere cum nos ad legenda mandata « apostolica pateremus, impetum fecerunt furiosum, « tumultuantes et impedientes, quominus mandata « apostolica ab assistentibus audiri et ad plenum intelligi potuerunt, ac nonnulla nobis convitia intulerunt. Sane post hec, quibusdam ex parte abbatis « instantibus et nos ex parte ejusdem interpellantibus, ad omnimodam ejus malitiam convincendam, ad « majorem ecclesiam Sancte Marie Virginis Parisiensem nos transtulimus, ut illic quasi loco domui dicti « abbatis viciniore, super negotiis nobis commissis « tractaremus familiarius; sed cum eundem abbatem « ibidem expectavissemus diutius, dictus abbas, quamquam ad nos accedere nobis per suos promisisset, « sue promissionis fidem fallens, prout nobis per quosdam de suis innotuit venire non curavit. Redeuntes igitur ad primum locum, misimus ad sepedictum abbatem viros venerabiles et discretos « magistros Theobaldum canonicum Autisiodorensem, « venerabilis patris domini J. tituli Sancti Laurentii « in Lucina presbyteri cardinalis capellanum, Nicolaum de Bagingeden, canonicum Cicestrensem, « Riccardum de Mapham domini pape subdiaconum, « Adam de Belstede juris canonici professorem, hortantes et injungentes per eosdem, ut temerariam « suorum audaciam compesceret ac mandatis apostolicis, prout eidem multotiens injunxeramus, obtemperaret. Nuntiis vero nostris male tractatis et « post multas repulsas tandem cum difficultate admissis, respondit idem abbas, quod nobis seu mandatis « nostris in aliquo non pareret, et quod nos pro executore aut nuntio domini pape non habebat, prout « nobis asseruerunt nuntii memorati. Unde, licet nobis « consultum esset a juris peritis, ut statim ad revocationem sententie depositionis dicti abbatis Clarevallensis procederemus, nos dicto abbati Cistertii etiam « ultra id quod oportuit deferre volentes, illud facere « distulimus, sicque die crastino ad domum dicti Cistertiensis abbatis, jam tertio, de consilio juris peritorum personaliter accessimus, et eidem copiam « rescriptorum et instrumentorum omnium predictum « negotium contingentium obtulimus cum effectu, ac « litteram sibi directam, cujus copiam alias ei feceramus, ipsi tradidimus, eidem, ut prius, auctoritate « apostolica districtius injungentes, ut dictam depositionis sententiam citra diem martis proximo sequentem revocaret, ac dictum abbatem Clarevallensem in statum et locum pristinum, cum integra juris « et facti plenitudine, repararet, nichilominus eidem « denuntiantes, quod si hec facere negligeret, nos « tam ad revocationem sententie quam ad dicti abbatis status reparationem, juxta formam nobis commissam procederemus. Insuper etiam injunximus « eidem et coabbatibus suis ibidem presentibus, ut « nobis dicta die martis in domo Sancti Bernardi in « Cardineto ad hec melius et sine scandalo expedienda, « hora tertia, assisterent et intenderent, prout eisdem « per litteras apostolicas, quarum copiam dicto abbati « Cistertii sub sigillo nostro fecimus, districtius in virtute obedientie datum fuerat in preceptis, sed dictus « abbas respondit, quod injunctionibus nostris non « pareret, nec nobis in aliquo ut executori obtemperaret, quam quidem responsionem in scriptis statim « redigi fecimus, et in scriptis redactam, eo presente, « continuo recitavimus, revocantes penitus gravamina, « si qua e forsan[1] dicto abbati Cistercii, vel ejus ordini « per nos essent illata, cum tamen nichil a nobis attemptatum appareret, quod in ipsius aut sui ordinis injuriam cederet aut gravamen. Cum igitur, die martis

1. *Ms.* : forsam.

« prefixa, ad domum Sancti Bernardi in Cardineto venis-
« semus hora tertia, vocatis ibidem sepius abbate
« Cistercii et coabbatibus suis ac eisdem diutius expec-
« tatis, cum nec per se nec per procuratorem compa-
« rerent, tandem communicato juris peritorum con-
« silio, processimus ad revocandam memoratam
« depositionis sententiam, et ad status fratris Ste-
« phani abbatis Clarevallensis reparationem, in hec
« verba : Cum dominus papa viro religioso abbati
« Cistertii, in virtute obedientie districte precipiendo
« mandaverit, quatinus depositionis sententiam in fra-
« trem Stephanum abbatem Clarevallensem, de facto
« et non de jure, contra jussiones apostolicas temere
« promulgatam revocare festinaret, et eundem Ste-
« phanum in statum et locum pristinum cum integra
« juris et facti plenitudine repararet, ac dictus Cister-
« ciensis abbas, erecto inobedientie vertice, precepta
« apostolica in hac parte post varias exhortationes et
« injunctiones nostras adimplere neglexerit; nos
« magister Thomas de Luda, auctoritate domini pape
« nobis super hoc commissa, sententiam depositionis
« supradictam revocamus, et eundem abbatem Cla-
« revallis in statum et locum pristinum cum in-
« tegra juris et facti plenitudine reparamus in hac
« reparatione quatenus in facto consistit ulterius suo
« tempore processuri, et in omnes huic nostre revoca-
« tioni et dicti abbatis administrationi resistentes
« sententiam excommunicationis majoris, ex nunc in
« scriptis habito super hiis juris peritorum consilio,
« promulgamus. Ad majorem autem horum eviden-
« tiam, nos sigillum nostrum una cum sigillis magis-
« trorum Hugonis dicti Picardi, doctoris decretorum
« domini pape subdiaconi, canonici Abbatisville, Ni-
« colai de Baginged canonici Cicestrensis, Ricardi
« de Mappham domini pape subdiaconi, Ade de Bels-
« tede juris canonici professoris, quos in expeditione
« premissorum nobis adjunximus, apposuimus et ap-
« poni fecimus. Datum Parisius, die conversionis
« Sancti Pauli, anno supradicto. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, XVI kalendas aprilis, anno tertio. »

1792 Latran, 17 mars 1257.

Magistris Hugoni dicto Piccardo et Adae de Belstede mandat, quatinus, cum magister Thomas de Luda dictam depositionis sententiam revocaverit, abbatem Claraevallis in possessionem abbatiae reducant et inductum defendant. (Reg. 25, a. III, c. 191[2], f. 26.)

« *Magistris Hugoni dicto Piccardo subdiacono nostro, et Ade de Belstede rectori ecclesie de Nowintonia, Lincolniensis diocesis, Parisius commorantibus.* Licet dilecto filio —. Datum ut supra. »

1793 Latran, 5 mars 1257.

Cum magistro Guillelmo de Bosinton dispensat, ut praeter ecclesiam de Sualeclive, cujus proventus octo marcarum sterlingorum valentiam vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 192, f. 26.)

« *Magistro Guillelmo de Bosinton., rectori ecclesie de Sualeclive, Cantuariensis diocesis.* Merita laudabilis —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1794 Latran, 5 mars 1257.

Cum Gilberto de Sarebie dispensat, ut praeter ecclesiam de Westbiri, cujus proventus quinque marcarum sterlingorum valentiam vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 193, f. 26v.)

« *Gilberto de Sarebie, rectori ecclesie de Westbir. Vellensis diocesis.* Merita laudabilis —. Dat ut supra. »

1795 Latran, 16 mars 1257.

Monasterium monialium S. Donati de Fauce Eugubinum tuendum suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, jura ac privilegia, specialiter litteras Jacobi Eugubini episcopi hic insertas confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 194[1], f. 26v; Potthast 16787.)

« .. *abbatisse monasterii Sancti Donati de Fauce Eugubini, ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuo.* Religiosam vitam etc. usque : enervet. Eapropter in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancti Donati de Fauce Eugubinum, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam, atque institutionem monialium inclusarum Sancti Damiani Asisinatensis, et

formulam vite vestre, a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro ordini vestro traditam cum adhuc esset in minori officio constitutus in eodem loco, institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones etc. usque : exprimenda. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis etc. usque : immunitatibus suis. Liceat quoque vobis personas liberas etc. usque : retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum etc. usque : retinere. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesie vestre sive pro oleo sancto etc. usque : impendat. Alioquin liceat vobis hec, nostra auctoritate recipere etc. obtinente. Quod si sedes diocesani episcopi forte etc. usque : generetur. Quia vero interdum diocesani episcopi etc. valeatis. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque : interdicto. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbatissa etc. usque : eligendam. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores, in monasterium vestrum vel personas regulares inhibi Domino famulantes, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolice indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque : exercere. Preterea omnes libertates et immunitates, quas monasterio vestro venerabilis frater noster.. Eugubinus episcopus, de capituli sui assensu, indulsisse dinoscitur, sicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum presenti privilegio inseri fecimus, qui talis est :

Gubbio, 16 septembre 1256.

« In Dei nomine. Amen. Anno Domini M.CC.LVI. « tempore domini Alexandri pape IIII, indictione « quartadecima, et die sabbati sextodecimo sep- « tembris, hoc quidem tempore nos Jacobus quanquam « immeritus, divina tamen patientia Eugubinus epis- « copus, ad petitionem, seu postulationem sindicorum « et procuratorum abbatisse et monialium monasterii « seu ecclesie Sancti Donati de Fauce Egubine, vide- « licet Nepolionis Ondedei et Bernardi notarii, filii « olim Juntuli, damus et concedimus predictis pro- « curatoribus recipientibus pro predictis abbatissa et « monialibus et pro eorum successoribus seu succe- « ditricibus, ut liberius et securius domine in dicto loco « morantes possint Domino famulari, et pro redemp- « tione peccatorum nostrorum, exemptionem plenam « de assensu capituli nostri in perpetuum ancillis « Christi conversis et convertendis, que ibi in habitu « religioso debent vel debebunt in futurum Domino « famulari in monasterio predicto, renuntiantes et « remittentes vobis recipientibus pro predictis abba- « tissa et monialibus et successoribus omne jus et « omnes actiones nobis et episcopatui Eugubino in « predicto monasterio et ecclesia dicta competentes « et competituras et nichil in eo nobis vel episcopatu i « aut nostris successoribus reservamus, neque in « temporalibus, neque in spiritualibus, preter mediam « libram cere annuatim in Cena Domini nomine cathe- « dratici, et idem monasterium et ecclesiam et ipsas « abbatissam et moniales, et eorum succeditrices « seu successores ab omni jure episcopali eximimus « pleno jure, ut monasterium predictum, seu eccle- « sia predicta beatissimi Donati martiris et persone « ibi commorantes et commorature ab omni potestate « et jurisdictione episcopali plenius sint exempte, ita « quod nulla persona occasione juris episcopalis gra- « vamen eisdem aliquod inferatur. Et hec omnia et « singula supradictorum per nos nostrosque succes- « sores, vobis predictis Nepolione et Bernardo syndi- « cis seu procuratoribus nomine predictarum recipien- « tibus, firma tenere, facere, adimplere, observare, et « contra non venire promittimus, nomine episcopatus, « sub pena centum marcarum argenti, quam penam « solvere et dare promittimus nostro nomine et epis- « copatus Egubini, per nos et nostros successores, « vobis pro predictis abbatissa et monialibus et earum « successoribus recipientibus, stipulatione sollempni, « si a nobis vel a nostris successoribus contra « predicta, vel aliquod predictorum factum fuerit, « qua pena soluta vel non, hoc instrumentum exemp- « tionis semper firmum et ratum permaneat, de qui- « bus omnibus supradictis volumus et mandamus fieri « per Paulum Ermandi de Spoleto, nostrum notarium, « publicum instrumentum, quod duximus ad majorem « auctoritatem prestandam nostri sigilli munimine « roborandum. Jus tamen quod habent ecclesia Sanc- « torum Mariani et Jacobi, et plebes Sancti Johannis « in parrochianis ecclesie Sancti Donati dicti, prefatis « ecclesiis reservamus. Actum apud Eugubium, in « camera predicti domini episcopi, presentibus fratre

« Petro de Castilione, et fratre Francisco domini « Hermanni de ordine fratrum Minorum, Paulicto « Spoleti, et Thoma Leonardi Uguicionis ad hec tes- « tibus rogatis et vocatis. Ego Paulus Ermandi de « Spoleto, sacrosancte Romane Ecclesie notarius, « hiis omnibus interfui, et mandato et auctoritate pre- « dicti domini Jacobi episcopi hoc instrumentum « exemptionis scripsi et publicavi. Ad inditium autem « hujus percepte a Sede Apostolica libertatis, libram « unam cere nobis nostrisque successoribus, annis « singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli etc. « usque : profutura, salva Sedis Apostolice auctori- « tate. Si qua igitur in futurum etc. usque : ultioni. « Cunctis autem eidem loco [etc.] usque : inveniant. « Amen. Amen. »

« Datum Laterani, per manum magistri Rollandi sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, XVII kal. aprilis, indictione XV, Incarnationis dominice anno M.CC.LVI, pontificatus vero donni Alexandri pape IIII, anno tertio. »

1796 Latran, 7 mars 1257.

Praeposito et thesaurario ecclesiae S. Johannis de Nogento Retrodi mandat, quatenus praecepta Sedis Apostolicae exequi procurent, super relaxanda suspensionis sententia, in Theobaldum priorem de Nogento Retrodi lata. (Reg. 25, a. III, c. 194², f. 27.)

« .. *preposito et .. thesaurario ecclesie Sancti Johannis de Nogento Retrodi, Carnotensis diocesis.* Cum dilecto filio Theobaldo priore de Nogento Retrodi, Cluniacensis ordinis, capellano nostro, quem a prioratu ipso et cappellania nostra, pro quibusdam verbis contumeliosis, que dixisse ferebatur cuidam ex familiaribus dilecti filii nostri Hugonis tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis, suspenderamus, ad nostre beneplacitum voluntatis, per recognitionem culpe, consecuto veniam, et reconciliato ad gratiam per emendationem offense, hujusmodi suspensionis sententiam, de apostolice pietatis clementia, duxerimus relaxandam, restituendo ipsum ad capellaniam nostram, et prioratum predictum ac ad alia, que sibi ante dictam suspensionis sententiam competebant, dilecto filio.. abbati Cluniacensi nostris damus litteris in virtute obedientie districtius in preceptis, ut prioratum ipsum, amoto ab eo quolibet detentore, prefato cappellano vel procuratori suo, ejus nomine, non differat assignare, ipsumque plena ejusdem faciat et pacifica possessione gaudere. Contradictores etc. Quocirca mandamus, quatinus si dictus abbas preceptum nostrum in hac parte neglexerit adimplere, vos vel alter vestrum illud exequi procuretis. Quod si non ambo hiis exequendis etc. Datum Laterani, nonis martii, pontificatus anno tertio. »

1797 Latran, 7 mars 1257.

Cum ipse suspensionis sententiam in Theobaldum priorem de Nogento Retrodi latam revocaverit, abbati Cluniacensi mandat, quatenus dicto priori prioratum ipsum assignet, eumque plena et pacifica possessione gaudere faciat. (Reg. 25, a. III, c. 194³, f. 27.)

« .. *abbati Cluniacensi.* Cum dilecto filio Theobaldo —. Dat. Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1798 Latran, 13 mars 1257.

Cum Osmundo, rectore ecclesiae de Bampton dispensat, ut praeter dictam ecclesiam unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 195, f. 27.)

« *Osmundo rectori ecclesie de Bampton*[1], *Exoniensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1799 Latran, 13 mars 1257.

Cum Johanne de Axebrigge, subdecano Wellensi dispensat, ut praeter subdecanatum Wellensem et ecclesiam parrochialem de Finomere, Lincolniensis dioecesis, unicum adhuc beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 196, f. 27.)

« *Johanni de Axebrigge, subdecano Wellensi.* Merita laudabilis —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1800 Latran, 13 mars 1257.

Cum Ada de Mora, canonico Wellensi dispensat, ut praeter beneficia, quae obtinet, quorum proventus quinquaginta marcarum sterlingorum valentiam vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 197, f. 27.)

« *Ade de Mora, canonico Wellensi.* Merita laudabilis —. Dat. ut supra. »

1. *Ms.* : Rompton.

1801 Latran, 16 mars 1257.

Episcopo Civitatensi mandat, quatenus si ei constiterit electionem Musandi presbyteri, tunc prioris monasterii Montissacri, in ejusdem monasterii abbatem, canonice celebratam, eandem auctoritate apostolica confirmet. (Reg. 25, a. III, c. 198, f. 27ᵛ.

« .. *episcopo Civitano*. Ex parte dilectorum filiorum.. prioris et conventus monasterii Montis Sacri ad Romanam Ecclesiam nullo medio, sicut dicitur, pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Sipontine diocesis, fuit propositum coram nobis, quod dudum monasterio ipso abbatis regimine destituto, iidem prior et conventus, prout moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium presbiterum Musandum tunc priorem ejusdem monasterii, virum, ut asserunt, providum et honestum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in abbatem ipsius monasterii canonice et concorditer elegerunt, nobis humiliter supplicantes, ut cum rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, et propter malitiam temporis et viarum discrimina, necnon et dicti monasterii intollerabilem paupertatem, idem electus nequeat Apostolicam Sedem adire pro confirmationis et benedictionis munere obtinendo, confirmari et benedici eundem in illis partibus faceremus. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatinus, si tibi constiterit dictum monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, illam, auctoritate nostra confirmans, eidem electo munus benedictionis impendas et facias sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus ab eo postmodum pro nobis et Romana Ecclesia fidelitatis solite juramentum, juxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum, per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, nobis per proprium nuntium quamtotius studeas destinare. Alioquin ea rite cassata, facias eidem monasterio de persona idonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Datum Laterani, XVII kalendas aprilis, anno tertio. »

1802 Latran, 15 avril 1257.

Cum patriarchae Gradensi, cujus patriarchatus sunt proventus nimis tenues et exiles, litteris apostolicis contulerit monasterium SS. Ilarii et Benedicti, diu abbatis solatio et monachorum collegio destitutum, cumque Johannem Ferrariensem episcopum executorem earumdem litterarum elegerit, quicquid a dicto episcopo factum est in hac parte confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 199, f. 27ᵛ.)

« .. *patriarche Gradensi*. Licet ea, que de mandato nostro fiunt, robur obtineant firmitatis, ut tamen intemerata consistant cum nostro fuerint presidio communita, eis libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod nos, intellecto quod monasterium Sanctorum Ilarii et Benedicti, ordinis Sancti Benedicti, Castellane diocesis, diu abbatis solatio et monachorum collegio remanserat destitutum, propter quod in spiritualibus et temporalibus non modicum erat lapsum, venerabili fratri nostro.. Ferrariensi episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut monasterium ipsum tibi, cujus patriarchatus proventus sunt adeo tenues et exiles quod non potes ex eis secundum quod patriarchali[1] dignitati convenit sustentari, conferre curaret, a te quoad vixeris retinendum. Contradictores etc., non obstante si secus de predicto monasterio per quemcumque de novo existeret attemptatum. Idem vero episcopus quosdam monachos de ipso monasterio citavit legitime, ut per se vel procuratorem ydoneum comparerent peremptorie certo termino coram eo, ostensuri si vellent causam rationabilem quare id fieri non deberet, et cum pro predictis monachis in termino ipso nullus coram eodem episcopo compareret, predictus episcopus, cui legitime constitit de premissis, curam et amministrationem predicti monasterii in spiritualibus et temporalibus tibi commisit, a te quoad vixeris retinendam, et procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem prefati monasterii ac jurium et pertinentiarum ejus fecit induci, in contradictores et rebelles excommunicationis sententia promulgata, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo factum est ratum et firmum habentes, ac supplentes defectum, si quis in hoc est habitus, de apostolice plenitudine potestatis, cum velimus te prefatum monasterium, quoad vixeris, pro tuis necessitatibus retinere, id appellatione, si quam dicti monachi propter hoc ab eodem episcopo ad Sedem interposuerunt Apostolicam,

1. *Ms.* : parrochiali.

et litteris, si que forsan de hoc ab eadem Sede postmodum sunt obtente, nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem instrumenti predicti presentibus inseri facientes, qui talis est :

Venise, 12 août 1256.

« In nomine Dei eterni. Amen. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi M.CC.LVI, mense augusto, die duodecima intrante, indictione quartadecima, Ruvoalto, presentibus domino Bartholomeo Quirin., magistro Vidon., Marco presbitero ecclesie Sancte Crucis, Marino Avolnat. et aliis, dominus Johannes Dei gratia episcopus Ferrariensis, executor seu delegatus litterarum domini pape, ad petitionem et instantiam venerabilis patris domini fratris Angeli, patriarche Gradensis, talem sententiam in scriptis protulit dicens : Nos Joannes, Dei et apostolica gratia Ferrariensis episcopus, executor seu delegatus litterarum domini pape, cum dominus papa nuper nobis suis litteris dederit in mandatis, ut curam et administrationem monasterii Sanctorum Ilarii et Benedicti, ordinis Sancti Benedicti, jurium et pertinentiarum ipsius, spiritualiter et temporaliter, domino patriarche Gradensi, quoad vixerit retinendam, committere deberemus, inducendo ipsum in corporalem possessionem ipsius monasterii et defendendi inductum, ut patet per litteras ipsas, quarum tenor talis est :

Anagni, 9 juin 1256.

« Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Ferrariensi salutem et apostolicam benedictionem. Circa reformationem ecclesiarum et religiosarum maxime, tanto sollicitius cogitare nos convenit, quanto cura ipsarum nobis pre ceteris est commissa. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod monasterium Sanctorum Ilarii et Benedicti, ordinis Sancti Benedicti, Castellane diocesis, jam diu abbatis solatio et monachorum collegio destitutum remansit, propter quod in spiritualibus et temporalibus non modicum est collapsum ; quia vero prout asseritur, per venerabilis fratris nostri .. patriarche Gradensis industriam, cujus patriarchatus proventus sunt adeo tenues et exiles quod non potest ex eis secundum quod patriarchali dignitati convenit sustentari, poterit dictum monasterium, Deo propitio, salutaria suscipere incrementa, fraternitati tue mandamus, quatinus, si est ita, curam et amministrationem ipsius monasterii, jurium et pertinentiarum ejus, spiritualiter et temporaliter, auctoritate nostra, per te vel per alium, patriarche committas eidem, ab eo quoad vixerit retinendam, ipsumque vel procuratorem suum pro eo in corporalem possessionem dicti monasterii inducas et defendas inductum, non obstante aliqua indulgentia cuicumque persone vel loco, sub quacumque forma verborum ab Apostolica Sede concessa, de cujus toto tenore oporteat in nostris litteris mentionem fieri et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, seu si secus de dicto monasterio per quemcumque de novo extitit attemptatum. Contradictores etc., proviso quod idem monasterium divinis officiis non fraudetur. Per hoc autem nolumus in posterum juri diocesani episcopi aliquatenus derogari. Datum Anagnie, V idus julii, pontificatus nostri anno secundo. »

« et nos per nostras litteras citaverimus monachos monasterii antedicti, ut infra certum terminum per nos eisdem prefixum, per se vel idoneum procuratorem et peremptorie coram nobis comparere deberent si possent, rationabile aliquod in contrarium ostensuri, eis in eodem termino per se vel per aliquem responsalem coram nobis minime comparentibus, idem dominus patriarcha cum instantia petiit, ut ad essecutionem injuncti nobis pro ipso mandati procedere deberemus, facta igitur nobis fide plenaria, per eundem dominum patriarcham, quod monasterium ipsum diu abbatis solatio et monachorum collegio destitutum, in spiritualibus et temporalibus non modicum est collapsum, et quod redditus sui patriarchatus sunt adeo tenues et exiles quod ex eis sustentari non potest secundum quod patriarchali convenit dignitati, considerato etiam, quod ex hoc monasterium ipsum, Deo auctore, potest salutaria suscipere incrementa, quamquam predicta omnia et singula ita sint notoria quod nulla possunt tergiversatione celari, ut monachorum ipsorum absentia Dei presentia suppleatur, per sententiam diffinitivam, in scriptis auctoritate nostra concessa, curam et amministrationem dicti monasterii in spiritualibus et temporalibus cum omnibus juribus et pertinentiis suis dicto domino patriarche quoad vixerit committimus retinendam, secundum

« traditam nobis formam, contradictores et rebelles « omnes et singulos in scriptis excommunicationis « vinculo innodantes, et eadem hora predictus domi- « nus patriarcha, qui presens erat, dictam curam et « administrationem reverenter suscepit et dictus « dominus episcopus Ferrariensis, in continenti, « Gabrielem Basilio clericum suum nuntium consti- « tuit, ut dictum dominum patriarcham vel alium loco « ejus in corporalem possessionem et tenutam monas- « terii predicti, jurium et pertinentiarum ipsius, spiri- « tualiter et temporaliter induceret vice sua. Actum « est hoc in ecclesia Sanctorum Apostolorum Philippi « et Jacobi, presentibus testibus memoratis. Ego « Johannes Rolando presbiter, notarius et ducalis « curie venerabilis cancellarius, hiis interfui, rogatus, « scripsi, complevi et roboravi.

« Nulli [etc.] nostre confirmationis, suppletionis etc. Datum Laterani, XVII kalendas aprilis, anno tertio. »

1803 Latran, 13 janvier 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Albani, gravi debitorum oneri subjacentibus, concedit, ut ad proprios usus possint proventus ecclesiarum de Cunesclive et de Wengrave percipere. (Reg. 25, a. III, c. 200, f. 28.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Albani ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis.* Etsi ecclesiarum omnium ac locorum religiosorum nos instantia cotidiana sollicitat, pro hiis tamen specialius favoris nos convenit remedia cogitare, qui ad Romanam Ecclesiam nullo pertinere medio dinoscuntur. Cupientes itaque, ut circa hospitalitatis exercitium, quod apud vos hactenus vigere laudabiliter consuevit, pro eo presertim quod nuper, sicut dicitur, monasterii vestri edificium ruine patuit repentine, quodque idem monasterium gravi debitorum sarcine et onerosis pro Ecclesie Romane negotiis obligationibus subjacere dinoscitur, vestra caritas non tepescat, quam potius apostolice provisionis suffragio intendatur, de Cunesclive et de Wengrave ecclesias, Dunelmensis et Lincolniensis diocesium, quarum proventus, sicut asseritis, triginta et sex librarum sterlingorum valentiam, secundum communem extimationem patrie, annis singulis vix excedunt, et in quibus jus patronatus habetis, devotionis vestre precibus inclinati, auctoritate presentium, vobis in usus proprios in perpetuum, cum vacaverint, deputantes, concedimus, ut cedentibus vel decedentibus rectoribus earumdem, ipsarum possessionem per vos vel vestros procuratores, auctoritate propria diocesanorum locorum vel aliorum quorumlibet assensu minime requisito, libere apprehendere et tenere, ac in eisdem ecclesiis presbiteros eligere valeatis, quibus presbiteris cum tantum de ipsarum ecclesiarum proventibus unde victus et vestitus necessaria possint honestate percipere, juxta tenorem privilegiorum vestrorum duxeritis assignandum, quicquid ex eisdem proventibus residuum fuerit vobis liceat propriis usibus applicare. Qui quidem presbiteri animarum curam a diocesanis episcopis vel eorum vicariis absque venalitate suscipiant, et eisdem teneantur de spiritualibus, vobis autem de temporalibus omnibus respondere. Nulli [etc.] nostre deputationis et concessionis etc. Datum Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1804 Latran, 9 mars 1257.

Gualtero archidiacono Ravennatensi, intuitu electi Vulterani, cujus nepos existit, indulget, ut praeter archidiaconatum Ravennatensem, praeposituram ecclesiae S. Geminiani, Vulteranae dioecesis, ad quam vacantem est canonice electus, recipere et retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 201, f. 28.)

« *Gualtero archidiacono Ravennatensi.* Et probitatis meritis —. Dat. Laterani, VII idus martii, anno tertio. »

1805 Latran, 6 mars 1257.

Philippo de Columba clerico Bajocensis dioecesis indulget, ut, non obstante defectu natalium, quem patitur de clerico in minoribus ordinibus constituto genitus et soluta, ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit; ita tamen quod si illum ad episcopalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipiat absque licentia Sedis Apostolicae speciali. (Reg. 25, a. III, c. 202, f. 28v.)

« *Philippo de Columba, clerico Bajocensis diocesis.* Solet Apostolice Sedis —. Dat. Laterani, II nonas martii, anno tertio. »

1806 Latran, 16 avril 1257.

Geraldo de Boscau, rectori ecclesiae S. Michaelis super Ligerim, indulget, ut praeter eandem ecclesiam, unicum aliud beneficium libere retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 203, f. 28v.

« *Geraldo de Boscau, rectori ecclesie S. Michaelis super Ligerim, Turonensis diocesis.* Volentes tibi gratiam facere —. Dat. Laterani, XVI kal. aprilis, anno tertio. »

1807 Latran, 12 janvier 1257.

Magistro Gileberto de Noctona, subdiacono, rectori ecclesiae de Gretinge, indulget, ut canonici juris et theologiae solemni studio insistat, et interim ad faciendam residentiam in ecclesiae de Gretinge, cujus proventus sex marcarum sterlingorum valenciam annis singulis vix excedunt, compelli non possit. (Reg. 25, a. III, c. 204[1], f. 28v.)

« *Magistro Gileberto de Noctona subdiacono, rectori ecclesie de Gretinge, Nowincensis diocesis.* Obtentu scientie —. Dat. Laterani, II idus januarii, anno tertio. »

1808 Latran, 12 janvier 1257.

Priori de Noctona mandat, quatenus Gileberto rectori ecclesiae de Gretinge studio canonici juris et theologiae per quinquennium insistenti, proventus ipsius ecclesiae faciat ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 204[2], f. 28v.

« .. *priori de Noctona, Lincolniensis diocesis.* Obtentu scientie —. Dat. ut supra. »

1809 Latran, 13 janvier 1257.

Westimonasterii et de Waltam abbatibus mandat quatenus abbatem et conventum monasterii S. Albani in possessionem ecclesiarum de Conesclive et de Wengrave inducant et defendant inductos. (Reg. 25, a. III, c. 205, f. 28v.)

« .. *Westimonasterii et.. de Waltam abbatibus, Londoniensis diocesis.* Etsi ecclesiarum omnium —. Datum Laterani, idibus januarii, anno tertio. »

1810 Latran, 12 mars 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Mariae Falconirii et S. Naboris Mediolanensis mandat, ut Thomasinum pauperem clericum de Fagniano recipientes in canonicum, ei de praebenda provideant in eorum ecclesia. (Reg. 25, a. III, c. 206, f. 29.

« *Preposito et capitulo ecclesie S. Marie Falconirii et S. Naboris Mediolanensis.* Provideri pauperibus clericis —. Dat. Laterani, IIII idus martii, anno tertio. »

1811 Latran, 12 février 1257.

Episcopo Salamantino mandat, quatenus Petro Petri cantori Visensi, capellano R[iccardi] S. Angeli diaconi cardinalis, obsequiis ejusdem cardinalis insistenti, proventus cantoriae Visensis faciat ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 207, f. 29.)

« .. *episcopo Salamantino.* Cum dilectus filius Petrus —. Dat. Laterani, II idus februarii, anno tertio. »

1812 Latran, 11 mars 1257.

Fratri Petro de Rublano, converso monasterii S. Mariae de Gloria indulget, ut in dicto monasterio remanere possit, non obstante quod, abbatis sui non obtenta licentia, se transtulit ad Cisterciensem ordinem et in ipso professionem fecit. (Reg. 25, a. III, c. 208, f. 29.)

« *Fratri Petro de Rublano, converso monasterii S. Marie de Gloria Anagnini, Florensis ordinis.* Cupientes proni ad ea —. Dat. Laterani, V idus martii, anno tertio. »

1813 Latran, 14 mars 1257.

Magistro Garino de Burgo Regis confirmat facultatem ab abbate monasterii de Elemosina Cistercii concessam, retinendi unum aliud beneficium praeter ecclesiam S. Martini de Molinis, quam obtinet. (Reg. 25, a. III, c. 209, f. 29.)

« *Magistro Garino de Burgo Regis, rectori ecclesie Sancti Martini de Molinis, Sagiensis diocesis.* Cum a nobis petitur etc. : usque effectum. Tua sane petitio nobis exhibita continebat, quod cum felicis recordationis I. papa predecessor noster dilecto filio .. abbati monasterii de Elemosina Cistertii, Carnotensis diocesis, ordinis Cistertiensis, dispensandi tecum, quod preter ecclesiam Sancti Martini de Molinis, quam obtines, posses unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiamsi curam animarum haberet, libere recipere, si tibi canonice offeratur, et una cum eadem ecclesia licite retinere, non obstante constitutione concilii generalis, concesserit per suas litteras facultatem, idem abbas tecum super hoc auctoritate hujusmodi, juxta formam sibi traditam dispensavit, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Nos itaque

tuis precibus inclinati, quod ab eodem abbate in hac parte provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli [etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, II idus martii, anno tertio. »

1814 Latran, 9 mars 1257.

Magistro et fratribus domus militiae Templi Jerosolimitani indulget, ut si ecclesiarum praelati velint ex eis exactiones exigere, quae eorum predecessores noscuntur non percepisse, possint eis easdem denegare. Reg. 25, a. III, c. 210, f. 29.

« .. *magistro et fratribus domus militie Templi Jerosolimitani.* Ante oculos mentis nostre habemus cotidie necessitatem maximam Terre Sancte. Non enim possumus nec debemus casus ipsius miserabiles oblivisci, et ideo ad devotionis vestre fervorem, cum pro subventione terre predicte nec personis vestris parcatis, nec rebus, sicut est hoc tempore oportunum, valde gratanter aspicimus, et dignis vos laudibus exinde commendamus. Quia vero sicut ejusdem terre negotium majus subsidium exigit, et vos ei magis habundantius subvenitis, sic ampliorem promereamini dilectionem, gratiam et favorem, cum ita viscera pietatis et compassionis expanditis ad dictum negotium, ut a nobis et aliis vos oporteat ad tante caritatis opus liberaliter adjuvari, jura vestra, quantum vobis gratia divina concedit, integra et inconcussa servare proponimus, et vobis benignitatis nostre habundantiam in benedictionibus dulcedinis exhibere. Quapropter, dilecti in Domino filii, quieti et tranquillitati vestre providere volentes, auctoritate vobis presentium, vestris inclinati supplicationibus, indulgemus, ut archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum prelati, in vobis et vestris, quas habetis et tenetis, ecclesiis, salva procuratione si qua debetur eisdem, eo tantummodo sint jure contenti, quod ipsi et predecessores eorum a vobis et predecessoribus vestris noscuntur hactenus habuisse. Quod si amplius petere vel extorquere contenderint, vobis id liceat auctoritate Sedis Apostolice denegare. Nulli etc. [nostre concessionis etc. Datum Laterani, VII idus martii, anno tertio. »

1815 Latran, 19 mars 1257.

Petro Sisti de Traeosis, civi Romano, officia judicatus et tabellionatus concedit. Reg. 25, a. III, c. 211, f. 29v.

« *Petro Sisti de Traeosis, civi Romano.* Quoniam si jus sibi quilibet in propria causa dictaret, non sopirentur discordantium lites, sed potius augerentur, et eorum fieret odium immortale, provida fuit deliberatione provisum, ut certe persone, que forent in jure perite, ad judicatus sumerentur officium, et aliorum lites juxta juris ordinem terminarent. Rursum inventum est tabellionatus officium, ut, sicut communis exposcit utilitas, ad cautelam presentium et futurorum memoriam scriptura publica debeat interponi. Cum igitur te in nostra presentia constituto, de tua nobis ad utrumque officium ydoneitate constaret, tam judicatus quam tabellionatus officia, cum potestate dandi tutores et curatores, decretum interponendi, decernendi alimenta, testes recipiendi et publicandi acta, protocolla et instrumenta, exemplandi, necnon auctoritatem prestandi, emancipare, manumittere et adoptare volentibus, tibi duximus concedenda, ut in officiis ipsis fideliter te exerceas et prudenter, et ad te, cum necesse fuerit, in hiis, que ad officia ipsa pertinent, recurratur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno tertio. »

1816 Latran, 1er mars 1257.

Theobaldo de Bargon, juxta tenorem litterarum Innocentii quondam papae, in ecclesia Burgi Sancti Donini, Parmensis dioecesis, recepto in canonicum, hanc receptionem confirmat. Reg. 25, a. III, c. 212, f. 29v.

« *Theobaldo de Bargon, clerico Parmensis diocesis, familiari dilecti filii nostri O. sancti Adriani diaconi cardinalis.* Exposita nobis tua petitio —. Dat. Laterani, kalendis martii, anno tertio. »

1817 Latran, 1er mars 1257.

Priori S. Crucis Nimocensis et thesaurario ecclesiae Beritensis mandat, ut Philippo de Paxano, in ecclesia Nicosiensi recepto in canonicum, juxta litteras Innocentii quondam papae de praebenda providere procurent, non obstante constitutione quadam contraria. Reg. 25, a. III, c. 213, f. 29v.)

« .. *priori Sancte Crucis Nimorensis et thesaurario ecclesie Beritensis.* Lecta nobis dilecti filii Philippi de Paxano subdiaconi nostri petitio —. Dat. Laterani, kal. martii, anno tertio. »

1818 Latran, 15 mars 1257.

Episcopo Achadensi, in supplementum tenuitatis proventuum episcopalium, quartam partem decimarum in Achadensi dioecesi de antiqua consuetudine et approbata et hactenus observata percipiendarum, concedit. (Reg. 25, a. III, c. 214, f. 29v; Potthast 16783.)

« .. *episcopo Acchadensi*. Non est petitio improba —. Dat. Laterani, idibus martii, anno tertio. »

1819 Latran, 17 janvier 1257.

Magistro Bartholomaeo praeposito saecularis ecclesiae de Castellarano, Reginae dioecesis, collationem praepositurae dictae ecclesiae, ei ab episcopo Regino, auctoritate litterarum Innocentii quondam papae factam, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 215, f. 29v.)

« *Magistro Bartholomeo, preposito secularis ecclesie de Castellarano, Regine diocesis*. Inducunt nos —. Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno tertio. »

1820 Latran, 23 mars 1257.

Magistro et prioribus et fratribus ordinis Praedicatorum concedit, ut singulis in locis sibi commissis, bona, quae fratres habitum ordinis assumentes diversis personis, quae sciri et inveniri non possunt, restituere teneantur, in pios usus convertant. (Reg. 25, a. III, c. 216, f. 29v; Potthast 16797.)

« .. *magistro et prioribus et fratribus ordinis Predicatorum*. De meritorum vestrorum multitudine —. Dat. Laterani, X kal. aprilis, anno tertio. »

1821 Latran, 28 mars 1257.

Magistro et prioribus ac fratribus ordinis Praedicatorum concedit, ut singuli fratres, quos secundum constitutiones ipsius ordinis conventibus suis deputandos duxerint in lectores, sine cujusquam alterius licentia libere in domibus praedicti ordinis legere et docere valeant in theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus sollempniter incipere consuevit. (Reg. 25, a. III, c. 217, f. 30; Potthast 16804.)

« .. *magistro et prioribus, ac fratribus ordinis Predicatorum*. Exultante spiritu frequenter advertimus, quod status Ecclesie generalis per vestre predicationis ac doctrine salutaris instantiam, divina gratia suffragante, multipliciter illustratur. Ex hac siquidem pia consideratione procedit, quod nos ad illa omnia esse prompti delectamur et faciles, per que vos, precones divini nominis, indeclaranda fidei scientia et roboranda operum disciplina vestri desiderii sanctitatem perficere valeatis. Hinc est quod nos devotioni vestre presentium auctoritate concedimus, ut singuli fratres de ordine vestro, quos secundum constitutiones ipsius ordinis conventibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine cujusquam alterius licentia, libere in domibus predicti ordinis legere ac docere valeant in theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus sollempniter incipere consuevit. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, V kal. aprilis, anno tertio. »

1822 Latran, 13 mars 1257.

Episcopo Carnotensi mandat, quatenus cum fratre Thoma presbytero, canonico ecclesiae Blesensis, ordinis S. Augustini, super defectu natalium, quem patitur de presbytero genitus et soluta dispenset, ut in susceptis ordinibus ministrare et ad regulares dignitates ac administrationes, seu etiam abbatiam ipsius ordinis, si alias ad ejus regimen canonice evocetur, assumi valeat. (Reg. 25, a. III, c. 218, f. 30.)

« .. *episcopo Carnotensi*. Virtutum merita —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1823 Latran, 13 mars 1257.

Magistro Johanni nato Roberti dispensat, ut praeter beneficia quae obtinet, quorum proventus quindecim marcarum sterlingorum valentiam vix excedunt, aliud simile beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 219, f. 30.)

« *Magistro Johanni nato Roberti, S. Manchani de Lannerno et de Egglesros ecclesiarum rectori, Exoniensis diocesis*. Illos precipue —. Dat. Laterani, III idus martii, anno tertio. »

1824 Latran, 21 mars 1257.

Magistro Gualtero de Mortuo Mari, decano ecclesiae Glasguensis, indulget, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ad episcopalem dignitatem eligi libere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 220[1], f. 30.)

« *Magistro Gualtero de Mortuo Mari, decano ec-*

clesie Glasguensis. Illegitime genitos —. Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno tertio. »

1825 Latran, 23 mars 1257.

Magistro Gerardo diacono, canonico Cracoviensi, indulget, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de clerico in minoribus constituto genitus et soluta, in susceptis ministrare ordinibus, promoveri in presbyterum, ac personatus et dignitates ecclesiasticas recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 220[2], f. 30.)

« *Magistro Gerardo diacono, canonico Cracoviensi.* Etsi geniti —. Dat. Laterani, X kal. aprilis, anno tertio. »

1826 Latran, 23 mars 1257.

Septenarium taxat numerum clericorum in ecclesia S. Valentini de Stimiliano deservientium, inhibetque, ne aliquis ultra eumdem numerum, in dicta ecclesia admitti possit. (Reg. 25, a. III, c. 221, f. 30.)

« .. *archipresbitero et clericis Sancti Valentini de Stimiliano, Sabinensis diocesis.* Cum multitudo in illis ecclesiis, quarum facultates paucis sufficiunt, potius sit oneri quam honori, et ecclesia vestra, prout accepimus, personarum numero ultra quam ipsius possibilitas exigit sit gravata, nos vestris supplicationibus inclinati, septenarium clericorum numerum in ecclesia predicta taxantes, statuimus, ut eadem ecclesia predicto numero de cetero sit contenta, districtius inhibentes, ne aliquis in dicta ecclesia, cum vestrum collegium redactum fuerit ad numerum pretaxatum, ultra ipsum in ecclesia admittatur absque speciali mandato Sedis Apostolice faciente plenam de presentibus mentionem. Nos insuper decernimus irritum et inane si secus a quoquam fuerit attemptatum, nisi facultates ipsius ecclesie in tantum excreverint, quod prefatus numerus merito debeat augmentari, auctoritate Sedis Apostolice semper salva. Nulli (etc.) nostre constitutionis, et inhibitionis etc. Datum Laterani, X kalendas aprilis, anno tertio. »

1827 Latran, 10 mars 1257.

Priorissae et conventui monasterii Beatae Mariae de Pruliano indulget, ut de terris et possessionibus suis nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 25, a. III, c. 222, f. 30v.)

« .. *priorisse et conventui monasterii Beate Marie de Pruliano, ordinis Sancti Augustini, Tholosane diocesis.* Pietatis opera, cujus observantie vos pro Christi gloria deputastis, adeo nobis Apostolice Sedis gratiam promerentur, ut ea, que cum Deo et honestate possumus, vobis favore benivolo concedamus. Eapropter dilecte in Christo filie, vestris justis precibus inclinati, ut de terris et possessionibus vestris, quas propriis sumptibus excoli feceritis, vel aliis concesseritis excolendas, necnon de molendinis et animalium nutrimentis, nulli decimas solvere teneamini, nec aliquis ad id vos coartare valeat, nisi vos ad alium ordinem transferretis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, VI idus martii, anno tertio. »

1828 Latran, 23 mars 1257.

Abbatissae et conventui monasterii S. Agnetis Astensis indulget, ut capellanus coenobii presbyter eas possit ab excommunicatione propter manuum violentam injectionem incursa, per quinquennium tantum, absolvere. (Reg. 25, a. III, c. 223, f. 30v; Potthast 16796.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Agnetis Astensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Damiani.* Desideriis vestris in hiis affectu benivolo libenter annuimus, per que vestri status tranquillitas procuretur. Sane fuit nobis ex parte vestra humiliter supplicatum, ut si contingeret interdum aliquas vestri monasterii moniales in se ipsas manus inicere violentas, providere talibus paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si monasterium ipsum ad Romanam Ecclesiam, prout asseritis, nullo medio pertinet, capellanus ipsius monasterii presbiter, qui pro tempore fuerit in eodem, easdem moniales, auctoritate nostra, a sententia excommunicationis, si quam propter hoc incurrerint, absolvere possit, nisi adeo fuerit gravis et enormis excessus, quod super eo sit Sedes Apostolica merito consulenda; presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, X kalendas aprilis, anno tertio. »

1829 Latran, 23 mars 1257.

Hierosolymitano et Antiocheno patriarchis mandat, quatenus juxta continentiam litterarum Innocentii quondam

papae a se ipso confirmatarum, Philippo de Paxano, subdiacono suo, jam in canonicum ecclesiae Nicosiensis recepto, in eadem ecclesia de personatu vel dignitate ac praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 224, f. 30v.)

« .. *Jerosolimitano et Anthioceno patriarchis.* Dilectus filius Philippus de Paxano — Dat. Laterani, X kal. aprilis, anno tertio. »

1830 Latran, 15 mars 1257.

Decano et capitulo Remensibus indulget, ut Petro cantori ecclesiae Remensis, qui in terra sua velle sacrae paginae studere proponitur, proventus praebendae suae exhibere non teneantur, nisi residentiam faciat Remis aut alibi, ubi generalis scolastici studii viget disciplina. (Reg. 25, a. III, c. 225, f. 30v.)

« .. *decano et capitulo Remensibus.* Cupientes Dei Ecclesiam litteratis viris et presertim in sacra eruditis pagina copiosius redimiri, ut eorum doctrina in Dei templo ut sol et luna fulgeat, erroris et ignorantie tenebris dissolutis, frequenter hiis, quos dociles credimus et habere animum ad studendum, mandamus in scolis et maxime theologice facultatis, proventus suos ecclesiasticos exhiberi, vel quod ipsos percipere valeant per nostras litteras indulgemus. Sed nonnulli circa hoc fraudulenter agentes, hujusmodi obtentis proventibus, ad loca sollempnis studii non accedunt, quin etiam vel in locis ubi alia beneficia obtinent, aut forsitan in natali solo, vel alibi non ut studeant, sed ut abundantius affluant [et] dissolutius vivere valeant, commorantur, ad excusandas excusationes in peccatis scolas Predicatorum vel Minorum ordinis vel alterius docentis ibidem perfunctorie adeundo. Sane lecta nobis vestra petitio continebat, quod cum ecclesia vestra propter canonicorum ipsius absentiam residere non curantium in eadem pateretur defectum non modicum in divinis, et debitis obsequiis fraudaretur, quod inter canonicos ejusdem ecclesie residentes, qui horis matutinis intersunt, proventus omnium canonicorum ipsius ecclesie absentium, qui dicuntur foranei, dividantur, deliberatione provida statuistis, et statutum hujusmodi extitit tam per aliquos predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, quam per nos postmodum confirmatum. Verum abbas Insule Barbare, Lugdunensis diocesis, litterarum nostrarum auctoritate moneri vos fecit, ut Petro cantori sepedicte ecclesie curaretis proventus cantorie ac prebende sue ipsius ecclesie per quinquennium in sacra studenti pagina ministrare, qui utique non Parisius vel in alio loco studii generalis, sed in terra sua vel ubi beneficiatus existit, velle studere proponitur, licet Remis adeo utiliter sicut et alibi in dicta pagina studere si velit valeat, et eidem ecclesie deservire. Unde nobis humiliter supplicastis, ut, ne contra statutum predictum sub hujusmodi fictionis velamine veniatur, salubre super hoc adhibere remedium de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque vestre devotionis precibus inclinati, ut per nostras litteras, cujuscumque tenoris existant, contra predicti statuti formam, fructus ipsos eidem cantori, nisi Remis in predicta pagina studenti vel alibi ubi generalis in ea viget scolastici studii disciplina, per litteras apostolicas non teneamini exhibere, neque ad id per dictum abbatem vel quoscumque alios coartari possitis, auctoritate vobis presentium indulgemus, decernentes irritas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias in vos vel vestrum aliquem seu dictam ecclesiam hujusmodi occasione, utpote contra intentionem nostram prolatas, et ferendas contra presentis concessionis nostre tenorem nullius existere firmitatis. Nulli [etc.] nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Laterani, idibus martii, anno tertio. »

1831 Latran, 19 mars 1257.

Magistro Johanni canonico Ulixbonensi indulget, ut praeter dictum canonicatum et ecclesiam S. Mariae de Villa Viridi, curam animarum habentem, cujus proventus quindecim marcarum sterlingorum valentiam annis singulis vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 226, f. 31.)

« *Magistro Johanni, canonico Ulixbonensi, rectori ecclesie Sancte Marie de Villa Viridi, Ulixbonensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno tertio. »

1832 Latran, 21 mars 1257.

Confirmat collationem ac investitionem canonicatus ecclesiae Narbonensis magistro Pontio de Alzona a Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali factas. (Reg. 25, a. III, c. 227[1], f. 31.)

« *Magistro Pontio de Alzona, Carcasonensis diocesis.* Ex tenore tue petitionis accepimus, quod dilec-

tus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, cujus phisicus et capellanus existis, auctoritate litterarum nostrarum tibi canonicatum ecclesie Narbonensis cum plenitudine juris canonici conferens, te de hiis per suum anulum investivit, prout in litteris inde confectis et suo sigillo signatis plenius continetur. Nos igitur devotionis tue precibus inclinati, quod ab eodem cardinali factum est in hac parte, ratum habentes et gratum, ac supplentes si quis extitit ex quacumque causa vel omissione in ipsa collatione ac investitione defectum de nostre plenitudine potestatis, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem dictarum litterarum cardinalis ejusdem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Rome, 14 mars 1257.

« Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad Ve-
« lum Aureum diaconus cardinalis, dilecto capellano
« et phisico nostro magistro Pontio de Alzona, salu-
« tem in Domino. Ad honorandum personam tuam,
« dominus papa, tuorum probitate meritorum inductus,
« direxit nobis apostolicas litteras in hunc modum :

Latran, 20 février 1257.

« Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto
« filio P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono
« cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.
« Attendentes laudabilia merita dilecti filii magistri
« Pontii de Alzona phisici et capellani tui, quibus
« apud te multipliciter gratiosus habetur, intendimus
« eum precipui favoris gratia prevenire, ut a nobis
« condigna premia percipiat, que suarum virtutum
« instantia promeretur. Hiis itaque digna considera-
« tione pensatis, discretioni tue providendi sibi de
« canonicatu ecclesie Narbonensis, cum plenitudine
« juris canonici, plenam auctoritate presentium con-
« cedimus facultatem, non obstante statuto de certo
« canonicorum numero juramento vel confirmatione
« Sedis Apostolice aut quacumque firmitate alia robo-
« rato, seu si venerabili fratri nostro.. archiepiscopo
« et capitulo Narbonensibus communiter vel divisim
« ab eadem Sede indultum existat, quod per litteras
« apostolicas nemini de canonia possit inibi provideri,
« que de indulto hujusmodi plenam et expressam
« non fecerint mentionem, et qualibet alia indulgen-
« tia dicte Sedis, per quam ipsius provisio impediri
« valeat vel etiam retardari. Datum Laterani, X
« kalendas martii, pontificatus nostri anno tertio.

« Nos igitur hujus concessionis auctoritate, cano-
« nicatum predicte Narbonensis ecclesie cum pleni-
« tudine juris canonici juxta formam nobis in hac
« parte traditam presentium tibi tenore conferimus,
« et de hiis per nostrum anulum investimus. In cujus
« rei testimonium presentes litteras sigilli nostri
« munimine fecimus roborari. Datum Rome, II idus
« martii, anno Domini M.CC.LVII. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, XII kalendas aprilis, anno tertio. »

1833 Anagni, 12 septembre 1255.

Magistro Joanni de Putot per quinquennium in scholis vel in obsequiis abbatis Fiscanensis insistenti indulget, ut in ecclesia S. Georgii juxta Fontes, quam obtinet, per idoneum vicarium deserviri faciat et ejusdem ecclesiae redditus interim integre percipiat. Reg. 25, a. III, c. 227[2]; f. 31.

« *Magistro Johanni de Putot rectori ecclesie Sancti Georgii juxta Fontes, Rothomagensis diocesis.* Volentes tibi, obtentu dilecti filii.. abbatis Fiscanensis, gratiam facere specialem, ut in ecclesia Sancti Georgii juxta Fontes, Rothomagensis diocesis, curam animarum habente, quam obtines, per quinquennium in scolis vel ejusdem abbatis insistens obsequiis, per idoneum facias vicarium deserviri, ejusdem ecclesie redditus interim integre ac si resideres in ea personaliter percepturus, nec medio tempore compelli valeas ad suscipiendos superiores ordines, vel ad faciendam residentiam in eadem, non obstante juramento, quod de ordinibus successive recipiendis et personali residentia in eadem ecclesia facienda diceris prestitisse, vel si loci diocesano ab Apostolica Sede concessum sit, ut nullis obstantibus indulgentiis hujusmodi, rectores ecclesiarum parrochialium sue diocesis compellere valeat ad predicta, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie, II idus septembris, anno primo. »

1834 Latran, 21 mars 1257.

Priorissae et conventui monasterii S. Mariae de Pruliano, ecclesiam S. Mariae Fani Jovis, quam beatae memoriae

Fulco, episcopus Tholosanus, utpote ad mensam suam spectantem, eorum monasterio, quod ipse contruxerat, pia liberalitate concessit, auctoritate apostolica confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 228, f. 31; Potthast 16793.

« .. *priorisse et conventui monasterii Sancte Marie de Pruliano, ordinis Sancti Augustini, Tholosane diocesis.* Inter alias personas, que se Christi obsequiis dedicarunt, mulieres Deo devote, que fragilitatem suam stabili religionis proposito fulcientes mundanas spernunt illecebras, sanctificando in corporibus suis mundam Sancto Spiritui mansionem, apostolici sunt favoris presidio muniende. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod bone memorie Fulco, episcopus Tholosanus, ecclesiam Sancte Marie Fani Jovis tunc ad mensam suam spectantem monasterio vestro, quod ipse construxerat, pia et provida liberalitate concessit, prout in ipsius litteris inde confectis plenius dicitur contineri, et felicis recordationis G. papa predecessor noster vobis ecclesiam hujusmodi confirmavit, quam, sicut proponitis, sine lite ac pacifice possidetis. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod per eundem episcopum in hac parte provide factum est, ratum et gratum habentes, illud, non obstante quod in hiis capituli Tholosani non intervenit assensus, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, XII kalendas aprilis, anno tertio. »

1835 Latran, 11 mars 1257.

Episcopo Valentino mandat, quatenus libera resignatione abbatis monasterii Aggedensis recepta, eidem monasterio personam idoneam praeficiat in abbatem. (Reg. 25, a. III, c. 229, f. 31v.

« .. *episcopo Valentino.* Exhibita nobis dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Aggetensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini, Urgellensis diocesis, petitio continebat, quod idem abbas propter gravium diversitates morborum corde debilitatus et corpore ipsius vult cedere regimini abbatie. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut cum per quosdam laicos illarum partium electionem eorum frequenter impediri consueverit ac etiam vitiari, et propter hoc dubitent non immerito, quod ad electionem abbatis procedere concorditer ac canonice non valerent, providere super hoc eidem monasterio de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos igitur indempnitati ejusdem monasterii, quod est, ut dicitur, Sedis Apostolice speciale, volentes quantum cum Deo possumus precavere, mandamus, quatinus, si est ita, ab eodem abbate vice nostra, prout alias tibi per litteras nostras commisimus, libera ipsius abbatis resignatione recepta, si de ipsius conventus processerit voluntate, preficias auctoritate nostra eidem monasterio personam idoneam in abbatem, ei facias a subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac ei munus benedictionis impendens, ab eo fidelitatis solite nostro et Ecclesie Romane nomine recipias juramentum juxta formam, quam tibi mittimus nostris litteris interclusam. Contradictores etc. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quamcitius poteris fideliter destinare procures. Datum Laterani, V idus martii, anno tertio. »

1836 Latran, 28 février 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Juliani in Strata Laudensis mandat, quatenus Albertinum de Basilica Petri scolarem, postquam clericali fuerit caractere insignitus, in canonicum recipiant eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 230, f. 31v.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Sancti Juliani in Strata Laudensis, Mediolanensis diocesis.* Ad provisionem illorum —. Dat. Laterani, II kal. martii, anno tertio. »

1837 Latran, 7 mars 1257.

Magistro Nicholao dicto Scarso, canonico Cameracensi, mandat, ut juxta continentiam litterarum Innocentii quondam papae Dominico de Caleno, in regno Alamaniae, de praebendali vel alio ecclesiastico beneficio provideat. (Reg. 25, a. III, c. 231, f. 31v.

« *Magistro Nicholao dicto Scarso, scriptori nostro, canonico Cameracensi.* Dilectus filius Dominicus de Caleno, capellanus dilecti filii nostri R. Sancti Angeli diaconi cardinalis nobis exposuit, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster, obtentu clare memorie Willelmi regis Romanorum, cujus idem Dominicus tunc temporis clericus existebat, tibi

suis dedit semel et iterum litteris in mandatis, ut in regno Alamanie de prebendali vel alio ecclesiastico beneficio competenti, etiamsi curam animarum haberet, quamcito se facultas offerret, per te vel alium eidem clerico provideres, et licet tu, auctoritate hujusmodi litterarum, super provisione sua in regno predicto per te ac alios procedere inceperis, dicto predecessore vivente, nullum tamen idem capellanus ex ipsis litteris est commodum assecutus. Volentes igitur, obtentu cardinalis predicti, hujusmodi perduci gratiam ad effectum, mandamus, quatinus, si est ita, ad provisionem ipsius capellani in regno prefato, auctoritate nostra, per te vel alium, sine qualibet difficultate procedas, juxta dictarum litterarum ad te continentiam directarum, non obstante constitutione super revocatione inhibitionum et reservationum ac acceptationum de beneficiis a nobis edita, seu aliqua indulgentia Sedis Apostolice, per quam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua plenam et expressam fieri oporteat in presentibus mentionem. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane si quid contra mandatum nostrum super premissis in prejudicium dicti capellani fuerit ab aliquo attemptatum. Datum Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1838 Latran, 28 février 1257.

Cantori ecclesiae Ulixbonensis mandat, quatenus ad provisionem Joannis Egri presbyteri, procedat, juxta Innocentii quondam papae litterarum continentiam. (Reg. 25, a. III c. 232, f. 31v.)

« .. *cantori ecclesie Ulixbonensis*. Dilectus filius Johannes Eger —. Dat. Laterani, II kal. martii, anno tertio. »

1839 Latran, 28 février 1257.

Conventui monasterii S. Albani indulget, ut occasione cujusdam constitutionis Innocentii quondam papae, nullum libertatibus et immunitatibus dicti monasterii praejudicium generetur. (Reg. 25, a. III, c. 233, f. 31v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Albani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis*. Cum olim felicis recordationis I. papa predecessor noster duxerit statuendum, ut exempti, quantacumque gaudeant libertate, nichilominus tamen ratione delecti seu contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri, et illi quoad hec suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere, vos dubitantes, ne per constitutionem hujusmodi, libertatibus et immunitatibus vobis et prioribus cellarum vestrarum eadem vobiscum libertate gaudentibus, ac ordini vestro per privilegia et indulgentias ab Apostolica Sede concessis prejudicari valeat, nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc indempnitati vestre, paterna sollicitudine curaremus. Quia vero ejusdem ordinis sacra religio sic vos apud nos dignos favore constituit, ut votivum nobis existat vos et eosdem priores ab omnibus, per que vobis possint provenire dispendia, immunes libenti animo preservare, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut occasione constitutionis hujusmodi, nullum eisdem libertatibus et immunitatibus in posterum prejudicium generetur. Nulli etc. (nostre concessionis etc. Datum Laterani, II kalendas martii, anno tertio. »

1840 Latran, 21 mars 1257.

Simoni Passelewe clerico indulget, ut praeter ecclesiastica beneficia, quae in regno Angliae obtinet, duo adhuc beneficia curam animarum habentia licite recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 234, f. 32.)

« *Simoni Passelewe, clerico.. regis Anglie*. Etsi propter ambitiones —. Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno tertio. »

1841 Latran, 10 mars 1257.

Episcopo Lemovicensi mandat, quatenus Heliae Nigri pauperi clerico Lemovicensis dioecesis, qui nullum beneficium est assecutus, de aliquo ecclesiastico beneficio provideat, dummodo sit idem clericus idoneus et in ipso personaliter residere velit. (Reg. 25, a. III, c. 235, f. 32.)

« .. *episcopo Lemovicensi*. In nostra presentia constitutus, dilectus filius Helias Nigri —. Dat. Laterani, VI nonas martii, anno tertio. »

1842 Latran, 28 mars 1257.

Odoni archiepiscopo Rothomagensi committit, ut statutum a correctoribus monasterii S. Audoeni Rothomagensis super silentii observatione editum moderetur juxta S. Benedicti

regulam, si ex eodem statuto videritanimabus praedictorum abbatis et conventus aeternae salutis periculum imminere. (Reg. 25, a. III, c. 236, f. 32; Potthast 16801.)

« .. *archiepiscopo Rothomagensi*. Ex parte dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Sancti Audoeni Rothomagensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum venerabilis frater noster.. episcopus Sagiensis, et dilecti filii.. Gemeticensis et.. de Walemont abbates, Rothomagensis diocesis, quibus visitatio, correctio et reformatio ipsius monasterii erat ab Apostolica Sede commissa, minus provide avertentes, quod regula beati Benedicti super observatione silentii riget non levibus institutis, novo destitutionis sue statuto, in animarum degentium in dicto monasterio personarum evidens periculum edixisse noscantur, ut si aliqua ex personis ipsis audiat aliam verbo perfecto vel imperfecto infra septa dicti monasterii silentium violare, debeat id in capitulo proximo sequenti referre, si id omiserit ipso facto suspensionis sententiam ac irregularitatem etiam, si sic ligatus se divinis officiis immiscuerit, incursurus, et ex statuto hujusmodi multa pericula eveniant animarum personarum degentium in monasterio supradicto, providere super hoc de consueta Sedis Apostolice clementia curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, tibi, qui loci diocesanus existis, presentium auctoritate committimus, ut si ex eodem statuto videris animabus personarum predictarum eterne salutis periculum iminere, illud auctoritate nostra juxta prefatam regulam modereris. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno tertio. »

1843 Latran, 7 mars 1257.

Joanni dicto Regi collationem cujusdam beneficii confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 237, f. 32.)

« *Joanni dicto Regi, canonico ecclesie Briocensis, capellano P. Sancti Georgii ad Velum Aureum dyaconi cardinalis*. Exposita nobis devotionis tue petitio continebat, quod cum dilecto filio magistro Philippo magistro scolarum Cenomanensi sub certa forma nostris dedissemus litteris in mandatis, ut tibi vacantem prebendam, quam venerabilis frater noster Rodulfus Briocensis episcopus in ipsa ecclesia promotionis sue tempore obtinebat, per se vel per alium assignare curaret, ac te in corporalem possessionem ipsius prebende induceret, et tueretur inductum, contradictores etc. magister Matheus, canonicus ecclesie de Ambasia, cui dictus magister scolarum commiserat super hoc totaliter vices suas, prebendam ipsam nulli alii debitam tibi auctoritate hujusmodi canonice contulit litterarum, prout in instrumento inde confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem canonico in hac parte provide factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, nonis martii, anno tertio. »

1844 Latran, 26 mars 1257.

Priori et conventui fratrum Praedicatorum Valentinis significat se inhibere, ne quis impediat, quominus corpora personarum illarum, quae apud eorum ecclesiam elegerint sepeliri, possint in ipsius ecclesiae coemeterio tradere sepulturae. (Reg. 25, a. III, c. 238, f. 32; Potthast 16798.)

« .. *priori et conventui fratrum Predicatorum Valentinis*. Meritis vestre religionis inducimur, ut quam digne possumus, vobis libenter gratiam faciamus. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, ne aliquis impedire presumat, quominus corpora personarum illarum, que apud ecclesiam vestram in voluntate ultima elegerint sepeliri, dummodo id per instrumentum legitimum, vel per duos testes ostenderitis fidedignos, possitis in ipsius ecclesie cimiterio tradere sepulture, auctoritate presentium districtius inhibemus, cum loci vestri liberam habeatis ecclesiasticam sepulturam, decernentes irritum et inane si quid contra inhibitionem hujusmodi, a quoquam contigerit attemptari. Salva tamen canonica justicia illarum ecclesiarum, a quibus assumuntur corpora mortuorum. Nulli [etc.] nostre inhibitionis et constitutionis etc. Datum Laterani, VII kalendas aprilis, anno tertio. »

1845 Latran, 19 mars 1257.

Magistro Michaeli, cantori ecclesiae Andegavensis, mandat, quatenus super perceptione cantoriae ipsius ecclesiae, juxta litterarum Apostolicae Sedis continentiam, procedere non postponat. (Reg. 25, a. III, c. 239, f. 32v.)

« *Magistro Michaeli, cantori ecclesie Andegavensis.* Dilecti filii.. abbas et conventus Majoris Monasterii Turonensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, sua nobis petitione monstrarunt, quod ipsi communiter et idem abbas per se diversas litteras super diversis causis et negotiis ad te tunc archidiaconum Transligerensem in ecclesia Andegavensi tantum, et aliquas ad te ac venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Andegavensem a Sede Apostolica impetrarunt, per quas, ea occasione dumtaxat quod desiisti esse archidiaconus, perceptionem cantorie ipsius ecclesie procedere pretermittis, in eorumdem abbatis et conventus et dicti monasterii prejudicium et gravamen, quamquam expresso nomine ad te dicte littere fuerint impetrate. Quare predicti abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis et eidem monasterio super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, occasione hujusmodi non obstante, per predictas litteras procedere non postponas, si aliud rationabile non obsistat. Datum Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno tertio. »

1846 Latran, 23 mars 1257.

Cum nobili muliere Sibilia et nobili viro R. vicecomite Cardonae dispensat de quodam impedimento matrimonii. (Reg. 25, a. III, c. 240, f. 32v.)

« *Nobili mulieri Sibilie uxori et nobili viro R. vicecomiti Cardone, Urgellensis diocesis.* Attenta Sedis Apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans quibusdam interdum concedit aliqua ex plenitudine potestatis, que alias ipsis minime indulgeret, et quedam aliquando denegat, que aliis forsitan temporibus largiretur, dispensans oportune juxta necessitatem temporis suarum merita gratiarum, nunc ea impendendo benigne, nunc autem, inspecta utrobique ipsius qualitate temporis, merito denegando, ut in hiis quod utile ac salubre fore perspexerit semper agat. Cum itaque, sicut accepimus, tu dudum ignorans, quod quondam .. uxor nobilis viri R., vicecomitis Cardone, viri tui, tibi quarto consanguinitatis gradu conjuncta fuerat, cum eodem R. matrimonium in facie Ecclesie duxeris contrahendum, carnali postmodum inter te et ipsum copula subsecuta, nos attendentes, quod si separareris ab eo gravia ex hoc scandala, sicut dicitur, orirentur, ut tu et idem vir tuus in matrimonio sic contracto remanere licite ac libere valeatis, impedimento hujusmodi non obstante, auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, X kalendas aprilis, anno tertio. »

1847 Latran, 26 mars 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Petri Lobiensis indulget, ut de novalibus, quae colunt, necnon de hortis ac nutrimentis animalium suorum nulli decimas exhibere teneantur. (Reg. 25, a. III, c. 241, f. 32v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Petri Lobiensis, ordinis Sancti Benedicti, Cameracensis diocesis.* Devotionis vestre precibus inclinati, ut de novalibus, que propriis manibus aut sumptibus colitis, necnon de ortis ac nutrimentis animalium vestrorum, de quibus decimas hactenus non solvistis, nulli exhibere decimas teneamini, auctoritate vobis presentium indulgemus, districtius inhibentes, ne quis a vobis de premissis decimas exigere vel extorquere presumat. Nulli etc. nostre concessionis et inhibitionis etc. Datum Laterani, VII kalendas aprilis, anno tertio. »

1848 Latran, 13 février 1257.

Priorissae et sororibus monasterii Sancti Dominici juxta Montargiacum indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus vel aliis ecclesiasticis beneficiis minime teneantur per litteras Sedis Apostolicae, quae de indulto hujusmodi non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 242, f. 32v; Potthast 16734.)

« .. *priorisse et sororibus monasterii Sancti Dominici juxta Montargiacum, ordinis fratrum Predicatorum instituta servantibus, Senonensis diocesis.* Religionis vestre meretur. — Dat. Laterani, idibus februarii, anno tertio. »

1849 Latran, 13 février 1257.

Nobili mulieri Petronillae de Curtiniaco, dominae Solliaci, indulget, ut tempore interdicti, presente sua familia, a suis capellanis divina audire possit. (Reg. 25, a. III, c. 243, f. 32v.)

« *Nobili mulieri Petronille de Curtiniaco, domine Solliaci.* Inducti sinceritatis tue meritis, pro quibus tibi competit exhibitio gratie specialis, libenter tibi

de solita benignitate concedimus, que anime tue saluti profutura speramus. Hinc est quod nos, devotionis tue precibus inclinati, ut si quando ad loca ecclesiastico supposita interdicto te devenire vel manere contigerit, in illis non pulsatis campanis, clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, et voce summissa, a tuis capellanis audire possis divina, presente tua familia, speciali tibi et per te dictis capellanis auctoritate presentium indulgemus, dummodo causam non dederitis interdicto et id vobis non contingat specialiter interdici. Presentibus post triennium minime etc. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum ut supra. »

1850 Latran, 27 mars 1257.

Archiepiscopo Cantuariensi mandat, quatenus, juxta tenorem quarumdam litterarum Innocentii quondam papae, Guillelmo cantori ecclesiae Lausanensis, filio comitis Gruerie, de beneficio ecclesiastico in regno Angliae provideat. (Reg. 25, a. III, c. 244, f. 32v; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, 663.

« .. *archiepiscopo Cantuariensi*. Cum dilectus filius Guillelmus, cantor ecclesie Lausanensis, natus nobilis viri .. comitis Gruerie, capellanus noster, super provisione sua in regno Anglie de beneficio ecclesiastico, quod sexaginta marcas argenti annuatim valeret, felicis recordationis, I. pape predecessoris nostri ad te sub certa forma executorias litteras impetrasset, eedemque littere, per quas sibi provisum non extitit, prout asserit, casualiter sint ammisse, nos volentes eidem capellano super hoc apostolico remedio subvenire, ipsius supplicationibus inclinati, tenorem dictarum litterarum in ipsius predecessoris regestro repertum, de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Lyon, 17 août 1246.

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri . archiepiscopo Cantuariensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum in amplexu dulcedinis et mansuetudinis alloquio Apostolice Sedis benignitas nonnullos suscipiat, prerogativa eos favoris prosequens et gratie specialis, dignum fore providimus ut personis nobilitate generis, litterarum scientia, et bonis moribus insignitis, quarum provisio ecclesiarum utilitatibus expedit et honori, aperiamus favorabiliter beneficentie nostre manus. Attendentes itaque laudabile testimonium, quod de persona dilecti filii Guillelmi cantoris Lausanensis, nati nobilis viri . comitis Gruerie perhibetur, ac per hoc inducti, speciali eum prevenire gratia cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eidem in regno Anglie, in ecclesiastico beneficio, quod sexaginta marcas argenti valeat annuatim, auctoritate nostra, liberaliter providere procures, non obstante si ecclesia, in qua sibi providendum duxeris, curam habeat animarum, aut in ea sit statutum de certo canonicorum numero, juramento vel confirmatione Sedis Apostolice, seu quacumque firmitate alia roboratum, vel si pro aliis in eadem direximus scripta nostra, quibus nolumus, auctoritate presentium, prejudicium generari, vel si ejus rectori vel capitulo, quod ad provisionem seu receptionem alicujus per litteras apostolicas minime compelli valeant expressam non facientes de hac indulgentia mentionem, a Sede Apostolica est indultum, seu aliis quibuscumque privilegiis, indulgentia, consuetudine vel constitutione, per que posset hujusmodi provisionis gratia impediri. Contradictores etc. Datum Lugduni, XVI kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto. »

« Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus ad provisionem capellani ejusdem in predicto regno juxta prescriptum tenorem procedere non omittas. Datum Laterani, VI kalendas aprilis, anno tertio. »

1851 Latran, 25 février 1257.

Priori et conventui monasterii de Mayo confirmat constitutionem Innocentii quondam papae de non solvendis procurationibus per avaritiam praelatorum exactis ultra summam quatuor marcarum, decernens sententias super hoc ultra praedictam summam promulgatas non tenere. (Reg. 25, a. III, c. 245, f. 33; Potthast 16750.)

« .. *priori et conventui monasterii de Mayo, Cluniacensis ordinis, Sancti Andree diocesis*. Ne in exigendis immoderatis —. Dat. Laterani, V kalendas martii, anno tertio. »

1852 Anagni, 27 juin 1256.

Statutum quoddam de studio Parisiensi promulgat, mandatque episcopo Parisiensi, quatenus illud Parisius publicare faciat. (Reg. 25, a. III, c. 246, f. 33; Potthast 16435; Denifle et Chatelain, *Chartularium univers. Paris.*, t. I, n° 281.)

« .. *episcopo Parisiensi.* Licet olim, pro studii Parisiensis conservatione, quedam circa studium ipsum, de fratrum nostrorum consilio, provide duxerimus ordinanda, prout in litteris nostris exinde confectis, que *Quasi lignum vite* incipiunt, plenius continetur, nonnulli tamen magistri et scolares Parisienses quasdam colligationes et obligationes nefarias[1] ad invicem, ut audivimus, inierunt, per quas scolares religiosi et alii non possunt libere, sicut volunt, scolas maxime sacre legis, pro lectionibus et disputationibus audiendis intrare, alias etiam, non sine Apostolice Sedis injuria et impedimento dicti studii ac salutis animarum dispendio, intentionem nostram, circa effectum ordinationis ipsius evacuare multipliciter moliuntur. Volentes igitur, et auctoritate presentium statuentes, quod seculares omnes tam religiosi, qui de prelatorum suorum licentia morantur in studio, quam etiam seculares, libere valeant ubi volunt lectiones et disputationes audire, quodque prefata nostra ordinatio, ab omnibus magistris et scolaribus Parisius existentibus reverenter et humiliter observetur, necnon quod dilecti filii Predicatorum et Minorum ordinum fratres ac alii religiosi, qui Parisius fuerint pro tempore doctores theologice facultatis, seu scolares ipsorum, in consortium et collegium seu societatem aliorum magistrorum et scolarium Parisiensium recipiantur simpliciter et efficaciter habeantur, et quod Parisiense studium, preter tenorem ordinationis ejusdem, aut absque Sedis Apostolice licentia speciali, nullatenus alibi transferatur. Omnes qui contra hoc salubre statutum nostrum venire, vel occasione presentium aut aliarum litterarum nostrarum directarum tibi, que incipiunt *Cunctis processibus*, studium ipsum conturbare presumpserint, omnibus ecclesiasticis beneficiis decernimus esse privatos et ab ordinum executione suspensos. Omnes autem obligationes, etiam juramento firmatas a magistris et scolaribus memoratis, contra ordinationis aut litterarum superius expressarum seu presentium tenorem presumptas, vel in posterum presumendas, necnon et compositionem inter eosdem fratres Predicatores, ex parte una, ac magistros et scolares ex altera, contra ordinationem ipsam, nobis irrequisitis, initam, tamquam iniquam et temerariam penitus irritamus. Ut igitur a supradictorum observantia, nullus se possit per ignorantiam excusare, fraternitati tue per apostolica scripta, in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus tenorem presentium qualibet occasione et dilatione ac appellatione cessante, per te vel per alios, publicare Parisius non omittens, si qui contra predictorum aliquod venientes, privationem incurrerint memoratam, tu illos, ad quos beneficiorum ipsorum collatio spectare dinoscitur, per litteras tuas sine mora demandes, ut infra quindecim dies post receptionem ipsarum, omni occasione cessante, beneficia illorum, de quibus videris expedire, conferant personis idoneis et Ecclesie Romane devotis. Quod si facere neglexerint, tu illa conferre personis hujusmodi non postponas. Non obstantibus appellationibus, et exceptionibus, aut occasionibus quibuscumque, sive litteris vel indulgentiis ab Apostolica Sede concessis, per quas precepti nostri executio, in hac parte, impediri valeat vel differri, aut de quibus plenam et expressam, seu de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem, seu etiam quod dicti fratres omnibus litteris apostolicis impetratis et impetrandis renuntiasse dicuntur, quando in compositione hujusmodi consenserunt, presertim cum ipsam nullam esse ac jamdictas apostolicas litteras in suo robore remanere velimus, et ipsas tibi ac eisdem fratribus, ab earum detentoribus exhiberi, quos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Preceptum nostrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, ut efficacis obedientie gaudeamus in te promptitudinem invenisse. Alias autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissime diligamus, gravissime provocabis. Quod enim super hoc inveneris et feceris, nobis per tuas litteras fideliter intimare procures. Datum Anagnie, V kalendas julii, anno secundo. »

1. *Ms.* : nefarios.

1853 Latran, 2 avril 1257.

Episcopo Lincolniensi mandat, quatenus Waltero de Wintonia pauperi presbytero, qui nullum, sicut asserit, ecclesiasticum beneficium est assecutus, de aliquo competenti beneficio in civitate vel dioecesi Lincolniensi providere studeat. Reg. 25, a. III, c. 247, f. 33v.

« .. *episcopo Lincolniensi.* Illis non immerito. — Dat. Laterani, IIII nonas aprilis, anno tertio. »

1854 Latran, 15 mars 1257.

Decano et thesaurario Zamorensibus mandat, quatenus supersedere curent quibusdam litteris, a Sede Apostolica

Petro Mauro, clerico chori ecclesiae Ovetensis, fraudulenter impetratis, super ejusdem clerici provisione in civitate vel dioecesi Ovetensi. (Reg. 25, a. III, c. 248, f. 33v.)

« .. *decano et.. thesaurario Zamorensibus.* Sua nobis venerabilis frater noster.. episcopus Ovetensis petitione monstravit, quod Petrus Maurus clericus chori ecclesie Ovetensis, se pauperem clericum asserens, sub ea forma, qua pro pauperibus clericis consuevimus scribere diocesanis ipsorum, super provisione sua in civitate vel diocesi Ovetensi, primo in preceptis, ac postmodum in virtute obedientie, nostras ad eundem episcopum litteras, ut dicitur, impetravit. Sed cum idem episcopus, mandatis apostolicis volens humiliter obedire, paratus esset victum dumtaxat in mensa sua vel in scolis, sicut uni de sua familia, exhibere, donec eidem episcopo se facultas offerret, quod ei posset providere juxta tenorem litterarum ad eundem episcopum, super provisione ipsius clerici, directarum, idem clericus hujusmodi provisionem nolens recipere, et asserens postmodum nobis mendaciter, quod eidem episcopo providendi eidem obtulerat se facultas, pro eo quod quedam prestimonia, que in ecclesia Ovetensi postea vacaverunt, sibi non contulit, cum secundum[1] constitutionem, quam, bone memorie, J. episcopus Sabinensis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus, dicitur edidisse, debent canonicis ecclesie predicte conferri, demum ad vos nostras, quod ei de beneficiis ad collationem ipsius episcopi spectantibus provideretis, litteras executorias reportavit. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, eisdem litteris supersedere curetis, dummodo ipse episcopus paratus sit eidem clerico providere, juxta litterarum super provisione ipsius clerici ad eundem episcopum continentiam directarum, prestimoniis et prebendis canonicorum et mense episcopalis dumtaxat exceptis. Datum Laterani, idibus martii, anno tertio. »

1855 Latran, 9 février 1257.

Episcopo et capitulo Ovetensibus mandat, quatenus Joannem Martini, chori ecclesiae Ovetensis clericum, qui in eadem ecclesia fideliter et devote serviit, in canonicum et in fratrem recipiant eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 249, f. 33v.)

« .. *episcopo et capitulo Ovetensibus.* Ut reddantur merita clariora, dignis sunt premiis muneranda, que quodam sibi videntur justitie debito vendicare, ne virtus irremunerata relicta contemptibilis videatur, fiatque occasio vitiis dilatandis, quorum, cum viget, est efficax profligatrix. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Johannes Martini, chori ecclesie vestre clericus, vobis et eidem ecclesie servierit fideliter et devote, ac sic virtutum vacarit profectui, sic placidis moribus et conver[sa]tione laudabili exhibuerit se acceptum, ut dignus merito habeatur honoris et gratie incremento, nos bonis benefacere cupientes, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eundem clericum, si est ydoneus et de tuo, frater episcope, ac majoris et sanioris partis vestrum, filii capitulum, assensu processerit, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, recipiatis in canonicum et in fratrem, eique de prebenda, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, liberaliter providere curetis; non obstante partis minus rationabili contradictione minoris, ac statuto ipsius ecclesie de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apostolice, seu quacumque alia firmitate vallato, vel si pro aliis scripta nostra direximus pro eadem, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, aut si vobis a Sede sit indultum predicta, quod ad receptionem, vel provisionem non teneamini alicujus, quodque de beneficiis ad collationem vestram spectantibus nulli provideri possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, sive quavis alia indulgentia dicte Sedis, de cujus toto tenore oporteat in nostris litteris fieri mentionem, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, seu quod idem clericus alias beneficiatus [e]xistit, eisdem statuto et indulgentiis post receptionem ipsius in suo robore duraturis. Preces autem nostras et mandatum taliter in hac parte implere curetis, quod ex ipsius clerici receptione[1] consortium comprobemini affectare bonorum, nosque devotionem vestram exinde non immerito commendantes, ecclesie vestre teneamur vicissitudine respondere. Datum Laterani, V idus februarii, anno tertio. »

1856 Latran, 18 mars 1257.

Abbati S. Vincentii Ovetensis mandat, quatenus nonnullas interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias in

1. *Ms.* : secundum et.

1. *Ms.* : receptionem.

episcopum et capitulum Ovetenses promulgatas relaxet. Reg. 25, a. III, c. 250, f. 34.

« .. abbati Sancti Vincentii Ovetensis, ordinis Sancti Benedicti. Exposita coram nobis venerabilis fratris nostri.. Ovetensis episcopi petitio continebat, quod quamplures clerici, super provisionibus sibi in Ovetensi ecclesia faciendis, ad certos executores litteris a Sede Apostolica impetratis, fecerunt per executores ipsos et eorum subdelegatos, in eundem episcopum et ejusdem ecclesie capitulum ac ipsam ecclesiam, diversas interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias promulgari. Unde prefatus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum lites super hujusmodi more provisionibus finaliter sunt sopite, et judices ipsi officio suo functi, ac dictis clericis in hac parte plenarie ad eorum libitum satisfactum, dictas relaxare sententias, quamvis eas nullas fuisse reputet, utpote post appellationes ad prefatam Sedem legitime interpositas, et contra tenorem indulgentie apostolice, qua ipsa ecclesia est munita, ne ad provisionem alicujus compelli valeant, promulgare ad cautelam tamen de benignitate apostolica curaremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatinus, si est ita, hujusmodi relaxans sententias, et absolvens episcopum ipsum et singulos de capitulo ipso, juxta formam Ecclesie, vice nostra, dispenses cum eis super irregularitatis macula, si quam ob hoc forsitan contraxerunt, prefata indulgentia non minus per hoc in suo robore duratura. Datum Laterani, XV kalendas aprelis, anno tertio. »

1857 Latran, 20 janvier 1257.

Petro Medico, scriniario, judicatus officium concedit. Reg. 25, a. III, c. 251, f. 34.

« *Petro Medico, scriniario, civi Romano.* Cum in nostra presentia —. Datum Laterani, XIII kalendas februarii, anno tertio. »

1858 Latran, 3 avril 1257.

Priori de Calchou et archidiacono Tevidaliae, Glasguensis et S. Andreae dioecesium, mandat, quatenus de causa, quae inter magistrum Simonem de Claipol, rectorem ecclesiae de Insula et S. decanum ecclesiae de Wiketono, ejusdem dioecesis, super medietate prefatae ecclesiae vertatur, inquirant et referant. Reg. 25, a. III, c. 252, f. 34; Potthast 16812.

« .. *priori de Calchou, et archidiacono Tevidalie, Glasguensis et Sancti Andree diocesium.* Sua nobis dilectus filius magister Symon de Claipol rector ecclesie de Insula, Candide Case diocesis, capellanus dilecti filii nostri J. tituli sancti Laurencii in Lucina presbiteri cardinalis, petitione monstravit, quod cum inter ipsum magistrum et S. decanum ecclesie de Wiketono, Candide Case diocesis, super medietate ecclesie prefate, coram.. subdecano Eboracensi, auctoritate bone memorie .. archiepiscopi Eboracensis, loci metropolitani, ad quem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, hujusmodi causarum cognitio pertinet, in supradicta diocesi, vacante sede Candide Case, que tunc pastore carebat, questio verteretur, idem subdecanus, cognitis cause meritis et juris ordine observato, diffinitivam pro dicto magistro sententiam promulgavit, a qua cum memoratus decanus ad Sedem Apostolicam vocem appellationis emittens, super appellatione sua ad.. abbatem de Fauleset, ipsius diocesis, suumque collegam, dicte Sedis litteras impetrasset,.. officialis Candide Case, cui jamdicti abbas et collega commiserant super hoc totaliter vices suas, perperam in causa procedens, prefatam diffinitivam sententiam contra justitiam infirmavit, propter quod ex parte ipsius magistri fuit ad nostram audientiam appellatum et tandem humiliter petitum a nobis, ut cum dicta causa, que jam per tres annos et amplius in suum grave prejudicium est protracta, propter potentiam vel malitiam nominati decani nequeat in illis partibus commode terminari, super hoc adhibere oportunum remedium curaremus. Ideoque mandamus, quatinus de utroque processu legitime cognoscentes, illum, quem inveneritis legitimum, infirmato reliquo, sicut justum fuerit, infra tres menses a receptione presentium, confirmetis. Quod si forte non per eundem magistrum sed propter predicti decani potentiam vel malitiam steterit quin id infra prescriptum tempus valeat provenire, vos ex tunc hujusmodi negotium instructum vel non instructum ad nostrum remittatis examen, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel procuratores idoneos, cum omnibus rationibus et munimentis suis negotium ipsum contingentibus, nostro se conspectui representent, facture ac recepture super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter exponere procuretis. Datum Laterani, III nonas aprilis, anno tertio. »

1859 Latran, 2 avril 1257.

Juliano rectori ecclesiae S. Mariae de Castro Trenorchiensis, intuitu P[etri] S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, indulget, ut praeter dictam ecclesiam, unicum aliud beneficium, etiamsi curam animarum habeat annexam, et in Lugdunensi provincia vel Pictavensi dioecesi dicto Juliano canonice offeratur, licite recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 253 [1], f. 34.

« *Juliano rectori ecclesie Sancte Marie de Castro Trenorchiensis, Cabalonensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Laterani, IIII nonas aprilis, anno tertio. »

1860 Latran, 31 mars 1257.

Guillelmo nato quondam Mussi comitis Lavaniae, intuitu O[ttoboni] S. Adriani diaconi cardinalis, cujus idem Guillelmus consanguineus existit, indulget, ut praeter S. Mariae de Castro, Cestriae et S. Wellis ecclesias, quas obtinet, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 253 [2], f. 34.

« *Guillelmo nato quondam Mussi, comitis Lavanie, S. Marie de Castro, Cestrie et S. Vellis ecclesiarum rectori, Conventensis et Exoniensis diocesium.* Tuis ac dilecti filii —. Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno tertio. »

1861 Latran, 20 janvier 1257.

Cantori Ulixbonensi mandat, quatenus ad provisionem Joannis Egri portionarii ecclesiae S. Mariae de Sintria, juxta litterarum Innocentii quondam papae continentiam procedat. (Reg. 25, a. III, c. 254, f. 34v.

« .. *cantori Ulixbonensi.* Exposuit nobis —. Dat. Laterani, XIII kal. februarii, anno tertio. »

1862 Latran, 30 mars 1257.

Magistro Calialcanti, canonico ecclesiae Pratensis, intuitu Guillelmi episcopi Aretini, cujus capellanus idem Calialcanti existit, indulget, ut praeter praebendam, quam in ecclesia Pratensi obtinet, unum aliud beneficium recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 255, f. 34v.

« *Magistro Calialcanti canonico ecclesiae Pratensis, Pistoriensis diocesis.* Ut tibi favorem —. Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno tertio. »

1863 Latran, 1er avril 1257.

Abbati monasterii S. Dyonisii Mediolanensis mandat, quatenus in ecclesia Mediolanensi Heribertum de Arzago in canonicum recipi faciat eique de praebenda providere procuret, non obstante quadam indulgentia capitulo dictae ecclesiae ab Innocentio IV concessa. (Reg. 25, a. III, c. 256, f. 34v.)

« .. *abbati monasterii Sancti Dyonisii Mediolanensis.* Exhibita nobis dilectus filius Heribertus de Arzago, beneficialis ecclesie de Oxio, petitione monstravit, quod cum dilectus filius noster. O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, olim in partibus Lombardie Apostolice Sedis legatus, capitulo Mediolanensis ecclesie per suas litteras mandavisset, ut dictum H. in canonicum et fratrem reciperent, eique de prebenda, si qua in eorum ecclesia tunc vacabat, vel quamprimum ad id se offerret oportunitas, providerent, quia iidem capitulum ipsum recipere, pretextu cujusdam apostolice indulgentie, per quam ad receptionem alicujus non poterant inviti compelli, recipere differebant, felicis recordationis I. papa predecessor noster capitulo mandavit eisdem, ut predicta indulgentia non obstante, dictum H. reciperent juxta directarum ad eos ipsius cardinalis continentiam litterarum, et licet ipse in ecclesia tandem receptus fuisset eadem, quia tamen per constitutionem nostram omnes receptiones prebendas expectantium vacaturas in quibuscumque factas ecclesiis, quatuor dumtaxat exceptis, decrevimus irritas et inanes, ipsius H. receptio est cassata, nos itaque prefato H., propter sue probitatis merita, quibus juvari proponitur, et consideratione ordinariorum ipsius ecclesie nobis pro ipso supplicantium, facientes gratiam specialem, ac jus canonicatus, quod sibi in eadem ecclesia ex receptione hujusmodi competebat, constitutione non obstante predicta, in statum pristinum suscitantes, ac nolentes quod ei per constitutionem eandem super receptione sua in dicta ecclesia jure ipsius, et assecutione prebende in ea, prejudicium aliquod generetur, mandamus, quatinus eidem H. de prebenda nulli alii de jure debita, si qua in ipsa ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, per te vel per alium providere procures. Contradictores etc. Non obstante si ad preces et mandatum nostrum ibidem aliqui sunt recepti, vel quod idem H. alibi est receptus et beneficiatus. Datum Laterani, kalendis aprilis, anno tertio. »

1864 Latran, 5 avril 1257.

Praeposito ecclesiae de Nerviano mandat, quatenus Amerio, canonico ecclesiae S. Victoris de Corbeta, Mediolanensis dioecesis, nepoti bonae memoriae Celestini IV, juxta tenorem litterarum Innocentii IV, in dicta ecclesia de beneficio providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 257, f. 34v.)

« .. *preposito ecclesie de Nerviano, Mediolanensis diocesis.* Sua nobis Amerius —. Dat. Laterani, nonis aprilis, anno tertio. »

1865 Latran, 16 mars 1257.

[Simonem] episcopum et capitulum Paderburnenses, quorum priorem [Conradus] Coloniensis episcopus ejusque complices, in offensam ordinis clericalis, ceperant, illumque tamdiu in castris suis detinuere captivum, donec ipse et capitulum cum eis quandam ordinationem et compositionem inire sunt coacti, per quas nonnulla castra, loca, jura, jurisdictiones et res alias ecclesiae Paderburnensis cedere debuerunt, ab hac ordinatione absolvit, et Paderburnensem ecclesiam in eum statum, in quo erat ante tempus compositionis, reducit. (Reg. 25, a. III, c. 258[1], f. 34v; Potthast 16784; Rodenberg, t. III, n° 452.)

« .. *episcopo et capitulo Padeburnensibus.* Ad audientiam nostram pervenit, quod venerabilis frater noster .. Coloniensis archiepiscopus et quidam sui complices te, frater episcope, in offensam ordinis clericalis et pontificalis dignitatis obprobrium ausu sacrilego capientes[1], te tamdiu in castris suis detinuere captivum, donec tu et vos dilecti filii capitulum, cum eis quandam ordinationem et compositionem estis inire coacti, per quas nonnulla castra, loca, jura, jurisdictiones, redditus, possessiones et res alie vestre ac ecclesie Padeburnensis juri et proprietati dicti archiepiscopi et Coloniensis ecclesie cedere debent, et quedam ex castris et locis predictis destructioni penitus subjacere, per quas renuntiastis insuper juri vestro, quod vobis in nonnullis castris, villis, ecclesiis, terris, possessionibus, et alias competebat, promittentes expresse, quod nullas ab Apostolica Sede vel legatis ipsius aut imperatore, qui pro tempore fuerit, contra compositionem vel ordinationem hujusmodi litteras impetrabitis, acto in compositione et ordinatione predictis, ut littere hujusmodi, si impetrentur, nullam obtineant firmitatem, datis etiam super hoc litteris confectis, instrumentis, et documentis publicis, penis adjectis, fidejussoribus et diversis cautionibus exhibitis, interpositis fide ac etiam corporalibus juramentis, nonnullis quoque de vassallis vestris promittentibus juramento, quod vobis non adessent contra archiepiscopum et complices antedictos si ordinationem non servaretis eandem. Nos itaque volentes super hiis, que redundare dicuntur in gravem dicte Padeburnensis ecclesie lesionem, salubre remedium adhibere, vos et fidejussores datos a vobis ac vassallos et alios quoscumque in ordinatione et compositione predictis pro vobis nominatos ab obligationibus, promissionibus, renunciationibus, pactionibus, cautionibus et assecurationibus fidei et juramenti exhibitionibus et quibuscumque aliis in prefatis compositione et ordinatione deductis, premissis veris existentibus, auctoritate presentium absolventes, predictam Padeburnensem ecclesiam in eum statum, in quo erat ante tempus compositionis et ordinationis predictarum et captivitatem hujusmodi, duximus reducendam. Nulli [etc. nostre absolutionis et reductionis etc. Datum Laterani, XVII kalendas aprilis, anno tertio. »

1. *Ms.* : campientes.

1866 Latran, 21 mars 1257.

Episcopo Zwerinensi mandat, quatenus episcopum et capitulum Padeburnenses, occasione supradictae compositionis, ab aliquibus indebite molestari non permittat. (Reg. 25, a. III, c. 258[2], f. 35.)

« .. *episcopo Zwerinensi.* Ad nostram noveris audientiam —. Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno tertio. »

1867 Latran, 6 avril 1257.

Alaidi ducissae Brabantiae indulget, ut gratiis et indulgentiis a Sede Apostolica sibi concessis non possit in aliquo derogari per aliquas litteras, quae de indulto hujusmodi plenam non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 259, f. 35.)

« *Nobili mulieri Alaidi ducisse Brabantie.* Sincere devotionis —. Dat. Laterani, VIII idus aprilis, anno tertio. »

1868 Latran, 18 mars 1257.

Geraldo abbati saecularis ecclesiae, S. Pauli Narbonensis ejusque successoribus indulget, ut in synodis et alibi pastorali baculo libere uti possint. (Reg. 25, a. III, c. 260, f. 35; Potthast 16788.)

« *Geraldo abbati secularis ecclesie Sancti Pauli Narbonensis.* Ad decorem sponse varia in Ecclesia sunt insignia dignitatum, ut latentem intrinsecus filie regis speciem multiformis exterius indicet pulcritudo, et hii, qui specialibus honorum titulis clarent, misticis verum signis admoniti, meliora spiritualis forme carismata emulentur. Volentes igitur Sancti Pauli Narbonensis ecclesiam honorare, presertim cum dicatur quod abbates ipsius, qui fuerunt pro tempore, in sinodis, que sunt hactenus in Narbonensi ecclesia celebrate, et tu etiam, primum locum inter alios abbates Narbonensis diocesis post archiepiscopum Narbonensem consueveritis tenere[1], et verecundum tibi quodam modo videatur aliis abbatibus posteriorem locum in hujusmodi sinodo tenentibus et baculo utentibus pastorali insigne baculi hujusmodi non habere, devotionis tue precibus inclinati, ut tam tu quam tui successores in sinodis et alibi, hujusmodi uti baculo libere valeatis, secundum quod alii ejusdem diocesis abbates utuntur, tibi et per te successoribus ipsis, auctoritate presentium, indulgemus. Nulli [etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, XV kalendas aprilis, anno tertio. »

1869 Latran, 15 avril 1257.

Archiepiscopo Narbonensi notum facit se a magistro Petro succentore Narbonensi, nuntio ejusdem, summam ducentarum librarum Turonensium recepisse. (Reg. 25, a. III, c. 261, f. 35.)

« .. *archiepiscopo Narbonensi.* Fraternitatem tuam plenis prosequimur actionibus gratiarum, quod ex sincere dilectionis affectu, quem ad nos et Romanam geris Ecclesiam, nos et Ecclesiam ipsam reverenter visitans, ut teneris, nuper nobis per dilectum filium magistrum Petrum succentorem Narbonensem, nuntium tuum, CC. libras Turonensium transmisisti, quam pecunie quantitatem nobis ab eo fideliter assignatam integre nos noveris recepisse. Datum Laterani, XVII kal. maii, anno tertio. »

1870 Latran, 22 avril 1257.

Episcopo Ultrasilvano concedit, ut ad augmentum divini cultus, Ultrasilvanae ecclesiae redditus augmentare possit, annectendo duas capellas vel ecclesias ad ipsum vel capitulum ejusdem ecclesiae immediate spectantes singulis ipsius praebendis, ita quod de proventibus praedictarum ecclesiarum seu capellarum nihil omnino recipiant, nisi in ipsa ecclesia residentes. (Reg. 25, a. III, c. 262, f. 35 ; Potthast 16826.)

« .. *episcopo Ultrasilvano.* Tua nobis fraternitas intimavit, quod pro eo frequenter Ultrasilvanam ecclesiam debito canonicorum obsequio defraudari contingit, quia ea ipsorum nequeunte necessitatibus providere, iidem ab altaris, de quo non possunt vivere, se subtrahunt debita servitute ; super quo eidem provideri ecclesie per Apostolice Sedis clementiam suppliciter postulasti. Nos itaque tuis precibus inclinati, ut ad augmentum divini cultus ipsius ecclesie redditus augmentare valeas, duas ecclesias seu capellas ad te vel capitulum ejusdem ecclesie immediate spectantes, singulis ipsius prebendis, de consensu dicti capituli perpetuo anne[c]tendo, necnon et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, coartare, auctoritate tibi presentium duximus concedendum ; ita quod de proventibus predictarum ecclesiarum seu capellarum nichil omnino recipiant, nisi in ipsa ecclesia residentes, proviso quod eedem ecclesie vel capelle debitis non fraudentur obsequiis, sed congrua ministris servituris perpetuo in eisdem, de bonis ipsarum, portio assignetur, et animarum cura in eis, si forsan ipsis immineat, nullatenus negligatur. Nulli nostre concessionis etc. Datum Laterani, X kalendas maii, anno tertio. »

1871 Latran, 4 avril 1257.

Magistrum Thomasium, natum nobilis viri Mauritii Gheroldi de Ybernia, canonicum Dublinensem, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, a. III, c. 263, f. 35 ; Potthast 16813.)

« *Magistro Thomasio, nato nobilis viri Mauricii Gheroldi de Ibernia, canonico Dublinensi, capellano nostro, Aurelianis commoranti.* Meritis tue probitatis —. Dat. Laterani, II nonas aprilis, anno tertio. »

1872 Latran, 16 janvier 1257.

Confirmat quicquid per magistrum Jacobum de Mirabello canonicum Novariensem factum est, circa resignationem quorundam beneficiorum, quae Hugo, canonicus ecclesiae Brivatensis, et Guillelmus de Cros, canonicus ecclesiae Nimociensis, in eisdem ecclesiis obtinebant. (Reg. 25, a. III, c. 264[1], f. 35.)

1. *Ms.* : tenere primum locum.

« *Hugoni canonico Nimociensi, nepoti magistri Johannis de Camezano capellani nostri ac litterarum nostrarum contradictarum auditoris.* Accepto quod tu officium granatarii et terras, que in Brivatensi ecclesia, cujus existis canonicus, obtinebas et jus, quod in dictis terris et officio tibi competebat et competere poterat in futurum, et dilectus filius Guillelmus de Cros, tunc Nimociensis ecclesie canonicus, locum et canonicatum et prebendam, quos in ipsa Nimociensi habebat ecclesia, et omne jus, quod sibi competebat et competere poterat in eisdem, intendebatis libere resignare, dilecto filio magistro Jacobo de Mirabello, canonico Novariensi, litterarum nostrarum correctori, commisimus, ut a te vel procuratore tuo, officii, terrarum et juris predictorum, a dicto vero Guillelmo vel procuratore ipsius, loci, canonicatus, prebende, et juris eorumdem libera resignatione recepta, locum, canonicatum, prebendam et jus hujusmodi cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi, officium vero terras et jus prefata dicto Guillelmo conferre et assignare curaret, propter quod idem corrector, a magistro Philippo Caballo procuratore tuo, officii, terrarum et juris predictorum, a Petro vero de Banhols clerico, procuratore ipsius Guillelmi, loci, canonicatus, prebende ac juris hujusmodi, habentibus a te et eodem Guillelmo super hoc speciale mandatum, libera resignatione recepta, hujusmodi locum, canonicatum, prebendam et jus cum plenitudine juris canonici et omnibus juribus et pertinentiis suis, predicto magistro Philippo procuratori[1] tuo, tuo nomine, officium vero terras et jus sepedicta, dicto Petro procuratori ipsius Guillelmi, de speciali mandato nostro, ejus nomine contulit et de ipsis prefatos procuratores, tuo et illius nomine investivit, non obstante si alias beneficiatus existeres, aut si in predictis Brivatensi et Nimociensi ecclesiis, vel earum altera, aliqui, nostra vel quavis auctoritate sunt recepti vel ut recipiantur existant, quibus dictus corrector te et ipsum Guillelmum quoad assecutionem predictorum de prefato nostro mandato preferri decrevit, prout in litteris inde confectis et ipsius correctoris sigillo munitis, plenius vidimus contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quicquid circa premissa per eundem correctorem factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum presentibus inseri facientes, qui talis est :

1. *Ms.* : procuratore.

« Omnibus presentes litteras inspecturis, magister « Jacobus de Mirabello canonicus Novariensis et litterarum domini pape corrector, ad eternam rei « memoriam, tenore presentium notum fieri volumus « universis tam presentibus quam futuris, quod nos « a magistro Philippo Caballo clerico venerabilis « viri domini Johannis de Camezano domini pape « capellani et ipsius contradictarum auditoris, procuratore Hugonis canonici Brivatensis, dicti auditoris nepotis, officii granatarii et terrarum, que « dictus Hugo in Brivatensi ecclesia obtinebat, et « juris, quod in dictis terris et officio eidem Hugoni « competebat in terris ipsius ecclesie et competere poterat in futurum, et a Petro de Banhols « clerico, procuratore Guillelmi de Cros, Claromontensis et Nimociensis ecclesiarum canonici, loci, « canonicatus et prebende, quos predictus Guillelmus « in memorata Nimociensi ecclesia obtinebat, et juris, « quod ipsi Guillelmo in eisdem loco et canonicatu et « prebenda competebat et competere poterat, habentibus a supradictis Guillelmo et Hugone super « hoc speciale mandatum, liberam resignationem, de « speciali mandato domini pape recepimus, et hujusmodi libera resignatione recepta, supradicta officium granatarii et terras Brivatensis ecclesie et « jus, quod in eisdem terris et officio eidem Hugoni « ante dictam resignationem competebat, predicto « Petro procuratori memorati Guillelmi de Cros, nomine et vice ejusdem Guillelmi, et ipsi Guillelmo « locum quoque canonicatum et prebendam, cum « plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et « pertinentiis suis, quos dictus Guillelmus ante supradictam resignationem in memorata Nimociensi « ecclesia obtinebat, et jus, quod in dicto loco et canonicatu et prebenda ipso Guillelmo competebat vel « competere poterat, supradicto magistro Philippo, « procuratori dicti Hugonis, nomine et vice ipsius, et « ipsi Hugoni, de ipsius domini pape speciali mandato, « conferimus, et predictum P. de officio granatarii et « terris memoratis ac jure, quod sepedicto Hugoni « in eisdem terris et officio competebat et competere « poterat, nomine et vice ipsius Guillelmi, magistrum « vero Philippum, de predictis loco, canonicatu et « prebenda Nimociensi cum plenitudine juris canonici « et cum omnibus juribus et pertinentiis suis et jure

« quod sepedicto Guillelmo in eisdem loco, canonicatu « et prebenda competebat et competere poterat in « futurum, nomine et vice ipsius Hugonis, de ejus- « dem domini pape speciali mandato, per nostrum « pileum presentialiter investimus, necnon prescrip- « tum Guillelmum in eorumdem officii, terrarum et « juris, et memoratum Hugonem in predictorum loci, « canonicatus et prebende possessione, quibuscumque, « qui in predictis Nimociensi et Brivatensi ecclesiis vel « earum altera sunt recepti, vel ut recipiantur insis- « tunt, vel quod quibus forsitan scriptum existit in « ipsis ecclesiis aut in altera earumdem, de predicti « domini pape speciali mandato, preferimus, de gratia « speciali, in contradictores et rebelles excommunica- « tionis sententiam proferentes ac decernentes ex « nunc irritum et inane si quid contra premissa fuerit « attemptatum; non obstante si dicti Guillelmus et « Hugo alias beneficiati existunt, vel si locorum dio- « cesanis seu quibuscumque aliis a Sede Apostolica « sit indultum, quod nulli in predictis Nimociensi et « Brivatensi ecclesiis, aut in sua civitate vel diocesi « absque eorum voluntate valeat provideri, vel nisi « executores fuerint deputati et qualibet alia indul- « gentia generali vel speciali, de qua cujusque toto « tenore quantumcumque plenam et expressam opor- « teat in presentibus fieri mentionem. In cujus rei « testimonium, presentes litteras per manus Thomasii « scriniarii publicari fecimus, nostro quoque sigillo « muniri. Actum Laterani, anno Domini M.CC.LVII, « indictione XV, tempore domini Alexandri pape IIII, « mense januario, die octavo intrante. Presentibus « hiis testibus Nicolao dicto Abbate canonico Tullensi, « magistro Bonito de Mota, Pennacio famulo dicti « domini correctoris, Johanne canonico Sancte Marie « Majoris Narniensis, Mecono et aliis. Et ego Thomas, « sacrosancte Romane Ecclesie scriniarius, premissis « omnibus interfui et hanc cartam exinde proprio « signo signavi. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, anno tertio. »

1873 Latran, 23 janvier 1257.

Patriarchae Antiocheno et episcopo Tripolitano mandat, quatenus eundem Hugonem, qui officium granatarii et canonicatum Brivatensis ecclesiae resignavit, in ecclesia Nimociensi recipi in canonicum et in fratrem, eique stallam in choro et locum in capitulo assignari, et de fructibus ac pertinentiis ipsius praebendae integre responderi faciant. (Reg. 25, a. III, c. 264^2, f. 35^v.

« .. *patriarche Anthioceno et.. episcopo Tripolitano*. Accepto quod dilectus filius Hugo —. Dat. Laterani, X kal. februarii, anno tertio. »

1874 Latran, 29 mars 1257.

Riccardo S. Angeli diacono cardinali, cui Innocentius quondam papa fratrum Heremitarum Tusciae reformationem commiserat, universas domos et congregationes praedictorum fratrum, in unam ordinis Heremitarum S. Augustini professionem unitas, curandas et gubernandas plene committit. (Reg. 25, a. III, c. 265, f. 36; Potthast 16806.)

« *Ricardo Sancti Angeli diacono cardinali*. Inter alias sollicitudines, quibus assidue premimur, intendere circa ea nos convenit, per que sub religionis habitu vacantes divino cultui in tranquillitate animi sub observatione mandatorum Domini delectari valeant, et proficientes de virtute in virtutem Deum Deorum in Syon intueri. Sane meminimus, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster dudum injunxit tibi, ut priores et fratres Heremitas Tuscie, quos tue cure ac gubernationi commiserat, ad suam presentiam evocares, circa quorum reformationem accedentium ad Apostolicam Sedem, de mandato predecessoris ipsius, diligenter et sollicite institisti. Demum a nobis mandatum apostolicum emanavit, ut de singulis domibus Heremitarum, quarum quedam Sancti Guillelmi, quedam Sancti Augustini ordinum, nonnulle autem fratris Johannis Boni, alique vero de Fabali, alie vero de Brictinis censebantur, et apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo fratres cum pleno mandato ad nostram mitterentur presentiam, quod nostra circa eos salubriter ordinaret dispositio recepturi. Cumque fratres hujusmodi ad Sedem accessissent eandem, tu quem negotio unionis predictorum fratrum perficiendo deputavimus auctoritate mandati nostri vivo ad te sermone directi, ad id concordi eorumdem fratrum et eorum generalis capituli tunc in Urbe celebriter congregati accedente consensu, universas domos et congregationes predictorum fratrum in unam ordinis Heremitarum Sancti Augustini professionem et regularem observantiam perpetuo counisti, sub generalis cura prioris canonice instituendi pro tempore pre aliis provincialibus, necnon et conventualibus singularum

domorum prioribus regulariter gubernandas. Nos itaque considerantes, quod predicti fratres ab olim te in patrem eorum benivolum habuerunt, tuque ipsos amplexatus fuisti sincera in Domino caritate, quodque fratres et ordo predicti sub tua protectione poterunt, Deo propitio, salutaria suscipere incrementa, curam, dispositionem et gubernationem ejusdem ordinis sic uniti ac priorum tam generalis quam provincialium et aliorum, et fratrum omnium ipsius ordinis tibi plene committimus, ita quod illam omnino jurisdictionem, illamque potestatem, et auctoritatem in eisdem prioribus generali et provincialibus et aliis fratribus ipsius ordinis, et in eodem ordine habeas et exerceas libere, quas Romane Ecclesie cardinalis, qui preest pro tempore ordini fratrum Minorum, in generali et provincialibus ministris ipsius ordinis Minorum, ac universis fratribus Minoribus, ipsoque ordine dinoscitur obtinere. Precipimus quoque predictis prioribus et fratribus dicti ordinis Heremitarum, quod tibi obediant in omnibus et per omnia sicut generalis et provinciales ministri ipsius ordinis Minorum, ac fratres Minores predicto cardinali obedire tenentur, cum, post Romanum pontificem, jurisdictionem, potestatem et auctoritatem in eis habeas potiorem. Nulli [etc.] nostre commissionis et precepti etc. Datum Laterani, IIII kalendas aprilis, anno tertio. »

1875 Latran, 28 mars 1257.

Rectori et clericis capellae S. Mathaei ad Banchetam Mediolanensis indulget, ut tempore generalis interdicti possint in dicta capella divina officia celebrare. (Reg. 25, a. III, c. 266, f. 36.)

« ..*rectori et clericis capelle Sancti Mathei ad Banchetam Mediolanensis*. Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim progenitores nobilium virorum Guidonis, Jacobi et Manfredi de Fagniano ac aliorum patronorum capelle Sancti Mathei ad Banchetam ad honorem Dei et animarum salutem, ad hoc capellam ipsam propriis construxerunt sumptibus et dotarunt, ut in ea deberent divina officia, pro defunctorum animarum salute, diebus singulis celebrari. Ut igitur hujusmodi pium propositum eorumdem, quod in Domino plurimum commendamus, nequeat alicujus prepeditionis obstaculo impediri, nos vestris et ipsorum patronorum precibus inclinati, ut cum generale terre interdictum fuerit, clausis januis, interdictis et excommunicatis exclusis, submissa voce, non pulsatis campanis, dicta officia celebrare possitis, auctoritate vobis presentium indulgemus, dummodo causam non dederitis interdicto, et id vobis non contingat specialiter interdici. Nulli [etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno tertio. »

1876 Latran, 19 avril 1257.

Electionem Pagani, Kyronensis ecclesiae praepositi, in episcopum ejusdem ecclesiae confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 267[1], f. 36.)

« *Capitulo ecclesie Kironensis*. Dudum Kironensi ecclesia pastoris solatio destituta, vos prout moris est convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Paganum, tunc prepositum ejusdem ecclesie, in vestrum episcopum canonice ac concorditer elegistis. Cumque vos postmodum dilecto filio.. electo Cretensi, loci metropolitano, presentassetis electionem confirmandam ab eo, idem electus quia sibi de ipsius P. natalibus non constabat, ipsius electionis negotium diligenter examinatum remisit ad Apostolice Sedis examen. Nos igitur, inquisita super hiis diligentius veritate, quia nobis legitime constitit, quod erat de legitimo matrimonio natus, quodque predicta electio fuerat de persona ydonea canonice celebrata[1], ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, sperantes quod eadem Kironensis ecclesia per prudentie sue studium, auctore Domino, spiritualibus proficiet institutis, et temporalibus augebitur incrementis. Quocirca mandamus, quatinus ipsum benigne recipientes et honorifice pertractantes, ei tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendatis ac exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ipsius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani, XIII kal. maii, anno tertio. »

1877 Latran, 19 avril 1257.

In eumdem modum clero civitatis et dioecesis Kironensis (Reg. 25, a. III, c. 267[2], f. 36v.)

1. *Ms.* : celebratam.

« *Clero civitatis et diocesis Kironensis.* Dudum Kironensi ecclesia —. Dat. Laterani. XIII kal. maii, anno tertio. »

1878 Latran, 19 avril 1257.

Pagano Kironensis ecclesiae electo mandat, quatenus ad ecclesiam ipsam accedat. (Reg. 25, a. III, c. 267[3], f. 36v.)

« *Pagano electo Kyronensi.* Dudum Kyronensi ecclesia. — Dat. Laterani, XIII kal. maii, anno tertio. »

1879 Latran, 28 mars 1257.

Episcopo Albiensi indulget, ut ad mensam suam licite valeat retinere decimas, quas tam ipse quam predecessores ejus Albienses episcopi redemerant de manibus laicorum, qui eas ab antiquo tenuerant. (Reg. 25, a. III, c. 268, f. 36v.)

« .. *episcopo Albiensi.* Sincere devotionis affectus, quem erga nos et Romanam Ecclesiam in effectum studes laudabiliter exhibere, digne meretur, ut tuis supplicationibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut asseris, tam tu quam predecessores tui quasdam decimas redemeritis de manibus laicorum, quas iidem laici et progenitores eorum tenuerant ab antiquo, nos tuis supplicationibus inclinati, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut easdem decimas ad mensam tuam licite valeas retinere, ita tamen quod decimas ipsas ecclesiis ad quas spectant restituere tenearis, quandocumque tibi ab eis pretium pro redemptione ipsarum impensum fuerit restitutum. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno tertio. »

1880 Latran, 17 avril 1257.

Abbati et conventui monasterii de Nucaris, Cisterciensis ordinis, indulget, ut ad provisionem alicujus compelli non possint per litteras apostolicas, quae plenam et expressam de hujusmodi indulgentia non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 269, f. 36v.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Nucaris, Cisterciensis ordinis, Astoricensis*[1] *diocesis.* Quanto studiosius —. Dat. Laterani, XV kal. maii, anno tertio. »

1. *Ms.* : Astoricon.

1881 Latran, 15 avril 1257.

Abbati et conventui monasterii de Mileuzk indulget, ut ecclesiae ipsorum collecta, tallia vel procuratio imponi nequeant. (Reg. 25, a. III, c. 270, f. 36v; Potthast 16818.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Mileuzli, Premonstratensis ordinis, Pragensis diocesis.* Exigentibus vestre devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Significastis siquidem nobis, quod vos quandam parrochialem habetis ecclesiam infra septa vestri monasterii, que ad vos pleno jure noscitur pertinere, in qua etiam per idoneam personam ipsius monasterii fecistis a tempore, cujus non existit memoria, et facitis deserviri, et ejusdem proventus sustentationi vestre totaliter deputatis, pro qua sicut et pro ceteris possessionibus vestris collectas et tallias ac procurationes, si que vobis per legatos et nuntios Sedis Apostolice, seu per diocesanum vestrum, vel per quemcumque alium imponuntur, aut a vobis etiam exiguntur, persolvitis et hactenus persolvistis. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, ut per predictos seu quoscumque alios eidem ecclesie singulariter collecta vel tallia sive procuratio imponi nequeat aut exigi ab eadem, nec vos ad exhibitionem ipsarum pro dicta ecclesia specialiter compelli possitis, veris existentibus supradictis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, XVII kal. maii, anno tertio. »

1882 Latran, 1er avril 1257.

Archiepiscopo Burdegalensi mandat, quatenus dilecto filio Raymundo dicto Ayz, pauperi clerico, qui de nobilibus traxit originem, Petragoricensis dioecesis, cum nullum sit beneficium assecutus, de aliquo ecclesiastico beneficio competenti, in provincia Burdegalensi provideat; ita tamen, quod si ei de beneficio curam animarum habente duxerit providendum, idem Raymundus ad ordines, quos ipsius beneficii cura requirit, se faciat statutis temporibus promoveri. (Reg. 25, a. III, c. 271, f. 36v.)

« .. *archiepiscopo Burdegalensi.* In nostra presentia constitutus —. Dat. Laterani, kal. aprilis, anno tertio. »

1883 Latran, 15 avril 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam B. Mariae in Capliz, Pragensis dioecesis, in Assumptionis

B. Mariae Virginis et apostolorum Petri et Pauli festivitatibus, ac in Omnium Sanctorum commemoratione accesserint annuatim, quadraginta dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 272, f. 36v; Potthast 16816.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis*. Vite perennis gloria —. Dat. Laterani, XVII kal. maii, anno tertio. »

1884 Latran, 15 avril 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam S. Catharinae in Lazice, Pragensis dioecesis, in festo ipsius sanctae et die dedicationis ejusdem ecclesiae accesserint annuatim, quadraginta dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 273, f. 36v; Potthast 16817.)

« *Eisdem*. Vite perennis gloria —. Dat. ut supra. »

1885 Latran, 31 mars 1257.

Jacobo de Ponte, civi Romano, cui executores testamenti quondam Jacobi Petri de Ponte civis Romani quaedam bona ejusdem vendiderant, hanc venditionem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 274, f. 37; Potthast 16810.)

« *Nobili viro Jacobo de Ponte, civi Romano*. Affectu benivolentie specialis illos debemus prosequi, qui nobis et Ecclesie per operis evidentiam sunt devoti, cum ex hoc sit provenire solitum, quod eorum devotio in augmentum deducitur et in oportunitatis tempore promptior invenitur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod quondam Jacobus Petri de Ponte civis Romanus in ultima voluntate de bonis suis condidit testamentum, in quo filios suos et filias, si quos eum tempore sui obitus habere contingeret sibi heredes instituit, et si filii ipsius testatoris sine legitimis filiis morerentur, bona sua, que tunc extarent, in pios usus erogari precepit. Si vero idem testator in morte sua filios non haberet, Jhesum Christum et ejus pauperes sibi heredes instituens, dilectos filios.. priorem Predicatorum et.. ministrum Minorum fratrum Sancte Marie de Capitolio et.. archipresbyterum Sanctorum Juliani et Celsi de Urbe executores hujusmodi constituit testamenti. Porro eodem testatore nullos filios vel filias, excepto quodam duntaxat postumo relinquente, ac postumo ipso absque filiis decedente, propter quod bona testatoris ejusdem juxta hujusmodi ordinationem ipsius erant ad Christum et ejus pauperes devoluta, predicti executores, id sibi licere credentes, quandam partem cujusdam turris et apothece et quedam alia bona, que fuerunt testatoris ipsius tibi vendiderunt pro competenti pretio, quod pro redemptione anime testatoris ejusdem dicti executores in usus pauperum converterunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Quare nobis humiliter supplicasti, ut venditionem hujusmodi confirmare, de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, venditionem predictam ratam et firmam habentes, ac defectum, qui fuit in ipsa ex eo, quod, postumo predicto sine filiis decedente, predicti testamenti ad nos executio pertinebat, supplentes de plenitudine potestatis, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis et suppletionis. Datum Laterani, II kalendas aprilis, anno tertio. »

1886 Latran, 23 mars 1257.

Litteras, quibus Trajectensis episcopus sepulturam ecclesiae domus de Arselle liberam esse decreverat, confirmat, salvo jure illarum ecclesiarum, a quibus corpora mortuorum assumuntur. (Reg. 25, a. III, c. 275, f. 37.)

« *Sororibus domus de Arselle, Trajectensis diocesis*. Justis petentium desideriis etc. usque : complere. Sane porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat, quod venerabilis frater noster.. episcopus Trajectensis vos alicujus speciali religionis observantie non astrictas, in castitate, sine proprio, et in obedientia vivere, auctoritate ordinaria statuens, sepulturam ecclesie domus vestre liberam esse decrevit, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui illic sepeliri elegerint, nullus obsistat, prout in litteris ipsius episcopi inde confectis, plenius dicitur contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo in hac parte provide factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Salvo jure illarum ecclesiarum, in quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, X kalendas aprilis, anno tertio. »

1887 Latran, 30 mars 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae Atanensis reiterando mandat, quatenus Petrum Saunerii de Pairaco, pauperem

clericum, recipiant in canonicum eique de praebenda provideant. Reg. 25, a. III, c. 276, f. 37.

« .. *preposito et capitulo ecclesie Atanensis* [1], *Lemovicensis diocesis.* Proposuit coram nobis dilectus filius Petrus Saunerii de Pairaco, pauper clericus, Lemovicensis diocesis, familiaris dilecti filii magistri Adenulfi capellani nostri, quod licet vobis primo in mandatis et postmodum in virtute obedientie nostris dederimus litteris in preceptis, ut ipsum P. reciperetis in ecclesia vestra, pro Apostolice Sedis et nostra reverentia, in canonicum et in fratrem, eique provideretis de prebenda si vacaret, vel quamprimum ad id oportunitas se offerret, vos tamen a mandatis nostris avertentes auditum, id efficere non curastis, propter quod idem clericus coactus est jam tertio nostram gratiam implorare. Nolentes igitur circa dictum P. imperfectum deseri, quod dedit pietas inchoari, nec ipsum fatigari laboribus iteratis, universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente, vobis per iterata scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatinus precedens ommissum per subsequentem parendi promptitudinem corrigentes, prefatum Petrum recipiatis saltem hac vice in canonicum et in fratrem, eique provideatis de prebenda, juxta priorum continentiam litterarum, ita quod ejus conquestio vestris auribus iterata vos non probet erga pauperes clericos inhumanos, et in mandatorum nostrorum inobedientia pertinaces. Alioquin dilecto filio magistro Simoni de Rupecavardi subdiacono nostro, canonico Lemovicensis ecclesie, per nostras injungimus litteras, ut vos ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, justitia mediante compellat. Datum Laterani, III kalendas aprelis, anno tertio. »

1888 Latran, 17 avril 1257.

Episcopo et capitulo Exoniensibus indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in canoniis vel portionibus ecclesiae Exoniensis, per litteras Apostolicae Sedis seu legatorum ipsius cogi per aliquem non possint, absque speciali mandato Sedis ejusdem. Reg. 25, a. III, c. 277, f. 37.

« .. *episcopo et capitulo Exoniensibus.* Exigentibus vestre devotionis. — Dat. Laterani, XV kal. maii, anno tertio. »

1. *Ms.* : Aentensis.

1889 Latran, 24 avril 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Anastasii de Urbe restituit monasterium S. Augustini de Monte Alto. Reg. 25, a. III, c. 278, f. 37v.

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Anastasii de Urbe, Cisterciensis ordinis.* Provisionis nostre provenire debet auxilio, ut monasterium vestrum, quod sincera diligimus in Domino caritate, spiritualibus bonis proficiat, et temporalium prosperitate concrescat. Hinc est quod monasterium Sancti Augustini de Monte Alto cum omnibus juribus et pertinentiis suis, Castrensis diocesis, quod tunc ad monasterium vestrum pertinens, felicis recordationis, I. papa predecessor noster, ecclesie Sancti Salvatoris de Lavania, Januensis diocesis, contulit, vobis et eidem monasterio vestro, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate presentium restituimus, concedimus et donamus, ita tamen quod in eodem monasterio Sancti Augustini, Cisterciensis ordo, prout servabatur eo tempore quo idem predecessor illud ecclesie predicte concessit, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Nulli [etc.] nostre restitutionis, concessionis et donationis etc. Datum Laterani, VIII kalendas maii, anno tertio. »

1890 Latran, 26 avril 1257.

Cum Bernardo de Marcader dispensat, ut matrimonium cum Huga filia Guillelmi de Lambert, non obstante quarto consanguinitatis gradu, licite contrahere valeat. Reg. 25, a. III, c. 279, f. 37v.

« *Bernardo de Marcader laico, Agennensis diocesis.* Cum summus pontifex, collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis, ligandi obtineat pontificium et solvendi, nonnunquam supra jus de jure dispensans, necessitatis vinculum, quo cuncti tenentur, ad ipsius juris observantiam laxat provide de sue potestatis plenitudine circa quosdam, maxime cum urgens necessitas exigit, vel evidens utilitas id exposcit. Cum itaque, sicut te accepimus intimante, ad sedandas graves inimicitias dudum inter quondam patrem tuum et Guillelmum de Lambert laicum Agennensis diocesis exortas, velis contrahere matrimonium cum Huga nata ipsius Guillelmi, te quarto gradu consanguinitatis, ut asseris, contingente, nos tuis ac dilecti filii nobilis viri Uberti

de Ranfredo nuntii carissimi in Christo filii nostri.. Castelle ac Legionis regis illustris, supplicationibus inclinati, ut cum eadem Huga matrimonium contrahere valeas, et in contracto licite remanere, gradu non obstante predicto, tecum, auctoritate apostolica, dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis etc. Datum Laterani, VI kalendas maii, anno tertio. »

1891 Latran, 26 avril 1257.

Henricum abbatem S. Vincentii Silvanectensis in capellanum suum recipit. (Reg. 25, a. III, c. 280, f. 37v.)

« *Henrico abbati Sancti Vincentii Silvanectensis, ordinis Sancti Augustini.* Laudabili testimonio. — Dat. Laterani, VI kal. maii, anno tertio. »

1892 Latran, 26 avril 1257.

In eumdem modum, Rodulfo de Bohun, rectori ecclesiae de Dependen. (Reg. 25, a. III, c. 281, f. 37v.)

« *Rodulfo de Bohun rectori ecclesiae de Dependen., Londoniensis diocesis.* Laudabili testimonio —. Dat. ut supra. »

1893 Latran, 26 avril 1257.

In eumdem modum Guidoni abbati Elemosynae. (Reg. 25, a. III, c. 282, f. 37v.)

« *Guidoni abbati Elemosine, Cisterciensis ordinis, Carnotensis diocesis.* Laudabili testimonio —. Dat. ut supra. »

1894 Latran, 26 avril 1257.

In eumdem modum, Prospero abbati Pruliacensi. (Reg. 25, a. III, c. 283, f. 37v.)

« *Prospero abbati Prulaciensi, Cisterciensis ordinis, Senonensis diocesis.* Laudabili testimonio —. Dat. ut supra. »

1895 Latran, 28 mars 1257.

Abbati monasterii de Canussio mandat, quatenus si viderit expedire, tribuat Guillelmo Regino episcopo licentiam permutandi quasdam possessiones cum magistro Bartholomaeo canonico ecclesiae S. Prosperi Reginae. (Reg. 25, a. III, c. 284, f. 37v.)

« .. *abbati monasterii de Canussio, ordinis Sancti Benedicti, Regine diocesis, ad Romanam Ecclesiam, sicut dicitur, nullo medio pertinentis.* Ex parte venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi Regini, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipse quasdam possessiones ad episcopatum suum spectantes, quas in territorio de Bagno, Regine diocesis, obtinet, cum quibusdam aliis possessionibus, quas dilectus filius magister Bartholomeus canonicus ecclesie Sancti Prosperi Regine, ad ipsum non ratione alicujus ecclesiastici beneficii pertinentes sed alias per suam acquisitas industriam, in quibusdam aliis locis ejusdem diocesis obtinere dicitur, cupiat permutare, intendens per hoc conditionem suam et ipsius episcopatus facere meliorem, faciendi permutationem hujusmodi cum eodem magistro sibi licentiam largiremur. Quocirca mandamus, quatinus hujusmodi negotii circumstantiis sollicite indagatis, si eidem episcopatui videris expedire, et in hoc capitulum ecclesie Regine vel major et sanior pars ipsius unanimiter concordabit, tribuas eidem episcopo auctoritate nostra, licentiam postulatam. Tu autem provideas attente, ne quod pro ipsius episcopatus utilitate concedimus, in illius possit vergere detrimentum, idque a te a Domino requiratur. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno tertio. »

1896 Latran, 3 mai 1257.

Conrado presbytero confirmat collationem rectoriae hospitalis in Sunburch ab abbatissa et conventu S. Mariae de Sunburch factam. (Reg. 25, a. III, c. 285, f. 37v.)

« *Conrado presbytero rectori hospitalis in Sunburch, Brixinensis diocesis.* Petitio tua —. Dat. Laterani, V nonas maii, anno tertio. »

1897 Latran, 3 mai 1257.

Abbatissae et conventui monasterii S. Mariae in Sunburgo, ordinis S. Benedicti, Brixinensis dioecesis, omnes libertates et exceptiones a Romanis pontificibus, ecclesiarum praelatis, regibus, principibus necnon aliis Christi fidelibus concessas et indultas confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 286, f. 37v.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Marie in Sunburgo, ordinis Sancti Benedicti, Brixi-*

nensis diocesis. Solet annuere —. Dat. Laterani, ut supra. »

1898 Latran, 31 mars 1257.

Iringo episcopo Herbipolensi indulget, ut Henrico electo Spirensi, non servanti pactum conventum inter se et dictum episcopum, nullam teneatur solvere pecuniam. (Reg. 25, a. III, c. 287, f. 37v; Rodenberg, t. III, n° 453.

« *Iringo episcopo Herbipolensi*. Olim inter te ac dilectum filium Henricum electum Spirensem super episcopatu Herbipolensi ac rebus aliis questione suborta, tandem dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbiter, R. Sancti Angeli et P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus, cardinales, questionem ipsam compositione amicabili sopientes, arbitrando, ordinando et diffiniendo inter cetera statuerunt, ut idem electus tibi, super episcopatu ipso, nullam de cetero secreto vel publice moveret vel moveri faceret questionem, immo civitatem Herbipolensem, castra, villas et quicquid per se vel alios teneret seu etiam possideret, quod ad episcopatum spectaret eundem, tibi vel tuis nuntiis, absque ulla difficultate, quantum in eo foret, deliberare et assignare curaret, et tu eidem postmodum, pro expensis et dampnis, que idem electus occasione ipsius episcopatus incurrerat, quandam certis terminis exolveres pecunie quantitatem, prout in publico instrumento confecto exinde, ipsorum cardinalium munito sigillis, plenius continetur. Sed idem electus, ut asseritur, compositionem hujusmodi pro sue voluntatis libito servare non curat, super quo salubre a nobis remedium extitit imploratum. Cum igitur non servanti pactum merito non servetur, devotionis tue precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut, dicto electo arbitrium et ordinationem et diffinitionem hujusmodi, ut tenetur, quantum in ipso fuerit non servante, tu ad solutionem pecunie, in qua ob hoc etiam juramento interposito teneris, eidem nullatenus tenearis, quamvis arbitrium, ordinationem vel diffinitionem hujusmodi duxerimus confirmandum. Nulli (etc.) nostre concessionis etc. Datum Laterani, II kalendas aprilis, anno tertio. »

1899 Latran, 23 janvier 1257.

Abbati monasterii S. Petri de Gomello mandat, quatenus episcopo Oxomensi, ad consummandum opus ecclesiae Oxomensis, per triennium, medietatem tertiarum ecclesiarum ejusdem dioecesis exhiberi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 288, f. 38.)

« .. *abbati monasterii Sancti Petri de Gomello, Cisterciensis ordinis, Oxomensis diocesis*. Porrecta nobis ex parte venerabilis fratris nostri.. Oxomensis episcopi petitio continebat, quod ecclesia Oxomensis, que regularis existit, nimia vetustate consumpta reparatur opere plurimum sumptuoso. Unde cum ad consumationem ipsius pia sint suffragia oportuna, nobis humiliter supplicavit, ut ad consumandum opus hujusmodi medietatem tertiarum patronalium ecclesiarum civitatis et diocesis Oxomensis, que sunt earumdem fabricis deputate, concedere misericorditer curaremus. Nos igitur circa eandem ecclesiam piam considerationem habentes, mandamus, quatinus si est ita, medietatem terciarum ipsarum in utilitatem fabrice dicte Oxomensis ecclesie convertendam facias eidem episcopo integre per triennium exhiberi, non obstantibus aliquibus litteris a Sede Apostolica impetratis, per quas effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum Laterani, X kalendas februarii, anno tertio. »

1900 Latran, 24 avril 1257.

Episcopo Castrensi mandat, quatenus abbatem et conventum S. Anastasii de Urbe in possessionem monasterii S. Augustini de Monte Alto inducat et defendat inductos. (Reg. 25, a. III, c. 289, f. 38.)

« .. *episcopo Castrensi*. Provisionis nostre provenire debet auxilio, ut monasterium Sancti Anastasii de Urbe, Cisterciensis ordinis, quod sincera diligimus caritate, spiritualibus bonis proficiat et temporalium prosperitate concrescat. Hinc est quod monasterium Sancti Augustini de Monte Alto, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, diocesis Castrensis, quod tunc ad monasterium ipsum Sancti Anastasii pertinens, felicis recordationis I. papa predecessor noster, ecclesie Sancti Salvatoris de Lavania, Januensis diocesis, contulit, dilectis filiis abbati et conventui predicti monasterii Sancti Anastasii, et eidem monasterio, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate litterarum nostrarum duximus restituendum, donandum et etiam concedendum, ita tamen quod in eodem monasterio Sancti Augustini Cisterciensis ordo, prout servabatur ex tempore quo idem predecessor illud ecclesie predicte con-

cessit, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Quocirca mandamus, quatinus eosdem abbatem et conventum vel procuratorem suum[1], eorum nomine, in corporalem possessionem predicti monasterii Sancti Augustini, jurium et pertinentiarum ejus, auctoritate nostra, per te vel per alium inducas et defendas inductos, non obstante aliqua indulgentia vel litteris quibuscumque, cujvis persone vel loco, sub quacumque forma verborum ab Apostolica Sede concessis, de quibus oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quas effectus presentium impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum Laterani, VIII kalendas maii, anno tertio. »

1901 Latran, 23 mars 1257.

Abbati monasterii Salinae Vallis mandat, quatenus Petro clerico Metensi, de canonicatu in ecclesia Metensi provideat, non obstante quod ejus receptio quodam edicto Sedis Apostolicae cassata est. (Reg. 25, a. III, c. 290, f. 38.)

« .. *abbati monasterii Saline Vallis, Premonstratensis ordinis, Metensis diocesis.* De dilecto filio Petro clerico Metensi accepimus, quod ipse laudabilis conversationis et vite meritis adjuvatur. Sane, sicut ex parte ipsius clerici fuit propositum coram nobis, idem, qui sicut asserit nullum est adhuc ecclesiasticum beneficium assecutus, canonicatu ecclesie Metensis, in qua de mandato felicis recordationis I. pape predecessoris nostri canonice receptus fuerat in canonicum et in fratrem, per constitutionem nostram, per quam receptiones canonicorum ultra quaternarium numerum primo receptorum vacaturas prebendas expectantium in quibuslibet ecclesiis edicto generali cassavimus, extitit destitutus, propter quod tibi postmodum, ad supplicationem dilectorum filiorum.. decani,.. cancellarii,.. thesaurarii et aliorum, qui dicebantur major et sanior pars ecclesie predicte capituli, per litteras nostras mandavimus, ut eundem Petrum, qui, sicut intelleximus, in ecclesia ipsa fideliter et devote servivit quique ipsi ecclesie per se ac suos potest existere fructuosus, ad canonicatum ipsum, a quo sic exclusus extiterat, restituere procurares, sed tu ad restitutionem ipsius adhuc minime processisti. Nos igitur, predictorum meritorum obtentu, dignum ducentes et congruum, ut idem Petrus in prefata ecclesia honoretur, ejusdem ac ipsorum decani, cancellarii, thesaurarii ac dicte majoris et sanioris partis precibus annuentes, mandamus, quatinus in hujusmodi restitutionis negotio juxta earumdem nostrarum litterarum continentiam procedens, eidem clerico de prebenda secundum sue receptionis ordinem sibi debita, si in ecclesia ipsa vacat ad presens, vel quamcito ad id se facultas obtulerit, auctoritate nostra per te vel alium studeas providere ; non obstante si post constitutionem ipsam, aliqui nostra vel quavis auctoritate sunt recepti vel ut recipiantur insistant. Contradictores etc. Datum Laterani, X kalendas aprilis, anno tertio. »

1. *Ms.* : suorum.

1902 Latran, 27 avril 1257.

Cancellario ecclesiae Tullensis mandat, quatenus ad provisionem Nicholai dicti Bridous, pauperis clerici, in ecclesia S. Mariae Magdalenae Virdunensis, juxta tenorem litterarum Innocentii quondam papae procedat. (Reg. 25, a. III, c. 291, f. 38.)

« .. *cancellario ecclesie Tullensis.* Exposuit coram nobis dilectus filius Nicolaus pauper diaconus dictus Bridous, quondam clericus venerabilis fratris nostri.. patriarche Jerosolimitani, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster eidem patriarche, tunc Virdunensi episcopo, providendi duobus clericis suis in civitate vel diocesi Virdunensibus, utrique ipsorum in uno ecclesiastico beneficio cum cura vel sine cura ad cujuscumque collationem spectante, si vacaret tunc vel quamcito ad id se offerret facultas, et faciendi eos singulos in singulis ecclesiis, in quibus provideret eisdem, si collegiate forent, in canonicos recipi et in fratres, necnon etiam compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, concessit sub certa forma per suas litteras facultatem, nosque postmodum dicto patriarche, qui ante obitum predecessoris ejusdem litteris ipsis usus non extitit, de gratia speciali concessimus, ut indulgentiis et litteris apostolicis, quas dictus predecessor sibi concesserat, eo quod electus dicebatur in ipsis cum tempore impetrationis earum munus fuisset consecrationis adeptus, seu quod, eodem predecessore viam universe carnis ingresso, illis usus non fuerat, nequaquam obstantibus, libere uti posset, et licet dictus patriarcha tunc Virdunensis episcopus ad provisionem ipsius diaconi tunc clerici sui in ecclesia Sancte Marie Magdalene Virdunensis procedere incepisset,

quia tamen idem diaconus nullum de hoc fuit commodum assecutus, nos tandem tibi dedimus nostris litteris in mandatis, ut ad provisionem ipsius diaconi in ecclesia predicta, per te vel per alium procederes, juxta facultatem predicto patriarche concessam in litteris superius nominatis. Cum autem prefatus diaconus nullum de tot litteris et laboribus se commodum reportasse deplorans, ad providentiam Sedis Apostolice propter hoc jam secundo duxerit recurrendum, nos ejus paupertati et angustiis paterno compatientes affectu, ac imponi finem ipsius laboribus cupientes, mandamus quatinus, si est ita, non obstante constitutione nostra de quaternario numero canonicorum vacaturas expectantium prebendas in ecclesiis, reservatione seu indulgentia, qua venerabili fratri nostro.. episcopo Virdunensi, ut in ecclesiis sue civitatis vel diocesis de dignitatibus, personatibus, vel beneficiis cum cura vel sine cura, seu pensionibus alicui provideri non possit per litteras Sedis Apostolice vel legatorum ipsius impetratas, per quas non sit jus alicui specialiter acquisitum, vel etiam impetrandas, nisi Sedis ejusdem littere impetrande de indulgentia hujusmodi plenam et expressam mentionem fecerint, dicimur concessisse, ac decrevisse irritum et inane si quod contra indulgentie predicte tenorem a quoquam contingeret attemptari, super receptione ac provisione ipsius diaconi in ecclesia memorata, juxta hujusmodi facultatem prefato patriarche concessam, per te vel per alium procedere non omittas. Datum Laterani, V kalendas maii, anno tertio. »

1903 Latran, 28 mars 1257.

Capitulo Senensi notum facit se ea, quae Octavianus S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis, de speciali mandato apostolico, ad ampliationem cultus divini nominis in eorum ecclesia statuit perpetuo observanda, rata habere et confirmare, atque tenorem litterarum ipsarum praedicti cardinalis annotat. (Reg. 25, a. III, c. 292, f. 38v; Potthast 16803.

« *Capitulo Senensi.* Que de mandato Sedis Apostolice sunt provide ordinata seu reformata salubriter, decet oportuno muniri presidio, ut firma semper maneant et optatum proferre comodum non desistant. Cum itaque dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, de speciali mandato nostro, diligenti quoque deliberatione prehabita, quedam in ecclesia vestra statuerit perpetuis futuris temporibus observanda, que ad ampliationem cultus divini nominis et ipsius ecclesie decorem et decus redundare noscuntur, prout in patentibus litteris ejusdem cardinalis confectis exinde, ac suo sigillo signatis, plenius continetur, nos, quod ab eodem cardinali super hiis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Latran, 18 mars 1257.

« Octavianus miseratione divina Sancte Marie in « Via Lata diaconus cardinalis, discretis viris capitulo « Senensibus, salutem in Domino. Ad audientiam « apostolatus sanctissimi patris et domini nostri « Alexandri Dei gratia summi pontificis noveritis « pervenisse, quod dudum predecessorum vestrorum « vita et industria Senense capitulum gratum Deo et « hominibus recepit in spiritualibus et temporalibus « incrementum. Cupiens igitur idem pater et dominus « sic vos in eorumdem predecessorum vestrorum pro« posito, annuente Domino, conservare, quod a via pre« decessorum ipsorum, quod absit, oculos nullatenus « avertatis, nobis injunxit, ut tam super statutis et « consuetudinibus vestris rationabilibus et antiquis, a « vobis et hiis qui vobis successerint de cetero obser« vandis, quam aliis, que cultus divini nominis et « honestatis vestre incrementum respiciunt, ordinemus, « que secundum Deum ordinanda videntur futuris « temporibus in vestro capitulo duratura. Hinc est « quod nos, ipsorum predecessorum traditionibus et « vestigiis inherentes, eisque pauca, non ad onus « siquidem, sed ad decorem et utilitatem potius adjun« gentes, Spiritus Sancti gratia invocata, ad laudem « Dei et beate Marie semper Virginis, sanctorumque « martirum Crescentii, Ansani, Savini atque Victoris, « et aliorum sanctorum, quorum corpora et reliquie « in vestra requiescunt ecclesia, duximus statuendum, « in primis scilicet, quod sicut pascimini ex uno cel« lario, sic in communi dormitorio parati divinis « interesse officiis locum et lectum ad jacendum « similiter habeatis, adicientes quod ordinem vestrum « canonici officii, tam in celebrandis missis majoribus « et processionibus faciendis per claustrum et circa « ecclesiam vestram, non alibi, statutis temporibus, « quam in aliis, prout ibi plenius est expressum, et

« vobis prisca consuetudo reliquit, necnon et ab ante-« cessoribus vestris fuisse recolitur observatum, te-« neatis et observetis plene, quantum cum Dei timore « vestra permiserit valitudo. Si autem ex tractu tem-« poris hujusmodi observata forsan fuerint oblivione « deleta, ad ipsum ordinem habeatur recursus. Si « qua tamen sunt ibidem impossibilia quodam modo, « et difficilia in cantando a nonnullis fortassis inco-« gnito, ea, prout expedire videritis, resecetis. Illud « autem quod continet de observatione jejunii, discre-« tioni vestre committimus moderandum. Quia vero « ecclesie nimirum detrahitur in divinis si stipendia « paucioribus, que pluribus sufficiunt, tribuantur, pre-« cipientes statuimus, ut singuli vestrum clericos in « choro habeant ydoneos et etiam competentes, qui « velint et possint divinis officiis interesse, et ne « aliquis vestrum ignoret quid legere debeat vel « cantare, precipimus ut in capitulo vestro tabulam, « que alias matricularia dicitur, habeatis, in qua per « capellanos vestros vel sacristas, singulorum nomina « in choro psallemptium conscribantur, et per eosdem « capellanos vel sacristam singulis quid cantare « debeant vel legere cum reverentia offeratur. Illud « adhicientes interea, ut in altare beate Virginis, mis-« sam, nisi sit episcopus vel canonicus ecclesie, nullus « cantet, sicut ab antecessoribus vestris a priscis tem-« poribus dicitur observatum. In choro vero quilibet « vestrum secundum ordinem sue receptionis habeat « sessionem, exceptis illis, qui habent in vestra ecclesia « personatus, quibus in sessionibus hujusmodi et aliis « consueta et debita honorificentia impendatur. Ad « hec volentes ne diversitas habitus diversitatem pariat « animorum, precipientes statuimus, ut infra eccle-« siam, in divinis officiis et sepeliendis corporibus « mortuorum, qui apud ecclesiam vestram habuerint « vel sibi elegerint sepulturam, consimilem habitum « deferatis : capam apertam de saia, scilicet et « cottam vel camisiam superanam, estivo tamen tem-« pore, et yemali infra ecclesiam et claustrum pellibus « non discoopertis vel mantellis cum cotta vel ca-« misia superana uti poteritis affiblatis. Ubilibet vero « extra ecclesiam et claustrum in incessu, in statu et « habitu, eundo et redeundo, constitutiones sive pre-« cepta vobis auctoritate felicis recordationis Gre-« gorii pape IX, tempore promotionis sue, tradita, « inviolabiliter observetis. Illud autem districtius « inhibemus, ne aliqua femina infra portam claustri ves-« tri, quantumcumque consanguinea vel affinis alicui « canonicorum dicatur, jaceat vel manducet. Et ut in « refectorio etiam honestatem debitam observetis, « precipimus statuentes quod quilibet vestrum uno « famulo sit contentus ibidem, ne lectionem clamor « plurium impediat vel tumultus, nec ibidem, ullo un-« quam tempore, clericus extraneus aut laicus admit-« tatur, nisi forsan canonicus fuerit cathedralis « ecclesie, vel religiosus existat, seu alias sublimis « persona aut in aliqua posita dignitate, quorum res-« pectu, illos etiam quos secum habuerint, prout « decens fuerit, vobiscum et inter vos honoretis, « exceptis illis diebus, quibus ratione festivitatum « ecclesie vestre invitare seculares clericos et laicos « vos contingat. Beneficia vestra insuper, que cum of-« ficiis pariter convenit ambulare, ad removendam « omnem materiam scandalorum, taliter inter vos pro-« vidimus dividenda, ut scilicet omnes denarios quo-« cumque modo prebende hactenus deputatos, in com-« munem bursam fideliter reponatis et ex eis per « manus camere interioris omnes, qui matutinis missis « cum vigiliis mortuorum et vesperis interfuerint cum « effectu, cotidie in sero denarios sex, exceptis pre-« cipuis sollempnitatibus, in quibus denarios decem « et octo, et diebus dominicis et festis novem lec-« tionum, et diebus quadragesimalibus, in quibus dena-« rios XII recipiant : eos nempe divinis officiis cum « effectu dicimus interesse, qui laborum officiorum « suam in ecclesia recipiunt et peragunt, prout valent « et sciunt, sine murmure, portionem. Prebendam vero « frumenti, quam vobis in festo Assumptionis beate « Virginis dari volumus, nullus recipiat, nisi per « annum infra claustrum vel in loco, a quo divinis « officiis et tractatibus capituli interesse valeant, « residentiam cum effectu, ut superius exprimitur, « fecerint personalem. Liceat tamen singulis per « duos menses, vel eo plus usque ad tres menses, « suis vel amicorum suorum vacare servitiis, ita « tamen quod diebus sollempnibus et festivitatibus « precipuis ecclesie vestre divinis officiis singuli exhi-« beant se presentes. Famuli vero canonicorum, qui « post recessum dominorum suorum propriis comodis « inhiantium in claustro remanserint, si laici fuerint, « octo diebus ad expensas familie capituli admit-« tantur ; si autem clerici et volunt et possunt in « ecclesia comode deservire usque ad regressum « dominorum ipsorum, dummodo ultra duos menses

« extra capitulum non morentur, expensis ejusdem « familie sint contenti. Excipimus tamen de predictis « omnibus infirmos et quasi graviter debiles potio- « natos, et sanguine minutos, quibus tempus congrue « vacationis, prout honestati convenit, secundum po- « tionem et sanguinis minutionem, [ad] discretionem « capituli concedatur. Excipimus etiam peregrinos, « qui ex devotione vel voto iverint ultra mare ob « reverentiam sepulcri Dominici, vel ad sanctum « Angelum, seu ad sanctum Petrum, aut ad sanctum « Marcum, vel ad sanctum Jacobum, capituli petita « licentia, necnon et illos excipimus etiam, qui domini « pape servitiis vel officiis seu servitiis dominorum « cardinalium immorantur. Ad hec, ne simultates aut « societates in capitulo vestro de cetero fiant, distric- « tius inhibentes precipimus, ut ea, que communiter « omnes tangunt et ab omnibus approbari convenit, « vel etiam reprobari, singulariter et extra capitulum « non ordinentur, nec aliquatenus approbentur, sed « in capitulo, vocatis omnibus qui volunt et debent ac « possunt comode interesse, communiter et ordinentur « et approbentur. Adicimus insuper, ut tractatus capi- « tuli vestri et consilia, que privata esse debebunt, sive « ponantur in credentia, sive non, nullus ad dampnum « capituli vel alicujus de canonicis revelare presumat. « Ut autem bona vestra nequeant neglectu diminui « vel perire, districte precipimus statuentes, ut quili- « bet canonicus officium, quod sibi capitulum, prout « moris est, providerit committendum, humiliter « recipiat, et fideliter exequatur. Preterea, ne quis « canonicorum elatus superbia dare presumat in com- « motionibus pedes suos, licitum sit vobis, de nostre « auctoritatis permissu, in quemlibet de capitulo vel « familiarem suum sive capituli, pro manifestis « offensis, nisi secundo terciove commonitus, reatum « suum congrua satisfactione correxerit, excommu- « nicationis sententiam promulgare. Ad predicta vero « firmitate vallanda, perpetuo duratura, et ut negotia « vestra communia sine suspicione procedant, preci- « pimus statuentes, ut de cetero tam vos quam hii, qui « vobis successerint, promittatis per librum et stolam « jurantes in verbo Domini vos illa futuris tempo- « ribus servaturos. Formam autem promissionis et « juramenti hujusmodi presentibus fecimus annotari, « qui talis est :

« Ego.. promitto et juro in verbo Domini, quod ab « hac hora in antea consuetudines rationabiles et « antiquas, necnon bona, jura et libertates capituli « Senensis servabo, manutenebo, prosequar et defen- « dam bona fide, quantum in me fuerit et valitudo mea « permiserit, contra homnem hominem, auctoritate « Sedis Apostolice et ordine meo in omnibus semper « salvis : sic me Deus adjuvet, et hec sancta Evan- « gelia. »

« Ut autem premissis omnibus major fides possit « et debeat adhiberi, ordinationem nostram hujusmodi « sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum « Laterani, XV kal. aprilis, pontificatus domini « Alexandri pape IIII, anno tertio. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Late- rani, V kalendas aprilis, anno tertio. »

1904 Latran, 21 mars 1257.

Confirmat litteras, quibus Reginaldus Parisiensis episcopus confratriae, quam clerici curiales curiae Parisiensis fundaverunt in honorem beatae Mariae Virginis, missas et vesperas celebrandi in quibusdam festivitatibus concedit facultatem, et eidem confratriae officialem Parisiensem dat proprium defensorem et praepositum principalem. (Reg. 25, a. III, c. 293, f. 39v.)

« *Clericis curialibus curie Pariensis.* Cum a nobis petitur quod justum est etc. usque : effectum. Sane exhibita nobis vestra petitio continebat, quod vos in honorem beate Marie Virginis quandam confratriam, de voluntate et consensu venerabilis fratris nostri.. Parisiensis episcopi, ipsius episcopi et canonicorum ejusdem capelle ac residentium et servientium in eadem accedente consensu, de predicta beata Virgine, singulis diebus sabbati et in omnibus ejusdem Virginis et quorumdam aliorum sanctorum festivitatibus, ac alias quotienscumque volueritis, fratres ejusdem confratrie missas ac vesperas predictarum festivitatum celebrent diacono et subdiacono, inductis sacris vestibus et duobus tenentibus chorum et quatuor aliis clericis ministrantibus in altari, ac idem episcopus postmodum ad vestram instantiam, officialem Parisiensem, qui pro tempore fuerit, predicte confratrie ac ordinationis premisse bonorum ac jurium ejusdem confratrie dedit et concessit proprium defensorem et prepositum principalem, volens et ordinans, ut idem officialis ingressu sui officii onus hujusmodi intuitu pietatis suscipiat, promittens bona fide coram predictis confratribus dictam confratriam et ordinationem, bona

et jura ipsius ad divinum servitium defendere et fideliter conservare, prout in litteris inde confectis, ipsius episcopi sigillo munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo et vobis in hac parte provide factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores autem litterarum ipsarum tales sunt :

6 septembre 1254.

« Reginaldus miseratione divina Parisiensis ecclesie « minister indignus, universis presentes litteras ins- « pecturis, salutem in Domino. Notum facimus, quod « nos, volentibus et consentientibus canonicis capelle « nostre inferioris, site in domibus nostris, Parisius « residentibus et servientibus in eadem, concedimus « societati confratrie clericorum curialium curie nostre « Parisiensis, quod ipsi in dicta capella de beata Vir- « gine, singulis diebus sabbatinis et in omnibus ejus- « dem Virginis, sancti Nicolai, beate Marie Magda- « lene, sancte Katerine festivitatibus et Sancti « Spiritus, die martis post Pentecostem et pro de- « functis in crastino diei martis predicte et in com- « memoratione fidelium ac alias quotienscumque volue- « rint[1], dicta confratria in communi et specialiter pro « nobis, quandiu vixerimus, die jovis ante adventum « Domini de Sancto Spiritu ac post decessum nostrum « die obitus nostri, missam una cum vesperis festivita- « tum predictarum[2] celebrent libere, omni contradic- « tione cessante. Canonici vero dicte capelle, qui- « cumque pro tempore fuerint, tenentur et tenebuntur « confratribus societatis ejusdem confratrie de pres- « bitero providere, qui divinum servitium in predictis « festivitatibus ac alias quotienscumque confratres « celebrare voluerint in communi in capella predicta « celebrabit. Ipsis canonicis in quatuor beate Virginis, « scilicet Assumptione, Nativitate, Purificatione, et « Annuntiatione, et in duabus sancti Nicolai, sancte « Marie Magdalene et sancte Catarine festivitatibus, « medietatem oblationum scilicet denarios et ceram[3], « que in dictis festivitatibus ad manum presbiteri offe- « rentur et in singulis aliis missis quibuscumque, quas « in dicta capella dicti confratres celebrare voluerint,

1. *Ms.* : dvoluerint.
2. *Ms.* : predictorum.
3. *Ms.* : cere.

« duodecim denarios Parisienses a dictis confratribus, « sive confratres obtulerint sive non, ac panem et « vinum quando panis sive vinum offerentur tantum- « modo percepturis. In residuo autem oblationum, « cera et in aliis quecumque offerentur, dum ut dic- « tum est, celebraverint in communi dicti confratres, « necnon et in ornamentis, indumentis, cereis ac « aliis bonis mobilibus et immobilibus dicte confra- « trie, canonici predicti dicte capelle sive succes- « sores eorum nichil juris penitus reclamabunt seu « poterunt reclamare. Immo ipsi confratres seu pro- « curatores eorum, quicumque pro tempore fuerint, « ornamenta, cereos et alia quecumque ad divinum « cultum pertinentia deferre poterunt ad capellam « predictam et referre in suam custodiam, prout « voluerint et sibi visum fuerit expedire, hoc salvo « quod ejusdem capelle canonici erunt bonorum spi- « ritualium et temporalium dicte confratrie, sicut unus « de aliis confratribus, participes et consortes et a pres- « tatione taxationis sedis et aliarum collectarum qua- « rumque remanebunt dicti canonici quieti penitus « et immunes. Si vero confratres quandoque vellent « aliam aliquam missam, de qua statutum non esset, in « communi celebrare, dicti confratres tenebuntur eis- « dem canonicis vel uni eorum hec in die precedente « significare, ut sibi in crastino de presbitero valeant « providere. Promiserunt autem dicti canonici, bona « fide, coram nobis, predicta omnia et singula ac « jura dicte confratrie se fideliter servaturos. In cujus « rei testimonium et munimen ac robur perpetuum, « presentes litteras ad petitionem dictorum canonico- « rum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Da- « tum anno Domini M.CC.LIIII, VI mensis[1] septembris. « Bercarudus de Castris.

6 octobre 1254.

« Reginaldus miseratione divina Parisiensis eccle- « sie minister indignus, universis presentem pagi- « nam inspecturis, eternam in Domino salutem. Si « populus Israeliticus, qui sub umbra legis vivebat, « frequenter accedens adoraturus ad locum, quem ele- « git Dominus ut ibi poneret nomen suum, sociam « mensam in templo Domini ministris divinis, ut odo- « rem incensi quilibet offerret Domino vice sua, vasis « et aliis ad divinum cultum explendum utensilibus « ornabat sollempniter et devote, multo fortius po-

1. *Ms.* : mense.

« pulus Christianus, cui in veritate tempore gratie « prefata benignitas apparuit et humanitas Salvato- « ris, et maxime clerici, qui in sortem Domini specia- « liter sunt electi, tenentur ecclesias, in quibus Dei « filius, ab abolendam nostrorum criminum corrupte- « lam, immortaliter et incorrumptibiliter vivens in « altari cotidie immolatur, majori devotione ac reve- « rentia honorare, decentibus hornare ministeriis ac « congruis honoribus frequentare, cum omni puritate « affectus ad id coaptando pro viribus effectivos. Sane, « sicut dilecti filii nostri confratres societatis confratrie « clericorum curialium curie nostre Parisiensis in ho- « norem gloriose Virginis institute nobis exponere « curaverunt, ipsi de denariis juramentorum[1] curie « nostre, quos jamdicte confratrie dedimus et conces- « simus in usus ejusdem ad divinum servitium conver- « tendos, cum plus timeri soleat quod specialiter promit- « titur, quam quod generali responsione concluditur, et « ne divinus cultus ab ipsis confratribus tam honorifice « et laudabiliter inchoatus, processu temporis, quod « absit, precipue in numero personarum circa altare « ministrantium, diminutionem aliquam patiatur, ordi- « natione et delib[er]atione[2] provida statuerunt, ut « in singulis missis, quas celebraverint in communi « dicti confratres, diacono et subdiacono, indumentis « sacris indutis, ministrantibus in altari, et duobus te- « nentibus chorum, indutis capis siricis seu etiam sine « capis siricis, in missis fidelium prout decet, cuilibet « tres denarii, et quatuor aliis clericis, indutis superliciis, « turibulos[3] et cereos in lectione evangelica, duos tor- « tios cum turibulis in elevatione sacri dominici corpo- « ris, statim terminata prefatione usque ad ultimum « *osanna in excelsis*, et etiam alias in missis, prout « divino congruit servitio, deferentibus, cuilibet duo « denarii de jamdictis denariis per manus procurato- « rum, qui pro tempore fuerint, statim cum missa can- « tata fuerit, conferantur, et denarii, qui superfuerint « de predictis denariis juramentorum, in refectione tor- « cinorum predictorum et in aliud luminare missarum « sive in alios usus ejusdem confratrie ad divinum servi- « tium convertantur. Nos autem devotionem dictorum « confratrum et ampliationem divini cultus attendentes, « ad petitionem ipsorum, ordinationem et statum hu- « jusmodi volumus, approbamus et ratum habemus ac « auctoritate presentium confirmamus. Quia vero « parum prodesse[t] statutum nisi esset qui statuta edita « tueretur, ut unio societatis sive confratrie hujus- « modi, tanquam membra sub uno capite in divino « servitio solide ac perpetuo perseveret, et per ipsum « fructus recipiat delectabiles et fecundos, nos, ad ins- « tantiam et supplicationem dictorum confratrum, « officialem Parisiensem, quicumque pro tempore fuerit, « domus predicte confratrie concedimus ordinatio- « nis prefate et bonorum ac jurium confratrie defen- « sorem et prepositum principalem. Volumus etiam « et ordinamus, ut quicumque fuerit officialis Pari- « siensis pro tempore, in ingressu sui officii onus « hujusmodi pietatis intuitu suscipiat et promittat « bona fide, coram confratribus, ipsam confratriam ac « etiam ordinationem predictam bona et jura ipsius « ad divinum servitium defendere et fideliter obser- « vare. In cujus rei testimonium et memoriam ac « robur perpetue firmitatis, presentem paginam sigilli « nostri munimine fecimus roborari. Datum anno « Domini M.CC.LIIII, VI mensis octobris. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Laterani, XII kalendas aprilis, anno tertio. »

1. La lecture de ce mot n'est pas absolument certaine. Le sens voudrait plutôt un mot comme : *instrumentorum*.

2. *Ms.* : ordinationem et delibationem.

3. *Ms* : turibuli.

1905 Latran, 5 janvier 1257.

Omnibus, qui ad monasterium monialium S. Mariae de Orto inter Vineas Velletrensem, ordinis S. Benedicti, accesserint vel eisdem manum porrexerint pietatis, tres annos de injunctis paenitentiis relaxat[1]. (Reg. 25, a. III, c. 294, f. 40.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis*. Quoniam, ut ait apostolus —. Dat. Laterani, nonis januarii, anno tertio. »

1906 Latran, 4 mars 1257.

Episcopo Petragoricensi mandat, quatenus Bernardo Venderii pauperi clerico, qui nullum beneficium est assecutus, de aliquo beneficio competenti providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 300, f. 40.)

« .. *episcopo Petragoricensi*. In nostra presentia —. Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno tertio. »

1. Les numéros 295-299 manquent dans le registre par suite d'une erreur de numérotation. On passe directement du numéro 294 au numéro 300.

1907 Latran, 30 mars 1257.

Officiali Atrebatensi mandat, quatenus abbatem et conventum monasterii Arroasiae vocet et audiat in causa quadam inter ipsos et episcopum Noviomensem orta. (Reg. 25, a. III, c. 301, f. 40v.)

« .. *officiali Atrebatensi*. Petitio dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Aroasie, Attrebatensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod cum venerabilis frater noster.. episcopus Noviomensis eos moneri fecisset, ut in quibusdam prioratibus, quos idem monasterium in diocesi Noviomensi obtinet, loco quarumdam conversarum, que in prioratibus ipsis decesserant vel decedent, canonicos regulares, juxta statutum a venerabilibus fratribus nostris.. archiepiscopo Remensi, loci metropolitano, ejusque suffraganeis in provinciali concilio super hoc sicut dicebat editum, subrogarent, ex parte dictorum abbatis et conventus fuit coram eodem episcopo Noviomensi excipiendo propositum, quod cum consensus eorumdem abbatis et conventus ac diffinitorum capituli generalis ipsius ordinis, ad quos ordinatio prioratuum et locorum ipsorum de antiqua et approbata et hactenus observata consuetudine pertinere dinoscitur, in faciendo statuto minime habitus fuerat nec etiam requisitus, ad illud observandum prefati abbas et conventus compelli per eundem episcopum de jure non poterant nec debebant. Et quia idem episcopus eos super hoc audire contra justitiam denegavit, ipsi sentientes ex hoc indebite se gravari ad nostram audientiam appellarunt. Ideoque mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi etc. usque : observari. Testes etc. Dat. Laterani, III kalendas aprilis, anno tertio. »

1908 Latran, 28 décembre 1256.

Fratri B. ordinis fratrum Minorum mandat, quatenus cum Henrico nato nobilis viri Smilonis de Luthtumburch et Domazlava filia nobilis viri Bavari camerarii [Otokari] regis Boemiae dispenset, ut non obstante quarto vel quinto consanguinitatis gradu, invicem matrimonium contrahere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 302, f. 40v; Potthast 16633.)

« *Fratri B. ordinis fratrum Minorum*. Cum sicut ex parte —. Dat. Laterani, V kal. januarii, anno tertio. »

1909 Latran, 29 mars 1257.

Episcopo et capitulo Calaguritanis mandat, quatenus Joannem Sancii diaconum, in canonicum et fratrem recipiant, eique praebendam conferant. (Reg. 25, a. III, c. 303, f. 40v.)

« .. *episcopo et capitulo Calagurritanis*. Ecclesiarum utilitatibus —. Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno tertio. »

1910 Latran, 17 avril 1257.

Episcopo Parisiensi et priori de Chaillieco, executoribus testamenti Petri de Brana comitis Britanniae, indulget, ut propter bona dictum testamentum spectantia, extra civitatem vel dioecesim Parisienses ad judicium evocari non valeant. (Reg. 25, a. III, c. 304, f. 40v.)

« .. *episcopo Parisiensi*. Clare memorie Petrus de Brana comes Britanie in ultima voluntate sua te ac.. priorem de Chaillieco, Parisiensis diocesis, sicut asseritis, executores sui testamenti constituens, plura bona ad se spectantia, distribuenda per manus vestras religiosis et ecclesiasticis ac diversis aliis personis et locis industrie vestre commisit. Cum itaque nil magis rebus debeatur humanis quam quod voluntates ultime fidelium firmiter observentur, nos tuis et dicti executoris tui supplicationibus annuentes, ne super executione ipsius testamenti, aliquorum procurante malitia, impediri possitis, vobis, auctoritate presentium indulgemus, ut per litteras Apostolice Sedis aut legatorum ejus impetratas, per quas ad citationem partium minime sit processum, vel impetrandas, etiamsi contineatur in eis, quod ipsarum impetratoribus aliqua ipsius Sedis indulgentia non obsistat, extra civitatem vel diocesim Parisienses vos vel aliquis vestrum seu illi, quibus in partem aut in totum super premissis vices vestras duxeritis committendas, non possitis, super bonis ad dictum testamentum spectantibus, ad judicium evocari, nisi dicte littere apostolice impetrande plenam et expressam de verbo ad verbum fecerint de indulgentia hujusmodi mentionem, dummodo infra eandem civitatem et diocesim parati sitis de vobis conquerentibus super hiis coram competenti judice justitie plenitudinem exhibere. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Dat. Laterani, XV kalendas maii, anno tertio. »

1911 Latran, 17 avril 1257.

Abbati Fossatensi mandat, quatenus dictos executores ab aliquibus indebite molestari non permittat. (Reg. 25, a. III, c. 305, f. 40v.)

« .. *abbati Fossatensi, Parisiensis diocesis.* Clare memorie Petrus de Brana, comes Britannie, in ultima voluntate sua venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Parisiensem, ac.. priorem de Chailliaco, Parisiensis diocesis, sicut asserunt etc. ut in alia, verbis competenter mutatis, usque : exhibere. Quocirca mandamus, quatinus dictos executores non permittas contra concessionis nostre tenorem super hiis ab aliquibus indebite molestari. Molestatores etc. non obstante si aliquibus de partibus illis a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, nisi de indulto hujusmodi sibi concesso plena et expressa, seu de verbo ad verbum, in nostris litteris mentio habeatur, vel constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, ita quod ultra tertiam vel quartam aliqui extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahantur. Datum ut supra. »

1912 Latran, 12 mai 1257.

Fortunium Lupi de Oblito, canonicum Ispalensem in capellanum suum recipit. Reg. 25, a. III, c. 306, f. 41.

« *Fortunio Lupi de Oblito, canonico Ispalensi.* Sic virtutum merita —. Dat. Laterani, IIII idus maii, anno tertio. »

1913 Latran, 15 mars 1257.

Episcopo Maltensi et abbatibus Fossae Novae et S. Georgii de Gratera mandat, quatenus Johannis Sacci, canonici Panormitani, de Ecclesia Romana bene meriti, negotia de indulgentiis apostolicis et rescriptis exequi studeant. Reg. 25, a. III, c. 307, f. 41 ; Potthast 16782.

« .. *episcopo Maltensi, et.. Fosse Nove et.. Sancti Georgii de Gratera, Cisterciensis et Sancti Augustini ordinum abbatibus, Terracinensis et Chephaludensis diocesium.* Divulgate fame preconium et publica notitia manifestant, quod dilectus filius Johannes dictus Saccus, canonicus Panormitanus, dudum causam Ecclesie causam suam reputans, et intendens sollicite juribus Ecclesie matris sue, sicut orthodoxum decet filium et devotum, pro defensione libertatis ecclesiastice, in partibus pluribus, contra quondam Fridericum, olim Romanorum imperatorem, impium exterminatorem, ipsius constantia perstitit indefessa, ita quod nichil ad experimentum, ad meritorum cumulum, seu augmentum fieri potuit premiorum, quod ejus non impleverit promptitudo; propter quod idem Fridericus, nati, officiales et fautores eorum in personam ipsius Johannis ac suorum, iniquitatis sevitia excandentes, eumque tormentis et diri carceris squaloribus macerantes, universa bona ejus tam ecclesiastica quam mundana confiscarunt, et aliis concesserunt, ac matrem et nonnullos alios de suis consanguineis, propter hoc, ultimo supplicio condempnarunt. Hujusmodi quidem meritorum optentu Johannes ipse dudum a felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro et a nobis postmodum ad instar illius, diversas litteras, dispensationes, confirmationes, indulgentias et revocatorias innovatas sibi ad diversos executores, conservatores, monitores et judices, necnon ad dilectum filium fratrem Rufinum capellanum et penitentiarium nostrum, tunc dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, in partibus illis Apostolice Sedis legati, vicarium in Sicilia et Calabria, super diversis gratiis, dispensationibus, confirmationibus, executionibus, monitionibus, revocationibus et aliis rationibus suis et juribus, tam ecclesiasticis quam mundanis, etiam impetravit, sed eis plene uti non potuit, temporis malitia faciente, et interim nonnullis de judicibus, conservatoribus et aliis predictis nature solventibus debitum, ac dicto capellano de illis partibus recedente, nos igitur, ipsius Johannis supplicationibus inclinati, mandamus, quatinus inspectis premissis apostolicis indulgentiis et rescriptis, ipsius Johannis negotia hujusmodi per vos vel per alios aut alium exequi studeatis, juxta continentiam earumdem, contradictores etc. non obstantibus lapsu temporis, renuntiationibus, confirmationibus, indulgentiis, collationibus[1] seu litteris sub forma quacumque a Sede Apostolica vel legatis ipsius, in ejusdem Johannis prejudicium a quocumque postmodum impetratis vel etiam impetrandis, aut si idem Johannes alias beneficiatus existens curam habeat animarum, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Nos enim irritum decernimus et inane quicquid in dicti Johannis prejudicium contra gratias sibi ab Apostolica Sede factas presumptum est, vel presumi con-

1. Ces quatre derniers mots sont repetes deux fois dans le manuscrit.

tigerit in futurum. Quod si non omnes etc. Dat. Laterani, idibus martii, anno tertio. »

1914 Latran, 29 janvier 1257.

Praelatis et clericis per Boemiam, Poloniam, Moraviam et Austriam, necnon et partes vicinas constitutis mandat, ut fratrem Bartholomaeum de Boemia, ordinis fratrum Minorum, cui contra Litwanos et alios infideles praedicare commisit verbum crucis, benigne tractantes, cum quatuor personis et totidem equis in securo conductu curent providere. (Reg. 25, a. III, c. 308, f. 41; Potthast 16700.)

« *Archiepiscopis et episcopis ac abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis et clericis per Boemiam, Poloniam, Moraviam, et Austriam, necnon et partes vicinas constitutis.* Cum dilecto filio fratri Bartholomeo de Boemia ordinis fratrum Minorum, quem sue religionis et probitatis obtentu carum habemus admodum et acceptum, et in cujus ore non est verbum Domini alligatum, contra Litwanos et alios infideles in partibus vestris predicare commiserimus verbum crucis, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, honeste ac benigne tractantes, eidem cum quatuor personis et totidem equis in securo conductu et aliis necessariis curetis taliter providere, quod vestra devotio inde possit merito commendari. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Datum Laterani, IIII kalendas februarii, anno tertio. »

1915 Anagni, 7 août 1255.

Fratri Bartholomaeo de Boemia tribuit facultatem clericos et laicos, qui paganis auxilium praestiterint, censura ecclesiastica compescendi. (Reg. 25, a. III, c. 309, f. 41; Potthast 15984.)

« *Fratri Bartholomeo de Boemia, ordinis fratrum Minorum.* Cum in Polonia, Boemia, Moravia et Austria predicationem crucis contra paganos tibi sub certa forma duxerimus committendam, ne hujusmodi crucis negotium per aliquorum insolentiam valeat impediri, compescendi clericos et laicos per censuram ecclesiasticam, cujuscumque sint dignitatis vel ordinis, qui eisdem paganis auxilium aliquod prestiterint vel favorem in derogationem fidei Christiane, aut ipsum negotium per se vel per alios temere presumpserint impedire, liberam tibi, auctoritate presentium, tribuimus facultatem. Datum Anagnie, VIII idus augusti, anno primo. »

1916 Latran, 5 avril 1257.

Fratri Bartholomaeo de Boemia concedit facultatem absolvendi a sententia canonis illos, qui contra Litwanos, Jatuenzenos et Ruthenos ac alios paganos et scismaticos illarum partium signum crucis assumpserint. (Reg. 25, a. III, c. 310, f. 41; Potthast 16814.)

« *Eidem.* Ut commissum tibi officium predicandi verbum crucis contra Litwanos, Jatuenzenos et Ruthenos ac alios paganos et scismaticos illarum partium prospere, auctore Domino, in tuis manibus dirigatur, absolvendi a sententia canonis, juxta formam Ecclesie, per te ac alios fratres tui ordinis ad hoc ydoneos, illos, qui contra predictos assumpserint signum crucis, dummodo in personis propriis votum hujusmodi prosequantur, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem, proviso quod hujusmodi excommunicati super hoc satisfaciant ut tenentur, et injuncto eis a te vel a fratribus ipsis quod de jure fuerit injungendum. Datum Laterani, nonis aprilis, anno tertio. »

1917 Latran, 1er février 1257.

Archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Cracoviensi mandat, quatenus in castro Lucow ecclesiam cathedralem erigant eique Bartholomaeum de Boemia in pastorem praeficiant. (Reg. 25, a. III, c. 311, f. 41v; Potthast 16709.)

« .. *archiepiscopo Gnesnensi et .. episcopo Cracoviensi.* Dilectus filius nobilis vir.. dux Cracovie et Sandomirie et dilecta in Christo filia Salomea monialis ordinis Sancti Damiani, quondam regina Gallicie soror predicti ducis, necnon magister domus militie Templi in Alamania et Sclavonia nobis humiliter supplicarunt, ut castrum Lucov, Cracoviensis diocesis, ipsi magistro et fratribus militie Templi a prefato duce Cracovie et Sandomirie collatum, quod est in confinio Letwanorum et aliorum infidelium, statueremus esse de cetero civitatem et ecclesiam cathedra-

lem ibidem erigere, ac ipsi castro episcopalem dignitatem concedere, necnon dilectum filium fratrem Bartholomeum de Boemia, ordinis fratrum Minorum, qui contra predictos infideles pro negotio fidei in illis partibus diligenter laborat, in episcopum et pastorem inibi preficere, presertim cum ad id tuus, frater episcope, qui loci diocesanus existis, assensus accedat, et ex hoc fidei catholice cultus possit in illis partibus augmentari non modicum, apostolica solicitudine curaremus. Nos igitur hujusmodi cultum fidei cupientes per orbem longius latiusque diffundi, fraternitati vestre, presentium auctoritate, committimus, quatinus premissis omnibus provida meditatione pensatis, si hoc sine dilecti filii magistri et fratrum hospitalis Sancte Marie Theutonicorum et aliorum prejudicio fieri poterit, idque ad augmentum fidei cognoveritis redundare, ordinetis, statuatis et faciatis auctoritate nostra super predictis, prout secundum Deum incremento ejusdem fidei videritis expedire. Contradictores, etc. Dat. Laterani, kalendis februarii, anno tertio. »

1918 Latran, 3 mai 1257.

Magistro Alberto Pisano S. Audomari et Angelo presbytero SS. Laurentii et Damasi de Urbe canonicis, mandat, quatenus Franciscum capellanum dicti papae, filium nobilis viri Nepolionis Johannis Gaietani, in possessionem inducant cujusdam praebendae ecclesiae Remensis, de qua inter eumdem Franciscum et Thomam nobilis viri Philippi Papazuri filium, orta erat quaestio. (Reg. 25, a. III, c. 312, f. 41v.)

« *Magistro Alberto Pisano Sancti Audomarii, Morinensis diocesis, et Angelo presbitero Sanctorum Laurentii et Damasi de Urbe canonicis, Parisius commorantibus.* Inter dilectos filios Franciscum, subdiaconum et capellanum nostrum, nobilis viri Nepolionis Johannis Gaietani, et Thomam nobilis viri Philippi Papazuri civis[1] Romani filios, canonicos ecclesie Remensis, super quadam prebenda in ecclesia ipsa vacante, in qua uterque eorum se jus habere dicebat, orta materia questionis, nos volentes questionem hujusmodi amicabiliter terminari, duximus ordinandum, quod idem capellanus prebendam obtineat supradictam, ita tamen quod dictus Thomas tamdiu medietatem proventuum ipsius prebende percipiat, donec alia prebenda vacaverit in ecclesia memorata, et quod dictus Thomas habeat in ipsa ecclesia prebendam aliam, si qua in predicta ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum vacare contigerit, quam donationi apostolice reservamus Thome conferendam eidem; decernentes irritum et inane si secus de ipsa prebenda, de qua eidem Thome provideri ordinavimus, contigerit attemptari. Quocirca mandamus, quatinus eundem capellanum vel procuratorem suum, ejus nomine, in corporalem possessionem prebende, de qua inter ipsum et dictum Thomam erat questio, amoto ab ea quolibet detentore, per vos vel per alios inducatis et defendatis inductum : non obstantibus aliquibus indulgentiis seu litteris a Sede Apostolica impetratis, de quibus oporteat in nostris litteris plenam et expressam fieri mentionem, vel etiam impetrandis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Contradictores etc. Quod si non ambo etc. Datum Laterani, V nonas maii, anno tertio. »

1. *Ms.* : civem.

1919 Latran, 18 mars 1257.

Episcopo Ovetensi confirmat facultatem ab Innocentio IV concessam, faciendi recipi tres idoneos clericos in canonicos et totidem in portionarios, in ecclesia Ovetensi. (Reg. 25, a. III, c. 313, f. 41v.)

« .. *episcopo Ovetensi.* Ex parte tua. — Dat. Laterani, XV kal. aprilis, anno tertio. »

1920 Latran, 20 avril 1257.

Priori S. Mariae in Campis Metensis mandat, quatenus juxta litteras Petri S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, Werrico canonico ecclesiae S. Theobaldi Metensis de quadam dimidia praebenda ecclesiae Metensis provideat. (Reg. 25, a. III, c. 314, f. 41v.)

« .. *priori Sancte Marie in Campis Metensis.* Sua nobis dilectus filius Werricus canonicus ecclesie Sancti Theobaldi Metensis, clericus et familiaris venerabilis fratris nostri .. Metensis episcopi petitione monstravit, quod licet olim ad te dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legati, ut sibi in una de quatuor dimidiis prebendis ecclesie Metensis, que stipendia nuncupantur, quarum due ad decanum, relique vero ad curatoris ejusdem ecclesie collationem pertinere noscuntur, si qua tunc vacaret ibidem vel quamcito se facultas offerret, provideres

aut faceres provideri, sub certa forma litteras impetravit, tuque priusquam dictus cardinalis fines sue legationis exiret, inceperis efficaciter in negotio ipso procedere, nondum tamen idem clericus de hujusmodi gratia commodum reportavit. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, non obstante indulgentia cardinalis ejusdem, qua postmodum prefato decano dicitur esse concessum, ut nulli teneatur per litteras ipsius cardinalis de beneficiis ad suam collationem spectantibus providere, procedas in predicto negotio juxta traditam tibi formam, presertim cum ipsa indulgentia de predictis litteris ad te directis nullam dicatur facere mentionem. Dat. Laterani, XII kalendas maii, anno tertio. »

1921 Anagni, 2 novembre 1256.

Philippo Ispalensi electo facultatem concedit contrahendi mutuum, usque ad summam trium milium librarum Turonensium et se et successores suos et ecclesiae suae bona creditoribus obligandi. (Reg. 25, a. III, c. 315, f. 41v.)

« *Philippo Ispalensi electo.* Cum sicut —. Dat. Anagnie, IIII nonas novembris, anno secundo. »

1922 Latran, 30 avril 1257.

Episcopo et capitulo Noviomensibus mandat, quatenus Orlandum de Ferentino ipsius papae consobrinum et capellanum in canonicum recipiant in ecclesia Noviomensi, eique stallum in choro et locum in capitulo assignent. (Reg. 25, a. III, c. 316, f. 42.)

« .. *episcopo et capitulo Noviomensibus.* De vestris et ecclesie —. Dat. Laterani, II kal. maii, anno tertio. »

1923 Latran, 30 avril 1257.

Magistris Marino et Nicholao de Senis capellanis suis mandat, quatenus ex parte sua prefatos episcopum et capitulum Noviomenses ad executionem predictarum litterarum in favorem Orlandi de Ferentino inducere procurent. (Reg. 25, a. III, c. 317, f. 42.)

« *Magistris Marino et Nicolao de Senis canonico Parisiensi capellanis nostris.* De ecclesie Noviomensis. — Dat. ut supra. »

1924 Latran, 12 mai 1257.

Excusationes, allegationes et appellationes quascumque magistrorum et scholarium Parisiensium, tanquam elusorias, ineptas et frivolas reprobat, et sententialiter decernit ordinationem quae « Quasi lignum vitae » incipit, aliis in contrarium allegatis non obstantibus, integre et inviolabiliter observari. (Reg. 25, a. III, c. 318, f. 42; Potthast 16842; Denifle et Chatelain, *Chartularium univers. Parisiensis*, t. I, n° 309.)

« *Ad perpetuam memoriam futurorum.* Circa frequens cotidiane sollicitudinis ministerium occupati supra vires nostras assiduis ingruentium undique disceptationum incursibus fatigamur, que nos inevitabili necessitate constringunt, emergentibus litigiorum morbis, varia remedia providere. Sed interdum pacem credimur dedisse negotiis et eadem majori strepitu recidivant, dumque offensionis lapides, quibus vie vite hujus inhorret asperitas, ut rationalium affectuum pietas liberius procurrat in Deum, salutaribus studiis removemus, hominis inimici malignitas petras aliquando scandali superjacit gravioris. Hinc utique fit, quod operosior cura plerumque nobis imminet circa plurima, que salubri sategimus curasse medela, et propensior nos labor repetit post labores, quibus altam aliis studuimus preparare quietem. Dudum sane cum super quibusdam articulis statum Parisiensis studii contingentibus controversia emersisset, nos, qui ejusdem studii emolumenta zelamur, ut viri scolastici, summotis altercationibus, que profectum discipline prepediunt, in pacis otio pacificis sane doctrine occupationibus imminerent, per ordinationem quandam, que *quasi lignum vite* incipit, suborta dissidentium jurgia duximus de fratrum nostrorum consilio dirimenda. Verum magistri atque scolares Parisienses ordinationem eandem, qua in plana curavimus aspera commutare, ad turbationis materiam assumentes, adversus dilectos filios fratres ordinis Predicatorum maxime in scandala surrexerunt, eidem ordinationi erecto inobedientie vertice resistendo, nec considerando prudenter ordinationi temere obviari divine dum apostolice contradicitur potestati; ad quod eos credimus non tam voto communi quam particulari quorumdam seductione commotos, cum vix ad contumatiam pari consensu multitudo prorumpat, nisi forsitan incitetur a paucis, qui si possint peccare cum plurimis impunitatem sibi suorum excessuum, quos per hoc potius exaggerant, repromittunt. Cum autem

iidem fratres magistrorum atque scolarium infestationibus lacessiti, et insecutionibus fatigati, compositionem quandam cum illis in derogationem ordinationis apostolice subiissent, nos compositionem hujusmodi, que fratres ipsos escludebat a scolis magistrorum secularium, reprobantes, ordinationem ipsam, in cujus contemptu nostra vilipendebatur auctoritas, mandavimus inviolabiliter observari, cohercendo pena debita transgressores. Ipsi vero magistri atque scolares cum presumptioni peccatum, peccato contemptum, et contemptui pertinatiam adjecissent, tandem nuntios et procuratores ad Sedem Apostolicam destinarunt, per quos ad excusandas excusationes suas coram nobis et fratribus nostris inter cetera proponere curaverunt, quod cum ipsi de consortio universitatis magistrorum et scolarium Parisiensium, a qua omnino recesserant ejus renuntiando privilegiis, et actum postmodum dimittendo legendi, non debeant reputari ordinationem predictam, que in universitatem ipsam promulgata extitit, observare, vel magistros aut scolares predictorum fratrum ad magistrorum consortium vel ejusdem universitatis collegium, de quo jam esse desierant, admittere nullatenus tenebantur, preter id, quod ad societatem nemo est cogendus invitus, et ipsi fratres duobus non debent universitatis, videlicet scolarium et conventus Predicatorum, collegiis contineri, addentes quod dispar ipsorum professio eos eidem universitati reddit incongruos et ad sustinenda ipsius onera, cujus gauderent commodis, efficit paupertatis condicio impotentes. Propter que necnon et alia quedam a prefate ordinationis aliorumque mandatorum nostrorum eandem ordinationem contingentium executoribus, ne contra ipsos procederent, fuerat pro parte ipsorum magistrorum et scolarium ad Sedem Apostolicam multotiens appellatum. Proponebant quoque in mandatis apostolicis, que contra eos emanaverant, se gravatos injuste, per que ipsos puniri graviter constat, qui culpabiles non existunt, et predictam compositionem, quam partes acceptaverant, irritari, ad ultimum super hiis provideri sibi per Sedem Apostolicam postulantes. Sed fortius allegabat econtra rebelles, eorumdem magistrorum et scolarium contumacia et pertinacia divulgata, qui non solum in nobis sed etiam in felicis recordationis I. papa predecessore nostro auctoritatem Sedis Apostolice contempserunt, directis sibi pro memorati ordinis fratribus in pagina sacra docentibus eorumque scolaribus ad sue universitatis consortium admittendis ipsius predecessoris et nostris jussionibus resistendo. Aggravat autem culpam eorum exempli contagium, quo fideles tam principes quam populi facile possent in debita Deo ejusque vicario obedientia et devotione corrumpi, si qua ex dissimulationis nostre patientia, illorum inobedientie proveniret auctoritas, quibus fidem prebet in plebe fideli scientia fidei, qua eminere creduntur per doctrine studium et exercitium discipline. Insurgit quoque adversus eorum duritiam arguendam, non solum nostre ordinationis, quam calumpniari conantur, equitas manifesta, communis utilitatis compendium omnibus afferens, et private jacture dispendium cuiquam non importans, verum etiam juramentum, quo se contra ejusdem ordinationis tenorem, ne fratres ipsos reciperent donec, utrum sint in magistrorum et scolarium consortium receptibiles, diffinitum fuerit, temere astrinxerunt, cum an iidem fratres receptabilitatis hujusmodi habeant ipsius ordinationis auctoritas ambiguum non relinquat. De compositione sane predicta eis patrocinium adesse non debet cum fuerit ex quadam impressionis improbitate presumpta. Nec possunt de revocatione ipsius aut de mandatorum nostrorum animadversione justam formare querelam, cum in derogationem ordinationis nostre ac impedimentum theologice facultatis eadem compositio attemptata fuisset, et per consequens in periculum fidei orthodoxe, que sicut proficiente sacre pagine studio incrementum recipit et vigorem, sic deficiente pernitiosum incurreret detrimentum. Cum etiam mandata predicta sub ea moderationis forma processerint, ut obtemperantes eisdem contenta in illis animadversionis severitas non feriret, apparet per ea non obedientium innocentiam vel preterite rebellionis culpas percuti, sed insolentes contumatium ausus justissime cohiberi. Porro per hoc quod prefati magistri et scolares ab universitate Parisiensis studii recessisse ipsiusque privilegiis renuntiasse dicuntur, excusationis sue intentio non juvatur, cum constet eos in elusionem mandati apostolici, quod jam de ipsa ordinatione servanda notitiam eorum attigerat, id fecisse. Ipsi etiam nichilominus Parisius remanentes studii scolastici occupationibus incumbebant, licet ad tempus actum legendi astute cogitationis consilio postmodum dimisissent. Unde ad removendum pallium, quod sibi ex hujusmodi recessione ac renuntiatione pretendunt, abnegantes verbis, quod operibus profiten-

tur, omnes magistros et scolares, qui Parisius doctrine vel discipline studiis se exercent, intelligimus et intelligi volumus ejusdem universitatis consortio, sive illam profiteantur sive abnegent, contineri. Nos igitur omnibus, que super premissis coram nobis fuere proposita, plenius intellectis, excusationes et allegationes premissas ac appellationes quascumque magistrorum et scolarium predictorum, tamquam elusorias, ineptas et frivolas, de fratrum nostrorum consilio repellentes, sententialiter decernimus ordinationem sepedictam et omnia, que continentur in ipsa, compositione et aliis in contrarium allegatis nequaquam obstantibus, ab omnibus magistris et scolaribus Parisius existentibus, cessante contradictione qualibet, integre et inviolabiliter observari, et apostolica rescripta, que super ipsius ordinationis executione vel observatione processisse noscuntur, habere sui roboris firmitatem. Insuper adiciendo statuimus, ut scolares omnes tam religiosi, de prelatorum suorum licentia, Parisius, gratia studii, quandolibet commorantes, quam etiam seculares ubicumque voluerint lectionibus vel predicationibus audiendis sive questionibus disputandis libere valeant interesse, utque tam Predicatorum, quam Minorum ordinum fratres, et religiosi alii, qui pro tempore Parisius doctores fuerint in theologica facultate, ac scolares ipsorum, in societatem, consortium et collegium aliorum magistrorum et scolarium Parisiensium recipiantur plenarie, semperque in eis efficaciter habeantur. Nulli etc. (nostre sententie ac constitutionis etc. Datum Laterani, IIII idus maii, anno tertio. »

1925 Latran, 18 mars 1257.

Magistro et fratribus militiae Templi Jerosolymitani notum facit se districtius inhibere, ne abbates sub pretii datione collationem prioratuum tradere praesumant. Reg. 25, a. III, c. 319, f. 43; J. Delaville Le Roulx, *Cartulaire gén. des Hospitaliers de S. Jean de Jerusalem*, t. II, n° 2861.

« .. *magistro et fratribus militie Templi Jerosolimitani.* Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum nos cupientes quod pure ac munde secundum Deum fiat concessio seu collatio prioratuum, super hoc auctoritate apostolica quedam duxerimus statuenda, intentionem nostram in hiis vobis plenius exponere curaremus. Intellecto igitur pridem quod abbates cum prioribus, quos in suis instituebant prioratibus, ante vel post institutionem conveniebant, ut eisdem abbatibus aliqua summa pecunie vel certa de proventibus eorumdem prioratuum portio solveretur, sicque, ipsis prioribus hujusmodi pecuniam vel portionem seu annuam forte pensionem impositam sive redditum solventibus, prefatis abbatibus consueta hospitalitas et elemosine solite in eisdem prioratibus subtrahebantur ac diminuebatur in illis numerus servitorum, necnon eorumdem prioratuum negotia minus solicite procurabantur, cum contingeret ex hoc minus idoneos in illis institui vel ordinari priores, de fratrum nostrorum consilio duximus statuendum, ut pure ac munde secundum Deum fiat concessio seu collatio prioratuum, ita quod sub pretii datione vel sub pactione nulli tradantur, sed in eorum concessione penitus ista cessent; districtius inhibentes, ne in fraudem ipsis prioratibus, cum eos vacare contingit, fiat alicujus oneris impositio ad tempus vel perpetuo duratura, nec etiam, priusquam in eis priores fuerint instituti, dictis prioratibus vel ipsis prioribus aliqua per abbates sive perpetua sive temporalia in pensionibus vel quibuscumque aliis prestationibus onera imponantur, per que in illis cultus divinus circa numerum servitorum aut consueta hospitalitas minuatur, vel per que ipsi prioratus seu priores reddantur ad solvendum commode jura episcopalia et prosequendum ut convenit eorumdem jura prioratuum impotentes. Quod si secus presumptum fuerit, presumptores hujusmodi non exempti per locorum ordinarios arceantur; et si prioratus fuerit alterius diocesis quam monasterium, cui subest, circa prioratum ipsum in hiis diocesanus ejus provideat, corrigat, ordinet et disponat, et ad illius denuntiationem diocesanus monasterii abbatem ejus coerceat in premissis. Tales vero presumptores exempti compescantur per illos, quos ad hoc duxerimus deputandos. Scire itaque vos volumus, quod cum de abbatibus et prioribus premissa intellexerimus, circa eos constitutionem edidimus supradictam. Datum Laterani, XV kalendas aprilis, anno tertio. »

1926 Latran, 17 mars 1257.

Magistro et fratribus et domibus militiae Templi Jerosolymitani inhibet, ne oratoria vel capellas in locis non exemptis construere, nec in sic constructis, cum ab ordinariis interdicta fuerint, divina celebrare praesumant. Reg. 25, a. III, c. 320, f. 43; J. Delaville Le Roulx, *Cartulaire gén. des Hospitaliers de S. Jean de Jérusalem*, t. II, n° 2863.

« .. *magistro et fratribus et domibus militie Templi Jerosolimitani.* Nos intellecto pridem, quod vos et alii religiosi privilegio exemptionis gaudentes, capellas[1] et oratoria sine consensu et auctoritate diocesanorum construebatis, necnon et interdicti ac suspensionis sententias, quas ordinarii proferebant in personas et loca sibi subjecta, dampnabiliter contempnentes, faciebatis in locis eisdem et capellis ac oratoriis constructis vobis divina, temeritate propria, celebrari, quanquam quod hec licerent vobis apostolicum privilegium vel indulgentiam ostendere minime curaretis, auctoritate apostolica, de fratrum nostrorum consilio, duximus statuendum, ut oratoria vel cappellas in locis non exemptis, sine diocesanorum locorum ipsorum licentia vos vel dicti exempti non presumatis construere, nec in sic constructis neque in locis non exemptis, cum ab ordinariis interdicta fuerint, celebretis vel faciatis celebrari divina. Quod si talia presumpseritis, ab hiis compescamini per locorum ordinarios eorumdem, et si quas propter hoc conservatores vestri sententias in contrarium protulerunt, illas penitus duximus revocandas, inhibentes ne in locis etiam exemptis, vos vel ipsi exempti hec audeatis facere, nisi super hiis licentiam habeatis Sedis Apostolice vel ipsius privilegium speciale. Unde nobis humiliter supplicastis, ut cum super hiis habeatis specialia privilegia et indulgentias Sedis ejusdem, providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque scire vos volumus, quod intentionis nostre non extitit nec existit hujusmodi privilegiis et indulgentiis super premissis vobis a dicta Sede concessis, per constitutionem ipsam aliquatenus derogare, prout ex ea potest colligi evidenter. Datum Laterani, XVI kalendas aprilis, anno tertio. »

1927 Viterbe, 26 mai 1257.

Guillelmo praeposito ecclesiae Monasteriensis, annexionem ecclesiae de Telgeth, ejusdem dioecesis, suae praepositurae per Monasteriensem episcopum factam, confirmat. Reg. 25, a. III, c. 321, f. 43.

« *Guillelmo preposito ecclesie Monasteriensis.* Exhibita nobis ex parte tua petitio continebat, quod venerabilis frater noster.. Monasteriensis episcopus, diligenter attendens, quod proventus prepositure tue Monasteriensis adeo sint tenues et exiles, quod onera incumbentia tibi non potes ex ipsis comode supportare, ecclesiam de Telgeth, sue diocesis, spectantem ad collationem suam, rectoris ejusdem necnon archidiaconi et capituli sui accedente consensu, ipsi preposituire duxit perpetuo annectendam. Nos igitur tuis devotis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc provide factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, VII kalendas junii, anno tertio. »

1928 Viterbe, 29 mai 1257.

Capitulo Tuamensi significat se, postulatione eorum de fratre Jacobo Huolathdua, ordinis Minorum facta non admissa, magistrum Walterum tunc decanum ecclesiae S. Pauli Londoniensis, Tuamensi ecclesiae praefecisse in archiepiscopum eique consecrationis munus impendisse, mandatque, quatenus eidem archiepiscopo debitam obedientiam exhibeant. Reg. 25, a. III, c. 322[1], f. 43v; Potthast 16850.

« *Capitulo Tuamensi.* Suscepte servitutis officium nos inducit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in ea maxime, ut viduatis, non longe vacationis dispendia patiantur, de talium nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos et spiritualibus proficiant institutis, et incrementis temporalibus augeantur. Presentata siquidem nobis postulatione facta a vobis in ecclesia Tuamensi pastoris solatio destituta, de dilecto filio fratre Jacobo Huolathdua, de ordine fratrum Minorum, non persone, cui laudabile testimonium perhibetur, vitio non admissa, venerabilem fratrem nostrum magistrum Walterum archiepiscopum Tuamensem, tunc decanum ecclesie Sancti Pauli Londoniensis capellanum nostrum, utpote dono scientie preditum, ornatum moribus ac vite integritate conspicuum et nobis ac fratribus nostris merito sue probitatis specialiter carum, eidem Tuamensi ecclesie, de fratrum ipsorum consilio, prefecimus in archiepiscopum et pastorem, sibi consecrationis munus propriis manibus impendendo, spe nobis proposita, quod, auctore illo qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, predicta Tuamensis ecclesia per diligentie sue studium grata in

1. *Ms.* : capellanos.

spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Ipsum igitur ad prefatam Tuamensem ecclesiam cum plenitudine nostre gratie transmittentes, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus eundem archiepiscopum recipientes benigne ac honeste tractantes, sibi tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis et exhibeatis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac irrefragabiliter observando. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Deo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Viterbii, IIII kalendas junii, anno tertio. »

1929 Viterbe, 29 mai 1257.

In eumdem modum clero civitatis et dioecesis Tuamensis. (Reg. 25, a. III, c. 322², f. 43ᵛ.)

« *Clero civitatis et diocesis Tuamensis.* Suscepte servitutis officium —. Dat. ut supra. »

1930 Viterbe, 29 mai 1257.

In eumdem modum populo civitatis et diocesis Tuamensis. (Reg. 25, a. III, c, 322³, f. 43ᵛ.)

« *Populo civitatis et diocesis Tuamensis.* Suscepte servitutis officium —. Dat. ut supra. »

1931 Viterbe, 29 mai 1257.

In eumdem modum illustri regi Angliae. (Reg. 25, a. III, c. 322⁴, f. 43ᵛ.)

« *Illustri regi Angliae.* Suscepte servitutis officium .— Dat. ut supra. »

1932 Viterbe, 1ᵉʳ juin 1257.

Henrico electo Leodiensi tempus prorogat usque ad quatuor tempora mensis decembris proximo futuri, ita quod ex tunc promoveri ad sacros ordines et in episcopum consecrari se faciat, juxta priorum litterarum continentiam. (Reg. 25, a. III, c. 323, f. 43ᵛ; Rodenberg, t. III, nº 456.)

« *Henrico electo Leodiensi.* Ex parte tua —. Dat. Viterbii, kal. junii, anno tertio. »

1933 Latran, 27 avril 1257.

Heriberto de Arzago, canonico ecclesiae plebis de Ponterolo indulget, ut praebendas plebis de Ponterolo et de Usio Superiori, plebanatus ejusdem, retinere et beneficium ecclesiae de Vaprio, plebanatus praefati, recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 324, f. 43ᵛ.)

« *Heriberto de Arzago, canonico ecclesie plebis de Ponterolo, Mediolanensis diocesis.* Probitatis tue —. Dat. Laterani, V kal. maii, anno tertio. »

1934 Latran, 6 mai 1257.

Magistro Guillelmo de Oga rectori ecclesiae de S. Elerio indulget, ut praeter ecclesiam de S. Elerio, cujus proventus triginta librarum Turonensium valentiam non excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 325, f. 43ᵛ.)

« *Magistro Guillelmo de Oga, rectori ecclesie de S. Elerio, Constantiensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Laterani, II nonas maii, anno tertio. »

1935 Viterbe, 28 mai 1257.

Magistro Rostando capellano et nuntio suo in Anglia mandat, quatenus magistro Gerardo de Parma ducentas libras Turonensium persolvat, quas ipse olim Innocentio IV mutuavit. (Reg. 25, a. III, c. 326, f. 43ᵛ.)

« *Magistro Rostando capellano et nuncio nostro in Anglia.* Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus dilecto filio magistro Gerardo de Parma capellano nostro, vel procuratori suo ejus nomine, ducentas libras Turonensium, quas ipse olim, felicis recordationis I. pape predecessori nostro pro negotio regni Sicilie liberaliter mutuavit, de pecunia decime ecclesiasticorum proventuum regni Anglie deputate ad solutionem hujusmodi debitorum, quamcito poteris, sine difficultate persolvas. Datum Viterbii, V kalendas junii, anno tertio. »

1936 Latran, 11 mai 1257.

Patriarchae Jerosolymitano Apostolicae Sedis legato respondet, de quaestionibus motis inter ecclesiasticos et laicos super rebus immobilibus, quae a bajulo regni Jerosolymitani, quae a patriarcha ipso judicari debeant. (Reg. 25, a. III, c. 327, f. 44.

« .. *patriarche Jerosolimitano Apostolice Sedis legato*. Sicut tua nobis fraternitas intimavit, sepe contingit, quod prelatis ecclesiarum vel aliis ecclesiasticis secularibus aut religiosis personis adversus laicos provincie tue, super rebus immobilibus in foro ecclesiastico moventibus questionem, iidem laici excipiendo proponunt, quod cum res, de quibus agitur contra eos, de regali feudo regni Jerosolimitani existant, non tenentur super hiis coram ecclesiastico judice respondere, presertim cum pro rebus ipsis debita et consueta servitia bajulo regni ejusdem persolvant et respondere super hiis coram eodem bajulo sint parati, dictus bajulus non sit in exhibenda justitia super illis negligens vel remissus. Sed econtrario replicatur, quod cum de hiis non agitur tanquam de feudo et hii, qui res ipsas in judicio petunt, eas feodales fore minime fateantur, non is, qui dominus feodi asseritur, sed ecclesiasticus judex cognoscere de hujusmodi causis debet, maxime quia idem regnum rege vacat ad presens. Nam licet idem bajulus in multis gerat et suppleat vices regis, de consuetudine tamen seu assisia, ut eorum utamur vocabulo, regni habetur predicti, quod bajulus ipse non potest de feudo judicare regali. Unde quid in casu hujusmodi sit agendum responso postulasti[1] apostolico edoceri. Ad hec igitur fraternitati tue taliter respondemus, quod si dicti prelati aut persone seu clerici super immobilibus rebus adversus laicos coram ecclesiastico judice moveant questionem, et excipiatur a laicis ipsis, quod res ipse feodales existant et hoc sit notorium, vel coram judice, coram quo sic excipitur, legitime id probetur, hujusmodi causa est ad feudi dominum remittenda. Si vero premissa consuetudo sive assisia in regno habeatur eodem, et tibi constet de ipsa, ne jura ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum hujusmodi occasione valeant deperire, tu de talibus causis, qua fungens legationis auctoritate, potes cognoscere ipsasque fine debito terminare. Dat. Laterani, V idus maii, anno tertio. »

1937 Latran, 10 mai 1257.

Magistro et fratribus domus militiae Templi Jerosolymitani mandat, quatenus patriarchae Jerosolymitano Apostolicae Sedis legato, de summa pecuniae, quam quondam G[eraldus] patriarcha Jerosolymitanus apud domum militiae Templi Acconensem deposuit, usque ad summam centum marcharum sterlingorum assignare curent. (Reg. 25, a. III, c. 328, f. 44.)

1. *Ms.* : postulastis

« .. *magistro et fratribus domus militie Templi Jerosolimitani*. Venerabilis frater noster .. J. patriarca Jerosolimitanus Apostolice Sedis legatus nobis humiliter supplicavit, ut cum pro expensis, quas fecit veniendo ad Sedem Apostolicam et morando ibidem ac etiam transfretando, sit creditoribus suis in non modica summa pecunie obligatus, ipsumque ampliores expensas oporteat facere, prout oneri dignitatis sue congruit et honori, subvenire sibi super hoc de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque ipsius necessitatibus paterno compatientes affectu, mandamus, quatinus de summa pecunie, quam bone memorie G. Jerosolimitanus patriarcha predecessor suus apud domum vestram Acconensem deposuit, eidem usque ad summam centum marcharum sterlingorum, dare ac assignare sine qualibet difficultate curetis. Alioquin .. episcopo Beritensi nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Dat. Laterani, VI idus maii, anno tertio. »

1938 Latran, 2 mai 1257.

Episcopo Beritensi mandat, quatenus ad executionem dictarum litterarum magistrum et fratres domus militiae Templi Jerosolymitani compellat. (Reg. 25, a. III, c. 329, f. 44.)

« .. *episcopo Beritensi*. Venerabilis frater noster J. patriarcha Jerosolimitanus, Apostolice Sedis legatus, nobis humiliter supplicavit etc. ut supra usque : compellat, non obstante si eidem magistro et fratribus communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis, nisi in eis de indulto hujusmodi et toto tenore ipsius plena et expressa mentio habeatur. Datum Laterani, VI nonas maii, anno tertio. »

1939 Latran, 28 avril 1257.

Patriarchae Jerosolymitano et archiepiscopo Tyrensi mandat, quatenus expendant pro munitione civitatum et castrorum ac defensione Terrae Sanctae quasdam pecuniae summas, quas nonnulli Christi fideles in sua ultima voluntate reliquerunt in aedificationem murorum Jerosolymitanae et Aschalonae civitatum convertendas. (Reg. 25, a. III, c. 330, f. 44.)

« .. *patriarche* [*Jerosolimitano*] *Apostolice Sedis legato et .. archiepiscopo Tyrensi*. Ad audientiam

nostram pervenit, quod nonnulli Christi fideles regni Jerosolimitani in sua ultima voluntate nonnulla de bonis suis reliquerunt in edificationem murorum Jerosolimitane et Aschalone civitatum ac quorumdam aliorum locorum Terre Sancte totaliter convertenda. Quia vero de recuperatione civitatum et locorum eorumdem non speratur ad presens et timetur ne per lapsum temporis vel etiam mortem eorum, qui relicta hujusmodi detinent[1], eadem amittantur, et de Tartarorum incursu non modicum, sicut asseritur, periculum immineat Terre Sancte, nos de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatinus relicta predicta vobis facientes integre exhiberi, detentores eorum ad id, si necesse fuerit, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, ea pro munitione civitatum et castrorum ac defensione terre ipsius expendatis prout videritis expedire. Quod si non ambo etc. Dat. Laterani, IIII kalendas maii, anno tertio. »

1940 Latran, 7 mai 1257.

Archiepiscopo et capitulo Tyrensibus notum facit se omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam Sanctae Crucis Tyrensem, in s. Crucis et s. Johannis Evangelistae, ad cujus honorem majus altare ipsius ecclesiae consecratum existit, festivitatibus, ac insimul septem diebus immediate sequentibus visitaverint, centum dies de injunctis paenitentiis relaxare. (Reg. 25, a. III, c. 331, f. 44.)

« .. *archiepiscopo et capitulo Tyrensibus*. Licet is de cujus —. Dat. Laterani, nonis maii, anno tertio. »

1941 Viterbe, 5 juin 1257.

Abbati Sancti Dionysii Mediolanensis mandat, quatenus Jacobo dicto Cotta, canonico ecclesiae Mediolanensis, non obstante constitutione, qua receptiones canonicorum praebendas expectantium in ecclesiis ultra certum numerum duxit irritandas, canonice recepto in eadem ecclesia in canonicum, de praebenda providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 332, f. 44.)

« .. *abbati Sancti Dionisii Mediolanensis*. Dilectus filius Jacobus —. Dat. Viterbii, nonis junii, anno tertio. »

1942 Viterbe, 2 juin 1257.

Amato episcopo Nepesino indulget, ut in aliqua procuratione legatorum vel nuntiorum Apostolicae Sedis, cum aliquo episcopo convicino suo contribuere minime teneatur. (Reg. 25, a. III, c. 333, f. 44.)

« *Amato episcopo Nepesino*. Meritis tue devotionis inducimur, ut te favore benivolo prosequamur, sed in hiis precipue, que te ac ecclesiam tuam digne possint a dispendio preservare. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue, auctoritate presentium indulgemus, ut in aliqua procuratione legatorum vel nuntiorum Apostolice Sedis, cum aliquo episcopo convicino tuo contribuere minime tenearis, nec ad id per impetrandas de cetero litteras ipsius Sedis, aut legatorum seu nuntiorum ejus compelli possis invitus, nisi iidem legati de nostro latere destinentur, ac ipsi et nuntii memorati hospitentur in tua civitate vel diocesi, et dicte littere apostolice plenam et expressam de indulgentia hujusmodi faciant mentionem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, IIII nonas junii, anno tertio. »

1943 Latran, 20 avril 1257.

Episcopo Saresburiensi mandat, quatenus ad provisionem Joannis de Craneburno, clerici pauperis, juxta praedecessoris ejusdem episcopi directarum continentiam litterarum, procedat. (Reg. 25, a. III, c. 334, f. 44.)

« .. *episcopo Saresbiriensi*. Dilectus filius Johannes —. Dat. Laterani, XII kal. maii, anno tertio. »

1944 Viterbe, 7 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii de Bonavalle indulget, ut ad receptionem et provisionem alicujus in pensionibus, prioratibus, ecclesiis, domibus seu beneficiis ad eorum collationem seu praesentationem spectantibus minime teneantur, nec de hiis possit alicui provideri per litteras Apostolicae Sedis vel legatorum ejus, quae de indulgentia hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 335, f. 44v.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Bonavalle, ordinis S. Benedicti, Carnotensis diocesis*. Meritis vestre devotionis. — Dat. Viterbii, VII idus junii, anno tertio. »

1945 Viterbe, 30 mai 1257.

Abbati monasterii S. Salvatoris Vicecomitis mandat, quatenus contra priores prioratuum dicto monasterio subjectorum

1. *Ms.* : detinere.

officii sui debitum intrepidus exequatur, non obstantibus dioecesanorum inhibitionibus. (Reg. 25, a. III, c. 336, f. 44v.)

« .. *abbati monasterii S. Salvatoris Vicecomitis, ordinis S. Benedicti, Constantiensis diocesis.* Ex parte tua nobis extitit intimatum, quod in Normannie et Anglie partibus sunt prioratus nonnulli monasterio tuo immediate subjecti, et licet ad te pertineat prioratuum eorumdem priores instituere ac destituere, quotiens id tui ordinis honestati aut dicti monasterii utilitati expedire videtur, quidam tamen priorum ipsorum, si quando ipsos ad claustrum, prout honestati sive utilitati hujusmodi expedire dinoscitur, revocas per diocesanos eorum, quandoque ipsismet ne redeant, interdum vero tibi, ne ipsos ad idem claustrum reverti compellas, malitiose inhiberi procurant, sicque dicti priores passim ab obedientia tua se subtrahunt, in tuum et dicti monasterii grave prejudicium et gravamen. Ut igitur auctoritate nostra suffultus in tui executione officii liberius prospereris, nos tuis supplicationibus annuentes, mandamus, quatenus, inhibitione hujusmodi non obstante, super hiis contra priores ipsos officii tui debitum intrepidus exequaris. Datum Viterbii, III kal. junii, anno tertio. »

1946 Viterbe, 6 juin 1257.

Decano Laudunensi mandat, quatenus ad sopiendam quaestionem inter episcopum Noviomensem et Reynaudum curatum ecclesiae S. Godebertae Noviomensis ortam, super canonicatu quodam ecclesiae Noviomensis, dicto Reynaudo resignanti jus, si quod habet in dicto canonicatu, de canonicatu ecclesiae Jotrensis providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 337, f. 44v.)

« .. *decano Laudunensi.* Cum, sicut venerabilis frater noster.. Noviomensis episcopus nobis significare curavit, causa, que inter ipsum et Reynaudum presbiterum, curatum ecclesie Sancte[1] Godeberte Noviomensis, super canonicatu et sacerdotali prebenda Noviomensis ecclesie, vertitur, jam per biennium et amplius sit protracta, nos volentes ut hujusmodi questio sopiatur, quia intelleximus, quod Robertus curatus parrochie Jotrensis canonicatum et prebendam, quas in Jotrensi ecclesia obtinet, est libere resignare paratus, mandamus quatinus si est ita, libera ab eodem Roberto de ipsis canonicatu et prebenda resignatione recepta, illos predicto Renaudo, jus si quod habet in predictis canonicatu et prebenda Noviomensis ecclesie libere resignanti, si, sicut asseritur, ejus, ad quem in eadem Jotrensi ecclesia prebendarum collatio pertinet, necnon et canonicorum ipsius Jotrensis ecclesie prebendas expectantium vacaturas ad hoc accedat assensus, auctoritate nostra conferas et assignes, ac inducens eum in illorum possessionem et defendens inductum, facias eum vel procuratorem suum ejus nomine, in ipsa Jotrensi ecclesia in canonicum et fratrem admitti : non obstante quod predicti canonici inibi sunt sub prebendarum expectatione recepti, quibus nolumus quoad assecutionem aliarum prebendarum aliquod prejudicium generari, aut si capitulo ipsius Jotrensis ecclesie a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli non possint per litteras Sedis ejusdem plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum Viterbii, VIII idus junii, anno tertio. »

1. Ce mot est répété dans le manuscrit.

1947 Viterbe, 6 juin 1257.

Episcopo Noviomensi, ad sopiendam eandem quaestionem, indulget, ut Roberto curato parrochiae Jotrensis, canonicatum et praebendam, quae in eadem ecclesia Jotrensi obtinet, libere resignanti, de praebenda in Noviomensi ecclesia provideat. (Reg. 25, a. III, c. 338, f. 44v.)

« .. *episcopo Noviomensi.* Cum sicut ex parte tua —. Dat. ut supra. »

1948 Viterbe, 6 juin 1257.

Episcopo Noviomensi mandat, quatenus Joanni de Constanchi capellano, de presbyterali praebenda in ecclesia Noviomensi provideat, eumque in canonicum recipi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 339, f. 45.)

« *Eidem.* Cum sicut ex parte —. Dat. ut supra. »

1949 Viterbe, 11 juin 1257.

Episcopo Noviomensi conferendi libere praebendas ejusdem ecclesiae facultatem concedit, et mandat, quod per hoc dilecto filio Rolando de Ferentino, consobrino et capellano suo, nullum praejudicium generetur, quin in ipsa ecclesia,

praesentibus nequaquam obstantibus, recipiatur et plene provideatur eidem. Reg. 25, a. III, c. 340, f. 45.

Eidem. Tuis supplicationibus —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno tertio. »

1950 Viterbe, 9 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii Cornelii Montis juxta Leodium indulget, ut ad provisionem alicujus in pensionibus vel beneficiis ad eorum collationem spectantibus minime teneantur, nec ad id compelli possint per litteras apostolicas, quae de indulgentia hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Reg. 25, a. III, c. 341, f. 45.

« .. *abbati et conventui monasterii Cornelii Montis juxta Leodium, Premonstratensis ordinis.* Vestre meritis religionis —. Dat. Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

1951 Latran, 30 avril 1257.

Episcopo Laudunensi, ad instantiam Caroli Andegaviae et Provinciae comitis, liberam concedit facultatem providendi de praebenda Jacobo clerico nato Jacobi de Antevillers militis ejusdem comitis. Reg. 25, a. III, c. 342, f. 45.

« .. *episcopo Laudunensi.* Per tuas nobis —. Dat. Laterani, II kal. maii, anno tertio. »

1952 Viterbe, 10 juin 1257.

Cum Stephano dicto Rato, rectore ecclesiarum de Tenay et de Argis, quarum una dependetab altera, dispensat, ut aliud beneficium in Lugdunensi vel Viennensi provinciis recipere ac retinere possit. Reg. 25, a. III, c. 343, f. 45v; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 664.

« *Stephano dicto Rato, rectori ecclesiarum de Tynay et de Argil, quarum una dependet ab alia, Bellicensis diocesis.* Licet ne quis—. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno tertio. »

1953 Viterbe, 7 juin 1257.

Guillelmo dicto Salomoni, rectori ecclesiae de Parricerio, precibus comitis Viennensis indulget, ut praeter eandem ecclesiam, unum aliud beneficium recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 344, f. 45.

« *Guillelmo dicto Salomoni, clerico nobilis viri comitis Viennensis, rectori ecclesie de Parricerio, Bisuntine diocesis.* Adjutos virtutum meritis — Dat. Viterbii, VII idus junii, anno tertio.

1954 Viterbe, 12 juin 1257.

Praeposito, decano et capitulo Furnensis ecclesiae concedit potestatem constituendi de novo in eadem ecclesia cantoriam et ipsi cantoriae competentes redditus assignandi Reg. 25, a. III, c. 345, f. 45v.

« .. *preposito* .. *decano et capitulo Furnensis ecclesie, Morinensis diocesis.* Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum decanus, qui est pro tempore in ecclesia vestra, non solum decani sed etiam cantoris gerat officium in eadem et utrumque officium exequi commode nequeat, propter quod eadem ecclesia frequenter defectum patitur in divinis, providere in hac parte apostolica sollicitudine curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, constituendi de novo in dicta ecclesia cantoriam, assignandi quoque redditus competentes ipsi cantorie, tam de proventibus decanatus, qui satis pingues esse dicuntur, quam de aliis, ad opus dicte cantorie noviter acquisitis, prout expedire videritis, non obstantibus contrariis ejusdem ecclesie consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, cum ad hec venerabilis fratris nostri.. Morinensis episcopi, loci diocesani, sicut per litteras ejus accepimus, accedat assensus, liberam vobis concedimus, auctoritate presentium, potestatem. Datum Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

1955 Viterbe, 16 juin 1257.

Ministris et aliis fratribus Boemiae, Poloniae et Austriae ordinis Minorum praedicantibus verbum crucis contra Litwanos, Jatuerzanos et alios paganos illarum partium, ac postulantibus, inhibet, ne quis de cetero crucesignatos absque Sedis Apostolicae speciali mandato, obtentu pecuniae, a voto crucis absolvere praesumat. Reg. 25, a. III, c. 346, f. 45v; Potthast 16888.

« *Ministris et aliis fratribus Boemie, Polonie et Austrie predicantibus verbum crucis, ordinis Minorum.* Lecta nobis vestra petitio continebat, quod licet vos de mandato apostolico contra Litwanos, Jatuerzanos et alios paganos illarum partium predicaveritis verbum crucis, et ad exhortationem vestram

multi fideles, signo vivifice crucis assumpto, proponant in brevi contra paganos eosdem, cum Dei adjutorio, proficisci, quidam tamen potius ardore avaritie quam pietatis zelo succensi, nonnulos de crucesignatis eisdem, obtentu pecunie, quam ab ipsis recipiunt, a voto crucis absolvunt pro sue libito voluntatis, asserentes se habere super hoc a Sede Apostolica potestatem, propter quod hujusmodi negotii prosecutio in dispendium christiane fidei non modicum impeditur. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum, ut super hoc providere oportuno remedio curaremus. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, ne quis de cetero crucesignatos eosdem, absque nostro speciali mandato, taliter absolvere presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli etc. nostre inhibitionis etc. Datum Viterbii, XVI kalendas julii, anno tertio. »

1956 Viterbe, 12 juin 1257.

Generali et ceteris prioribus ac fratribus Heremitis ordinis Sancti Augustini, per districtum Pisanum constitutis, indulget, ut ad praestationem alicujus talliae vel collectae seu procurationis a diocesanis impositae aut imponendae, necnon ad supportationem onerum civitatum seu locorum, in quibus degent, non teneantur, nec ad id compelli possint sine speciali mandato Sedis Apostolice. (Reg. 25, a. III, c. 347, f. 45ᵛ; Potthast 16878.)

« *Generali et ceteris prioribus ac fratribus Heremitis ordinis Sancti Augustini per districtum Pisanum constitutis.* Meritis vestre religionis —. Dat. Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

1957 Viterbe, 13 juin 1257.

Intuitu episcopi Bononiensis, tunc apostolici nuntii in Anglia, Guillelmo Gailardo monacho Westimonasterii indulget, ut non obstante defectu natalium, quem de soluto genitus et soluta patitur, ad administrationes et dignitates ordinis promoveri valeat. (Reg. 25, a. III, c. 348, f. 45ᵛ.)

« *Guillelmo Gailardo monacho Westimonasterii Londoniensis, ordinis S. Benedicti.* Exigentibus tue devotionis —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1958 Naples, 18 mai 1255.

Abbati monasterii S. Cornelii Indensis notum facit se ordinare, quod de tribus vel pluribus in ecclesia Scladinensi receptis, praebendas exspectantibus, unus dumtaxat, reliquis receptionibus irritis, canonicus remaneat. (Reg. 25, a. III, c. 349, f. 45ᵛ.)

« .. *abbati monasterii Sancti Cornelii Indensis, ordinis Sancti Benedicti, Coloniensis diocesis.* Ceca cordis cupiditas et ambitiosus mentis affectus sic super canonicatuum et beneficiorum ecclesiasticorum assecutione nonnullorum mentes insatiabiles effecerunt, quod per improbam immo reprobam potius propulsationem ipsorum assiduam tres vel plures in ecclesia Scladinensi, Leodiensis diocesis, in qua prebendarum collatio ad te spectare dicitur, et in qua octonarius prebendarum numerus esse asseritur, nullis in ea prebendis vacantibus, sub prebendarum expectatione manentes, auctoritate Sedis Apostolice vel legatorum ejus, in fratres et canonicos, sicut accepimus sunt recepti. Attendentes itaque, quod expectatio hujusmodi receptorum in ipsa ecclesia nonnullis parit scandalum et horrorem inducit, ac in ipsorum salutis dispendium latenter letiferum morbum continet, dum hii jugiter aliis desiderant succedere in prebendis, ut sic expectantium proximorum interitum propter prebendarum assecutionem consulatur saluti, tibique ac eidem ecclesie pacis et tranquillitatis commodum procuretur, volumus et de apostolica providentia ordinamus, quod, de sic receptis, unus dumtaxat canonicus remaneat in ecclesia supradicta, receptiones factas de reliquis in dicta ecclesia penitus irritantes, decernendo te ad provisionem reliquorum aliquatenus non teneri. Datum Neapoli, XV kalendas junii, anno primo. »

1959 Viterbe, 13 juin 1257.

Nobili viro Philippo dicto Basset indulget, ut cum Ela uxore ejus, non obstante defectu quodam in dispensatione matrimonii, in contracto matrimonio remanere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 350, f. 45ᵛ.)

« *Nobili viro Philippo dicto Basset, Londoniensis diocesis.* Venerabilis frater noster.. Dublinensis archiepiscopus nepos tuus nobis significare curavit, quod, felicis recordationis I. papa predecessor noster nobili mulieri Ele comitisse de Warewic uxori tue per litteras suas dispensando concessit, ut non obstante quod ei in gradu prohibito attinebas, posset te libere recipere in maritum. Sed quia in eisdem litteris tu nominabaris Philippus Alani natus, cum Philippus

dictus Basset in illis partibus vulgariter appelleris, quamquam idem Alanus fuerit pater tuus et dicta Ela non comitissa, sed simplici nomine vocabatur, ne per hoc posset hujusmodi gratia obfuscari, provideri tibi et eidem uxori tue super hoc a nobis, saltem ad cautelam, humiliter supplicasti. Nos itaque, tuis et ejusdem archiepiscopi precibus inclinati, tam tibi quam eidem comitisse, presentium auctoritate, concedimus, ut simplicitate hujusmodi non obstante, juxta dispensationem predictam, in sic contracto matrimonio remanere libere valeatis. Nulli (etc.) nostre concessionis etc. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1960 Anagni, 6 novembre 1256.

Rolando de Ferentino confirmat pensionem quindecim librarum Turonensium a Johanne Dolensis monasterii abbate concessam. (Reg. 25, a. III, c. 351 [1], f. 46.)

« *Rolando de Ferentino canonico Anagnino.* Cum dilectus filius Johannes abbas monasterii Dolensis, Bituricensis diocesis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, volens tibi facere gratiam specialem, quindecim librarum Turonensium pensionem tibi vel procuratori tuo, tuo nomine, ab eo ejusque successoribus annuatim certis loco et termino persolvendam tibi concesserit, vita tua, se et predictos successores ac prefatum monasterium tibi propter hoc specialiter obligando, prout in ipsius abbatis litteris, ejus sigillo signatis, confectis exinde plenius continetur, nos tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem abbate factum est in hac parte ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, defectum, si quis in concessione hujusmodi, ex eo quod conventus dicti monasterii ad id non intervenit assensus, seu alias ex quacumque causa, extitit, supplentes de plenitudine Sedis Apostolice potestatis. Tenorem autem predictarum litterarum presentibus inseri fecimus, qui talis est :

Anagni, 23 septembre 1257.

« Johannes divina patientia Dolensis monasterii « humilis abbas, discreto viro Rolando canonico « Anaguino, salutem in Domino. Attendentes grata « servitia, necnon et commoda, que nobis et monas- « terio nostro, per te ac tuos, in Romana curia pro- « venerunt, ac volentes ex hoc gratiam tibi facere « specialem, quindecim librarum Turonensium pen- « sionem tibi vel procuratori tuo, tuo nomine, a nobis « et successoribus nostris, annuatim in festo sancti « Michaelis Parisius persolvendam, tibi concedimus « vita tua, nos et successores nostros ac ipsum mo- « nasterium tibi propter hoc specialiter obligantes. In « cujus rei testimonium, presentes litteras nostri fe- « cimus sigilli munimine roborari. Dat. Anagnie, « VIIII kalendas octobris, pontificatus domini Alexan- « dri pape IIII, anno secundo. »

« Nulli (etc.) nostre confirmationis et suppletionis etc. Dat. Anagnie, VIIII idus novembris, anno secundo. »

1961 Anagni, 6 novembre 1256.

Abbati S. Genovefae Parisiensis mandat, quatenus Rolando de Ferentino pensionem hujusmodi, juxta concessionem et confirmationem praedictas, singulis annis ministrari faciat. (Reg. 25, a. III, c. 351 [2], f. 46.)

« .. *abbati Sancte Genovefe Parisiensis.* Cum dilectus filius Johannes —. Datum ut supra. »

1962 Latran, 12 mai 1257.

Abbati monasterii S. Columbae Senonensis ejusque successoribus, impendendi in monasterio ipso et membris ejus benedictionem papalem in missa et horis aliis canonicis, potestatem concedit. (Reg. 25, a. III, c. 352, f. 46.)

« .. *abbati monasterii Sancte Columbe Senonensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Religionis, sub qua virtutum Domino vigili mente deservis, honestas laudabiliter promeretur, ut te ac monasterium tuum favore benivolo prosequentes, persone tue ac eidem monasterio que sunt honoris et gratie munera concedamus. Sane, sicut exponere curavisti, tibi tuisque successoribus in sacerdotio constitutis mitra, anulo, tunica, dalmatica et sandalibus uti, necnon et benedicere pallas altaris, calices et indumenta sacerdotalia libera facultas a Sede Apostolica est concessa, nos igitur monasterium ipsum honore ampliori extollere intendentes, tuis supplicationibus inclinati, impendendi in monasterio ipso et membris ejus, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus, benedictionem populo in missa et horis aliis canonicis, plenam tibi eisdemque successori-

bus auctoritate presentium concedimus potestatem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, IIII idus maii, anno tertio. »

1963 Viterbe, 12 juin 1257.

Archiepiscopo Senonensi creandi capellaniae officium in ecclesia Senonensi eique competentes redditus assignandi facultatem concedit. (Reg. 25, a. III, c. 353, f. 46.)

« .. *archiepiscopo Senonensi.* Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, in quibusdam ecclesiis regni Francie capellanie officium pro dignitate seu personatu sit ab antiquis temporibus institutum, ad quod unus ex ipsis ecclesie canonicis institutus vice pontificis, tam in illius presentia, dum expedit, quam absentia, missarum sollempnia celebrat, confessiones audit, et penitentias in gravioribus culpis injungit, ac in aliis quamplurimis pontificem ipsum exonerat a sarcina sollicitudinis pastoralis, nos, tuis supplicationibus inclinati, creandi hujusmodi officium in ecclesia Senonensi, a qua propter tui executionem officii te sepe abesse contingit, et uni [ex] ejusdem ecclesie canonicis, quem ad ipsius officii onus ydoneum noveris, conferendi, ac sibi eandem auctoritatem concedendi, quam habent ceteri in similibus officiis in ceteris ecclesiis regni predicti constituti, necnon ipsum officium seu personatum dotandi, capituli Senonensis vel majoris et sanioris partis ipsius ad predicta omnia accedente consensu, ipsi officio seu personatui certos ac competentes et perpetuos redditus assignandi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam compescendi plenam tibi concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

1964 Viterbe, 13 juin 1257.

Mathaeo episcopo et capitulo ecclesiae Conchensis indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in dicta ecclesia cogi non possint per litteras apostolicas, quae de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 354, f. 46.)

« *Matheo episcopo et capitulo ecclesie Conchensis.* Decet et expedit —. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1965 Viterbe, 13 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii de Kalkou, cum in ipso monasterio in frigida zona regionis Scotie constituto, nonnulli fratres per inclementiam et frigiditatem aeris defecerint, capite non velato, indulget, ut pilleis eorum ordini competentibus uti possint. (Reg. 25, a. III, c. 355, f. 46v; Potthast 16880.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Kalkou, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Sancti Andree diocesis.* Erga omnes, qui christiane professionis[1] censentur, habentes in oportunitatibus suis paterne benignitatis affectu[m], illis specialiter volumus et esse debemus in eorum necessitatibus favorabiles et benigni, qui, omnibus bonis suis remunerationis eterne consideratione relictis, Domino famulantur in habitu monachali. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum in monasterio vestro, in frigida zona regionis Scotie constituto, nonnulli de fratribus vestris, propter inclementiam et frigiditatem aeris illius loci, defecerint, capite non velato, et ex hoc dictum monasterium in spiritualibus et temporalibus non modicam incurrerit lesionem, providere vobis in hac parte misericorditer curaremus. Nos itaque solite pietatis affectu, vestris supplicationibus annuentes, ut pilleis ordini vestro competentibus uti libere valeatis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1966 Viterbe, 10 juin 1257.

Episcopo Vicentino inhibet, ne alicui feudum aliquod ecclesiae Vicentinae, sine Sedis Apostolicae mandato speciali, concedere praesumat. (Reg. 25, a. III, c. 356, f. 46v.)

« .. *episcopo Vincentino.* Ex parte tua fuit propositum, coram nobis, quod importunitati petentium feuda ecclesie Vicentine, que sine incommodo ipsius ecclesie concedi forte non possunt, vix vales, nisi nostro fulciaris presidio, refragari. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ne alicui feudum aliquod de novo predicte ecclesie concedere presumas, nisi a nobis mandatum receperis speciale, auctoritate tibi presentium inhibemus, et si secus temere actum fuerit, nullius esse decernimus firmitatis. Nulli etc. nostre inhi-

1. Ms. : professione.

bitionis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno tertio. »

1967 Viterbe, 13 juin 1257.

Priori generali et fratribus universis Heremitarum ordinis S. Augustini confirmat facultatem a Riccardo S. Angeli diacono cardinali concessam, necessaria possidendi, non obstante voto spontaneae paupertatis. (Reg. 25, a. III, c. 357, f. 46v.)

« .. *priori generali et fratribus universis Heremitarum, ordinis Sancti Augustini*. Hiis que nostri auctoritate mandati optatum sortiuntur effectum, ut illibata permaneant, merito adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane, cum in privilegio, quod vobis in generali capitulo vestro, pro uniendis vobis ad invicem sub una ordinis observantia et vivendi formula in Urbe celebriter congregato, Apostolica Sedes indulsit, quidam articulus aliquibus dubius videretur, dilectus filius noster Riccardus Sancti Angeli diaconus cardinalis illum de speciali mandato nostro vive vocis articulo sibi facto, summoto cujuslibet dubietatis scrupulo, declaravit, prout in ipsius litteris confectis exinde, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos itaque vestris precibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor[1] autem litterarum ipsarum talis est :

Rome, 15 mai 1257.

« Riccardus, miseratione divina Sancti Angeli dia- « conus cardinalis, discretis et religiosis viris.. « priori generali ordinis Heremitarum Sancti Augustini « omnibusque fratribus ordinis memorati, necnon uni- « versis presentes litteras inspecturis, salutem et « sinceram in Domino caritatem. Quia sollicitudo est « nobis et cura continua quedam per seriem explanare, « que in privilegio vobis dudum ab Apostolica Sede in « capitulo generali concesso inserta videntur, que non « solum dubia et obscura, sed quidam vestrum prop- « ter locorum diversitatem et temporum varietatem « onerosa satis et importabilia arbitrantur, provi- « dentes etiam esse molestum non modicum et indi- « gnum, si ex privilegio memorato vestra turbaretur « opinio, quod, de singulis domibus vestris, quarum « quedam Sancti Willelmi, quedam Sancti Augustini « ordinum, nonnulle autem fratris Johannis Boni, « alique vero de Fabali, alie vero de Brittinis cense- « bantur, duobus fratribus ad celebrandum jamdic- « tum capitulum venientibus, pro negotio unionis et « caritativa concordia, provisum extitit salubriter « elargitum, in quo etsi per conceptum votum spon- « tanee paupertatis sit possessionum terrestrium pos- « sessio abdicata, quia pro eo, quod quedam domus et « aliqua loca vestra a populorum frequentia, et cohabi- « tione hominum sunt remota, nec possent existentibus « in eisdem victus continui commode ministrari, et « sic magnam et quodam modo intolerabilem rerum « temporalium penuriam paterentur, si de terrestri- « bus possessionibus et suis culturis fructus aliquos « non haberent, ut abdicationem possessionum affec- « tantibus, quorum indigentia ex pia provisione fide- « lium relevatur, et possessiones terrestres retinere « volentibus satisfiat, et per clausulam illius privilegii, « que talis est, cumque fratres hujusmodi ad Sedem « Apostolicam accessissent, coram dilecto filio nostro « R. Sancti Angeli diacono cardinali, quem negotio « unionis vestre deputavimus vice nostra, sufficientia « ad id exhibuere mandata, et in generali capitulo « vestro in Urbe celebriter congregato nomine om- « nium, a quibus fuerant destinati, et, de communi « capituli ejus assensu, vos et domos vestras in unam « ordinis observantiam et vivendi formulam unifor- « mem redigi, unumque ex eis ovile fieri, generalis « prioris presidentia gubernandum, unanimiter con- « senserunt, petentes, ut per gratiam unionis et con- « formitatis hujusmodi eis juxta conceptum votum « paupertatis spontanee, perpetua possessionum terres- « trium abdicatio remaneret, nec possessiones retinen- « tibus et deinceps acquirere volentibus, nec eas « nolentibus derogetur, et per tenorem ipsius in tem- « poralibus dispendium et spiritualibus infamia vel « animi duplicitas nullatenus oriatur, ut volentes pos- « sessiones, nec pro corporali substentatione et neces- « sariorum cura cum Martha circumquaque laboriose « vagare cogantur, licite possideant habitas, et pos- « sint rationabiliter et juste acquirere non obtentas et « volentes votum prosequi spontanee paupertatis, in « suo voto tamquam nichil habentes et possidentes « omnia sint contenti, eis tenore presentium, prout « in generali capitulo vestro in primis preteritis

1. *Ms.* : Tenorem.

« kalendis madii celebrato in Urbe, sub alta delibe- « ratione deliberatum est et concorditer diffinitum, « plenam licentiam et liberam facultatem duximus con- « cedendam, precipue cum tempore concessit vobis pri- « vilegii antedicti, quamvis in ipsius tenore non existat « et fuerit vestra intentio et talis voluntas extiterit « singulorum. In cujus rei testimonium et evidentiam « pleniorem presentis licentie et concesse facultatis « litteras sigilli nostri munimine patentes jussimus et « efficaciter communiri. Actum Rome, apud ecclesiam « Sanctorum Johannis et Pauli, anno Dominice Incar- « nationis M.CC.LVII, indictione quintadecima, mense « madio, die quinto decimo, pontificatus domini Alexan- « dri pape IIII, anno tertio. »

« Nulli [etc], nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1968 Viterbe, 18 mai 1257.

Elucidat verborum dubietatem existentem in litteris quibusdam Innocentii IV, abbati monasterii S. Richarii directis. (Reg. 25, a. III, c. 358, f. 47.)

« *Waltero abbati monasterii Sancti Richarii in Pontivo ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Ambianensis diocesis.* Ad decorem sponse varia in Ecclesia instituta sunt insignia dignitatum, ut latentem intrinsecus filie Regis speciem multiformis exterius indicet pulchritudo, ut hii, qui specialibus honorum titulis clarent, misticis verum signis admoniti, meliora specialis forme carismata emulentur. Sane felicis recordationis I. papa predecessor noster, volens tuum in te monasterium honorare, mitre, anuli, tunice, dalmatice, et sandaliorum usum, necnon potestatem benedicendi pallas altaris, calices et indumenta sacerdotalia, tibi tuisque successoribus, ad opus ipsius monasterii, in perpetuum, per suas duxit litteras concedendum. Verum, quia nonnulli gratiam hujusmodi restringere molientes, verba illa videlicet : *ad opus tui monasterii*, in predictis contenta litteris, non ad benedicendi pallas altaris, calices et indumenta sacerdotalia potestatem tantum, sed etiam ad mitre, anuli, tunice, dalmatice et sandaliorum usum asserunt referenda, elucidari dubietatem hujusmodi apostolici declaratione oraculi humiliter postulasti. Nos itaque, tue devotionis precibus inclinati, quod dictorum verborum determinatio tantum respicit quod proxime dicitur de benedictione pallarum et vestimentorum, non que de usu mitre, anuli et aliorum pontificalium premittuntur, auctoritate presentium declaramus. Nulli [etc.] nostre declarationis etc. Datum Viterbii, XV kalendas julii, anno tertio. »

1969 Viterbe, 19 mai 1257.

Rectori ecclesiae S. Nazarii indulget, ut de cetero nullus religiosus decimas ad ecclesiam S. Nazarii spectantes, titulo donationis vel alio, de laicorum manibus recipere valeat, praetextu quarumcumque litterarum impetratarum, quae de indulto hujusmodi expressam non fecerint mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 359, f. 47.)

« .. *rectori ecclesie Sancti Nazarii, Nannetensis diocesis.* Significasti nobis, quod quamplures religiosi Nannetensis diocesis nonnullas decimas in parrochia tua ecclesie Sancti Nazarii ad ecclesiam ipsam spectantes, donationis et aliis titulis de laicorum manibus receperunt, in grave ipsius ecclesie detrimentum. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ut de cetero nullus religiosus hujusmodi decimas in prefata parrochia consistentes, donationis vel alio titulo, pretextu quarumcumque litterarum impetratarum seu impetrandarum in posterum, absque tuo assensu, recipere valeat, dummodo tu paratus sis eas redimere, auctoritate tibi presentium indulgemus, nisi dicte littere impetrande de indulto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, XIIII kalendas julii, anno tertio. »

1970 Viterbe, 16 mai 1257.

Stephano Martini indulget, ut portiones et praestimonia in S. Michaelis de Erimomar et S. Martini de Planis, Lamecensis dioecesis, ecclesiis, quarum existit portionarius, et quarum proventus trium marcharum argenti valentiam non excedunt, licite retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 360, f. 47.)

« *Stephano Martini, portionario ecclesie S. Michaelis de Ermomar, Lemovicensis (sic) diocesis.* Precibus tuis —. Dat. Viterbii, XVII kal. julii, anno tertio. »

1971 Viterbe, 10 juin 1257.

Obtentu Rogerii comitis Tusciae palatini, rectorem et ecclesiam S. Andreae de Doadola, per nuntios quondam Frederic

olim imperatoris gravatos, a quibuslibet provisionibus et collectis ac procurationibus legatorum impositis aut etiam imponendis, absolvit. (Reg. 25, a. III, c. 361, f. 47; Rodenberg, t. III, n° 457.)

« .. *rectori ecclesie S. Andree de Doadola, Foroliviensis diocesis.* Cum ecclesia tua —. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno tertio. »

1972 Viterbe, 13 juin 1257.

Priorissae et conventui monialium inclusarum monasterii de Pruliano, obtentu priorissae et monialium S. Sisti de Urbe, ecclesiam Beati Juliani de Brom in perpetuum concedit. (Reg. 25, a. III, c. 362, f. 47; Potthast 16881.)

« .. *priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii de Pruliano, ordinis Sancti Augustini, Tholosane diocesis, secundum instituta fratrum Predicatorum viventibus.* Ex tenore vestre petitionis accepimus, quod cum, bone memorie Fulco episcopus Tholosanus, ecclesiam beati Juliani de Brom cum juribus et pertinentiis suis, Tholosane diocesis, monasterio vestro, ad vitam quarumdam monialium ejusdem, sicut spectabat ad eum, deliberatione provida contulisset, tandem venerabilis frater noster R. Tholosanus episcopus successor illius, ecclesiam ipsam ad vitam quarumdam aliarum monialium prefato monasterio iterato concessit, sicque dictam ecclesiam a quadraginta fere preteritis annis, ex concessionibus hujusmodi, tenuistis et adhuc etiam obtinetis. Nos itaque devotionis vestre precibus inclinati, obtentu dilectarum in Christo filiarum.. priorisse et monialium inclusarum Sancti Xisti de Urbe, que pro vobis apostolicam gratiam implorarunt, dictam ecclesiam cum eisdem juribus et pertinentiis suis, vobis, auctoritate presentium, in vestros usus proprios concedimus in perpetuum de gratia speciali, proviso ut ydoneo vicario in eadem ecclesia perpetue servituro congrua de ipsius proventibus portio assignetur, ex qua sustentari valeat, et alias episcopalia ac debita onera supportare. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1973 Viterbe, 22 juin 1257.

Gerardo, episcopo Ambianensi faciendi duos clericos in ecclesia majori Ambianensi in canonicos recipi concedit facultatem. (Reg. 25, a. III, c. 363, f. 47v.)

« *G. episcopo Ambianensi.* Tuam volentes honorare —. Dat. Viterbii, X kal. julii, anno tertio. »

1974 Viterbe, 10 juin 1257.

Gregorio patriarchae Aquilegensi indulget, ut ad solutionem feudorum et redditumm a Bertoldo quondam Aquilegensi patriarcha, nonnullis clericis et laicis, in detrimentum Aquilegensis ecclesiae concessorum, minime teneatur. (Reg. 25, a. III, c. 364, f. 47v.)

« *G. Patriarche Aquilegensi.* Exigentibus meritis tuis, certa et longa experientia comprobatis, libenter ea tibi concedimus per que, materia summota gravaminis, tibi et ecclesie tue pax et tranquillitas procuretur. Sane, ad audientiam nostram, te significante, pervenit, quod bone memorie B. patriarcha Aquilegensis predecessor tuus, importuna petentium instantia et malitia temporis, qua ipsum servitia multorum care remunerare oportuit, faciente, nonnullis clericis et laicis diversorum partium feuda et alia bona et certos redditus annuatim de camera sua, aliquibus eorum perpetuo et quibusdam ad non modicum tempus, concessit, datis super hoc litteris et penis adjectis, quorum aliqui super hoc a Sede Apostolica confirmationem in forma communi obtinuisse noscuntur, et de ipsis solvendis ad certos executores litteras impetrasse, in non modicum Aquilegensis ecclesie detrimentum. Nos igitur tuis et ecclesie tibi commisse, que in suis facultatibus et redditibus propter malitiam instantis temporis est admodum diminuta, in hac parte gravaminibus occurrere cupientes, tibi quod ad solutionem feudorum et aliorum predictorum, pretextu concessionis, litterarum, penarum et confirmationis hujusmodi minime tenearis, nec ad id compelli possis invitus, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Datum Viterbii, IIII idus junii, anno tertio. »

1975 Latran, 17 avril 1257.

Bartholomaeum lectorem de Brunna et Lambertum dictum Theotonicum fratres ordinis Minorum constituit inquisitores hereticae pravitatis in partibus regni Boemiae et confinis Poloniae. (Reg. 25, a. III, c. 365, f. 47v; Potthast 16819.)

« *Bartholomeo lectori de Brunna et Lamberto dicto Theotonico fratribus ordinis Minorum, Olomucensis et Pragensis diocesium.* Pre cunctis mentis

nostre desiderabilibus catholice incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem quacumque malignitate satagere, vel dampnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, seu comentis eandem mendacibus pervertendo, ad quorum iniqua sternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem pernitiosius eos agnoscimus conspirare. Unde quia in aliquibus partibus regni et dominii carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Boemorum et Polonie confiniis, adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi a via veritatis prorsus aversi, mentes per devium falsitatis, pestiferas ad concutiendum orthodoxe murum fidei machinas construebant, molientes ipsum fallacium argumentationum impulsibus demoliri, Sedis Apostolice diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusus serperet morbus, ipse remedium adhibuit oportunum, instituens illic viros idoneos, quorum honesta conversatio exemplum tribueret puritatis, et erudita labia doctrinam funderent salutarem, ut sacro ipsorum ministerio prefate partes ab hujusmodi contagiis purgarentur, et licet horum ducatu homines partium earumdem in rectam semitam sint directi et per hoc multis sit ibidem periculis obviatum, cupientes tamen anxie, ut negotium inibi fidei, jugi profectu, elisis omnino erroribus, fortius convalescat, vigilare ad hoc per nos et alios, prout sollertius possumus, non cessamus, et modo circa id ipsum eo studemus attentius, quo dictum regem ferventiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. Quare, habita deliberatione, providimus ibidem ad presens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputare. Quia igitur de sollicitudine, prudentia et industria vestra firmam in Domino fiduciam obtinemus, vos tamquam inter alios preelectos in eisdem partibus, ad instantiam prefati regis, ad hoc duximus deputandos, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, ac in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, inquisitionis officium contra hereticos ad extirpandam de predictis partibus hereticam pravitatem, sub spe mercedis eterne, totis assumentes affectibus, sic efficaciter prosequi studeatis, ut, per sollicitudinis vestre prudentiam, de ipsis radix iniquitatis heretice succidatur, et vinea Domini, exterminatis vulpeculis, que perversis moribus demoliuntur eandem, fructus afferat catholice puritatis, facientes vobis quaternos et alia scripta, in quibus inquisitiones facte contra hereticos et processus contra ipsos habiti continentur a quibuslibet detentoribus assignari. Si quos autem de pravitate predicta culpabiles inveneritis vel infectos seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati absolute velint mandatis ecclesie obedire, necnon et receptatores, defensores et fautores eorum, juxta sanctiones canonicas, auctoritate apostolica, hominum metu divino timori postposito, procedere procuretis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, contradictores etc., non obstantibus aliquibus litteris ad quoscumque alios, exceptis locorum diocesanis, super hujusmodi negotio, ab Apostolica Sede directis, quas auctoritate presentium revocamus. Nec tamen pretextu commissionis specialiter eisdem diocesanis super hoc facte, processum vestrum in eorumdem civitatibus et diocesibus volumus impediri, nec per hoc quod fidei negotium generaliter in eisdem vobis committimus, commissiones a prefata Sede ipsis factas, si forsan illarum seu ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Si vero aliqui ex hereticis ipsis, heretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesie unitatem, eis juxta formam Ecclesie absolutionis beneficium impendentes, injungatis eisdem quod injungi talibus consuevit; proviso sollerter ne simulata conversione redeant fraudulenter, et vos, immo potius se ipsos fallentes sub agni specie gerant lupum. Ut ergo commissi vobis officii debitum libentius exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum de predicto crimine ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, et sententiarum denuntiationes, quas[1] in quoslibet, hac de causa, tuleritis, plenam vobis concedimus facultatem, non obstante si religiosis quibuslibet, quod causarum vel negotiorum commissiones minime teneantur suscipere, quodque excommunicari vel interdici aut suspendi nequeant, a Sede Apostolica sit indultum. Sed quia in tam gravi crimine, cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore dure ac digne severitas ultionis, volumus et mandamus, ut vos vel quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione testium, quos recipi super crimine predicto

1. *Ms.* : quos.

ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis vobis duas religiosas et discretas personas, sub quarum presentia per viros ydoneos fideliter eorum testium deposita conscribantur. Ceterum cum aliqui fuerint judicandi heretici vel incarcerationis pena perpetue alicui pro hujusmodi crimine infligenda, ad id, de diocesanorum vel vicariorum suorum, si ipsi, diocesanis absentibus, presentes fuerint, consilio procedatis, ut in tante animadversionis judicio non postponenda pontificum auctoritas intercedat. Verum ut predicta possitis utilius et liberius exercere, vobis largiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, quotiens oportunum videritis, omnibus penitentibus et confessis, qui ad vestram convocationem propter hoc faciendam accesserint, plenam, tenore presentium, concedimus facultatem. Vobis siquidem pro hujusmodi negotio laborantibus et omnibus personaliter vobis assistentibus in eodem, illam peccatorum veniam indulgemus, que succurentibus Terre Sancte in generali concilio est concessa. Illos vero, qui ad impugnandum hereticos, fautores et receptatores ac defensores eorum, vobis ex animo auxilium, consilium prestiterint vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, tres annos de injuncta sibi penitentia relaxamus, et si qui ex hiis in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendi quoque, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, predicatores questuarios a predicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habent, exponere, liberam vobis tribuimus facultatem. Quod si ambo etc. Datum Laterani, XV kalendas maii, anno tertio. »

1976 Viterbe, 20 juin 1257.

Abbati et generali capitulo Cistercii indulget, ut abbates dicti ordinis in diebus quibus processionalis sollemnitas agitur, pluvialibus seu capis sericis, ac etiam diaconus dalmatica et subdiaconus tunica, in festis quibusdam, uti possint. (Reg. 25, a. III, c. 366, f. 48.

« .. *abbati et generali capitulo Cistercii.* Vestra et aliorum professorum ordinis vestri preclara merita nos inducunt, quod affectu benigno vobis illa concedimus, per que decus et decorem ipsius ordinis augeri ad Dei gloriam sentiamus. Hinc est quod nos, intuitu meritorum hujusmodi ac etiam obtentu dilecti filii nostri J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, qui circa nos habetur sine intermissione sollicitus, ut ordinem ipsum gratiosi favoris affluentia jugiter foveamus, devotioni vestre, quod universi et singuli abbates prefati ordinis in diebus, quibus sollempnitas processionalis agitur, pluvialibus seu capis sericis in suis monasteriis, ac etiam quod diaconus dalmatica, et subdiaconus tunica in festis principalibus, et quando abbates ipsi sollempniter divina celebrant, possint uti libere, auctoritate presentium indulgemus, dummodo hujusmodi specialis gratia sit vobis placita et accepta. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, XII kalendas julii, anno tertio. »

1977 Viterbe, 17 juin 1257.

Decano et capitulo ecclesiae S. Aredii, recipiendi Guillelmum Dalmatii clericum in canonicum ejusdem ecclesiae concedit facultatem, non obstante constitutione de certo canonicorum numero. (Reg. 25, a. III, c. 367, f. 48.

« .. *decano et capitulo ecclesie S. Aredii, Lemovicensis diocesis.* Ex parte vestra —. Dat. Viterbii, XV kal. julii, anno tertio. »

1978 Viterbe, 9 juin 1257.

Magistram et sorores ecclesiae S. Martini de Castello Brixiensis sub beati Petri et sua protectione suscipit eisque libertates confirmat a R. quondam Brixiensi episcopo concessas. (Reg. 25, a. III, c. 368, f. 48.

« .. *magistre et sororibus ecclesie Sancti Martini de Castello Brixiensis, ordinis Sancti Augustini.* Cum ad vestra jura tuenda, pro fragilitate sexus et assumpte religionis proposito, sufficere non possitis, ordo juris expostulat, ut apostolicum vobis patrocinium impendamus et insufficientiam vestram pro nostri officii debito supplere curemus. Eapropter dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, ecclesiam vestram cum omnibus bonis et possessionibus suis, quas in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, ad instar felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et pre-

sentis scripti patrocinio communimus. Libertatem quoque, quam bone memorie R. Brixiensis episcopus vobis et ecclesie vestre, pietatis intuitu, rationabiliter contulit et instrumento publico confirmavit, sicut in eodem instrumento noscitur contineri, perpetuis temporibus inconvulsam et integram decernimus permanere, videlicet ut episcopus Brixiensis vos vel ecclesiam vestram nulla debeat exactione gravare, nisi tantum censu[1] duodecim denariorum Mediolanensium veterum, quem prefatus episcopus sibi et successoribus suis de prescripta ecclesia statuit annis singulis persolvendum[2]. Insuper etiam tam canonicis ecclesie Brixiensis quam aliarum ecclesiarum Brixiensis episcopatus, omnem facultatem ademit adversum vos potestatem indebitam exercendi aut in ecclesia, sine voluntate vestra, aliquam instituendi vel destituendi sed liberum vobis fecit personas idoneas recipere, quas volueritis in sorores, et, decedente magistra vestra, electionem de alia, secundum Dei timorem, et beati Augustini regulam celebrare. Nulli [etc.] nostre protectionis et confirmationis etc. Datum Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

1979 Viterbe, 22 juin 1257.

Archiepiscopo Nicosiensi indulget, ut viginti clericis Nicosiensis dioecesis, qui pro injectione manuum violenta in clericos saeculares inciderunt in canonem sententiae promulgatae, absolutionis beneficium impendat. (Reg. 25, a. III, c. 369, f. 48v.)

« .. *archiepiscopo Nicosiensi*. De subditorum tuorum salute solicitus, a nobis humiliter postulasti, ut, cum nonnulli clerici tue civitatis et diocesis, pro injectione manuum violenta in clericos seculares, inciderint in canonem sententie promulgate, tibi eisdem absolutionis beneficium impendendi licentiam concedere curaremus. Nos igitur, devotionis tue precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut viginti ex eis, dummodo passis injuriam satisfaciant competenter, et eorum non sit gravis et enormis excessus, propter quem merito ad Sedem Apostolicam sint mittendi, hac vice, juxta formam Ecclesie, beneficium absolutionis impendas, proviso attentius, ut quod essent expensuri veniendo ad Sedem Apostolicam, morando ibidem, et redeundo ab ipsa, tibi assignari facias in Terre Sancte subsidium committendum. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

1. *Ms.* : census.
2. *Ms.* : persolvendam

1980 Viterbe, 17 juin 1257.

Abbati monasterii S. Nicasii, Remensis dioecesis, recipiendi quatuor viros idoneos in ejusdem ecclesiae monachos, concedit facultatem. (Reg. 25, a. III, c. 370, f. 48v.)

« .. *abbati monasterii Sancti Nicasii, Remensis diocesis, ordinis Sancti Benedicti*. Cum, sicut asseris, ecclesia tua, propter paucitatem Deo servientium in eadem, defectum non modicum sustineat in divinis, nos volentes ipsi, ne debitis fraudetur obsequiis, providere, tuis precibus inclinati, recipiendi quatuor viros ydoneos in ejusdem ecclesie monachos, dummodo ad id majoris partis conventus tui vel ipsius accedat assensus, irrationabili partis contradictione[1] minoris, seu dicti monasterii contraria consuetudine non obstante, liberam tibi presentium auctoritate concedimus facultatem. Dat. Viterbii, XV kalendas julii, anno tertio. »

1981 Viterbe, 13 juin 1257.

Universis pias elemosynas ad consummationem operis monasterii Beatae Mariae Virginis in Vrendeberge erogantibus centum dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 371, f. 48v.)

« *Universis Christi fidelibus per Coloniensem, Monasteriensem, et Padeburnensem civitates et dioceses constitutis*. Quoniam, ut ait apostolus etc. usque : vitam eternam. Cum igitur dilecte in Christo filie.. abbatissa et conventus monasterii Beate Marie Virginis in Vrendeberge, Cisterciensis ordinis, Coloniensis diocesis, sicut sua nobis petitione monstrarunt, monasterium ipsum edificare ceperint opere sumptuoso, nec ad ejusdem consummationem operis proprie sibi suppetant facultates, universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus eis, de bonis vobis a Deo collatis, pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram dictum opus valeat consumari, et vos per hec et alia bona que, Domino inspirante, feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis

1. *Ms.* : contradicente.

Dei misericordia etc. usque : adjutricem, centum dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Presentibus post consumationem ipsius operis minime valituris, quas mitti etc. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1982 Viterbe, 22 juin 1257.

Electionem de dilecto filio Theobaldo in abbatem monasterii Floriacensis factam, non obstante quodam defectu confirmat, mandatque priori et conventui dicti monasterii, ut eidem abbati humiliter intendant. Reg. 25, a. III, c. 372[1], f. 48v.

« .. *priori et conventui monasterii Floriacensis, ordinis Sancti Benedicti, Aurelianensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Quod oculus operatur in corpore, hoc pastor in grege, hoc prelatus in ecclesia sibi specialiter conjugata. Sed quoniam sicut impurus oculus obscurat membra subjecta, sic grex tenebrosus efficitur et ecclesia obscuritatem recipit per prelatum, quem ad opus ministerii legitima ordinate potestatis initia non adducunt, pervigilans nostri apostolatus officium in electionibus, que ipsius dijudicantur examine, tanto subtilius discutit gestorum seriem, intentionum studia et merita personarum, quanto pernitiosius est in domum Domini dispensatores ejus aliunde, quam per canonicum hostium introire. Cum igitur vos electionem de dilecto filio Theobaldo nunc abbate, tunc monacho monasterii vestri, eodem vacante monasterio, celebraveritis, et idem T. pro confirmationis munere obtinendo ad Sedem Apostolicam accessisset, nos electionem eandem examinavimus diligenter, et quia ipsam invenimus, quamvis de persona ydonea, contra statuta canonum attemptatam, ex eo videlicet quod duo ex vobis in compromisso, per cujus viam ad electionem processum extitit, nequaquam consenserant, licet ipsum voluerint postmodum approbare, eam, exigente justitia, de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam. Veruntamen, post redditum juris debitum, plura pro ipso monasterio ac persona dicti T. munus a nobis gratie implorabant, evidens loci utilitas, cum ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertineat, minime negligenda, vota fratrum, quibus quasi commune fuerat in ejus assumptione propositum et ideo confovendum, periculum quoque, quod in talibus ex more dispendio formidatur, necnon et eidem T. copia meritorum, quia sibi de jure, munditia, religionis zelo, dono scientie, disciplina morum, spiritualium providentia et temporalium prudentia, laudabile testimonium perhibetur. Quapropter tam loco quam persone paterna sollicitudine providentes, de predictorum fratrum nostrorum consilio, eidem monasterio ipsum T. in nomine Domini preficimus in abbatem, et sibi benedictionis munus duximus conferendum, certam fiduciam obtinentes, quod idem monasterium per suam industriam spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Ideoque mandamus, quatinus eidem T. tamquam abbati vestro et patri animarum vestrarum humiliter intendentes, sibi debitam obedientiam et reverentiam impendatis. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

1983 Viterbe, 17 juin 1257.

Regi Franciae notum facit se supradictam electionem confirmare, dictumque monasterium Floriacensem commendat. Reg. 25, a. III, c. 372[2], f. 49.

« .. *regi Francie illustri.* Quod oculus operatur —. Dat. Viterbii, XV kalendas julii, anno tertio. »

1984 Viterbe, 17 juin 1257.

Electionem dicti Theobaldi in abbatem monasterii Floriacensis confirmat. Reg. 25, a. III, c. 372[3], f. 49.

« .. *abbati monasterii Floriacensis, ordinis Sancti Benedicti, Aurelianensis diocesis.* Quod oculus operatur —. Datum ut supra. »

1985 Latran, 8 février 1256.

Episcopo et capitulo Magalonensis ecclesiae indulget, ut ad provisionem alicujus de aliquo personatu, prioratu vel administratione compelli nullatenus valeant, per litteras apostolicas, quae de hac indulgentia expressam non fecerint mentionem. Reg. 25, a. III, c. 373, f. 49.

« .. *episcopo et capitulo Magalonensis ecclesie, ordinis Sancti Augustini.* Ab honestatis semita discrepat, nec est a cupiditatis vitio alienum, quod regularis ordinis professores ad personatus, prioratus vel administrationes seu officia introitum aliunde requirant,

quam per eos, qui habent eorum conversationis[1] et vite notitiam, et de hujusmodi prioratibus et aliis specialiter consueverunt ordinare. Nos igitur, ne personatus, prioratus et administrationes vel officia in ecclesia vestra, pretextu auctoritatis apostolice, que interdum, per aliquorum non que Dei sunt sed que sua sunt querentium procacem instantiam, extorqueri quodammodo consuevit, aliqui ministrari potius quam ministrare in animarum suarum periculum expetentes diripiant, providere volentes, devotionis vestre precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per Apostolice Sedis vel legatorum ipsius litteras impetratas per quoscumque, vel etiam impetrandas, ad provisionem alicujus de aliquo personatu, prioratu, administratione, que non consueverint clericis secularibus assignari, nisi forte aliqui de hiis, qui consueverunt per seculares clericos gubernari, sint vobis ab Apostolica Sede concessi, de vestris canonicis ordinandi, seu etiam officio ecclesie vestre compelli nullatenus valeatis, vel de ipsis possit alicui provideri, nisi hujusmodi apostolice littere impetrande specialiter fecerint de vestra ecclesia, ordine et hac indulgentia mentionem. Nulli etc.] nostre concessionis etc. Datum Laterani, VI idus februarii, anno secundo. »

1986 Viterbe, 9 juin 1257.

Guillelmo de Daunels, canonico Treverensi, mandat, quatenus Renaldo clerico Metensi, jam auctoritate litterarum P[etri] S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in partibus Alamaniae Apostolicae Sedis legati, in ecclesia S. Salvatoris Metensis recepto in canonicum, de praebenda ei de jure debita provideri faciat, non obstante constitutione de receptionibus cassatis, quatuor duntaxat exceptis. (Reg. 25, a. III, c. 374, f. 49.)

« *Guillelmo de Daunels, canonico Treverensi.* Petitio dilecti filii. — Dat. Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

1987 Viterbe, 12 juin 1257.

Priori S. Arnulphi Metensis mandat, quatenus Rigaldo nato quondam Arnoldi domini de Lustenges, auctoritate litterarum Innocentii IV in canonicum jam recepto, de praebenda ei de jure debita provideri faciat. (Reg. 25, a. III, c. 375, f. 59.)

1. *Ms.* : conversationes.

« .. *priori S. Arnulphi Metensis.* Ex parte dilectorum —. Dat. Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

1988 Viterbe, 9 juin 1257.

Abbati monasterii Gorziensis mandat, quatenus ad provisionem Theobaldi clerici, consanguinei dilecti filii praepositi ecclesiae S. Salvatoris Metensis, procedat, juxta Innocentii IV continentiam litterarum. (Reg. 25, a. III, c. 376, f. 49v.)

« .. *abbati monasterii Gorziensis, ordinis S. Benedicti, Metensis diocesis.* Dilectus filius Theobaldus —. Dat. Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

1989 Viterbe, 15 juin 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam S. Trinitatis Astensem in festo S. Trinitatis, usque ad octavas ejusdem festi visitarint, centum dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 377, f. 49v.)

« .. *priori et conventui ecclesie S. Trinitatis Astensis, ordinis Humiliatorum.* Licet is de cujus —. Dat. Viterbii, XVII kal. julii, anno tertio. »

1990 Viterbe, 23 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii de Elemosina indulget, ut decimas in alterius parrochiis de manibus laicorum redimere possint. (Reg. 25, a. III, c. 378, f. 49v.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Elemosina, Cisterciensis ordinis, Carnotensis diocesis.* Ut vobis liceat decimas in alterius parrocchiis de manibus redimere laicorum, diocesanorum locorum et rectorum ecclesiarum, in quarum parrocchiis decime ipse consistunt, accedente consensu, dum tamen ipsi rectores super hoc requisiti redimere eas non valeant, vel non velint, et a vobis sufficiens prestetur cautio, quod eisdem rectoribus eas restituere teneamini, quandocumque vobis ab eisdem rectoribus de pretio, quod pro eis dederitis, fuerit satisfactum, vestris inclinati precibus, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, IX kalendas julii, anno tertio. »

1991 Viterbe, 13 juin 1257.

Joanni Ansoldi clerico, obtentu Morinensis episcopi, cujus nepos existit, jus canonicatus in ecclesia Morinensi,

non obstante constitutione quadam, restituit. (Reg. 25, a. III, c. 379[1], f. 49v.)

« *Johanni Ansoldi clerico.* Tue devotionis —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1992 Viterbe, 13 juin 1257.

Episcopo Belvacensi mandat, quatenus Joanni Ansoldi clerico, Morinensis dioecesis, de praebenda competenti, juxta restitutionis tenorem, providere studeat. (Reg. 25, a. III, c. 379[2], f. 49v.)

« .. *episcopo Belvacensi.* Meritis dilecti filii Johannis —. Dat. Viterbii, ut supra. »

1993 Latran, 15 mai 1257.

Episcopo Mutinensi mandat, quatenus de praebenda in ecclesia Regina faciat provideri Bartholomaeo archidiacono Tripolitano, qui nondum praebendam est adeptus, pro eo, quod litteras et instrumenta super receptione sua confecta propter praeteriti temporis turbationem amisit. (Reg. 25, a. III, c. 380, f. 49v.)

« .. *episcopo Mutinensi.* Sua nobis dilectus filius Bartholomeus archidiaconus Tripolitanus, capellanus noster, petitione monstravit, quod, licet ipse in ecclesia Regina, auctoritate litterarum venerabilis fratris nostri .. patriarche Aquilegensis, tunc in Lombardie partibus Apostolice Sedis legati, dudum receptus fuerit in canonicum et in fratrem, nondum tamen, pro eo quod litteras et instrumenta super sua receptione confecta propter preteriti temporis turbationem amisit, in eadem ecclesia prebendam aliquam est adeptus, propter quod felicis recordationis I. papa predecessor noster venerabili fratri nostro.. episcopo tunc electo Regino, qui tunc ipsius ecclesie canonicus receptioni interfuerat supradicte, suis dedit litteris in mandatis, ut si de tali prefati archidiaconi receptione memor existeret, eidem archidiacono prebendam juxta receptionis sue ordinem sibi debitam, si qua tunc ibidem vacaret, vel quamprimum ad id se facultas offerret, amoto ab ea quolibet illicito detentore, conferre et assignare, ipsumque in illius possessionem inducere et inductum defendere procuraret, contradictores etc, non obstantibus aliquibus litteris apostolicis vel ejusdem legati super receptione ac provisione aliorum in dicta ecclesia generaliter vel specialiter postmodum impetratis, et processibus habitis per easdem, per que idem predecessor noluit dicto archidiacono prejudicium aliquod generari. Et, licet episcopus ipse Godo et Ganacelo canonico Mutinensi, super hoc committens totaliter vices suas, recognoverit se interfuisse hujusmodi receptioni ac recordari etiam de eadem, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, nondum tamen idem archidiaconus ex hujusmodi litteris commodum est aliquod assecutus. Quocirca mandamus, quatinus si dictus episcopus de tali prefati archidiaconi receptione, ut predictum est, memor extiterit vel existit, eidem archidiacono prebendam, si qua vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, amoto ab ea quolibet illicito detentore, per te vel alium conferas et assignes, inducens eum in illius corporalem possessionem ac defendens inductum; contradictores etc. juxta prefati predecessoris continentiam litterarum, non obstante si ibidem post hujusmodi receptionem sint aliqui apostolica vel legatorum Apostolice Sedis seu alia quavis auctoritate recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus in assecutione prebende dictum archidiaconum volumus anteferri, aut si a tempore receptionis hujusmodi in ecclesia ipsa, prebende alique ipsi archidiacono debite vacaverunt, vel quod idem se fecit de earum aliqua investiri, et in illius possessionem induci auctoritate hujusmodi litterarum, cum ipse prebende, ut asserit, detineantur ab aliis occupate, sive statuto, quo omnes receptiones prebendas expectantium vacaturas, preter certas quatuor in ecclesiis quibuscumque, edicto cassavimus generali. Nos enim quicquid super hiis, contra tenorem mandati apostolici, fuerit in ipsius archidiaconi prejudicium attemptatum, irritum decernimus et inane. Datum Laterani, idibus maii, anno tertio. »

1994 Latran, 13 février 1257.

Bernerio episcopo Cremonensi, qui per marchionem Palavicinum censu privatus et cum familiaribus suis e civitate Cremonae ejectus exulare extra sedem propriam coactus erat, concedit facultatem contrahendi mutuum usque ad summam centum marcarum argenti. (Reg. 25, a. III, c. 381, f. 50; Potthast 16730; Rodenberg, t. III, n° 451.)

« *Bernerio episcopo Cremonensi.* Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, pro devotione, quam erga nos et Apostolicam Sedem geris, per marchionem Pelavicinum, inimicum Dei et Ecclesie, una

cum consanguineis et familiaribus tuis ejectis per eundem perfidum de civitate Cremonensi, exulare extra sedem propriam sis coactus, et spoliatus ab ipso bonis episcopalibus non habeas alias unde valeas sustentari : nos, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam centum marcarum argenti, et te ac successores tuos ac episcopatus tui bona dictumque episcopatum propterea creditoribus obligandi necnon et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum ac etiam conventioni judicum, si creditorum ipsorum nomine apostolicas litteras cujuscumque tenoris pro eis in posterum impetrari contigerit, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, ita tamen quod tu ac successores tui creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam solvere teneamini necnon et dampna et expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non solveritis memoratam, et creditoribus ipsis pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, aut cujuscumque privilegii vel indulgentie pecuniam ipsam in utilitatem ipsius episcopatus versam fore probandi necessitas non incumbat. Datum Laterani, idibus februarii, anno tertio. »

1995 Viterbe, 13 juin 1257.

Abbati monasterii de Reddageshusen et praeposito ecclesiae Osnaburgensis mandat, quatenus sententiam excommunicationis ab episcopo Verdensi contra Hermannum canonicum ecclesiae Verdensis indebite latam, penitus non tenere denuntiet, ac eidem canonico beneficia, quibus ab eodem episcopo spoliatus est, restitui faciat. (Reg. 25, a. III, c. 382, f. 50.)

« .. *abbati monasterii de Reddageshusen, Cisterciencis ordinis, Halberstadensis diocesis, et .. preposito ecclesie Osnaburgensis.* Significavit nobis Hermannus canonicus ecclesie Verdensis, quod venerabilis frater noster .. episcopus Verdensis falso asserens quod quidam ipsius H. consanguinei, eo procurante vel mandante seu ratum habente, eidem episcopo per rapinas et incendia dampna gravia irrogarant, licet super hoc idem canonicus nulla laboraret infamia nec esset orta suspitio aliqua contra ipsum, ei quod incontinenti decima manu canonicorum majoris et Sancti Andree Verdensis ecclesiarum super hiis se purgaret injunxit. Sed idem H. diligenter attendens, quod canonici ecclesiarum ipsarum non auderent pro ipso contra eundem episcopum perhibere testimonium veritati, de personis ydoneis vicinarum ecclesiarum usque ad prefatum numerum eidem episcopo, quamvis in casu hujusmodi sibi purgatio non deberet indici, purgationem hujusmodi offerens, terminum ad hoc idoneum sibi petiit assignari et, quia idem episcopus ipsum super hoc audire contra justitiam denegavit, dictus H. sentiens ex hoc indebite se gravari, ad nostram audientiam appellavit ; at idem episcopus, hujusmodi appellatione contempta, ipsum beneficiis suis ecclesiasticis spolians et nonnulla eorum quibusdam conferens, in eum excommunicationis sententiam contra justitiam promulgavit. Quocirca mandamus, quatinus, si dictam excommunicationis sententiam inveneritis post appellationem ad nos legitime interpositam esse latam, denuntiantes eam penitus non tenere, ac eodem H., sicut justum fuerit, ad predicta beneficia, amotis ab eis quibuslibet detentoribus illicitis, restituto, audiatis causam et appellatione remota etc. non obstantibus aliquibus litteris veritati et justitie prejudicantibus a Sede Apostolica impetratis et processibus habitis per easdem, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilium brachii secularis. Quod si non ambo etc. alter vestrum etc. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

1996 Viterbe, 28 juin 1257.

E[dmundum] regem Siciliae rogat, ut donationes, concessiones et confirmationes a Sede Apostolica, in favorem Philippi de Sancta Cruce, Baroli et Monopoli protontini, factas, juxta dictorum privilegiorum tenorem, inviolabiliter observari faciat. (Reg. 25, a. III, c. 383, f. 50 ; Rodenberg, t. III, n° 461.)

« *E. regi Sicilie.* Considerantes puritatem fidei et devotionis fervorem dilecti filii nobilis viri Philippi de Sancta Cruce, Baroli et Monopoli protontini, donationes, concessiones seu confirmationes de terra Cannarum, Caurati, Terlitii et Arricarri castris seu casalibus[1] sitis in terra Bari necnon de domibus fundici[2] Baroli et domo curie, quam tenuit Ribaldinus, pro tempore in fundico deputata, et terra vacua extra portam Sancti Leonardi de Barolo et de officio protontinatus Barroli et Monopoli predictorum ei, de fratrum nostrorum consilio, duximus faciendas, maxime quia

1. *Ms.* : causalibus.
2. *Ms.* : fundicis.

id vidimus expedire, cum utilitas obsequiorum, que[1] ipse in negotio regni Sicilie redeundo ad devotionem Ecclesie tribuit, hoc exposceret et pro eo necessitas suaderet, quia nomine Romane Ecclesie sibi tunc promissum extitit, quod super bonis prefati regni de omnibus dampnis, que pro devotione ipsa incurreret, servaretur indempnis. Quia vero nos sibi promisimus donationes, concessiones et confirmationes hujusmodi ei suisque heredibus per reges ipsum regnum a prefata tenentes Ecclesia facere inviolabiliter observari, prout in apostolicis privilegiis super hoc eidem concessis plenius continetur, ac id factum extitit cons c io dilecto filio nobili viro Roberto de Baro, qui pro te et carissimo in Christo filio nostro illustri rege Anglie, patre tuo, in vestris negotiis apud Sedem Apostolicam remanserat procurator, serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatinus circa dictum nobilem, pro Apostolice Sedis et nostra reverentia ac sue devotionis obtentu, te constituens verbo benivolum et opere gratiosum, ei, qui gravissima dampna pro devotione Sedis ejusdem in bonis suis noscitur pertulisse, donationes, concessiones et confirmationes ipsas, juxta tenorem dictorum privilegiorum, inviolabiliter facias observari, necnon tuas et prefati regis Anglie patentes litteras, quantum oportunas sibi viderit, munifica liberalitate concedas, ita quod idem nobilis, quod sibi promissum in hac parte per Sedem predictam extitit, assequatur, ac ad tuam et ipsius regis fidelitatem animetur fortius, et nos excellentiam regiam exinde merito commendantes, condignas tibi propter hoc gratias referamus. Pro constanti siquidem regia magnificentia teneat, quod sicut eum inter ceteros devotos regni prefati ferventiori et utiliori fidelitate vigere invenimus, sic ipsum curavimus specialibus et singularibus attollere privilegiis gratiarum. Datum Viterbii, IIII kalendas julii, anno tertio. »

1997 Viterbe, 28 juin 1257.

Henrico regi Angliae in eumdem modum. Reg. 25, a. III, c. 384[1], f. 50v.

« .. *regi Angliae*. Considerantes puritatem —. Ut in alia usque in finem. »

1998 Viterbe, 27 juin 1257.

Capitulo Cerviensi mandat, quatenus Ubaldum capellanum suum, quem eis praeficit in episcopum, devote suscipiant eique obedientiam et reverentiam debitam impendant. Reg. 25, a. III, c. 384[2], f. 50v; Potthast 16909.

« *Capitulo Cerviensi*. Debitum officii nostri —. Datum Viterbii, V kal. junii, anno tertio. »

1999

In eumdem modum clero civitatis et dioecesis Cerviensis. Reg. 25, a. III, c. 384[3], f. 50v.

2000

In eumdem modum populo civitatis et dioecesis Cerviensis. Reg. 25, a. III, c. 384[4], f. 50v.

« *Populo civitatis et diocesis Cerviensis*. Debitum officii nostri —. Datum ut supra. »

2001

In eumdem modum populo massae fischaliae et aliorum locorum ad episcopatum Cerviensem spectantium. Reg. 25, a. III, c. 384[5], f. 50v.

2002 Viterbe, 24 juin 1257.

Intuitu Joannis tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, Magistro Rogerio de Cerby, canonico Dunkeldensi, indulget, ut praeter duo beneficia, quorum proventus viginti et sex librarum sterlingorum valorem vix excedunt, alia duo beneficia recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 385, f. 50v.

« *Magistro Rogerio de Cerby, canonico Dukeldensi*. Licet ne quis —. Dat. Viterbii, VIII kal. julii, anno tertio. »

2003 Viterbe, 26 juin 1257.

Magistris Alexandro de Ferentino et Hugoni de Mortuo Mari, Londoniensis et Saresburiensis ecclesiarum canonicis, mandat, quatenus magistrum Gregorium de Neapoli, subdiaconum et capellanum suum, in ecclesia de Wisbire, Wigorniensis dioecesis, in canonicum et in fratrem admitti faciant, amoto Matheo Vulcano canonico Neapolitano ejusdem praebendae illicito detentore. Reg. 25, a. III, c. 386, f. 51.

« *Magistro Alexandro de Ferentino et Hugoni de Mortuo Mari, Londoniensis et Sarebbiriensis ecclesiarum canonicis*. Cum prebendam —. Dat. Viterbii, VI kal. julii, anno tertio. »

1. *Ms.* : quem.

2004 Viterbe, 22 juin 1257.

Raynerio Ghiberti clerico, germano Jacobi Ghiberti civis et mercatoris Florentini, indulget, ut praeter alia beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat, non obstantibus generalis concilii constitutione, aut defectu, quem in ordinibus et in aetate patitur. (Reg. 25, a. III, c. 387, f. 51.)

« *Raynerio Ghiberti clerico, germano Jacobi Ghiberti civis et mercatoris Florentini, familiaris nostri.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Viterbii, X kal. julii, anno tertio. »

2005 Latran, 8 mars 1257.

Decano et capitulo Metensibus indulget, ut si alicui Metensis ecclesiae canonico, per litteras apostolicas, contra ejusdem ecclesiae consuetudinem, de cetero indulgeri contingat, ut absens proventus praebendae suae integre percipere valeat, ad ministrandum ei dictos proventus compelli nullatenus valeant. (Reg. 25, a. III, c. 388, f. 51.)

« .. *decano et capitulo Metensibus.* Quia dignum est ut clerici, qui ecclesiarum sustentantur stipendiis, eisdem impendant obsequia militie clericalis, nos, supplicationibus vestris inclinati, benignum impertientes assensum, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si alicui ecclesie vestre canonico, per litteras apostolicas vel legatorum Apostolice Sedis, contra ejusdem ecclesie consuetudinem, de cetero indulgeri contingat, ut absens proventus prebende sue ipsius ecclesie, distributionibus cotidianis exceptis, cum ea integritate percipere valeat, qua illos perciperet, si in dicta ecclesia personaliter resideret, aut etiam, si quisquam ecclesie predicte canonicus super hujusmodi proventibus sic ministrandis sibi a Sede vel legatis ipsis executorias litteras amodo impetraverit, exceptis hiis, qui nostris et fratrum nostrorum obsequiis immorantur, nullum vobis vel ecclesie ipsi per indulgentiam vel litteras hujusmodi prejudicium generetur, nec per eas ad ministrandum dictos proventus compelli aliquatenus valeatis, nisi eedem littere apostolice plenam et expressam de hac indulgentia fecerint mentionem, etiamsi contineatur in eis, quod ipsarum impetratoribus non obsistant quelibet ipsius ecclesie consuetudines vel statuta contraria, juramento, confirmatione Sedis Apostolice aut quacumque alia firmitate vallata, seu quod non obstet si vobis sive aliquibus vestrum communiter vel divisim a dicta Sede indultum existat, quod ad ministrandum proventus ipsos non possitis cogi per litteras Sedis aut legatorum eorumdem non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim decernimus irritas et inanes excommunicationis, interdicti sive suspensionis sententias, si quas in dictam ecclesiam vel vos aut aliquem seu aliquos vestrum, contra hujusmodi indulti nostri tenorem, contigerit promulgari. Nulli [etc.] nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Laterani, VIII idus martii, anno tertio. »

2006 Viterbe, 27 juin 1257.

Archipresbytero de Visano, Brixiensis dioecesis, petitione Joanardi familiaris dilecti filii magistri Martini, camerae apostolicae clerici, mandat, quatenus ipsi Joanardo, jam auctoritate litterarum O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, tunc in Lombardiae partibus Apostolicae Sedis legati, in plebe de Medulis, Brixiensis dioecesis, recepto in canonicum et in fratrem, non obstante receptione per quamdam constitutionem generalem cassata, de praebenda providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 389, f. 51.)

« .. *archipresbytero de Visano, Brixiensis diocesis.* Petitio dilecti filii —. Dat. Viterbii, V kal. julii, anno tertio. »

2007 Latran, 15 mai 1257.

Officiali Ambianensi, petitione magistri Gregorii de Neapoli, subdiaconi et capellani ipsius papae, mandat, quatenus ipsi Gregorio jam per [Radulfum] Morinensem episcopum in ecclesia Morinensi recepto in canonicum et in fratrem, de praebenda providere procuret, non obstante receptione per quamdam constitutionem generalem cassata. (Reg. 25, a. III, c. 390, f. 51v.)

« .. *officiali Ambianensi.* Petitio dilecti filii —. Dat. Laterani, idibus maii, anno tertio. »

2008 Viterbe, 30 juin 1257.

Magistro Thomae de Luda capellano suo, rectori ecclesiae de Gretfordio indulget, ut praeter dictam ecclesiam unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 391, f. 51v.)

« *Magistro Thome de Luda, capellano nostro, rectori ecclesie de Gretfordio, Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, II kal. julii, anno tertio. »

2009 Viterbe, 22 juin 1257.

Archiepiscopo Tranensi notum facit se confirmare nonnullas concessiones et donationes Philippo de Sancta Cruce factas ab .. Anconitano episcopo, tunc [Octaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis in illis partibus Apostolicae Sedis legati vicario, eique mandat, quatenus eumdem Philippum in dictorum bonorum ei concessorum corporalem possessionem inducat et defendat inductum. (Reg. 25, a. III, c. 392, f. 51v.

« .. *archiepiscopo Tranensi*. Sincere devotionis, quam nobilis vir Philippus de Sancta Cruce, protontinus Baroli et Monopoli, circa Romanam gerit Ecclesiam, et inconcusse constantie, qua ille contra suos a[d]versarios astitit, non sumus immemores, nec dampnorum plurimorum[1] aliorumque gravaminum, que pro ipsa dinoscitur sustinuisse, possumus oblivisci, sed hec omnia recolentes et Apostolice Sedis favore ipsum dignum agnoscimus et ejus beneficiis censemus eumdem specialiter attollendum, firmo intendentes proposito et intentione stabili proponentes, ut circa sui commodi et honoris augmentum solliciti et vigiles existamus, sibi loco et tempore pro meritis respondere. Cum igitur, sicut idem nobilis in nostra proposuit presentia constitutus, venerabilis frater noster.. Anconitanus episcopus, tunc vicarius in justitiaratibus terre Bari et terre Idronti, dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legati, terram Cannarum sitam prope Barulum, cum omnibus hominibus, salinis casalis Sancti Eustachi ac terris, juribus, honoribus et pertinentiis suis, necnon casale seu villam Caurati de terra Bari, cum dominio, omnibus hominibus, juribus et pertinentiis suis, sub certis servitiis nobis et Romane Ecclesie faciendis, sibi suisque heredibus in perpetuum duxerit concedendas, prout in litteris ipsius episcopi super hoc confectis, nostro insertis privilegio, plenius continetur, nos, suis supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica duximus confirmandam, et, ut majori erga nos et Romanam Ecclesiam devotione ferveat, predicta loca sicut illa sibi dictus concessit episcopus, sibi eisdemque heredibus in devotione Ecclesie existentibus in feudum de novo, sub eisdem servitiis, gratiis et conditionibus, in recompensationem dampnorum, que pro ipsa Ecclesia in rebus suis stabilibus consistentibus in territorio Monopoli et in mobilibus pertulisse dinoscitur, que mobilia summam M et quingentarum unciarum auri attingunt, sicut ex predicti cardinalis assertione et alias nobis constitit manifeste, de quibus dampnis cardinalis et episcopus[1] memorati per suas litteras super bonis regni Sicilie sibi promiserunt pro parte Ecclesie conservare indempnem, prout in litteris ipsius cardinalis et ejusdem episcopi confectis exinde plenius continetur, et id etiam ex prefati cardinalis assertione nobis constitit evidenter necnon et pro servitiis, que tunc eidem ecclesie contulit et conferre poterit in futurum, domum etiam quandam curie, que est in Barolo in pittagio Marsicano et in vicinio Sancti Nicolai, pro tempore in fundicum deputatam, quam tenuit Ribaldinus, et terram vacuam extra portam Sancti Leonardi existentem, contiguam loco, in quo festum palmarum consuetum est celebrare, prout extenditur a loco ipso usque ad fossatum civitatis, et a terra, que fuit quondam Fasani civis Baroli, usque ad viam publicam adjacentem ipsi terre ex parte ostrali, non obstante concessione aliqua per Manfredum quondam principem Tarentinum facta[2] alicui vel per alium quemlibet de premissis, de fratrum nostrorum consilio, ex certa scientia, de gratia speciali, concessimus, ac sibi heredibusque suis, in devotione tamen Sedis Apostolice persistentibus, promisimus per reges aut alios ipsum regnum Sicilie a prefata tenentes Ecclesia facere predicta omnia perpetuo inviolabiliter observari. Ideoque mandamus, quatinus prefatum nobilem vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem predictorum omnium possessionem, auctoritate nostra, per te vel per alium inducas et defendas inductum; contradictores etc, non obstante si aliquibus personis cujuscumque conditionis, ordinis aut dignitatis exista[n]t a Sede Apostolica sit indultum vel indulgeri contigerit, quod suspendi aut excommunicari vel ipsi et eorum terra interdici non possint, sive alia indulgentia ipsius Sedis, de qua et cujus toto tenore oporteat in nostris litteris mentionem fieri, et per quam nostri mandati executio in hac parte impediri valeat vel differri, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

1. *Ms.* : plurimum.

2010 Viterbe, 27 juin 1257.

Petro presbytero, rectori ecclesiae S. Laurentii de Casali Agnello, indulget, ut praedictam ecclesiam et praebendam

1. *Ms.* : episcopi
2. *Ms.* : factam.

plebis de Beona, Placentinae dioecesis, retinere possit, non obstante constitutione Celestini papae, tunc tituli S. Marci presbyteri cardinalis, in partibus illis Apostolicae Sedis legati. (Reg. 25, a. III, c. 393. f. 52.)

« *Petro presbitero rectori ecclesie S. Laurentii de Casali Agnello, Placentine diocesis.* Volentes propter probitatis —. Dat. Viterbii, V kal. julii, anno tertio. »

2011 Viterbe, 21 juin 1257.

Magistro Berardo de Nimpha, capellano suo, indulget, ut praeter beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 394, f. 42.)

« *Magistro Berardo de Nimpha, capellano nostro.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, XI kal. julii, anno tertio. »

2012 Viterbe, 27 juin 1257.

Obtentu R. comitis Cornubie, cum Rogero rectore ecclesiae de Cukesham dispensat, ut praeter ecclesiam de Cukesham et capellam de Haltested, quarum proventus valorem annuum decem librarum sterlingorum non excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 395, f. 52.)

« *Rogero rectori ecclesie de Cukesham, Lincolniensis diocesis.* Procedit ex magnitudine —. Dat. Viterbii, V kal. julii, anno tertio. »

2013 Viterbe, 21 juin 1257.

Conventrensi et Lichefildensi electo et magistro Berardo de Nimpha mandat, quatenus de legatis indistincte pro Terrae Sanctae subsidio et de redemptionibus votorum crucesignatorum regni Angliae, Riccardo comiti Cornubiae a Gregorio IX et Innocentio IV concessis, providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 396, f. 52; Rodenberg, t. III, nº 458.)

« .. *Conventrensi et Linchefeldensi electo et magistro Berardo de Nimpha, capellano nostro, in Anglia commoranti.* Ex parte dilecti filii nobilis viri Riccardi comitis Cornubie, germani carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Anglie, fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis G. et Innocentius Romani pontifices predecessores nostri, eidem comiti tunc crucesignato et reverso postmodum de partibus transmarinis, legata indistincte pro Terre Sancte subsidio et redemptiones votorum crucesignatorum regni Anglie antequam idem comes de predictis rediret partibus factas, liberaliter concesserunt, diversis sibi super hoc executoribus deputatis. Unde nobis humiliter supplicavit, ut cum nonnullis ex eisdem executoribus se ad remotas partes transferentibus, aliquibus vero sublatis de medio, in hujusmodi negotio nondum finaliter sit processum, providere in hac parte sibi de benignitate solita curaremus. Nos igitur nolentes quod circa eundem comitem gratiose inceptum est relinquere imperfectum, mandamus, quatinus, si est ita, in predicto negotio per vos vel per alium seu alios efficaciter procedatis, juxta quarumcumque ad quoscumque executores super hoc directarum ipsorum predecessorum continentiam litterarum, non obstante si crucesignatis et aliis quibuscumque personis ipsius regni a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, quodque extra suas dioceses aut alia certa loca in causam trahi vel ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali; contradictores autem si qui fuerint vel rebelles, monitione premissa, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo compescatis. Nolumus autem, quod per hoc gratie, quam de redemptionibus, legatis et aliis predicto regi fecisse dinoscuntur, et jurisdictioni dilecto filio magistro Rostanno capellano et nuntio nostro in Anglia super hiis a predicta Sede commisse prejudicium aliquod generetur. Quod si non ambo etc. Datum Viterbii, XI kalendas julii, anno tertio. »

2014 Viterbe, 22 juin 1257.

Episcopo Metensi indulget, ut in solutionem debitorum Metensis ecclesiae, nonnulla legata in pios usus indistincte relicta aliasque pecuniae summas convertat. (Reg. 25, a. III, c. 397. f. 52.)

« .. *episcopo Metensi.* Importabilis debitorum sarcina, quibus tua ecclesia pregravatur, propensiori nos cura sollicitat, ut inter alia nostre vigilantie incumbentia, de ipsius ecclesie specialiter cogitemus subsidiis et auxiliis oportunis, quibus et hujusmodi debitorum relevari possit oneribus, et inter angustiantes illam usurarum angustias respirare. Ipsius igitur et tuis necessitatibus benigno compatientes affectu, fra-

ternitati tue, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, dummodo hii, quibus ipsorum restitutio fieri debeat, omnino sciri et inveniri non possint, necnon et de quibuslibet legatis in pios usus indistincte relictis, dummodo ad id executorum ipsorum accedat assensus, et de redemptionibus votorum diocesanorum auctoritate prius factis, Jerosolimitano duntaxat excepto, usque ad summam mille marcharum sterlingorum, in solutionem debitorum hujusmodi et non in usus alios convertendum recipere valeas, presentium tenore duximus concedendum, si pro similium receptione alias non sis a nobis hujusmodi gratiam consecutus; ita quod si aliquid de dictis mille marcis dimiseris vel restitueris aut dederis illis, a quibus eas receperis, hujusmodi dimissum vel restitutum seu datum nichil ad liberationem eorum prosit nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

2015 Viterbe, 22 juin 1257.

Episcopo Metensi mandat, quatenus clericos in ecclesia et dioecesi praedictis beneficia obtinentes, illis qui suis vel fratrum suorum servitiis immorantur dumtaxat exceptis, ut in ecclesiis ipsis resideant, per subtractionem eorum proventuum compellat. (Reg. 25, a. III, c. 398, f. 52v; Rodenberg, t. III, nº 459.)

« .. *episcopo Metensi*. Ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli clerici ac persone dignitates, personatus et alia beneficia, cum cura et sine cura, in cathedrali et aliis tue civitatis et diocesis ecclesiis obtinentes, debitam in eisdem ecclesiis residentiam facere pretermittunt, quamquam illorum percipiant cum integritate proventus, propter quod eedem ecclesie debitis obsequiis defraudantur. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, ipsos, illis qui nostris vel fratrum nostrorum servitiis immorantur duntaxat exceptis, quod in ecclesiis ipsis resideant, ut tenentur, monitione premissa, per subtractionem eorundem proventuum, appellatione remota, compellas: non obstante si eis a Sede Apostolica vel legatis ipsius indultum existat, quod in ecclesiis predictis residere minime teneantur, vel quod a quoquam cogi nequeant ad residentiam hujusmodi faciendam. Datum Viterbii, X kal. julii, anno tertio. »

2016 Latran, 18 avril 1257.

Nicholao dicto Beit Cerveise, clerico, indulget ut, non obstante defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ad sacros ordines promoveri et beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 399[1], f. 52v.)

« *Nicolao dicto Beit Cerveise*[1], *clerico, Bajocensis diocesis*. Illegitime genitos —. Dat. Laterani, XIIII kal. maii, anno tertio. »

2017 Latran, 18 avril 1257.

Ricardo de Thevraio, clerico Bajocensis dioecesis, in eumdem modum. (Reg. 25, a. III, c. 399[2], f. 52v.)

« *Ricardo de Thevraio, clerico, Bajocensis diocesis*. Illegitime genitos ut in alia de verbo ad verbum usque in finem. »

2018 Viterbe, 22 juin 1257.

Archiepiscopo Tranensi mandat, quatenus Philippum de Sancta Cruce, in corporalem possessionem omnium bonorum ei ab .. Anconitano episcopo, tunc [Octaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, in illis partibus Apostolicae Sedis legati vicario, concessorum inducat et defendat inductum. (Reg. 25, a. III, c. 400, f. 52v; Rodenberg, t. III, nº 460.)

« .. *archiepiscopo Tranensi*. Exigentibus devotionis, quam nobilis vir Philippus de Sancta Cruce protontinus Baroli et Monopoli circa Romanam gerit Ecclesiam, et fidei pure meritis, votis suis libenter annuimus et in hiis, que digne postulat, nos sibi benivolos exhibemus. In nostra siquidem constitutus presentia retulit, quod cum quondam Fr. imperator, dum adhuc in Apostolice Sedis devotione persisteret, de Terlicio et Arricarri castra seu casalia sita in justitiaratibus terre Bari cum omnibus hominibus, juribus et pertinentiis suis sibi suisque heredibus in perpetuum, prout spectabat ad eum, liberalitate munifica et provida contulisset, tandem venerabilis frater noster.. Anconitanus episcopus, tunc in partibus illis generalis vicarius dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, in regno Sicilie Apostolice Sedis legati, hujusmodi concessionem confirmans, ad suam suorumque heredum cautelam premissa sibi suisque heredibus de novo concessit,

1. *Ms.* : Cerverse.

prout in patentibus litteris ipsius episcopi confectis exinde plenius continetur. Nos itaque, suis devotis supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Fr. et episcopo factum est ratum et firmum habentes, illud[1] auctoritate apostolica duximus confirmandum[2], et ut majori erga nos et Romanam Ecclesiam devotione ferveat, quamquam in recompensationem aliorum suorum dampnorum, que pro fide Romane Ecclesie passus fuit tam in stabilibus suis in Monopoli consistentibus quam in rebus aliis mobilibus, valuisse auri M et quingentas uncias extimatis[3] necnon et pro servitiis eidem Ecclesie a se collatis de gratia speciali concesserimus terram Cannarum, Caurati [castrum seu casale sita in terra Bari necnon curie] domum, quam quondam tenuit Ribaldinus, et terram vacuam extra portam Sancti Leonardi in Baroli existentem, prout in privilegio Sedis Apostolice sibi facto continetur aperte, predicta tamen loca Terlitii et Arricarri, sicut ipsa sibi dictus confirmavit et concessit episcopus, sibi eisdemque heredibus in devotione ecclesie persistentibus in feudum de novo sub eisdem servitiis, gratiis et conditionibus, necnon et domos fundici Baroli cum juribus et pertinentiis suis, que hiis finibus concluduntur : ab oriente, occidente et borea sunt vie publice, ab austris domus, quam tenuit Walterius de Nicastro, et domus, quam tenet Gotfridus de Alamanno, et domus, quam tenet Gotfridus Catepanus, in recompensatione dampnorum proventuum rerum suarum amissarum, que[4] pro fide Ecclesie pertulisse dinoscitur et cotidie patitur incessanter, de quibus dampnis cardinalis et episcopus memorati super bonis regni Sicilie se promiserunt pro parte Ecclesie conservare indempnem, sicut nobis per ipsorum litteras nostro privilegio insertas constitit manifeste, et pro servitiis, que hactenus Romane Ecclesie exhibuit tam fideliter quam devote et que conferre poterit in futurum, non obstante concessione aliqua facta Angelo de Terreno de predictis domibus fundici et Philippo Cinardo, Johanni Calvano et Guillelmo Cinardo nepotibus ejusdem Philippi de Terlicio et Arricarri prenominatis, de fratrum nostrorum consilio et ex certa scientia sibi suisque heredibus in fide Ecclesie persistentibus perpetuo concessimus de gratia speciali, ac sibi heredibusque suis, in devotione tamen Ecclesie persistentibus, per reges aut alios ipsum regnum Sicilie a prefata tenentes Ecclesia promisimus sibi suisque heredibus facere predicta omnia perpetuo inviolabiliter observari. Ideoque mandamus, quatinus prefatum nobilem vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem predictorum omnium possessionem auctoritate nostra per te vel per alium inducas et defendas inductum, contradictores etc. non obstante si aliquibus personis, cujuscumque conditionis, ordinis aut dignitatis exista[n]t a Sede Apostolica sit indultum vel indulgeri contingat, quod suspendi aut excommunicari vel terra eorum interdici[1] non possint, seu aliqua indulgentia ipsius Sedis, de qua et cujus toto tenore oporteat nostris litteris mentionem fieri et per quam nostri mandati executio in hac parte impediri valeat vel differri, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

1. *Ms.* : illam.
2. *Ms.* : confirmandam.
3. *Ms.* : extimatas.
4. *Ms.* : quos.

1. *Ms.* : interdicere.

2019 Viterbe, 29 juin 1257.

Magistrum Godefridum archidiaconum Leodiensem in capellanum suum admittit. (Reg. 25, a. III, c. 401, f. 53.)

« *Magistro Godefrido, archidiacono Leodiensi.* Meritis tue probitatis —. Dat. Viterbii, III kal. julii, anno tertio. »

2020 Viterbe, 20 juin 1257.

Jacobo de Commercejo canonico Metensi, in Metensi ecclesia auctoritate Innocentii quondam papae in canonicum jam recepto, non obstante constitutione de certo canonicorum numero, jus canonicatus confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 402, f. 53.)

« *Jacobo de Commerceio, canonico Metensi, nepoti.. Metensis episcopi.* Lecta coram nobis —. Datum Viterbii, XII kal. julii, anno tertio. »

2021 Viterbe, 21 juin 1257.

Receptionem R. ecclesiae S. Salvatoris Metensis decani, in canonicum ecclesiae Metensis, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 403[1], f. 53.)

« *R. decano ecclesie Sancti Salvatoris Metensis.* Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster venerabili

patri nostro.. episcopo Metensi, faciendi te recipi in Metensi ecclesia, cujus prebendarum collatio ad decanum et capitulum ipsius ecclesie noscitur pertinere, in canonicum et in fratrem, et providendi tibi de prebenda, si qua in eadem ecclesia tunc vacaret vel quamprimum se ad hoc facultas offerret, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, per suas sub certa forma concessit litteras facultatem. Te autem proponente quod nullum de litteris ipsis commodum fueris assecutus, quanquam eas ante ipsius predecessoris obitum dicto episcopo presentasses, nos ad supplicationem tuam, dilecto filio.. decano ecclesie Sancte Marie Magdalene Virdunensis nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si esset ita, in hujusmodi negotio per se vel per alium procederet, juxta priorum continentiam litterarum. Cumque prefatus decanus dilecto filio magistro Hugoni concanonico suo vices suas in eodem negotio commisisset, iidem decanus et capitulum te ad mandatum ipsius magistri in canonicum et in fratrem canonice receperunt. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi receptionem provide factam ratam habentes et gratam, illam, eo quod tres persone de capitulo ipso tantum te recipere recusarunt, nichil rationabile proponentes quare te sic recipere non deberent, et constitutione, qua receptiones canonicorum prebendas expectantium in ecclesiis vacaturas, quatuor primo apostolica auctoritate admissis in eis dumtaxat exceptis, duximus revocandas, nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli [etc. nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XI kalendas julii, anno tertio. »

2022 Viterbe, 21 juin 1257.

Officiali Metensi mandat, quatenus R. ecclesiae S. Salvatoris Metensis decanum, pro canonico haberi in Metensi ecclesia faciat, eique de praebenda debita studeat providere. (Reg. 25, a. III, c. 403², f. 53.)

« .. *officiali Metensi*. Lecta coram nobis —. Datum ut supra. »

2023 Viterbe, 13 juin 1257.

Abbati Gorziensi mandat, quatenus ad receptionem et provisionem Jacobi, nati nobilis viri Simonis de Claromonte, in ecclesiae Tullensis canonicum, non obstante constitutione, per quam receptiones canonicorum expectantium praebendas in ecclesiis ultra quaternarium numerum vacaturas duxit irritandas, procedat. (Reg. 25, a. III, c. 404, f. 53v.)

« .. *abbati Gorziensi, Metensis diocesis*. Dilectus filius Jacobus natus nobilis viri Simonis de Claromonte, consanguineus venerabilis fratris nostri.. Metensis episcopi, nobis exposuit, quod licet dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in Alamanie partibus Apostolice Sedis legatus, habens super hoc a Sede Apostolica potestatem, tibi, super receptione et provisione ipsius J. in Tullensi ecclesia facienda, executorias sub certa forma litteras destinarit, nullum tamen adhuc in eisdem litteris commodum est adeptus. Nolentes igitur quod circa ipsum gratiose inceptum est relinquere imperfectum, mandamus quatinus, si est ita, ad receptionem et provisionem prefati J. in prefata ecclesia, non obstantibus constitutione, per quam receptiones canonicorum expectantium prebendas in ecclesiis ultra quaternarium numerum vacaturas duximus irritandas, et indulgentiis apostolicis, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri, per te vel per alium procedas juxta predictarum ejusdem legati ad te directarum continentiam litterarum. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

2024 Viterbe, 13 juin 1257.

Decano ecclesiae S. Theobaldi Metensis mandat, ut Juliano archidiacono Metensi, in ecclesia Tullensi jam in canonicum recepto, non obstante eadem constitutione, de praebenda providere studeat. (Reg. 25, a. III, c. 405, f. 53v.)

« .. *decano ecclesie Sancti Theobaldi Metensis*. Petitio dilecti filii Juliani archidiaconi Metensis capellani nostri —. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

2025 Viterbe, 12 juin 1257.

Abbati Gorziensi mandat, quatenus ad receptionem et provisionem Simonis de Claromonte clerici, consanguinei Metensis episcopi, in ecclesiae Metensis canonicum, non obstante dicta constitutione, procedat. (Reg. 25, a. III, c. 406, f. 53v.)

« .. *abbati Gorziensi, Metensis diocesis*. Dilectus filius Symon de Claromonte —. Dat. Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

2026 Viterbe, 12 juin 1257.

Eidem, in eumdem modum. (Reg. 25, a. III, c. 407, f. 53v.)

« *Eidem.* Dilectus filius Symon clericus dictus de Claromonte, ut in alia, de verbo ad verbum, usque in finem. »

2027 Latran, 28 février 1257.

Jacobo de Claromonte, canonico Metensi, cujus receptio per eandem constitutionem est cassata, jus canonicatus restituit. (Reg. 25, a. III, c. 408, f. 53v.)

« *Jacobo de Claromonte, canonico Metensi.* Quia dudum in plerisque —. Dat. Laterani, II kal. martii, anno tertio. »

2028 Viterbe, 5 juillet 1257.

Infrascriptis abbatibus mandat, quatenus fructus praebendarum subtractos clericis, qui in ecclesiis, in quibus beneficia obtinent, residentiam non fecerint, colligant, et in solutionem debitorum ecclesiae Metensis convertant. (Reg. 25, a. III, c. 409, f. 54.)

« .. *Senonensi, Sancti Benedicti, et.. Sancti Salvatoris, Sancti Augustini ordinum monasteriorum abbatibus, Tullensis diocesis.* Importabilis debitorum sarcina, quibus mater Ecclesia pregravatur, propensiori nos cura solicitat, ut inter alia nostre vigilantie incumbentia, de ipsius Ecclesie specialiter cogitemus subsidiis et auxiliis oportunis, quibus et ab hujusmodi debitorum relevari possit oneribus, et inter angustiantes illam usurarum angustias respirare. Cum ergo eadem Metensis in corpore universalis Ecclesie nobile ac conspicuum membrum existat, ad sui nimirum capitis, quod est sacrosancta Romana Ecclesia, que inter omnes alias obtinet divina institutione primatum, incrementum accedit si membrum idem tam honorificum ab ea grata dona suscipiat et efficacia percipiat adjumenta. Sane, ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli clerici ac persone dignitates[1], personatus et alia beneficia cum cura et sine cura in cathedrali et aliis Metensis civitatis et diocesis ecclesiis obtinentes, debitam in eisdem ecclesiis residentiam facere pretermittunt, quamquam illorum percipiant cum integritate proventus, propter quod eedem ecclesie debitis obsequiis defraudantur. Unde venerabili fratri nostro.. Metensi episcopo nostris damus litteris in mandatis, ut, si est ita, ipsos, illis qui nostris vel fratrum nostrorum servitiis immorantur dumtaxat exceptis, quod in ecclesiis ipsis resideant ut tenentur, monitione premissa, per subtractionem eorumdem proventuum appellatione remota compellat, non obstante si eis a Sede Apostolica vel legatis ipsius indultum existat, quod in ecclesiis predictis residere minime teneantur, vel quod a quoquam cogi nequeant ad residentiam hujusmodi faciendam. Quocirca mandamus, quatinus si dicti clerici ac persone ab eodem episcopo competenter moniti, in ecclesiis predictis non curaverint residere, vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios, dictos proventus singulis annis, quibus dicti clerici et persone hujusmodi residentiam in ipsis ecclesiis non fecerint, usque ad triennium colligentes, illos sicut divinam et nostram ac Apostolice Sedis caram habetis gratiam, totaliter et fideliter per manus vestras convertatis in solutionem hujusmodi debitorum, attentius provisuri, ne ipsos in alia negotia ipsius episcopi vel ecclesie Metensis quantumcumque urgentia convertere presumatis. Taliter autem mandatum nostrum in hac parte adimplere curetis, ut crescatis exinde meritis apud Deum, et nos, qui plene de fidelitate ac puritate vestra confidimus, diligentiam vestram dignis in Domino laudibus commendare possimus. Contradictores vero, si qui fuerint vel rebelles, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis, non obstante aliqua Sedis Apostolice indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Scire namque vos volumus, quod si negligentes, quod absit, fueritis, in convertendo fideliter hujusmodi proventus in solutionem debitorum ipsorum, indignationem nostram procul dubio incurretis. Datum Viterbii, III nonas julii, anno tertio. »

1. Ms. : dignitatis.

2029 Anagni, 31 août 1256.

Omnibus praesentes litteras inspecturis notum facit se Philippo de Sancta Cruce nonnulla bona concessisse. (Reg. 25, a. III, c. 410, f. 54; Rodenberg, t. III, no 443.)

« *Patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris, marchionibus, comitibus,*

baronibus, militibus et aliis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Noverit universitas vestra quod nos —. Dat. Anagnie, II kal. septembris, anno secundo. »

2030 Viterbe, 22 juin 1257.

Decano ecclesiae de Roia, intuitu supplicantis abbatis monasterii Lobiensis, mandat, quatenus Renerio de Hum clerico, canonico ecclesiae S. Ursmari Lobiensis, Cameracensis dioecesis, non obstante receptione per quamdam generalem constitutionem cassata, jus canonicatus restituat eique de praebenda provideat. (Reg. 25, a. III, c. 411, f. 54.)

« .. *decano ecclesie de Roia, Ambianensis diocesis.* Dilectus filius .. abbas monasterii Lobiensis —. Dat. Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

2031 Viterbe, 12 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Richarii in Pontivo indulget, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, jure successionis aut alio quocumque justo titulo, exceptis rebus feodalibus, exigere, recipere ac retinere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 412, f. 54v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Richarii in Pontivo, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Ambianensis diocesis.* Devotionis vestre precibus inclinati, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, que personas liberas fratrum vestrorum ad monasterium vestrum, mundi relicta vanitate, convolantium et professionem facientium in eodem, jure successionis aut alio quocumque alio justo titulo, si remansissent in seculo contigissent, aut transferre in alios potuissent, exceptis rebus feudalibus, exigere, recipere ac retinere libere valeatis, consuetudine contraria, que corruptela censenda est potius, non obstante, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli (etc.) nostre concessionis etc. Datum Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

2032 Viterbe, 27 juin 1257.

Rectori et fratribus hospitalis pauperum Beatae Mariae Senensis per quinquennium indulget, ut ad exhibendas aliquas pecuniarias procurationes legatis et nuntiis Sedis Apostolicae, nisi fuerint cardinales sive de latere papae deputati, seu ad prestationem aliquarum exactionum ab ipsis imponendarum compelli non possint. (Reg. 25, a. III, c. 413, f. 54v.)

« ... *rectori et fratribus hospitalis pauperum Beate Marie Senensis.* Quanto devotius circa pauperes —. Dat. Viterbii, V kalendas julii, anno tertio. »

2033 Viterbe, 27 juin 1257.

Eisdem facultatem construendi capellam in hospitali et capellanum proprium habendi, ab episcopo Senensi concessam, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 414, f. 54v.)

« *Eisdem.* Justis petentium desideriis etc. usque : complere. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, venerabilis frater noster.. episcopus Senensis, cui hospitale vestrum immediate subest, construendi capellam in eodem hospitali et habendi capellanum proprium in eodem, qui vobis et infirmis ibidem degentibus divina officia celebret et ministret vobis ecclesiastica sacramenta, pia et provida deliberatione, liberam concesserit facultatem, prout in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur : nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo pie ac provide factum est in hac parte ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem instrumenti ejusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est :

Sienne, 6 septembre 1252.

« In Dei nomine. Amen. Anno Domini M.CC.LII, « indictione XI, VIII idus septembris. Hujus publici « instrumenti serie cunctis evidenter appareat, quod do- « minus Bonfilius episcopus Senensis dedit et concessit « plenam auctoritatem, licentiam et potestatem domino « Rainerio, rectori hospitalis Sancte Marie de Senis, « ante gradus majoris ecclesie recipienti, nomine et « vice dicti hospitalis, pauperum et infirmorum in eo « existentium, hedificandi et construendi ecclesiam « sive oratorium in dicto hospitali et ejus continibus, « ubi sibi melius videretur esse conveniens, et dedit, « tradidit et concessit, et vices suas eidem domino « Rainerio commisit, et concessit unum lapidem qua- « dratum, quem signavit et benedixit et videbatur « marmoreus, ad hedificationem dicte ecclesie, et « proprium capellanum, quem voluisset, ibi habere et « retinere concessit, ad celebrandum divinum officium « et penitentias dandas et communionem predictis

« personis existentibus in memorato hospitali. Actum « Senis, in sala dicti domini episcopi, coram domino « Bonifatio Bonsignioris, qui moratur in curia domini « pape, et domino Guidone domini Rolandi Malevolte « rogatis et vocatis testibus. Et ego Ild. notarius hiis « omnibus interfui et subscripsi rogatus. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, V kalendas julii, anno tertio. »

2034 Viterbe, 25 juin 1257.

Magistro Bertrando confirmat investituram canonicatus ecclesiae S. Aredii, ei a Joanne tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali concessam. Reg. 25, a. III, c. 415[1], f. 54v.

« *Magistro Bertrando canonico ecclesie Sancti Aredii, Lemovicensis diocesis.* Justis petentium etc. usque : complere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod Thomas de Fonte quondam canonicus ecclesie Sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, canonicatum et prebendam, que in ipsa obtinuerat ecclesia, libere resignare intendens, resignandi ea suo nomine in manibus nostris tibi plenum et speciale mandatum per patentes litteras suas concessit, ac dilectus filius noster J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis, cujus capellanus existis, concessa sibi viva voce a nobis facultate recipiendi a te resignationem eorumdem canonicatus et prebende, ipsaque conferendi cuicumque idonee persone vellet, receptaque a te resignatione hujusmodi, tibi, cujus probitas et conversatio laudabilis te ipsi notum et acceptum reddiderant, canonicatum et prebendam eosdem contulit, ac te investivit de illis, decernens irritum et inane quicquid de ipsis contra concessionem et investituram hujusmodi contingeret attemptari, prout in ipsius cardinalis litteris confectis exinde ac suo sigillo munitis plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum inseri presentibus facientes, qui talis est :

15 juin 1257.

« Frater J. miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis discreto viro magistro Bertrando carissimo capellano nostro, canonico Sancti Aredii ac rectori ecclesie Sancti Silvestri, « Lemovicensis diocesis, salutem in Domino. Cum « Thomas de Fonte tunc ecclesie Sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, canonicus, locum et prebendam, « que in eadem retinebat ecclesia, resignare intendens, « nobis resignandi ea in manibus domini pape per « suas concessisset patentes litteras suo sigillo munitas « plenum et speciale mandatum, idem dominus recipiendi a nobis vice ipsius resignationem hujusmodi « ac conferendi eosdem canonicatum et prebendam « cuicumque persone ydonee vellemus, plenam nobis « concessit ac liberam vive vocis oraculo facultatem, « propter quod de manibus nostris hujusmodi loci « canonicatus et prebende nomine dicti Thome liberam resignationem recepimus, et, de speciali « mandato et auctoritate ipsius domini pape, eos cum « omnibus juribus et pertinentiis suis vobis, quorum « nobis nota est probitas et conversatio manifesta, « conferimus, et vos de ipsis per nostrum anulum « presentialiter investimus, decernentes irritum et « inane quicquid de loco, canonicatu et prebenda hujusmodi contra collationem et investituram easdem « contigerit apostolica vel alia auctoritate qualibet « attemptari, non obstante statuto ipsius ecclesie de « certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apostolice aut alia qualibet firmitate vallato, aut si aliqui in eadem ecclesia apostolica vel alia quavis sint auctoritate recepti, vel ut « recipiantur insistant, quibus quoad alias prebendas « et loca nullum prejudicium generetur, seu quavis « consuetudine contraria ecclesie supradicte, aut « quacumque dicte Sedis indulgentia cujusvis tenoris « fuerit, etiamsi de ipsa plenam et expressam et de « verbo ad verbum oporteret fieri mentionem. Et in « testimonium premissorum vobis concedimus presentes « litteras sigilli nostri munimine consignatas. Dat. « idibus julii, anno Domini M.CC. LVII.

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, VII kalendas julii, anno tertio. »

2035 Viterbe, 25 juin 1257.

Officiali Lemovicensi mandat, quatenus dictum magistrum Bertrandum in corporalem possessionem dictorum canonicatus et praebendae inducat et defendat inductum. Reg. 25, a. III, c. 415[2], f. 55.

« .. *officiali Lemovicensi.* Petitio dilecti filii —. Datum ut supra. »

2036 Viterbe, 18 juin 1257.

Benedicto episcopo Strigoniensi, largiendi omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ejus missas sollempniter celebratas accesserint, quadraginta dierum indulgentiam, concedit facultatem. (Reg. 25, a. III, c. 416, f. 55; Potthast 16893.)

« *Benedicto episcopo Strigoniensi.* Cupientes fideles Christi —. Dat. Viterbii, XIII kal. julii, anno tertio. »

2037 Viterbe, 27 juin 1257.

Universos Christi fideles monet, ut nuntios fratrum hospitalis pauperum Beatae Mariae Senensis benigne recipiant et honeste tractent, subsidia et elemosynas conferentes; omnibus autem, qui de facultatibus suis ipsis subvenerint et in tam sancta fraternitate se collegas statuerint eisque beneficia praestiterint annuatim, septimam partem injunctae paenitentiae relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 417, f. 55; Potthast 16907.)

« *Universis Christi fidelibus ad quos littere iste pervenerint.* Si juxta sententiam sapientis inter tempus seminandi discernimus et metendi, seminare debemus in terris, quod cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, facientes nobis de mammona iniquitatis amicos, qui, cum defecerimus, in eterna tabernacula nos admittant; sic enim thesaurizamus nobis thesauros in celo ubi fures non effodiunt nec furantur, sic terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutamus. Licet autem indigentibus universis aperire teneamur viscera caritatis, illis tamen specialius et habundantius quodam modo liberalitatis debeamus gratiam exhibere, qui cum sint pauperes spiritu, sponte subeunt onera paupertatis, ut pauperibus possint copiosius subvenire, dum tamquam nichil habentes et omnia possidentes, velut penuriam pati et habundare didicerint, habundant pauperibus, sibi egent et in se aliorum egestatem assumunt, ut ex indigentia liberali liberalius ministrent hospitibus et egenis. Hoc vero quamvis multi laudabiliter exequantur, illi tamen student laudabilius adimplere, qui hospitalitati vacantes non solum recipiunt hospites sed et trahunt illud propheticum exequentes : frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam ; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Hii enim, cum pascunt esurientes, sitientes potant, colligunt hospites, nudos vestiunt, et non solum infirmos visitant, sed eorum in se infirmitates assumunt, ministrant in carcere positis et quibus in infirmitate participant, communicant in sepultura defunctis, illa omnia exequuntur, propter que Domino in ultimo districtionis examine remuneraturum se bonos et malos asserit puniturum. Cum igitur dilecti filii.. rector et fratres hospitalis pauperum Beate Marie Senensis ad hoc totis viribus elaborent et undique confluentium egenorum pariter et egrorum necessitatibus se exponant, monemus universitatem vestram et hortamur in Domino, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatinus, ut cooperatores sitis operum pietatis, accedentes ad vos eorum nuncios benigne recipere ac honeste tractare curetis, eis grata subsidia et pias elemosinas conferentes, ut quod pauperibus contuleritis per manus eorum in terris, vobis per manus pauperum thesaurizetis in celis, cum apostolo sentientes, quoniam qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate, ac ea, quam nobis indulsit Dominus, potestate confisi, omnibus, qui de facultatibus suis ipsis subvenerint, et in tam sancta fraternitate statuerint se collegas eisque beneficia prestiterint, annuatim septimam partem injuncte penitentie relaxamus, auctoritate apostolica statuentes, ut hiis qui eorum firmitatem assumpserint, si ecclesie ad quas pertinent fuerint interdicte, ipsosque mori contigerit, nisi excommunicati vel nominatim interdicti fuerint aut etiam publici usurarii, sepultura ecclesiastica non negetur. Receptores quoque fraternitatis et collectarum ipsarum, salvo jure dominorum suorum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut, si qui fratrum ipsorum, qui ad easdem fraternitates missi fuerint vel collectas, in quamlibet civitatem, castellum vel vicum interdictum advenerint, in eorum jocundo adventu, semel aperiantur ecclesie annuatim, et excommunicatis et nominatim interdictis ejectis, divina ibi officia celebrentur, ut super elemosinis acquirendis verbum exhortationis ad populum proponatur, salva in omnibus supradictis declaratione concilii generalis. Date igitur elemosinam, ut omnia munda sint vobis, quoniam elemosina a morte liberat et ipsa est, que purgat peccata et facit invenire vitam eternam, quia sicut aqua ignem ardentem extinguit,

sio elemosina peccato resistit. Datum Viterbii, V kalendas julii, anno tertio. »

2038 Viterbe, 3 juillet 1257.

Guardianis et fratribus ordinis Minorum Neapolitanis indulget, ut, in missarum solemniis, sacerdos et alii ministri altaris ipsius ordinis, sericis indumentis, infra ecclesiam, libere, prout moris est, uti valeant, non obstante statuto contrario ejusdem ordinis. (Reg. 25, a. III, c. 418, f. 55v; Potthast 16912.)

« *Guardianis et fratribus ordinis Minorum Neapolitanis.* Locis pia religione —. Dat. Viterbii, V nonas julii, anno tertio. »

2039 Viterbe, 19 juin 1257.

Roberto de Chaury, indulget, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, dignitatem episcopalem suscipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 419, f. 55v.)

« *Roberto de Chaury, archidiacono Bathoniensi.* Ex parte tua —. Dat. Viterbii, XIII kal. julii, anno tertio. »

2040 Viterbe, 4 juillet 1257.

Magistro Radulfo de Teylloel, precibus Ysabellae comitissae Norfolciae, amitae regis Scotiae, cujus idem Radulfus clericus existit, indulget, ut praeter beneficia, quae ab Innocentio IV obtinuit, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 420, f. 55v.)

« *Magistro Radulfo de Teylloel, rectori ecclesie de Comboc, Karleolensis diocesis.* Apostolice munificentie bonitas —. Dat. Viterbii, IV nonas julii, anno tertio. »

2041 Viterbe, 3 juillet 1257.

Cum Michaele praeposito ecclesiae Sistaricensis, dispensat, ut cum dicta praepositura archidiaconatum Vapincensem, cujus redditus valorem quindecim librarum Turonensium non excedunt, retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 421, f. 56.)

« *Michaeli preposito ecclesie Sistaricensis.* Etsi propter ambitiones quorumdam —. Dat. Viterbii, V nonas julii, anno tertio. »

2042 Viterbe, 17 juin 1257.

Benedicto archiepiscopo Strigoniensi concedit facultatem dandi indulgentiam unius anni omnibus vere paenitentibus et confessis in solemnitate sancti Adalberti, cujus ecclesia Strigoniensis est insignita vocabulo, ac festivitatibus Nativitatis et Resurrectionis Domini. (Reg. 25, a. III, c. 422, f. 56; Potthast 16892.)

« *Benedicto archiepiscopo Strigoniensi.* Exigentibus tue devotionis —. Dat. Viterbii, XV kal. julii, anno tertio. »

2043 Viterbe, 9 juin 1257.

Episcopo Torcellano mandat, quatenus Mathaeum de Sancto Cassiano, effectu sententiae a magistro Jacobo Falconario latae, quiete ac pacifice gaudere permittat. (Reg. 25, a. III, c. 423[1], f. 56.)

« .. *episcopo Torcellano.* Sua nobis dilectus filius Matheus de Sancto Cassiano presbiter peticione monstravit, quod, cum in causa, que inter ipsum ex parte una, et Marinum Danduli clericum de Venetiis ac clericos ecclesie Sancte Marie de Murianis, Torcellane diocesis, super eo quod ipsi dictum Matheum jamdicta ecclesia, quam auctoritate apostolica fuerat canonice assecutus et aliquandiu possederat, contra justitiam spoliarunt, ex altera, vertebatur, primo venerabilem fratrem nostrum M. Bracharensem archiepiscopum, tunc capellanum nostrum, ac inter suum et adverse partis procuratores tunc presentes, lite legitime contestata, juramento hinc inde de veritate dicenda prestito, factis positionibus et responsionibus subsecutis, receptis testibus et eorum attestationibus publicatis, assumptis exinde rubricis et examinatis etiam diligenter, postmodum magistros Bernardum Ispanum, ac ipso se ad partes alias transferente, Jacobum Falconarium capellanos nostros dederimus partibus auditores. Demum idem magister Jacobus, cognitis ipsius cause meritis et juris ordine observato, facta quoque de hiis relatione coram dilecto filio nostro M. Sancti Angeli diacono cardinali, et a nobis licentia pronuntiandi recepta, dicto procuratore suo presente, ac prefato alterius partis procuratore citato pluries in audientia publica se per contumaciam absentante, nec aliquo alio pro eadem parte altera comparente, dictum Marinum ad restituendum eidem presbitero eandem ecclesiam cum fructibus, obventionibus et proventibus exinde medio tempore perceptis, ac eundem cum dicto presbitero in certa summa pecunie pro expensis in lite factis taxatione prehabita, juramento a dicto procuratore suo

super hoc prestito, sententialiter condempnavit, prefatis clericis ecclesie Sancte Marie ab impetitione dicti presbiteri seu procuratoris ipsius super premissis nichilominus absolutis, prout in patentibus litteris confectis exinde ac sigillo ejusdem magistri Jacobi signatis, plenius continetur. Nos ipsius presbiteri supplicationibus inclinati, sententiam et condempnationem hujusmodi provide latas, ratas et firmas habentes, eas per nostras litteras duximus confirmandas, dilecto filio Almerico canonico Ravennatensi sibi super hoc executore concesso. Verum tu et dictus Marinus, ut ipsum Matheum sua in hac parte justitia et effectu fraudaretis sententie supradicte, proventus nominate ecclesie inter vos, prout asseritur, divisistis in ipsius prejudicium et gravamen. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, divisionem revocans supradictam, ipsum Matheum effectu predicte sententie quiete ac pacifice gaudere permittas, ita quod devotionis tue promptitudinem non immerito commendemus, et non cogamur ipsi M. contra te super hoc aliter providere. Datum Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

2044 Viterbe, 9 juin 1257.

Nobilem virum ducem et consilium Venetorum rogat, quatenus Almerico canonico Ravennatensi, ad exequendum apostolicum in hac parte mandatum, debitum auxilium impendant. (Reg. 25, a. III, c. 423[2], f. 56.)

« *Nobili viro ... duci et consilio Venetorum.* Sua nobis dilectus filius Matheus de Sancto Cassiano —. Dat. ut supra. »

2045 Viterbe, 9 juillet 1257.

Episcopo Roffensi mandat, quatenus cum Michaele de Fienles canonico Morinensi, cancellario Edwardi primogeniti regis Angliae dispenset, juxta continentiam Innocentii IV litterarum, quibus Parisiensi episcopo concesserat facultatem dispensandi cum eo, ut praeter beneficia, quae obtinebat, unum aliud recipere posset. (Reg. 25, a. III, c. 424, f. 56v.)

« .. *episcopo Roffensi.* Morum et generis nobilitate —. Dat. Viterbii, VII idus julii, anno tertio. »

2046 Viterbe, 9 juillet 1257.

Joanni de Houssora, canonico ecclesiae Beati Petri Insulensis indulget, ut residens in dicta ecclesia, in qua per octo menses singulis annis, residere tenetur, libere medio tempore praebendam in ecclesia de Alingethun retinere et fructus ejus integre percipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 425, f. 56v.)

« *Johanni de Houssora, canonico ecclesie Beati Petri Insulensis, Tornacensis diocesis, nuntio cancellarii nobilissimi viri Edwardi primogeniti.. regis Anglorum illustris.* Personam tuam —. Dat. ut supra. »

2047 Viterbe, 20 mai 1257.

Episcopo, decano et capitulo Lingonensibus mandat, quatenus magistrum Constantium canonicum ecclesiae S. Trinitatis Cathalaunensis in canonicum recipientes, ei de beneficio providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 426, f. 56v.)

« .. *episcopo.. decano et capitulo Lingonensibus.* Hiis qui moribus —. Dat. Viterbii, XIII kal. junii, anno tertio. »

2048 Viterbe, 8 juin 1257.

Archiepiscopo Ragusiensi, Venetiis commoranti, priori S. Georgii de Alego, Castellanae diocesis, et Andreae Casini, canonico ecclesiae Castellanae, mandat quatenus sententiam pro Mathaeo de S. Cassiano presbytero, contra Marinum Danduli clericum de Venetiis et episcopum Torcellanum latam exequantur. (Reg. 25, a. III, c. 427, f. 56v; Potthast 16872.)

« .. *archiepiscopo Ragusiensi, Venetiis commoranti, priori Sancti Georgii de Alego, Castellane diocesis, et Andree Casini canonico ecclesie Castellane.* Sua nobis dilectus filius —. Dat. Viterbii, VI idus junii, anno tertio. »

2049 Viterbe, 5 juillet 1257.

Praeposito ecclesiae Nemausensis, conferendi dignitates, personatus, administrationes et ecclesias personis idoneis et in ecclesiis, in quibus eis duxerit providendum, residere paratis, plenam concedit facultatem. (Reg. 25, a. III, c. 428, f. 56v.)

« .. *preposito ecclesie Nemausensis capellano nostro.* Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli canonici Nemausensis ecclesie, ordinis Sancti Augustini, et alii super provisione sibi facienda de aliqua dignitate, personatu, administratione vel

ecclesia canonicis ejusdem ecclesie conferri solita, diversas Apostolice Sedis litteras impetrarunt, aliqui vero ex eis ab eadem Sede sibi obtinuere concedi, ut una cum dignitate, personatu vel amministratione aut ecclesia, quam ab ecclesia supradicta tenent, unicum alium personatum, dignitatem vel amministrationem seu ecclesiam, si eis offerri contigerit, libere recipere valeant, ac licite retinere, quarum litterarum et concessionum pretextu, ejusdem ecclesie Nemausensis dignitatum, personatuum, administrationum et ecclesiarum regularis et solita ordinatio aliquando impeditur : super quo provideri per Sedem Apostolicam postulasti. Nos igitur eidem ecclesie super hiis volentes apostolice providentie remedio subvenire, tuis supplicationibus inclinati, conferendi dignitates, personatus, amministrationes et ecclesias supradictas personis ydoneis, et in ecclesiis, in quibus eis duxeris providendum, residere paratis, prout ad te pertinet, predictis litteris et concessionibus seu etiam confirmationibus super hiis ab eadem Sede obtentis nequaquam obstantibus, etiamsi de illis plenam et expressam mentionem fieri oporteat, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Viterbii, III nonas julii, anno tertio. »

2050 Viterbe, 13 juin 1257.

Abbati S. Wulmari in Bolonia mandat, quatenus ad provisionem Michaelis de Fienles, canonici Morinensis, cancellarii Edwardi primogeniti Anglorum regis, in cathedrali et S. Audomari ecclesiis procedat, juxta continentiam litterarum Innocentii quondam papae et mandati eidem jam facti. (Reg. 25, a. III, c. 429, f. 57.)

« .. *abbati S. Wulmari in Bolonia, ordinis S. Augustini, Morinensis diocesis.* Exposita coram nobis —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

2051 Viterbe, 27 juin 1257.

Archiepiscopo, decano et capitulo Tuamensibus mandat, quatenus magistrum Thomam, archidiaconum Aladensem in canonicum recipi faciant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 430, f. 57.)

« .. *archiepiscopo .. decano et capitulo Thuamensibus.* Credentes vos illa —. Dat. Viterbii, V kal. julii, anno tertio. »

2052 Viterbe, 7 juillet 1257.

Magistro Bernardo de Olorda, canonico Barchinonensi, indulget, ut praeter alia beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 431, f. 57.)

« *Magistro Bernardo de Olorda doctori decretorum, canonico Barchinonensi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2053 Viterbe, 17 juin 1257.

Confirmat collationem ecclesiae Malbodiensis, Johanni de Logia, pauperi clerico, factam a magistro Girardo de Alba Marla, Cameracensi canonico, vices episcopi Cameracensis praestanti. (Reg. 25, a. III, c. 432, f. 57.)[1]

« *Johanni de Logia rectori ecclesie parrochialis Malbodiensis, Cameracensis diocesis.* Justis petentium —. Dat Viterbii, XV kal. julii, anno tertio. »

2054 Viterbe, 10 juillet 1257.

Priori et fratribus S. Trinitatis de Campagniola ecclesiae Romanae immediate subjectis litteras Gregorii IX confirmans, indulget, quod ad subventiones vel exactiones aliquas seu collectas quavis auctoritate impositas seu etiam imponendas ex quacumque causa persolvendas, minime teneantur, nec ad id compelli possint etiam per litteras apostolicas, nisi plenam et expressam fecerint de indulto hujusmodi mentionem. (Reg. 25, a. III, c. 483, f. 57v.)

« .. *priori et fratribus S. Trinitatis de Campagniola, ordinis S. Augustini, Regine diocesis.* Ad paupertatis vestre remedium —. Dat. Viterbii, VI idus julii, anno tertio. »

2055 Viterbe, 7 juillet 1257.

(Benedicto archiepiscopo Strigoniensi indulget, ut per litteras in forma commissionis vel executionis, super quibuscumque rebus ab Apostolica Sede obtentas vel obtinendas, coram Zagrabiensi episcopo, cum ipsum habeat certa ratione suspectum, conveniri non valeat, nec respondere teneatur invitus. (Reg. 25, a. III, c. 484, f. 57v; Potthast 16917.)

« .. *archiepiscopo Strigoniensi.* Obtentu precum dilecti filii Nicolai camerarii nostri, specialem persone tue gratiam facientes, auctoritate tibi presentium

1. Par suite d'une erreur du scribe, on passe du numéro 432 au numéro 483. Puis la numérotation continue régulièrement.

indulgemus, ut per litteras in forma commissionis vel executionis seu conservationis, super quibusdam rebus, ab Apostolica Sede obtentas vel obtinendas, que de hoc indulto expressam non facerent mentionem, coram venerabili fratre nostro .. Zagabriensi episcopo, cum ipsum habeas, ut asseris, certa ratione suspectum, conveniri non valeas, nec respondere tenearis invitus. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2056 Viterbe, 27 juin 1257.

Abbati Aroasiae ipsiusque coabbatibus et conventibus universis ordinis Aroasiae confirmat ordinationem, quam O[ddo] Tusculanus episcopus, J[oannes] S. Laurentii in Lucina et H[ugo] S. Sabinae presbyteri cardinales, obtenta a Sede Apostolica plenaria potestate, super esu carnium in refectoriis et extra, fecerunt. (Reg. 25, a. III, c. 485, f. 57v; Potthast 16908.)

« .. *abbati Aroasiae ipsiusque coabbatibus et conventibus universis ejusdem Arroasie.* Illa salubris est et apostolico digna favore decisio jurgiorum, que intervenit pace mutua inter partes, vel pacificis intercedentibus honeste conciliat dissidentes; per hanc enim sincerius convalescit caritas vulnerata litigio et dispositioni, ad quam consensu quisque ducitur, libentius acquiescit. Sane, cum tu, fili abbas, et diffinitores tui ordinis duxissetis super statuto de esu carnium in refectorio auctoritate apostolica ordinandum, ut conventus quilibet dicti ordinis ter in ebdomada carnibus in refectoriis vesci possent, mutandi, corrigendi et addendi reservata nobis nichilominus potestate, dilecti filii .. Sancti Leodegarii, .. Sancti Crispini in Cavea Suessionensis, .. Sancti Eligii Fontis, .. de Castellione, et .. de Castritiis abbates eorumque conventus et alii adherentes eisdem prefati ordinis metuentes ordinationem ipsam per reservationem hujusmodi posse in deterius immutari, orta super hoc inter te, abbas, et diffinitores ipsos ex parte una, et eosdem abbates et conventus ac adherentes ex altera, materia questionis, ad Sedem Apostolicam recurrerunt. Porro venerabilis frater noster O. Tusculanus episcopus et dilecti filii nostri J. tituli Sancti Laurentii in Lucina et H. tituli Sancte Sabine miseratione divina presbiteri cardinales pacis et concordie vestri ordinis amatores, attendentes quod caritas vestra hujusmodi poterat sauciari dissidio, et ordo ipse irreparabilem subire scissuram, obtenta ordinandi super hoc pro toto eodem ordine a nobis vive vocis oraculo plenaria potestate, hujusmodi potestatis auctoritate, de consensu et voluntate procuratorum partium, in hac parte provide et salubriter ordinarunt, prout in litteris inde confectis et ipsorum episcopi et cardinalium sigillis munitis, quarum tenorem presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius perspeximus contineri. Nos igitur, quod super hoc ab eisdem episcopo et cardinalibus factum est ratum et firmum habentes, ac defectum, si quis in eo ex quacumque causa extitit, supplentes de plenitudine potestatis vobisque nichilominus ne contra ordinationem ipsam futuris venire temporibus quomodolibet valeatis, perpetuum silentium imponentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis est :

Viterbe, 23 juin 1257.

« Universis presentes litteras inspecturis Oddo « Tusculanus episcopus, fratres J. tituli Sancti Lau- « rentii in Lucina et H. tituli Sancte Sabine misera- « tione divina presbiteri cardinales, salutem in Do- « mino. Universitati vestre significamus, quod, cum « inter abbatem Aroasie et ejusdem ordinis diffinitores « ex una parte, ac .. Sancti Leodegarii, .. Sancti Cris- « pini in Cavea Suessionensis, .. Sancti Eligii Fontis, « .. de Castellione, .. de Castriciis abbates et eorum con- « ventus ordinis Aroasiae ex altera, super statuto de « esu carnium in refectorio, verteretur materia ques- « tionis, eo videlicet quod abbas Aroasie et diffinitores « predicti, auctoritate cujusdam littere, quam a Sede « Apostolica obtinuerant, super hoc ordinarunt, ut[1] « conventus dicti ordinis ter in ebdomada carnibus « in refectoriis vesci possent, mutandi, corrigendi et « addendi retinentes sibi nichilominus potestatem, « super retentione quoque antedicta metuentes pre- « dicti Suessionenses et alii sibi adherentes, ne abba- « tis Arroasie ac diffinitorum ipsorum ordinatio in « deterius mutaretur, ad Sedem duxerunt Apostolicam « recurrendum. Perpendentes itaque quod discordia « hujusmodi cedere poterat in plurimorum scandalum, « ac non modicam non solum predictorum, verum « etiam totius ordinis lesionem, dictarum partium

1. *Ms.* : et.

« procuratoribus impetrare altero contra alterum « mutuo satagentibus convocatis personaliter coram « nobis, obtenta primitus a domino papa ordinandi « super hoc inter partes pro universo ordine plenaria « potestate, ipsos ad hoc induximus, ut de eorum « voluntate et assensu, auctoritate domini pape « previa, super ordinatione hujusmodi pro communi « utilitate totius ordinis duratura perpetuo tractare- « mus. Quibus presentibus et consentientibus, eadem « auctoritate pape, insolentias, que circa esum car- « nium in cameris fieri primitus dicebantur, ordina- « vimus in hunc modum, quod omnes conventus dicti « ordinis cotidie in refectoriis comedant, et tribus « diebus in ebdomada, esclusis laicis secularibus, ves- « cantur semel in die carnibus in eisdem. Singuli « vero abbates ipsius ordinis in dedicatione ecclesie « sue, in festo sancti Augustini, in majoribus festis « sanctorum propriorum, in quorum honore ipsorum « monasteria sunt fundata, possint superaddere quar- « tum diem, singularibus etiam canonicis et conversis « possint per se vel per alium dare licentiam extra « refectoria commedendi, quotiens viderint expedire. « Nolumus autem, quod per predictam ordinationem « abbati Aroasie aut aliis abbatibus et conventibus « ejusdem ordinis in aliis capitulis in hac ordinatione « non contentis, aliquod prejudicium generetur, neve « igitur ordinatio hujusmodi propter procuratorum « ipsorum insufficientiam mandatorum, aut suspen- « sionis vel excommunicationis sententie objectum « sive exceptionem aliam patiatur aliquam calump- « niam in futurum, nos a domino Papa obtinuimus, ut « defectum ipsum et insufficientiam misericorditer « adimpleret, personis dicti ordinis imponendo perpe- « tuum silentium, ne contra ordinationem ipsam au- « deant aliquid futuris temporibus attemptare. In « cujus rei testimonium et perpetuam firmitatem, « presentes litteras fieri fecimus et nostrorum sigil- « lorum munimine roborari. Datum Viterbii, anno « Domini M°. CC°. LVII, mense junio, in vigilia beati « Johannis Baptiste, pontificatus domini Alexandri « pape IIII, anno tertio. »

« Nulli [etc.] nostre suppletionis et confirmationis etc. Datum Viterbii, V kalendas julii, anno tertio. »

2057 Viterbe, 17 juin 1257.

H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali plenam potestatem ordinandi, statuendi ac disponendi in quadam causa inter episcopum [Eduensem] ac abbatem et conventum monasterii S. Martini Eduensis concedit. (Reg. 25, a. III, c. 486, f. 58.)

Fratri H. tituli Sancte Sabine presbitero cardinali. Causam, que inter venerabilem fratrem nostrum.. episcopum [Eduensem] ex parte una, et dilectos filios.. abbatem et conventum monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti Benedicti ex altera, super subjectione et exemptione ipsius monasterii ac rebus aliis vertitur, dilecto filio nostro J. Sancti Laurentii in Lucina presbitero cardinali duximus committendam. Cum autem, sicut.. episcopus,.. abbas et conventus predicti nobis exponere curaverunt, tu, ipsos pari zelo prosequens caritatis, eos supersedere prosecutioni hujusmodi cause occasione tractande concordie per biennium et amplius procuraris, et interim inter se diversos de concordia excogitare tractatus, eedemque partes plenam de te ac indubitatam fiduciam habeant, quod per tue discretionis industriam inter se super premissis, tuis studiis mediantibus, interveniat bonum pacis, nos, ipsarum partium supplicationibus inclinati, ordinandi, statuendi ac disponendi inter ipsas super premissis, que utilitati partium expedire videris, plenam tibi auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum Viterbii, XV kalendas julii, anno tertio. »

2058 Viterbe, 5 juillet 1257.

Abbati et conventui monasterii Sanctae Mariae Montis Virginis, Avellinensis dioecesis, confirmat licentiam, ab O[ctaviano] S. Mariae in Via Lata diacono cardinali concessam, construendi duo oratoria et cimiteria habendi pro sepeliendis dicti monasterii personis. (Reg. 25, a. III, c. 487, f. 58.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, Avellinensis diocesis.* Porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat, quod dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, vobis quod in certis locis oratoria duo possetis construere ac in eis habere tintinnabula et cimiteria pro personis vestri monasterii sepeliendis ibidem, sine lesione juris alterius, sue legationis auctoritate concessit, prout in litteris inde confectis et ipsius cardinalis sigillo munitis plenius continetur. Nos igitur vestris precibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum

habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Aversa, 24 décembre 1255.

« Octavianus miseratione divina Sancte Marie in Via « Lata diaconus cardinalis, Apostolice Sedis legatus, « viris religiosis dilectis sibi in Christo.. venerabili « abbati et conventui monasterii Sancte Marie Montis « Virginis, ordinis Sancti Benedicti, Avellinensis dio- « cesis, salutem in Domino. Favor, qui religioni vestre « debetur, et devotionis vestre sinceritas nos inducunt, « ut quantum cum Deo possumus votis vestris favora- « biliter annuamus. Pro parte siquidem vestra fuit « nobis humiliter supplicatum, quod, cum habeatis « quasdam domos et possessiones intus Capuam, in « parrochia Omnium Sanctorum, et extra civitatem « in loco ubi dicitur Urticellis, quas vir nobilis Gual- « terius de Cicala titulo locationis a monasterio vestro « tenet, nec in domibus ac possessionibus ipsis « oratoria habeantur, ubi monachi vestri Domino « laudes reddere valeant sicut decet, duo oratoria, « unum scilicet in dictis domibus et aliud in posses- « sionibus antedictis, construendi vobis licentiam « largiremur, ac concederemus vobis in eis cimiteria « pro sepeliendis ibidem monasterii vestri monachis, « familiaribus et oblatis, et ut duo tintinnabula in « eisdem oratoriis habere possetis. Nos igitur, suppli- « cationibus vestris in hac parte benignius inclinati, « ut in eisdem domibus vestris oratorium unum et in « dictis possessionibus vestris oratorium alterum « construere et cimiteria in eis pro monachis monas- « terii vestri, familiaribus et oblatis, qui vestro ordini « sint astricti, sepeliendis ibidem, ac unum tintinna- « bulum in quolibet eorumdem habere possitis, dum « tamen non admittatis populum in eisdem, auctori- « tate qua fungimur concedimus vobis de gratia spe- « ciali, ita videlicet quod alicujus jura exinde non le- « dantur. Nulli ergo omnino nostre confirmationis, etc. « usque : indignationem Apostolice Sedis se noverit « incursurum. Datum Averse, VIIII kalendas januarii, « pontificatus domini Alexandri pape IIII, anno « secundo. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, III nonas julii, anno tertio. »

2059 Viterbe, 7 juillet 1257.

Confirmat litteras O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, per quas Thomasius, monasterii Montis Virginis monachus, in abbatem monasterii S. Gabrielis de Airola praeficitur. (Reg. 25, n. 111, c. 488, f. 58v.)

« *Fratri Thomasio abbati monasterii Sancti Gabrielis de Airola, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Sancte Agathensis diocesis.* Hiis que fiunt nostri auctoritate mandati, ut semper firma et illibata permaneant, libenter addicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod dilectus filius noster, O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis te, tunc monachum monasterii Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, Avellinensis diocesis, in abbatem monasterii Sancti Gabrielis de Airola tunc abbatis regimine destituti, de speciali mandato nostro prefecit, curam et administrationem ipsius spiritualiter et temporaliter tibi committens, ac mandans de omnibus ejusdem monasterii juribus plenarie responderi, prout in litteris inde confectis et ipsius cardinalis sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad vestrum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Viterbe, 5 juillet 1257.

« Octavianus miseratione divina Sancte Marie in « Via Lata diaconus cardinalis, religioso viro fratri « Thomasio abbati monasterii Sancti Gabrielis de « Airola, ad Romanam Ecclesiam nullo medio perti- « nentis, ordinis Sancti Benedicti, Sancte Agathensis « diocesis, salutem in Domino. Intellecto nuper do- « minus papa, quod monasterium Sancti Gabrielis de « Airola esset abbatis regimine destitutum et ipsius « provisio ad Sedem Apostolicam devoluta, demum « ordinationem seu provisionem ejusdem monasterii « nobis commisit oraculo vive vocis. Nos vero, ne « monasterium ipsum, propter vacationem diutinam « grave incurreret detrimentum, te quondam mona- « chum monasterii Montis Virginis, ordinis Sancti « Benedicti, Avellinensis diocesis, de cujus industria « plenam in Domino fiduciam obtinemus, de speciali « mandato ipsius domini pape, dicto monasterio

« Sancti Gabrielis de Airola prefecimus in abbatem, « et de ipso per nostrum pilleum investimus, curam « et administrationem ejusdem tibi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, committentes ac man« dantes ab ipsius monasterii subditis exhiberi tibi « obedientiam et reverentiam debitam, et de suis « juribus plenarie responderi, in contradictores, si « qui fuerint, vel rebelles excommunicationis senten« tiam promulgando. In cujus rei testimonium, presens « publicum instrumentum scribi et nostro sigillo man« davimus communiri. Actum Viterbii in ospitio dicti « domini cardinalis, coram venerabili patre A., Dei « gratia episcopo Humanatensi, fratre Gregorio de « ordine Predicatorum et magistro Marino de Gaieta, « capellano ipsius domini cardinalis, presentibus tes« tibus, anno Domini M. CC. LVII, IIII nonas julii, XV « indictione, pontificatus domini Alexandri pape IIII, « anno tertio. Ego Radulphus de Podiobonizi, impe« riali auctoritate notarius publicus, suprascriptis « interfui, et ea de mandato dicti domini cardinalis « scripsi et publicavi. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2060 Viterbe, 11 juillet 1257.

Episcopo Lemovicensi mandat, quatenus Raynulpho Arnaldi pauperi clerico Lemovicensis dioecesis, qui nullum beneficium est assecutus, de beneficio competenti providere curet. (REG. 25, a. III, c. 489, f. 58.)

« .. *episcopo Lemovicensi*. Ex parte dilecti filii —. Dat. Viterbii, V idus julii, anno tertio. »

2061 Viterbe, 4 juillet 1257.

Confirmat sententiam ab Hugone Sanctae Sabinae presbytero cardinali latam in causa, quae inter abbatem et conventum monasterii Sancti Martini Eduensis ex una parte et episcopum Eduensem ex altera, vertebatur. (REG. 25, a. III, c. 490, f. 58v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti Benedicti*. Licet ea, que de mandato nostro presertim a fratribus nostris fiunt, plenam obtineant firmitatem, ut tamen illibata permaneant, cum nostro fuerint presidio communita, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane, petitio vestra nobis exhibita continebat, quod in causa, que inter vos ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum.. Eduensem episcopum ex altera, super eo, quod episcopus ipse in vobis et monasterio vestro visitationem, correctionem, procurationem, necnon alia jura episcopalia se dicebat habere, id vobis inficiantibus, vertebatur, dilectum filium nostrum J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiterum cardinalem dedimus procuratoribus partium auditorem, et tandem, ad earumdem partium instantiam, dilecto filio nostro H. tituli Sancte Sabine presbitero cardinali, ordinandi, statuendi et disponendi inter partes easdem super premissis, prout utilitati videret ipsarum partium expedire, plenam concessimus ac liberam potestatem. Idem igitur H. cardinalis, attendens magis expedire causam premissam per ordinationem providam quam judicii severitatem cum monasterii vestri ac ipsius episcopi et ecclesie sue dispendio terminari, de speciali mandato nostro, habito consilio sapientum, quedam ordinavit, statuit et disposuit, prout in litteris ejus inde confectis et suo sigillo munitis plenius continetur. Nos igitur, vestris postulationibus inclinati, quod per cardinalem ipsum in hac parte factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, defectum, si quis ibidem fuit, supplentes de plenitudine apostolice potestatis, dummodo aliis per hoc quam partibus nullum prejudicium generetur, ac tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Viterbe, 25 juin 1257.

« Universis presentes litteras inspecturis, frater « Hugo miseratione divina tituli Sancte Sabine pres« biter cardinalis, salutem et notitiam rei geste. « Humani generis inimicus zizania [...] in agro Domini « superseminare non cessans, non solum inter laicos « verum etiam inter ecclesiasticas personas callidi« tate astuta facit interdum contentiones et odia pul« lulare, ac litigia suscitari procurat, sicque questiones « et materia jurgiorum insurgunt et in judicium de« ducuntur. Expedit ergo, ut sano caritatis consilio « illius obvietur malitie, ac, resecatis causarum pro« lixitatibus, litibus finis celeriter imponatur. Sane « dudum inter venerabilem patrem.. episcopum ex una « parte, ac religiosos viros.. abbatem et conventum « monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti « Benedicti, ex altera, orta materia questionis, super « eo, quod idem episcopus in iisdem abbate ac mo-

« nasterio visitationem, correptionem, procura-« tionem necnon alia jura episcopalia se habere « dicebat, abbate et conventu eisdem inficiantibus « omnia supradicta dicto episcopo. Cum dominus « papa venerabili patri domino J. tituli Sancti Lau-« rentii in Lucina presbitero cardinali causam hujus-« modi commi si[s]set, deinde idem dominus ad suppli-« cationem partium ordinandi, statuendi ac disponendi « inter partes easdem super premissis, que utilitati « videremus ipsarum partium expedire, nobis plenam « concessit potestatem. Nos igitur, attendentes quod « magis expedit, ut causa premissa via ordinationis « provide, potius quam judicii severitate cum eccle-« siarum earundem partium dispendio terminetur, de « mandato domini pape, speciali habito concilio « sapientum, ordinamus, statuimus et disponimus, « quod, vacante pro tempore monasterio ipso, con-« ventus ejusdem post liberam electionem seu pos-« tulationem monachorum et conventus jamdicti « monasterii, electum seu postulatum in abbatem « ipsius monasterii presentare episcopo Eduensi, « qui pro tempore fuerit, teneatur, qui confirmabit « presentatum vel etiam infirmabit, secundum quod « de jure fuerit faciendum, et confirmato munus bene-« dictionis extra clausuram dicti monasterii impendet « in diocesi Eduensi. Benedictione autem recepta « abbas benedictus professionem faciet in ecclesia « Eduensi, secundum quod a sanctis patribus est sta-« tutum, hujusmodi ordinatione, statuto ac disposi-« tione nostris superius et inferius contentis nichilo-« minus semper salvis. Item ordinamus, statuimus « et disponimus, quod episcopus Eduensis, qui pro « tempore fuerit, uniuscujusque abbatis monasterii « jamdicti tempore una vice tantum post edictum « quindecim dierum, quando ei placuerit, inquirere, « visitare, corrigere et reformare in predicto monas-« terio possit ac debeat secundum canonicas sanc-« tiones, ita tamen quod abbas et monasterium « supradictum semel visitati ab episcopo visitante « vel a successoribus suis tempore ipsius abbatis « visitati, ipso durante abbate dicti monasterii amplius « visitari non poterunt nec debebunt. Tempore siquidem « visitationis dictus episcopus in abbatem, conventum « et monachos monasterii memorati suspensionis, « interdicti et excommunicationis sententias promul-« gare ac jurisdictionem plenariam exercere poterit, « secundum quod dictaverit ordo juris, et in visitatione « ipsa seu alia vice in eodem monasterio vel infra « clausuram ipsius monasterii pernoctare, bibere seu « comedere predictus episcopus non debebit. Pre-« terea ordinamus, statuimus et disponimus, quod « abbas et conventus, prior et obedientiarii ejusdem « monasterii coram episcopo Eduen[s]i, qui pro tempore « fuerit, vel ejus officiali, in omnibus causis, crimi-« nalibus dumtaxat exceptis, convenire poterunt ac « etiam conveniri; in quibus causis, exceptis crimina-« libus, si dictus abbas inobediens vel contumax « extiterit, per episcopum vel officialem predictos « poterit tantum ab altaris officio suspendi; conventus « vero si in eisdem causis, exceptis criminalibus, con-« tumax vel inobediens fuerit, in hunc modum poterit « interdici; videlicet quod alta voce vel sollempniter « divina non poterit celebrare. Verumtamen, januis « clausis et voce summissa, divinum officium poterit « exercere, ac etiam in quinque festivitatibus, videlicet « Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes et in « duabus festivitatibus sancti Martini, ob reverentiam « dictarum festivitatum, alta voce et sollempniter « divina poterit celebrare. Porro abbas et con-« ventus predicti per ipsum episcopum vel ejus « officialem puniri aliqua pena alia non vale-« bunt, sed prior, obedientiarii et alii amministra-« tionem habentes in monasterio predicto, si contu-« maces aut inobedientes quantum ad premissas « causas extiterint, a dicto episcopo vel ejus officiali « suspendi, interdici vel excommunicari poterunt, « secundum formam juris. Ceterum ipsi abbas, con-« ventus, prior et alii obedientiarii penis premissis « puniri poterunt, salvo eis legitime appellationis « beneficio, si senserint se gravari. Super causis vero « criminalibus, iidem abbas et conventus coram ipso « episcopo vel officiali suo non teneantur, nisi tem-« pore visitationis, respondere. Aliquis quoque vel « aliqui monachorum ejusdem monasterii seu mem-« brorum ipsius dicto abbati, vel abbas monacho seu « monachis, coram eodem episcopo vel officiali suo « in aliquibus causis respondere non teneantur, nisi « quando episcopus ipse in dicto monasterio juxta « formam expressam superius visitabit. Insuper ordi-« namus, statuimus et disponimus, quod jamdictum « monasterium a procuratione episcopi, archidiaconi « et archipresbiteri Eduensium sit omnino et in per-« petuum liberum et immune, et quod dictus episcopus, « in monasterio ipso, sive infra clausuram Sancti

« Martini predictam, convocare populum, celebrare « missam, stationem facere vel aliquod episcopale « officium non, nisi tempore visitationis, valeat exer- « cere, et tunc, prout superius est expressum, abbas « etiam predictus non teneatur venire ad episcopi « sinodum supradicti. Denique statuimus et ordi- « namus et disponimus, quod episcopus Eduensis, qui « pro tempore fuerit, nichil amplius quam ea, que « superius continentur, ab abbate, conventu et monas- « terio supradictis, ratione subjectionis vel jurisdic- « tionis episcopalis, petere vel exigere debeat sive « possit, salvis ac retentis episcopo Eduensi, qui pro « tempore fuerit, omnibus hiis et singulis, que ipse « episcopus et sui predecessores in prioratibus ejus- « dem monasterii in diocesi Eduensi existentibus « hactenus consueverunt habere. Et hec omnia, prout « superius sunt expressa, de consensu et voluntate « dictorum episcopi, decani et capituli et dictorum « archidiaconi et archipresbiteri, abbatis et conventus « Sancti Martini Eduensis, prout nobis constat evi- « denter, statuimus, disponimus ac etiam ordinamus. « In cujus rei testimonium et perpetuam firmitatem, « presentibus litteris sigilli nostri apposuimus firma- « mentum. Datum Viterbii, VII kalendas julii, ponti- « ficatus domini Alexandri pape IIII, anno tertio. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Viterbii, III nonas julii, anno tertio. »

2062 Viterbe, 7 juillet 1257.

Intuitu P. Ispalensis electi, Luppo Eximini rectori ecclesiae de Artasso indulget, ut praeter dictam ecclesiam, unum aliud beneficium in Terraconensi provincia, usque ad valorem annuum quadraginta marcarum argenti, recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 491, f. 59v.)

« *Luppo Eximini, rectori ecclesie de Artasso, Pampilonensis diocesis.* Etsi propter ambitiones. — Dat. Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2063 Viterbe, 5 juillet 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae Argentinensis mandat, quatenus Albertum de Steinburnem, canonicum Haselacensem, in Argentinensi ecclesia dudum acceptum in canonicum sed constitutione apostolica exclusum, de novo recipiant. (Reg. 25, a. III, c. 492, f. 59v.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Argentinensis.* Licet, sicut accepimus — Dat. Viterbii, III nonas julii, anno tertio. »

2064 Viterbe, 22 juin 1257.

Rolando de Ferentino, canonico Anagnino, confirmat pensionem quindecim librarum Turonensium annuatim in festo S. Michaelis Parisius persolvendam, a Johanne abbate monasterii Dolensis, Bituricensis dioecesis, concessam. (Reg. 25, a. III, c. 493[1], f. 59v.)

« *Rolando de Ferentino, canonico Anagnino.* Cum dilectus filius Johannes. — Dat. Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

2065 Viterbe, 22 juin 1257.

Abbati S. Genovefae Parisiensis mandat, quatenus eidem Rolando vel procuratori ejus pensionem hujusmodi faciat integre ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 493[2] f. 60.)

« .. *abbati Sancte Genovefe Parisiensis.* Cum dilectus filius Johannes — Datum ut supra. »

2066 Viterbe, 13 juillet 1257.

Magistro Alexandro de Ferentino, capellano suo, indulget, ut praeter alia beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 494, f. 60.)

« *Magistro Alexandro de Ferentino, capellano nostro, canonico Londoniensi.* Apostolice Sedis benignitas. — Dat. Viterbii, III idus julii, anno tertio. »

2067 Viterbe, 13 juillet 1257.

Fratri Marco, capellano suo, vicedomino Velletrensi, mandat, quatenus Thomasium presbyterum, clericum ecclesiae S. Angeli Velletrensis, in ecclesia Velletrensi recipi faciat in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 495, f. 60.)

« *Fratri Marco, capellano nostro, vicedomino Velletrensi.* Volentes dilecto filio —. Dat. Viterbii, III idus julii, anno tertio. »

2068 Viterbe, 7 juillet 1257.

Archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis notum facit se omnes illos, qui de cetero servari fecerint statuta edita, usus et consuetudines introductos contra ecclesiasticam libertatem, excommunicare; mandat eis, ut hoc edictum inviolabiliter observent. (Reg. 25, a. III, c. 496, f. 60; Potthast 16918.)

« *Archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.* Improbis quorumdam volentes, prout cum Deo possumus, refragari conatibus, qui ecclesias et personas ecclesiasticas, ipsarum, quantum in eis est, libertate subversa, deicere in divini nominis injuriam moliuntur, felicis recordationis Honorii et Innocentii Romanorum pontificum predecessorum nostrorum vestigiis inherendo, excommunicamus omnes illos, qui de cetero servari fecerint statuta edita, usus et consuetudines introductos contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post hujus publicationem edicti nullatenus ulterius resumenda fecerint ammoveri. Excommunicamus quoque statutarios et scriptores statutorum ipsorum, necnon dominos, potestates, consules, rectores et consiliarios locorum ubi de cetero hujusmodi statuta, usus et consuetudines edita fuerint vel servata, necnon et illos, qui secundum ea presumpserint judicare vel in publicam formam scribere judicata. Cum igitur vobis precipue, quos predicte libertatis propugnatores oportet esse constantes, ex officio imposite necessitatis incumbat pro sanctuario domus Domini, ne in conculcationem veniat, resistere viriliter ascendentibus ex adverso, ut ecclesia Dei adversus exteriores insultus muros fortitudinis habere probetur, non parietes inclinatos, fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus edictum hujusmodi tam in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis quam alibi per vestras civitates et dioceses sollempniter publicantes, ipsum contra eos, qui in illud commiserint, inviolabiliter observetis et faciatis usque ad satisfactionem plenariam observari. Contradictores etc. non obstante si eorum aliquibus sit indultum, quod ipsi excommunicari vel eorum terre nequeant subici ecclesiastico interdicto; ita tamen quod, si quis in laqueum predicte excommunicationis inciderit, a nemine, absque speciali mandato Sedis Apostolice, nisi forsan in mortis articulo, absolvatur, et si secus presumptum fuerit, id volumus non tenere. Quod si forsan super hoc inventi fuerint aliqui pertinaces, eis denuntiare curetis expresse quod ipsi, nisi resipuerint, feudis, si qua tenent ab ecclesiis, merito ingratitudinis privabuntur et eorum proles a clericatu et ecclesiasticis beneficiis presertim in cathedralibus ecclesiis excludentur, cum dignum sit talium posteros ab uberibus pie matris avelli penitus et arceri, qui eam vipereis audent morsibus lacerare, retributione maligna pro dilectione odium impendentes. Clerici quoque, qui cum talia committentibus permanent, nisi post propositam aut saltem publicatam eis super hoc monitionem vestram ab ipsorum obsequiis omnino recesserint, omnibus ecclesiasticis beneficiis et clericatus privilegio noverint se privandos, cum qui proprie professionis et ordinis insectatores amplectitur, et benedicens inique agentes favore approbat in suis desideriis peccatores, merito debeat a fructibus suis cognitus reprobari. Datum Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2069 Viterbe, 15 juillet 1257.

Gottifrido rectori ecclesiae de Taydon. de Bosco indulget, ut praeter dictam ecclesiam, cujus proventus valorem centum solidorum sterlingorum non excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 497, f. 60.)

« *Gottifrido rectori ecclesie de Taydon. de Bosco, Londoniensis diocesis.* Meritis laudabilis —. Dat. Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2070 Viterbe, 4 juillet 1257.

Confirmat sententiam ab Hugone Sanctae Sabinae presbytero cardinali latam in causa, quae inter episcopum Eduensem ex una parte et abbatem et conventum monasterii S. Martini Eduensis ex altera, vertebatur. (Reg. 25, a. III, c. 498, f. 60v.)

« .. *episcopo Eduensi.* Licet ea, que de mandato nostro etc. ut in alia nona littera de verbo ad verbum usque in finem, supra quam scribitur : abbati et conventui monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti Benedicti[1]. »

2071 Viterbe, 15 juillet 1257.

Confirmat fundationem ecclesiarum S. Mariae et S. Nicholai, in loco qui dicitur Altamure. (Reg. 25, a. III, c. 499, f. 60v.)

« .. *episcopo Gravinensi.* Justis petentium, etc. usque : complere. Tua sane petitio nobis exhibita continebat, quod tu, capituli tui accedente consensu, in loco de nullius ecclesie parrochia existente, qui dicitur Altamure, tue diocesis, apud quem nonnulli homines de diversis partibus venientes, quorum quidam

1. Cf. n° 2061

fuerant vassali ecclesie Gravinensis, incolatum noviter elegerunt. Sancte Marie et Sancti Nicolai ecclesias, reservatis tibi in eis juribus episcopalibus, construxisti. Nos itaque, tuis precibus inclinati, quod super hiis provide factum est ratum habentes et gratum illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli (etc.) nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2072 Viterbe, 15 juillet 1257.

Ministro fratrum Minorum provinciali de Romania mandat, quatenus faciat, ut ecclesiarum praelati in illis partibus constituti patriarchae Constantinopolitano, praevalente in eum Graecorum potentia, quousque patriarchatus sui redditus quiete percipere possit, quingentas marcas argenti, pro sua sustentatione annuatim ministrare procurent. (Reg. 25, a. III, c. 500, f. 60v; Potthast 16925.)

« .. *ministro fratrum Minorum provinciali de Romania.* Necessitatibus venerabilis fratris nostri.. patriarche Constantinopolitani, Apostolice Sedis legati, tanto libentius subvenimus, quanto idem ad presens prevalente in eum Grecorum illarum partium potentia, suffragio Sedis Apostolice magis noscitur indigere. Transmissa siquidem nobis ex parte ipsius patriarche petitio continebat, quod redditus patriarchatus sui, propter eorumdem Grecorum frequentes incursus, sunt adeo diminuti, quod ex eis non potest juxta sui status exigentiam aliquatenus sustentari, et cum patriarcha predictus a prelatis et clericis ecclesiarum sue legationis ad relevandam indigentiam hujusmodi procurationes vel aliqua subsidia exigit, quia iidem prelati et clerici procurationes et subsidia hujusmodi sibi contumaciter exhibere recusant, dictus patriarcha, propter hoc, promulgat excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias in eosdem, sicque, dum inter ipsum et eosdem prelatos et clericos, occasione hujusmodi turbationis et discordie seminaria pullulant, commune religionis negligatur comodum, et contra ipsum patriarcham ac alios negotium Constantinopolitani imperii prosequentes eorumdum Grecorum feritas fortius invalescit. Quare fuit ex parte ipsius patriarche nobis humiliter supplicatum, ut super hoc providere oportuno remedio curaremus. Quocirca mandamus, quatinus universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis Moree pariter convocatis, cum eis prudenter disponere ac ordinare procures, ut eidem patriarche tamquam eorum capiti annuatim, quousque prefati patriarchatus sui redditus quiete percipere valeat, quingentas marcas argenti pro sua sustentatione ministrare procurent, eos ad hoc ex parte nostra sedulis monitis et exhortationibus diligenter et efficaciter inducendo, ita quod idem patriarcha filialis devotionis affectum in eis per effectum operis se gaudeat invenisse, ac propter hoc ad resistendum eisdem inimicis forcius animetur. Eam autem diligentiam et sollicitudinem adhibeas in commisso tibi negotio exequendo, ut devotionem tuam possimus exinde merito commendare. Nolumus enim, ut iidem prelati, quamdiu easdem quingentas marcas exsolverint, per eumdem patriarcham occasione alterius subsidii vel procurationis seu quavis alia de causa aliquatenus pregraventur; non obstante indulgentia Sedis Apostolice, qua fratribus tui ordinis est concessum, ut negotia, que sibi a Sede committuntur eadem exequi minime teneantur. Datum Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2073 Viterbe, 7 juillet 1257.

A. episcopo Lemovicensi concedit, ut duos de personatibus seu beneficiis vacantibus, quorum collatio, propter eorum diutinam vacationem, ipsi papae est devoluta, duabus personis idoneis conferre possit. (Reg. 25, a. III, c. 501, f. 61.)

« *A. episcopo Lemovicensi.* Significasti nobis —. Dat. Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2074 Viterbe, 22 juin 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ecclesias S. Mariae et S. Petri de Artasso, Pampilonensis dioecesis, in omnibus festivitatibus ipsorum accesserint annuatim, quadraginta dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 502, f. 61.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perempnis gloria —. Dat. Viterbii, X kal. julii, anno tertio. »

2075 Viterbe, 13 juillet 1257.

Magistro Waltero confirmat possessionem cujusdam praebendae in ecclesia de Walingeforde, cui praebendae parrochialis ecclesia de Chauegrave, Lincolniensis diocesis, est annexa. (Reg. 25, a. III, c. 503, f. 61.)

« *Magistro Waltero, archidiacono Surreye in ecclesia Wintoniensi, capellano nostro.* Majoribus sunt honorandi —. Dat. Viterbii, III idus julii, anno tertio. »

2076 Viterbe, 13 juillet 1257.

Eidem concedit facultatem resignandi praebendam, quam in Tarentasiensi ecclesia obtinet, et beneficium simile recipiendi. (Reg. 25, a. III, c. 504, f. 61.

« *Eidem.* Sedis Apostolice providentia —. Dat. ut supra. »

2077 Viterbe, 16 juillet 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Petri Argentinensis, recipiendi Erbonem et Nicolaum de Argentina clericos, dudum in dicta ecclesia receptos et per quamdam constitutionem exclusos, eisque de praebenda providendi liberam concedit facultatem. (Reg. 25, a. III, c. 505, f. 61.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie S. Petri Argentinensis.* Licet, sicut accepimus —. Dat. Viterbii, XVII kal. augusti, anno tertio. »

2078 Viterbe, 18 juillet 1257.

Electo Ispalensi, ad exonerationem debitorum ecclesiae Ispalensis, tria milia marcarum argenti de tertia decimarum ecclesiarum regnorum Castellae ac Legionis concedit. (Reg. 25, a. III, c. 506, f. 61.)

« .. *Ispalensi electo.* Suscepti officii debitum nos perurget, ut gravatis ecclesiis, ne ipsarum gravamine nimium excrescente, totaliter deprimantur, apostolica diligentia occurrentes, ipsarum necessitatibus, nostre provisionis gratia, consulamus. Scientes itaque te et commissam tibi ecclesiam Ispalensem tanto gravari onere debitorum quod, nisi oportune subventionis remedio tibi et eidem ecclesie celeriter succurratur, excrescens assidue usurarum vorago facultates ipsius penitus absorbebit, nos tibi et eidem ecclesie, quibus paterna pietate compatimur, providere volentes, de tertia decimarum ecclesiarum regnorum Castelle ac Legionis fabricis deputata, tria milia marcarum argenti ad exhonerationem hujusmodi debitorum, non obstante qualibet apostolica indulgentia ecclesiis ipsis vel earum prelatis seu collegiis aut rectoribus vel quibuscunque aliis communiter vel divisim, sub quacumque verborum forma vel expressione concessa, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam hujusmodi nostre provisionis effectus quomodolibet impediri valeat vel differri, seu quod felicis recordationis I. papa predecessor noster olim et nos demum usque ad nostre beneplacitum voluntatis tibi in eadem tertia septingentarum marcarum annuam provisionem concessimus, auctoritate presentium de gratia tibi concedimus speciali easdem ecclesias, quas gravare dupliciter non intendimus in hac parte, a provisione ipsarum septingentarum marcarum tibi imposterum facienda penitus absolventes. Nulli (etc.) nostre concessionis et absolutionis. Datum Viterbii, XV augusti, anno tertio. »

2079 Viterbe, 12 juin 1257.

Stephano dicto Baci clerico venerabilis viri domini Johannis de Amblione, confirmat tabellionatus officium, juxta mandatum Innocentii IV, a magistro Jordano ejusdem papae subdiacono et notario, concessum per instrumentum quoddam actum Assisii, kalendis junii, pontificatus Innocentii papae anno undecimo. (Assise, 1er juin 1253). (Reg. 25, a. III, c. 507, f. 61^v^.)

« *Stephano dicto Baci clerico Bellicensi.* Cum felicis recordationis I. papa predecessor noster —. Dat. Viterbii, II idus junii, anno tertio. »

2080 Viterbe, 15 juillet 1257.

Sententiam confirmat a Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali latam, in causa, quae inter magistrum Petrum de Camberiaco, canonicum ecclesiae S. Martini Magni Londoniensis et Radulfum de Montibus, canonicum Lausanensem, de quadam praebenda ecclesiae S. Martini Magni Londoniensis, vertebatur. (Reg. 25, a. III, c. 508^t^, f. 61^v^; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 665.)

« *Magistro Petro de Camberiaco capellano nostro, canonico ecclesie Sancti Martini Magni Londoniensis.* Ea que judicio vel concordia etc. usque : communiri. Sane, petitio tua nobis exhibita continebat, quod orta dudum inter te ac Radulphum de Montibus, canonicum Lausanensem, super quadam prebenda, que per mortem magistri Hugonis de Cunignins [canonici] ecclesie Sancti Martini Magni Londoniensis, in ipsa vacaverat, quamquam tibi debitam dictus R. occupaverat minus juste, materia questionis, eaque ad examen Sedis Apostolice revocata, nos tandem in ipsa dilectum filium

nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem dedimus specialiter auditorem. Cumque Stephanus procurator tuus Johanni de Jussiaco procuratori dicti R. libellum coram cardinali super hoc obtulisset eodem, quia dictus Johannes, in die ad procedendum in causa prefixa, per subterfugia et cavillationes contestationem litis evitans, juri parere ac postmodum, de mandato cardinalis ejusdem semel secundo et tertio peremptorie in publica citatus audientia, comparere coram eo aliquando contumaciter non curabat, aliquando vero veniens contumax recedebat, cardinalis prefatus, auditis, visis et intellectis que dictus S. procurator tuus pro parte tua voluit proponere coram eo, et deliberatione super hiis habita diligenti, dictum R. vel ejus procuratorem, si quis in curia nostra esset, demum in audientia publica citari peremptorie fecit, ut certa die compareret coram eo, justam, dante Domino, sententiam auditurus. Et quia, dicto S. procuratore tuo personaliter comparente, nullus pro eodem R. comparere curabat, supradictus cardinalis, habito super hoc consilio peritorum, ipsius R. absentia Dei repleta presentia, prebendam eandem cum fructibus inde perceptis a tempore litis mote predicto S. procuratori tuo nomine sententialiter adjudicare curavit, dicto R. super ea perpetuum nichilominus silentium imponendo. Demum vero cardinalis jamdictus, quia per fidedignorum testimonium et juramentum dicti S. procuratoris tui sibi legitime constitit fructus ejusdem prebende valere annuatim X marchas sterlingorum et dictum R. tribus annis fructus percepisse prefatos, fructus ipsos tibi ab eodem R. restituendos pro singulis annis predictis in X marcis sterlingorum taxare curavit, XIII soldis et IIII sterlingis pro marca qualibet computatis, prout [in] instrumentis publicis confectis exinde, dicti cardinalis sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, sententiam ipsam provide latam, ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores instrumentorum ipsorum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui tales sunt :

Viterbe, 29 juin 1257.

« Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad Ve- « lum aureum diaconus cardinalis, universis presentes « litteras inspecturis, salutem in Domino. Dudum in- « ter magistrum Petrum de Camberiaco domini pape « capellanum et Radulfum de Montibus canonicum « Lausanensem, super ecclesia Sancti Martini Magni « Londoniensis questione suborta, et eadem coram.. « decano Lugdunensi aliquandiu, auctoritate Sedis « Apostolice, ventilata, remissa tandem ad examen « apostolicum per decanum eundem, prout ex forma « litterarum dicte Sedis habebat, dominus papa dedit « nos in ipso negotio specialiter auditorem. Compa- « rentibus itaque procuratoribus partium coram nobis, « pro parte dicti magistri P., libellum in judicio rece- « pimus in hunc modum :

« Coram vobis reverendo patre domino P. Sancti « Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, parti- « bus auditore concesso, dicit et proponit Stephanus « de Bellicio clericus, socius et procurator magistri « P. de Camberiaco canonici ecclesie Sancti Martini « Magni Londoniensis, domini pape capellani, contra « Rodulphum de Montibus canonicum Lausanensem « sive contra ejus legitimum defensorem, dicens quod, « cum idem magister in eadem ecclesia Sancti Mar- « tini Magni Londoniensi fuerit canonice receptus in « canonicum et in fratrem, ac prebenda, que in eadem « ecclesia vacavit per mortem magistri Hugonis de « Cumgnis olim ejusdem ecclesie canonici, sibi collata « fuisset, dictus R. de Montibus, canonicus Lausanen- « sis, predictam prebendam contra justitiam occupa- « vit ac ipsam detinet occupatam in ipsius magistri « prejudicium non modicum et gravamen. Verum, « cum dictus magister P. causam, que inter ipsum et « dictum R. super eadem prebenda vertitur, obtinuerit « ad examen Sedis Apostolice revocari, petit per vos, « reverende pater, sententialiter declarari dictam pre- « bendam ad dictum magistrum P. pertinere de jure, « et eam sibi adjudicari, cum fructibus medio tempore « perceptis, quos extimat L libras sterlingorum, et ei- « dem R. sive ejus procuratori ipsius nomine super « ea perpetuum silentium imponi, et ab ea sententia- « liter amoveri, cum nullum jus habeat in eodem; pe- « tit expensas factas et protestatur faciendas, quas « tempore sententie declarabit, salvo jure etc.

« Prefixo igitur, non tantum semel sed pluries, Jo- « hanni de Jussiaco, procuratori dicti R. ad hoc spe- « cialiter constituto, termino ad procedendum in causa, « sicut de jure fieri debebat, idem procurator per sub- « terfugia et cavillationes contestationem litis evi- « tans, juri parere contempsit. Demum idem procu- « rator de mandato nostro in audientia publica semel,

« bis et tertio peremptorie, sicut moris est, citatus « legitime ut veniret in causa processurus eadem, ali- « quando comparere contumaciter non curabat, ali- « quando vero veniens contumax recedebat. Nos « autem, ipsius contumacia manifesta, in causa nichi- « lominus procedentes, visis, auditis et intellectis ra- « tionibus prefati magistri P. et diligenti delibera- « tione habita super hiis, iterato et peremptorie in « audientia publica citari fecimus predictum R. vel « ejus procuratorem, si quis esset in curia, quod certo « die nostro se conspectui presentaret, diffinitivam « sententiam auditurus. Unde, pro parte ipsius R. co- « ram nobis nemine comparente, nos, habito consilio « sapientum, ipsius R. absentia Dei repleta presen- « tia, prebendam eandem cum fructibus inde percep- « tis a tempore mote litis, Stephano de Bellicio, pro- « curatori prefati magistri P. coram nobis ad hoc « specialiter constituto, et per eum ipsi magistro « P. sententialiter adjudicamus, eidem R. super hiis « perpetuum silentium imponentes, ac eum in expen- « sis in lite factis a dicto magistro nichilominus con- « dempnantes; taxationem[1] vero fructuum et expen- « sarum earumdem nostro arbitrio reservamus. In « cujus rei testimonium, presentes litteras sigilli nos- « tri munimine roborari fecimus et per magistrum « Richardum notarium nostrum in publica redigi mu- « nimenta, sub anno Domini M.CC.LVII, pontificatus « domini Alexandri pape IIII, anno III, mense junio, « die III exeunte, indictione XV. Actum Viterbii in « hospitio nostro apud ecclesiam Sancti Sixti, presen- « tibus hiis testibus ad hoc specialiter vocatis, vi- « delicet domino V. electo Pensauriensi, domino « Mauricio cantore Padeburnensi, domino Leonardo « cantore Messano domini pape capellano, Angelo cle- « rico camere nostre et pluribus aliis. Et ego Richar- « dus de Pofis, sancte Romane Ecclesie scriniarius, « prolationi hujusmodi sententie presens interfui, et « eam de mandato dicti domini cardinalis scripsi et « in publicam formam redegi :

Viterbe, 7 juillet 1257.

« Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad Ve- « lum Aureum diaconus cardinalis universis presentes « litteras inspecturis salutem in Domino. Dudum in- « ter magistrum Petrum de Camberiaco, domini pape « capellanum, et Rodulphum de Montibus, canonicum « Lausanensem, super prebenda ecclesie Sancti Mar- « tini Magni Londoniensis questione suborta, et ea « coram.. decano Lugdunensi aliquandiu auctoritate « Sedis Apostolice ventilata, remissa tandem ad exa- « men apostolicum per decanum eundem, prout ex « forma litterarum dicte Sedis habebat, dominus papa « dedit nos in ipso negocio specialiter auditorem. Nos « autem in eodem negotio procedentes, cognitis cause « meritis et juris ordine observato, prebendam ean- « dem cum fructibus inde perceptis Stephano de Bel- « licio, procuratori predicti magistri, et per eum ipso « magistro sententialiter adjudicamus, eidem R. su- « per hiis perpetuum silentium imponentes, taxatione[1] « fructuum eorumdem nostro arbitrio reservata, « prout in instrumento publico inde confecto et si- « gillo nostro signato plenius continetur. Cumque per « testimonium fidedignorum et juramentum[2] dicti pro- « curatoris nobis constiterit fructus ejusdem prebende « valere annuatim X marcas sterlingorum, et[3] dic- « tum R. tribus annis percepisse fructus eosdem, « nos ipsos fructus dicto magistro P. ab eodem R. res- « tituendos pro singulis tribus annis predictis taxa- « mus in X marcis sterlingorum, XIII soldis et IIII « sterlingis pro marca qualibet computandis. In cujus « rei testimonium presentes litteras sigilli nostri mu- « nimine roborari fecimus, et per magistrum Ricar- « dum notarium nostrum in publica redigi munimenta, « sub anno Domini M.CC.LVII, pontificatus domini « Alexandri pape IIII, anno III, mense julio, die VII, « indictione XV. Actum Viterbii in hospitio nostro « apud ecclesiam Sancti Sixti, presentibus hiis testi- « bus ad hoc specialiter vocatis, videlicet domino An- « gelo electo Cathaniensi, magistro Petro Henrici « canonico ecclesie Sancti Petri de Urbe, magistro « Matheo de Salertio domini pape capellano, Angelo « clerico camere nostre. Et ego Ricardus de Pofis, « sancte Romane Ecclesie scriniarius, prolationi dicte « taxationis presens interfui et eam de mandato dicti « domini cardinalis scripsi et in publicam formam re- « degi. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

1. *Ms.* : tanpactionem.

1. *Ms.* : taxationem
2. *Ms* : juramenti
3. *Ms.* : ut.

2081 Viterbe, 13 juillet 1257.

Decano ecclesiae S. Mariae de Arcubus Londoniensis et officiali Cantuariensi mandat, quatenus dictam sententiam executioni debitae demandare studeant. (Reg. 25, a. III, c. 508², f. 62ᵛ; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 665.)

« .. *decano ecclesie Sancte Marie de Arcubus Londoniensis et.. officiali Cantuariensi*. Petitio dilecti filii magistri Petri de Camberiaco —. Dat. Viterbii, III idus julii, anno tertio. »

2082 Viterbe, 21 juillet 1257.

Praeposito et capitulo de Castroseprio mandat, quatenus Florium de Faniano, canonicum ecclesiae de Olgiate Olona, Mediolanensis dioecesis, in canonicum recipiant in ecclesia de Castroseprio eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 509, f. 62ᵛ.

« .. *preposito et capitulo de Castroseprio, Mediolanensis diocesis*. Affectionis paterne —. Dat. Viterbii, XII kal. augusti, anno tertio. »

2083 Viterbe, 18 juillet 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Laurentii Mediolanensis mandat, quatenus Guillelmum Lazaroni, canonicum ecclesiae de Corbeta, Mediolanensis dioecesis, in canonicum ejusdem ecclesiae recipiant eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 510, f. 62ᵛ.

« .. *preposito et capitulo ecclesie S. Laurentii Mediolanensis*. Injunctum nobis —. Dat. Viterbii, XV kal. augusti, anno tertio. »

2084 Viterbe, 17 juillet 1257.

Henrico de Trescores clerico, Norwicensis dioecesis, indulget, ut praeter beneficium quod obtinet, unicum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 511, f. 62ᵛ.

« *Henrico de Trescores, clerico, Norwicensis diocesis*. Licet ne quis —. Dat. Viterbii, XVI kal. augusti, anno tertio. »

2085 Viterbe, 6 juillet 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam S. Germani de Perto, Bajocensis dioecesis, in festivitatibus beatae Mariae Virginis et ipsius sancti accesserint annuatim, quadraginta dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 512, f. 62ᵛ.

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis*. Vite perennis gloria — Dat. Viterbii, II nonas julii, anno tertio ».

2086 Viterbe, 23 juillet 1257.

Confirmat collationem ecclesiae de Hesingthon, magistro Roberto de S. Agatha a Waltero Dunelmensi episcopo factam. (Reg. 25, a. III, c. 513, f. 63.

« *W. episcopo Dunelmensi*. Tua nobis fraternitas intimavit, quod olim felicis recordationis I. papa predecessor noster, bone memorie.. Eboracensi archiepiscopo et venerabilibus fratribus nostris.. Londoniensi et.. Bathoniensi episcopis suis dedit litteris in mandatis, ut, vice sua, venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi quondam Dunelmensis reciperent cessionem, eidem de bonis episcopi Dunelmensis assignata sustentatione congrua et honesta, de qua, dum viveret, posset decenter et congrue sustentari, ac dicti archiepiscopus et episcopi, prefato episcopo cedenti, de Hoveden., de Stoketon. et de Hesingthon. maneria, ad mensam Dunelmensis episcopatus spectantia, cum omnibus membris, pertinentiis et libertatibus eorumdem, que secundum communem extimationem patrie mille marcas sterlingorum et amplius annis singulis valere dicuntur, pro sustentatione hujusmodi assignarunt. Cum autem ecclesiam de Hesingthon., tue diocesis, postmodum vacantem et in predicto de Hesington. manerio consistentem, in qua jus eligendi et instituendi rectorem habere dinosceris, magistro Roberto de Sancta Agatha, Dunelmensi archidiacono, contulisses, ipsumque per procuratorem ejus legitimum in possessionem illius fecisses corporalem induci, tandem prefatus N. episcopus tibi quendam clericum ad eandem ecclesiam presentavit, pretendens ex ipsius assignatione sustentationis per generale verbum *pertinentiarum*, non in mandato apostolico, sed in eadem assignatione contentum, sibi jus competere ad dictam ecclesiam presentandi, super quo tibi et prefato archidiacono petiisti per nostrum oraculum provideri. Cum igitur non intelligamus nec predicti predecessoris intentionis fuisse credamus, quod in hujusmodi assignatione maneriorum predicto episcopo per memoratos archiepiscopum et episcopos ad sustentationem facta tantummodo temporalem, spirituale jus ordinandi ecclesias de rectoribus, presertim cum id, nec in mandato prefati predecessoris, nec in assi-

gnatione provisionis expressum fuerit, ad episcopum transiret predictum, sed cum aliis juribus episcopalibus apud te, qui in hiis eidem episcopo loco cedenti successisse dinosceris, remaneret, quod a te super collatione prefate ecclesie canonice factum est, videtur nobis, presentatione predicti episcopi tibi postmodum facta de alio non obstante, juris obtinere vigorem. Datum Viterbii, X kalendas augusti, anno tertio. »

2087 Viterbe, 18 juillet 1257.

Prorogat in favorem ecclesiae Cameracensis litteras et privilegia concessa ad tutelam ecclesiarum regni Franciae et ad coercitionem injuriarum, quae ipsis a saecularibus personis inferuntur. Reg. 25, a. III, c. 514, f. 63; Berger, t. III, n° 462.

« .. *episcopo Cameracensi.* Sedes Apostolica pia mater, dum misericorditer assistit oppressis et moderata opprimentibus auctoritate resistit, non tam lesorum quam ledentium saluti succurrit, quia, cum injuriarum passio ad temporale dispendium, actio autem officiat ad eternum, salubrius a culpa qui agit quam qui patitur a molestia seu violentia cohibetur. Dudum siquidem dicta Sedes ecclesiis et prelatis earum Christianissimi regni Francie, ad tutelam jurium, possessionum, rerum, bonorum et libertatum eorum necnon et cohertionem injuriarum, que ipsis a personis secularibus inferuntur, nonnulla communiter litteras, indulgentias et privilegia, ad supplicationem capitulorum ecclesiarum cathedralium ejusdem regni noscitur concessisse. Nos igitur attendentes, quod Cameracensis ecclesia et ipsius subditi, licet in finibus Romani consistant imperii, de Remensi tamen existunt provincia et ritus servare dicuntur ecclesie Gallicane, propter quod merito cum eadem pari debent immunitate letari, litteras, indulgentias et privilegia hujusmodi ad te, prefatam Cameracensem ecclesiam tuosque subditos, auctoritate presentium prorogamus et tibi ac ecclesie Cameracensi predicte, ut executores sive judices prelatis et ecclesiis dicti regni ab eadem Sede communiter deputati eam per omnia in tua, ipsius ecclesie, subditorum ac bonorum vestrorum tuitione, atque injuriarum repressione, si quas vobis a secularibus personis contigerit vel contigit irrogari, habeant, quam pro ipsis prelatis et ecclesiis a prefata Sede obtinent, potestatem, ac si vos et vestri injuriatores essetis infra dicti regni limites constituti et pro vobis pariter cum eisdem prelatis et ecclesiis fuissent prefata privilegia, indulgentie ac littere impetrata, non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam diocesim, litterarum, indulgentiarum et privilegiorum ipsorum auctoritate, in judicium non trahatur aliquis, indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii, XV kalendas augusti, anno tertio. »

2088 Viterbe, 11 juin 1257.

Jacobo de Carneto indulget, ut, dum in theologice facultatis studio per quinquennium immoratur, proventus beneficiorum suorum, cotidianis distributionibus exceptis, integre percipere valeat et interim ad faciendam personalem residentiam in ecclesiis, in quibus ea obtinet, non teneatur. Reg. 25, a. III, c. 515 [1], f. 63.

« *Jacobo de Carneto, canonico ecclesie Nannetensis, rectori ecclesie de Auton, Carnotensis diocesis.* Querentibus in agro studii —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno tertio. »

2089 Viterbe, 11 juin 1257.

Cantori Andegavensi mandat, ut supradicto Jacobo de Carneto faciat dictos proventus integre ministrari. Reg. 25, a. III, c. 515 [2], f. 63v.

« .. *cantori Andegavensi.* Querentibus in agro —. Dat. ut supra. »

2090 Viterbe, 23 juin 1257.

Abbati monasterii S. Benedicti Floriacensis indulget, ut pro exoneratione debitorum dicti monasterii, tres prioratus sibi subjectos, ad manus suas, usque ad quadriennium, retinere valeat. Reg. 25, a. III, c. 516, f. 63v.

« .. *abbati monasterii Sancti Benedicti Floriacensis, ordinis Sancti Benedicti, Aurelianensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Tue meritis devotionis inducimur, ut te ac monasterium tuum illa prosequamur gratia, que tuis et ejusdem monasterii esse dinoscitur necessitatibus opportuna. Cum itaque monasterium Floriacense, propter urgentes et necessarias expensas, quas ipsum subire oportuit, magno, sicut accepimus, prematur onere debitorum, nos, qui curam ecclesiarum omnium gerere tenemur in terris ex suscepte officio servitutis, volentes super

hoc eidem monasterio salubri remedio providere, ut tres prioratus tibi subjectos, in quibus priores, cum sint temporales, juxta tuam instituis et destituis voluntatem, pro exoneratione debitorum ipsorum, usque ad quadriennium, ad manus tuas retinere valeas, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem; proviso quod prioratus ipsi debitis non fraudentur obsequiis, et in eis animarum cura, si eisdem imminet, nullatenus negligatur. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, VIII kalendas julii, anno tertio.

2091 Viterbe, 14 juillet 1257.

Episcopo Gaietano indulget, ut electionem fratris Heliae in abbatem monasterii S. Angeli Gaietani, ordinis S. Benedicti, confirmet, non obstante quod idem frater Helias in eodem ordine nondum annum complevit. (Reg. 25, a. III, c. 517, f. 63v.)

« .. *episcopo Gaietano.* Dilecti filii conventus monasterii Sancti Angeli Gaietani, ordinis Sancti Benedicti, nobis significare curarunt, quod dudum in eodem monasterio abbatis regimine destituto, ipsi, prout moris est, convenientes in unum, dilectum filium fratrem Heliam, monachum Sancte Trinitatis Gaietane, ejusdem ordinis, virum utique, sicut asseritur, providum et honestum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, per cujus industriam speratur idem monasterium posse salubriter reformari, in eorum abbatem concorditer postularunt. Cum itaque dictum monasterium dicatur tibi diocesana lege subjectum, mandamus, quatinus, inquisita de modo postulationis hujusmodi, postulati meritis et studiis postulantium diligentius veritate, si eam inveneris de persona ydonea regulariter celebratam, non obstante quod idem frater H. in eodem ordine nondum annum compleverit quamvis jam sit in regula competenter instructus, dummodo aliud canonicum non obsistat, eandem postulationem admittas, eique postmodum munus benedictionis impendas. Datum Viterbii, XIIII kal. Augusti, anno tertio. »

2092 Viterbe, 13 juillet 1257.

Priori S. Trinitatis Londoniensis liberam concedit facultatem corrigendi subjectorum excessus ac revocandi ad eandem ecclesiam fugitivos, regia sive qualibet alia saeculari prohibitione nequaquam obstante. (Reg. 25, a. III, c. 518, f. 63v.)

« .. *priori Sancte Trinitatis Londoniensis, ordinis Sancti Augustini.* Tue favore religionis inducimur, ut tuis precibus, per quas status ecclesie tue conservetur et reformetur in melius, benignius annuamus. Hinc est quod nos desiderantes, ut ecclesie ipsius persone sub regularis observantie disciplina dignum et acceptum impendant Domino famulatum, te illas, prout ad te pertinet, correctionis, sicut expedit, ferula castigante, tuis precibus inclinati, corrigendi subjectorum tuorum excessus ac revocandi ad eandem ecclesiam fugitivos, prout ad officium tuum spectat, regia sive qualibet alia seculari prohibitione nequaquam obstante, liberam tibi, auctoritate presentium, concedimus facultatem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, III idus julii, anno tertio. »

2093 Viterbe, 15 juillet 1257.

Precibus J. tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis inclinatus, Magistro Thomae de Luda mandat, ut Petro Gimundi de Urbe, ipsius papae capellano, in aliqua ecclesiarum civitatis seu provinciae Cantuariensis de beneficio, cujus proventus summam triginta marcarum sterlingorum attingant, providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 519, f. 63v.)

« *Magistro Thome de Luda, rectori ecclesie de Gretfordio, Lincolniensis diocesis, capellano nostro.* Dilectum filium Petrum —. Dat. Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2094 Latran, 27 avril 1257.

Archiepiscopo Terraconensi mandat, quatenus cum nobili viro Raymundo de Gardia, Urgellensis dioecesis, et nobili muliere Portella uxore sua, nepti episcopi Elnensis, quarto consanguinitatis gradu inter se conjunctis, dispenset, juxta continentiam litterarum Innocentii IV, archiepiscopo Narbonensi directarum, quae ante ipsius papae obitum ad eumdem archiepiscopum non pervenerunt. (Reg. 25, a. III, c. 520, f. 63v.)

« .. *archiepiscopo Terraconensi.* Ex parte venerabilis —. Dat. Laterani, V kal. maii, anno tertio. »

2095 Viterbe, 23 juillet 1257.

Abbati monasterii S. Salvatoris Anianensis, qui ad usus hospitalitatis et vestiarii et quotidiani victus conventus dicti monasterii redditus ecclesiarum S. Crucis de Cellanova, S. Martini de Valle Reddenensi et S. Juliani de Aspirano

deputavit, hanc imputationem confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 521, f. 64.)

« .. *abbati monasterii Sancti Salvatoris Anianensis, ordinis Sancti Benedicti, Magalonensis diocesis.* Justis petentium desideriis etc. usque : complere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod Sancte Crucis de Cellanova, Sancti Martini de Valle Reddenensi, et Sancti Juliani de Aspirano ecclesiarum redditus, Magalonensis et Biterrensis diocesium, tam tu, fili abbas, quam predecessores tui, ad quos et monasterium vestrum redditus ipsi spectabant, a longissimis temporibus, hospitalitatis et vestiarii ac pro parte cotidiani victus conventus monasterii usibus deputastis et ad eosdem usus hactenus tenuistis. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hiis a te tuisque predecessoribus provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; districtius inhibentes, ne predicte ecclesie per te vel successores tuos subtrahantur predictis piis usibus, seu ad alios transferantur. Nulli etc. nostre confirmationis et inhibitionis etc. Datum Viterbii, X kalendas augusti, anno tertio. »

2096 Viterbe, 21 juillet 1257.

Cum magistro Joanne de Lucrewich dispensat, ut praeter ecclesiam de Sckefrington, Lincolniensis dioecesis, cujus proventus quindecim marcarum argenti valorem vix excedunt, duo alia beneficia recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 522, f. 64.)

« *Magistro Johanni de Lucrewich, rectori ecclesie de Sckefrington.. Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, XII kal. augusti, anno tertio. »

2097 Viterbe, 21 juillet 1257.

Cum magistro Riccardo de Frecone dispensat, ut praeter duo beneficia et ecclesiam de Sapestone, Norwicensis dioecesis, cujus proventus decem marcarum argenti valorem vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 523, f. 64.)

« *Magistro Riccardo de Frecone, Norwicensis diocesis.* Adjutos virtutum meritis —. Dat. ut supra. »

2098 Viterbe, 27 juillet 1257.

Petro canonico Bononiensi canonicatum et praebendam in ecclesia Patracensi primo vacaturam, ipsi ab Apostolica Sede concessam, et ab electo capituloque Patracensibus publico instrumento ibidem inserto promissam, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 524 [1], f. 64; Potthast 16946.)

« *Petro Canonico Bononiensi, nato nobilis viri Guidonis de Lambertino, civis Bononiensis.* Devotionis tue nobis exhibita petitio continebat, quod, cum nos dilectis filiis.. electo et capitulo Patracensibus preces direxissemus sub certa forma, monita et mandata, ut te in eorum ecclesia reciperent in canonicum et in fratrem, tibique de prebenda, si vacabat vel quamprimum ad id se offerret oportunitas, providerent, decernentes irritum et inane quicquid contra mandatum hujusmodi contingeret attemptari, idem electus postmodum apud Sedem Apostolicam constitutus, ad quem in eadem ecclesia pertinet collatio prebendarum, patrem tuum, tuo nomine liberaliter recipiens, in canonicum ecclesie supradicte, de prebenda hujusmodi tibi providere promisit quamprimum habuerit facultatem, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod per eundem electum in hac parte factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Viterbe, 25 juillet 1257.

« In Dei nomine. Amen. Anno Domini M°. CC°.
« LVII°, die mercurii XXV julii, XV indictionis,
« pontificatus domini Alexandri pape IIII anno tertio. In
« presentia mei notarii infrascripti et testium sub-
« scriptorum, nobilis vir dominus Ugolinus Guidonis
« Lambertini civis Bononiensis, procurator domini
« Petri canonici Bononiensis filii sui, sicut constitit,
« presentavit, nomine ipsius filii sui, domino.. electo
« Patracensi litteras domini Pape, quarum continentia
« talis erat :

Latran, 2 avril 1257.

« Alexander episcopus servus servorum Dei, dilec-
« tis filiis.. electo et capitulo Patracensibus, salutem
« et apostolicam benedictionem. Credentes vos illa
« erga nos et Romanam Ecclesiam devotionis since-
« ritate fervere, ut preces nostras, etiamsi eas pro
« extraneis dirigamus, studeatis effectui mancipare,
« speramus firmiter illas a vobis, cum porriguntur
« pro notis et devotis nostris, eo promptius adimpleri,
« quo de sinceriori affectu procedere dinoscuntur.

« Hinc est quod pro dilecto filio Petro canonico Bononiensi, nato dilecti filii nobilis viri Ugolini Guidonis de « Lambertino, militis Bononiensis, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ipsum, ob reverentiam Apostolice « Sedis et nostram, in ecclesia vestra in canonicum « recipiatis et fratrem, sibique de prebenda, si qua in « eadem ecclesia vacat ad presens, vel quamcito « ad id obtulerit se facultas, liberaliter providere « curetis, non obstante statuto de certo canonicorum « numero, juramento, confirmatione apostolica vel « quacumque firmitate alia roborato, aut quod idem « P. pati dicitur in ordinibus et etate defectum, seu « si vobis communiter vel divisim ab eadem sit Sede « indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneamini, quodque ad id compelli « non possitis per litteras apostolicas plenam et « expressam non facientes de indulto hujusmodi « mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia, « cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus « non expressam aut totaliter non insertam, ipsius P. « receptio vel provisio impediri valeat vel differri; « preces et mandatum nostrum in hac parte taliter « impleturi, quod devotionem vestram dignis exinde « possimus in Domino laudibus commendare. Et ne « idem Petrus hujusmodi provisionis frustrari possit « effectu, decernimus irritum et inane, si secus de « predicta prebenda per quemcumque contigerit attemptari. Datum Laterani, IIII nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

« Qui dominus electus predictus, litteris ipsis « reverenter receptis, statim prefatum dominum Ugolinum, nomine dicti domini Petri, quantum ad se « pertinebat, libere recepit in canonicum et in fratrem, et promisit se provisurum eidem domino « Petro de prebenda quamcito ad id obtulerit se facultas, salvo tamen jure priorum receptorum, si « qui jam recepti sunt in ecclesia Patracensi prescripta. Actum Viterbii, in hospitio in quo hospitatus « erat dictus dominus Patracensis electus, presentibus domino Synibaldo, camerario domini O. Sancte « Marie in Via Lata diaconi cardinalis, domino Jacobino de Prindipartibus et domino Gruamonte civibus et militibus Bononiensibus, ac domino Andalo « milite de Mantua, testibus specialiter ad hoc vocatis. In testimonium autem presentationis, receptionis et promissionis hujusmodi, dominus electus « prescriptus presenti instrumento, ad majorem cautelam predicti domini Petri, sigillum suum appendi « mandavit. Ego Johannes de Campulo Apostolice Sedis « auctoritate notarius, predictis interfui et ea de mandato dicti domini electi in publicam formam redegi. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, VI kalendas augusti, anno tertio. »

2099 Viterbe, 27 juillet 1257.

Archiepiscopo Atheniensi et episcopo Mothonensi mandat, quatenus dictum Petrum canonicum, [natum nobilis viri Guidonis de Lambertino, in ecclesia Patracensi recipi faciant in canonicum eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 524 [2], f. 64v; Potthast 16947.

« .. *archiepiscopo Atheniensi et.. episcopo Mothonensi*. Exhibita nobis dilecti filii —. Dat. ut in alia. »

2100 Viterbe, 22 juillet 1257.

Praeposito et capitulo Aquensibus notum facit se electionem [Guilelmi] Vicedomini, praepositi Grassensis, in Aquensem archiepiscopum confirmare. (Reg. 25, a. III, c. 525 [1], f. 64v.

« .. *preposito et capitulo Aquensibus*. Ecclesia vestra pastoris solatio destituta, vos, presentibus omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, convenientes in unum, prout moris est, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium.. Vicedominum, tunc prepositum Grassensem, capellanum nostrum, virum utique moribus et genere nobilem, dono scientie preditum, ac vite integritate conspicuum, nobisque ac fratribus nostris meritis sue probitatis acceptum, in vestrum elegistis archiepiscopum et pastorem, nobis humiliter supplicantes, ut electionem hujusmodi confirmare, auctoritate apostolica, curaremus. Nos igitur, presentatam nobis electionem eandem facientes examinari, prout convenit, diligenter, quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam, de ipsorum fratrum consilio, duximus confirmandam spe nobis grata proposita quod, auctore illo qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, dicta ecclesia providentie sue studio in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre] per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus eidem electo tamquam patri et

pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac irrefragabiliter observando. Alioquin sententiam, quam ipse rite propter hoc tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Datum Viterbii, XI kalendas augusti, anno tertio. »

2101 Viterbe, 28 juillet 1257.

Episcopo Forojuliensi mandat, quatenus cum aliis suffraganeis ecclesiae Aquensis conveniat, una cum eis, dicto Guilelmo, Aquensi electo, consecrationis munus, postquam in presbyterum promotus fuerit, impensurus. (Reg. 25, a. III, c. 525 [2], f. 64v.

« .. *episcopo Forojuliensi.* Aquensis ecclesia —. Dat. Viterbii, V kalendas augusti, anno tertio. »

2102 Viterbe, 28 juillet 1257.

Electionem ejusdem Guilelmi Vicedomini in Aquensem archiepiscopum confirmat. (Reg. 25. a. III, c. 525 [3], f. 65.

« .. *Vicedomino, Aquensi electo.* Aquensi ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii.. prepositus et capitulum ipsius, presentibus etc. ut in alia, verbis competenter mutatis, usque: pastorem. Nos igitur presentatam nobis electionem hujusmodi facientes examinari, prout convenit, diligenter, quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam, de ipsorum fratrum consilio, duximus confirmandam, supplentes de nostre plenitudine potestatis defectum, si quis in eo extitit, quod in dispensatione facta tibi a felicis recordationis I. papa predecessore nostro ut, non obstante quod de unica virgine uxore jam defuncta, genuisti unicum superstitem filium, licite posses assumi ad pontificalem dignitatem, si te canonice ad eam vocari contingeret, de archiepiscopali alias expressa mentio non fiebat. Sane, sperantes in Domino, quod, auctore illo, qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, dicta ecclesia per providentie tue studium spiritualibus proficiet institutis et temporalibus augebitur incrementis; discretionem tuam monemus attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus ad ecclesiam accedens eandem, ita fideliter et prudenter studeas gerere curam ejus quod tibi per vite meritum et familie tibi credite proficias per exemplum. Datum ut in alia. »

2103 Viterbe, 23 juillet 1257.

Cum Benedicto presbytero, rectore ecclesiae de Semblencaio, intuitu fratris Symonis monachi et procuratoris Majoris Monasterii, avunculi ejus, dispensat, ut unum aliud beneficium recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 526, f. 65.

« *Benedicto presbitero rectori ecclesie de Semblencaio, Turonensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Viterbii. X kal. augusti, anno tertio. »

2104 Viterbe, 11 juillet 1257.

Obtentu magistri Nicholai, capellani sui, archidiaconi Eliensis, cum Wilelmo de Wendling dispensat, ut, praeter ecclesiastica beneficia, quae obtinet, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 527, f. 65.)

« *Willelmo de Wendling, clerico Norwicensis diocesis.* Adjutos virtutum —. Dat. Viterbii, V idus julii, anno tertio. »

2105 Viterbe, 13 juillet 1257.

Cum Joanne de Stutewilla dispensat, ut, praeter ecclesiam de Estletlesham, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 528, f. 65.)

« *Johanni de Stutewilla, rectori ecclesie de Estletlesham, Norwicensis diocesis.* Adjutos virtutum —. Dat. Viterbii, III idus julii, anno tertio. »

2106 Viterbe, 13 juillet 1257.

Cum Rogero de Scaccario, clerico, dispensat, ut, praeter unum beneficium, quod obtinet, duo alia recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 529, f. 65.)

« *Rogero de Scaccario, clerico Lincolniensis diocesis.* Adjutos virtutum —. Dat. ut in alia. »

2107 Viterbe, 21 juillet 1257.

Gerentino et Stronguliensi episcopis mandat, quatenus monasterium Sancti Joannis de Calyvita, de fratribus ordinis Florensis reformare curent. (Reg. 25, a. III, c. 530, f. 65.)

« .. *Gerentie et.. Strongulensi episcopis.* Intellecto dudum, quod monasterium Grecorum Sancti Jo-

hannis de Calyvita, ordinis Sancti Basilii, Rossanensis diocesis, in quo solus abbas cum uno dissoluto monacho morabatur, adeo erat in spiritualibus et temporalibus sine spe resurgendi collapsum, quod de suo non poterat ordine reformari, ad petitionem dilectorum filiorum.. abbatis [1] et conventus Florensis monasterii, per litteras nostras mandavimus, ut de fratribus ordinis Florensis monasterii deberet dictum Grecorum monasterium reformari, presertim cum ad id, sicut dicitur, consensus abbatis ejusdem accedat. Verum, quia nondum est, prout accepimus, in hujusmodi reformatione processum, mandamus, quatinus personaliter accedentes ad locum, si vobis constiterit ita esse, dictum monasterium Sancti Johannis de fratribus ordinis Florensis monasterii, auctoritate nostra, reformare curetis, diocesani episcopi jure salvo, dummodo Florensis ordinis non obviet institutis. Contradictores etc. Datum Viterbii, XII kal. augusti, anno tertio. »

2108 Viterbe, 20 juillet 1257.

Confirmat electionem Joannis quondam monachi monasterii Montis Virginis, in abbatem monasterii Montis Sacri, ordinis S. Benedicti, Sipontinae dioecesis. (Reg. 25, a. III, c. 531, f. 65.)

« *Johanni, abbati monasterii Montis Sacri, ordinis Sancti Benedicti, Sypontine diocesis*. Imminente nobis monasteriorum omnium sollicitudine generali, circa illa merito nos convenit attentioris vigilantie studium adhibere, que Romane Ecclesie nullo medio sunt subjecta. Nuper siquidem ad nostram perlato notitiam, quod monasterium Montis Sacri, quod ad prefatam ecclesiam nullo pertinet mediante, abbatis erat regimine destitutum, ne, propter vacationem diutinam, grave in spiritualibus vel temporalibus detrimentum incurreret, cum ipsius ad nos esset provisio devoluta, dilecto filio nostro O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali providendi eidem monasterio de abbate, plenam et liberam concessimus, vive vocis oraculo, facultatem, qui, de tue circumspectionis industria laudabili testimonio a pluribus fidedignis accepto, te, tunc monasterii Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, Avellinensis diocesis, monachum, de speciali mandato nostro, eidem prefecit monasterio in abbatem, ac de ipsius abbatia per suum pileum investivit, mandans ab ejusdem monasterii subditis exhiberi tibi debitam obedientiam et reverentiam, et de suis juribus plenarie responderi, prout in publico instrumento confecto exinde ac prefati cardinalis sigillo munito plenius continetur. Nos itaque, tuis precibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, ejusdem instrumenti tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Viterbe, 15 juillet 1257.

« Octavianus miseratione divina Sancte Marie in « Via Lata diaconus cardinalis religioso viro fratri « Johanni, abbati monasterii Montis Sacri, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis « Sancti Benedicti, Sipontine diocesis, salutem in Domino. Intellecto nuper dominus papa, quod monasterium Montis Sacri esset abbatis regimine destitutum et ipsius provisio ad Sedem Apostolicam « devoluta, demum ordinationem seu provisionem « ejusdem monasterii nobis commisit oraculo vive « vocis. Nos vero, ne monasterium ipsum propter vacationem diutinam grave incurreret detrimentum, « te, quondam monachum Montis Virginis, ordinis « Sancti Benedicti, Avellinensis diocesis, de cujus industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, de « speciali mandato ipsius domini pape, dicto monasterio Montis Sacri preficimus in abbatem et de ipso « per nostrum pilleum investimus, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in « temporalibus committentes, ac mandantes ab ipsius « monasterii subditis tibi tamquam monasterii ipsius « abbati obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, « et de suis juribus plenarie responderi, in contradictores, si qui fuerint, vel rebelles excommunicationis sententiam promulgando. In cujus rei testimonium, presens publicum instrumentum fieri mandavimus sigilli nostri appensione munitum. Actum « Viterbii, in hospitio dicti domini cardinalis, coram « venerabili patre A. episcopo Humanatensi, magistro « Uberto de Chochenato et domino Guidone de Sancto « Cassiano canonico Pisano, domini pape capellanis, « magistro R. decano Civitatensi et aliis capellanis « et familiaribus dicti domini cardinalis presentibus « et rogatis testibus, anno Domini M.CC.LVII, idibus julii, quintedecime indictionis, pontificatus

1. *Ms.* : abbas.

« domini Alexandri pape IIII, anno tertio. Ego Rodul-« fus de Podiobonizi, imperiali auctoritate notarius « publicus, suprascriptis interfui et de mandato pre-« dicti domini cardinalis scripsi et publicavi. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, XIII kalendas augusti, anno tertio. »

2109 Viterbe, 19 juillet 1257.

Roffrido capellano suo indulget, ut fructus omnium praebendarum, quas in ecclesiis regni Franciae obtinet, ubicumque fuerit percipere valeat, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 25, a. III, c. 532 [1], f. 65v.)

« *Roffrido capellano nostro, nepoti magistri Jordani subdiacono et notarii nostri.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Viterbii, XIIII kal. augusti, anno tertio. »

2110 Viterbe, 19 juillet 1257.

Prioribus Beatae Mariae de Campis et de Confluentio mandat, quatenus supradicto Roffrido fructus beneficiorum, juxta supradictae concessionis tenorem, faciant integre ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 532 [2], f. 65v.)

« .. *Beate Marie de Campis et.. de Confluentio prioribus, ordinis S. Benedicti.* Volentes dilecto filio Roffrido —. Dat. Viterbii, XIIII kal. augusti, anno tertio. »

2111 Viterbe, 15 juillet 1257.

Priori de Spineto et magistro Massaro canonico Marsicano mandat, quatenus magistrum Nicholaum, Eliensem archidiaconum, ab aliquibus molestari non permittant. (Reg. 25, a. III, c. 533, f. 65v.)

« .. *priori de Spineto, Norwicensis diocesis, et magistro Massaro, canonico Marsicano.* Quia nimis excresceret audacia plurimorum et in aliorum offensas eorum temeritas insaniret, si virga deficeret corrigentis, expedit, ut presidentis providentia castigetur temeraria presumptio subditorum. Cum igitur dilectus filius magister Nicolaus Elyensis archidiaconus capellanus noster, sicut, eo referente, accepimus, a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, super juribus archidiaconatus Elyensis et aliis beneficiis ecclesiasticis, que in regno Anglie obtinet, et libertatibus ad ipsa spectantibus multipliciter molestetur; nos etiam ipsius archidiaconi providere quieti, et molestantium malitiis congruis remediis obviare volentes, mandamus, quatinus eidem favorabiliter defensionis presidio assistentes, non permittatis, per vos vel per alium, ipsum, super juribus, beneficiis et libertatibus predictis, necnon indulgentiis, privilegiis, gratiis, confirmationibus sibi ab Apostolica Sede concessis, ab aliquibus videlicet molestari. Molestatores hujusmodi etc, presentibus post septennium minime valituris, non obstante aliqua indulgentia alicui persone vel loco concessa, de qua in presentibus oporteat plenam et expressam fieri mentionem, et constitutione de duabus dietis etc., dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam diocesim aliquis auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Quod si non ambo etc. Datum Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2112 Anagni, 15 octobre 1256.

Confirmat litteras, quibus Thomas Remensis archiepiscopus statuit parrochiam de Novavilla in duas parrochias esse dividendam et assignat ad usus infirmariae monasterii S. Nichasii Remensis decimas villae de Fontenelles, quae a presbytero de Novavilla solebant percipi. (Reg. 25, a. III, c. 534 [1], f. 66.)

« .. *abbati et conventui Sancti Nichasii Remensis, ordinis Sancti Benedicti.* Cum a nobis petitur etc. usque : effectum. Sane, petitio vestra nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster.. archiepiscopus Remensis attendens quod numerus parrochianorum ecclesie de Novavilla, in qua jus patronatus habetis, Remensis diocesis, erat adeo augmentatus, quod unus rector ad curam non sufficiebat ipsius, et quod ejusdem ecclesie redditus et proventus adeo pingues erant, quod poterant sufficere pluribus competenter, ad parrocchianorum ipsorum et.. rectoris ecclesie predicte instantiam, in duas partes parrochiam divisit eandem, ad curam alterius earum idoneo rectore ad presentationem vestram in ipsa ecclesia instituto, ac ei portione congrua de proventibus supradicte ecclesie deputata, et quia infirmaria ipsius monasterii adeo tenues habebat redditus, quod infirmis ibidem degentibus non poterant congrue necessaria ministrari, idem archiepiscopus certam de proventibus prefate ecclesie portionem usui eorumdem infirmorum perpetuo deputavit, prout in litteris inde confectis, ejusdem

archiepiscopi sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem archiepiscopo factum est ratum et gratum habentes, ac supplentes defectum, si quis in hoc fuit ex eo, quod Remense capitulum non consensit, de plenitudine potestatis id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Juillet 1253.

« Thomas, Dei gratia Remensis archiepiscopus, universis presentes litteras visuris, salutem in Domino. « Noverit universitas vestra, quod, cum in parrochia « de No va villa in Thierasca, nostre diocesis, tria « sunt altaria, videlicet : Novavilla, Altumvillare et « Fousis, preterea decime cujusdam ville, que dicitur « Fontenelles, a presbitero de Novavilla percipi con« sueverint ab antiquo, licet predicta villa de Fonte« nelles extra fines dicte parrochie de Novavilla sita « sit, ut dicitur, nec presbiter de Novavilla curam ha« buerit animarum parrochianorum dicte ville de Fon« tenelles, nos, attendentes quod parrochiani commo« rantes in illis diversis locis predictis ad ecclesiam « predictam de Novavilla, propter locorum distantiam, « incrementum populi et viarum discrimina, de facili « nequeant accedere pro recipiendis ecclesiasticis sa« cramentis, volentesque animarum periculis dicto« rum parrochianorum obviare et presbiteri loci « ejusdem successorumque ipsius providere saluti,et « quod ipsius ecclesie facultates quod sufficiunt dua« bus parrochialibus ecclesiis et adhuc longe amplius « adeo excreverunt, de consensu virorum religioso« rum.. abbatis et conventus Sancti Nichasii Re« mensis, quibus ipse ecclesie in temporalibus subesse « dinoscuntur, et qui in ipsis ecclesiis et locis jus ob« tinent patronatus, magistrique Drouardi presbiteri « de Novavilla predicta accedente consensu, qui « omnes nobis dederunt potestatem ordinandi et sta« tuendi de premissis omnibus ut vellemus, dictam « parrochiam sic duximus dividendam, videlicet, quod « villa de Novavilla per se sit parrochia et presbiter « dicte ville, qui pro tempore erit, fructus, proventus « decimas, obventiones, oblationes aliaque omnia ad « dictam parrochialem ecclesiam infra territorium « dicte ville pertinentia percipiet in perpetuum, prout « est hactenus consuetum. Altumvillare vero et Fou« sis similiter per se sit parrochia et in villa de Fousis « sit ecclesia baptismalis, et presbiter, qui pro tem« pore erit, infra territorium dictarum villarum dua« rum oblationes et alia percipiet, eodem modo quo « de presbitero de Novavilla superius est expressum. « Quia vero monasterium Sancti Nichasii Remensis « onere debitorum quasi importabili est oppressum, ita « quod monachi ejusdem monasterii in infirmaria po« siti, juxta egritudinem qualitates in victualibus, « quod miserabile est referre, et in aliis vite necessa« riis multotiens patiuntur defectum, cum ipsius in« firmarie redditus sint tenues et exiles, ipsius in« firmarie necessitate inspecta atque etiam equitate « pensata, ipsis ecclesiis parrochialibus sustentatione « congrua reservata, decimas de Fontenelles, quas « presbiter de Novavilla usque nunc solebat perci« pere, dicto monasterio ad usus infirmarie assigna« vimus,ab eodem monasterio in perpetuum possiden« das. In cujus rei testimonium, presentes litteras « sigilli nostri munimine duximus roborandas. Actum « anno Domini M.CC. quinquagesimo tertio, mense « julio. »

« Nulli (etc.) nostre suppletionis et confirmationis etc. Datum Anagnie, idibus octobris, anno secundo. »

2113 Latran, 12 mai 1257.

Abbati monasterii Gemblacensis mandat, quatenus contra supradictae confirmationis tenorem abbatem et conventum S. Nichasii Remensem ab aliquibus molestari non permittat. (Reg. 25, a. III, c. 534 [2], f. 66.)

« .. *abbati monasterii Gemblacensis, Leodiensis diocesis*. Lecta coram nobis —. Dat. Laterani, IIII idus maii, anno tertio. »

2114 Viterbe, 23 juillet 1257.

Confirmat sententiam ab O[done] Tusculano episcopo et J[oanne] S. Laurentii in Lucina et H[ugone] S. Sabinae presbyteris cardinalibus latam, in causa, quae inter abbatem et diffinitores monasterii Arroasiae ex una parte et nonnullos abbates ejusdem ordinis ex altera, vertebatur. (Reg. 25, a. III, c. 535, f. 66.)

« .. *abbati Arroasie, Atrabatensis diocesis*. Cum tu et diffinitores tui ordinis duxissetis olim super statuto de esu carnium in refectorio, auctoritate apostolica ordinandum, ut quilibet conventus ipsius ordinis ter in ebdomada carnibus in refectoriis vesci possent,

mutandi, corrigendi et addendi reservata nobis nichilominus potestate, dilecti filii.. Sancti Leodagarii,.. Sancti Crispini in Cavea Suessionensis,.. Sancti Eligii Fontis,.. de Castellione et.. de Castriciis abbates eorumque conventus et alii adherentes eisdem, prefati ordinis, metuentes ordinationem ipsam per reservationem hujusmodi posse in deterius immutari, orta super hoc inter te et diffinitores ipsos ex parte una et eosdem abbates et conventus ac adherentes ex altera, materia questionis, ad Sedem Apostolicam recurrerunt. Porro venerabilis frater noster O. Tusculanus episcopus et dilecti filii nostri I., tituli Sancti Laurentii in Lucina et H., tituli Sancte Sabine, presbiteri cardinales, pacis et concordie vestri ordinis amatores, attendentes quod caritas vestra hujusmodi poterat sauciari dissidio et ordo ipse irreparabilem subire scissuram, obtenta super hoc ordinandi pro toto eodem ordine a nobis vive vocis oraculo plenaria potestate, hujusmodi potestatis auctoritate, de consensu et voluntate procuratorum partium, in hac parte provide ac salubriter ordinarunt, prout in litteris inde confectis et ipsorum episcopi et cardinalium sigillis munitis plenius perspeximus contineri. Nos itaque, quod super hoc ab eisdem episcopo et cardinalibus factum est ratum et firmum habentes, ac defectum, si quis in eo ex quacumque causa extiterit, supplentes de plenitudine potestatis, ac tibi tuisque coabbatibus et conventibus universis prefati ordinis, ne contra ordinationem ipsam futuris venire temporibus quomodolibet valeatis, perpetuum silentium imponentes, id per nostras duximus litteras confirmandum. Quia vero digne volumus, ut hujusmodi provida et salubris ordinatio dictorum episcopi et cardinalium perpetuis futuris temporibus firmiter observetur, faciendi observari ordinationem eandem inviolabiliter ab omnibus et singulis professoribus supradicti ordinis et compescendi contradictores, si qui fuerint, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam tibi et duobus de diffinitoribus memorati ordinis in capitulo Arroasie a diffinitoribus ejusdem capituli annis singulis eligendis, auctoritate presentium, liberam concedimus facultatem; non obstante contraria consuetudine ordinis supradicti, aut si aliquibus quod interdici, suspendi seu etiam excommunicari non possint a Sede Apostolica sit indultum, seu constitutione de duabus dictis edita in concilio generali. Quod si dicti duo diffinitores hiis exequendis noluerint vel nequiverint interesse, tu ea nichilominus exequaris. Datum Viterbii, X kalendas augusti, anno tertio. »

2115 Latran, 9 avril 1257.

Joanni clerico, in ecclesia S. Antonini Placentina, auctoritate litterarum Innocentii IV recepto in canonicum, sed constitutione quadam generali destituto, jus canonicatus restituit. (Reg. 25, a. III, c. 536[1], f. 66v.)

« *Johanni clerico, nato nobilis viri Hugonis de Camezano, consanguinei O. S. Adriani diaconi cardinalis, Jannensis diocesis.* Ex serie tue petitionis —. Dat. Laterani, V idus aprilis, anno tertio. »

2116 Latran, 9 avril 1257.

Magistro Girardo de Petrabaldano mandat, quatenus supradicto Joanni clerico, juxta restitutionis tenorem, praebendam conferre procuret. (Reg. 25, a. III, c. 536[2], f. 66v.)

« *Magistro Gerardo de Petrabaldano, capellano nostro, canonico Parmensi.* Ex serie dilecti filii —. Dat. ut alia. »

2117 Viterbe, 31 juillet 1257.

Episcopo Magalonensi mandat, quatenus cum Guillelmo de Puteo et Ricarda nata quondam Petri Rigaldi de Montepessulano, de quodam impedimento matrimonii dispenset. (Reg. 25, a. III, c. 537, f. 66v.)

« .. *episcopo Magalonensi.* Ex parte dilecti filii Guillelmi de Puteo laici, tue diocesis, fuit propositum coram nobis, quod ipse olim cum dilecta in Christo filia Ricarda nata quondam Petri Rigaldi de Montepesulano, predicte diocesis, quondam Beatricem uxorem ipsius Willelmi quarta consanguinitatis linea contingente, matrimonium per verba de presenti contraxit, et quia ex ipsorum divortio si celebrari contingeret inter eos grave scandalum et inimicitie capitales inter utriusque consanguineos evenirent, fuit nobis humiliter supplicatum, ut dispensare cum ipsis, quod impedimento affinitatis hujusmodi non obstante, in sic contracto matrimonio remanere valeant, curaremus. Quocirca mandamus, quatinus cum G. et R. predictis, quod ejusdem affinitatis impedimento nequaquam obstante, in matrimonio ipso licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses. Datum Viterbii, II kal. augusti, anno tertio. »

2118 Viterbe, 9 juin 1257.

Magistro Waltero de Exonia indulget, ut, praeter archidiaconatum Surreye et alia beneficia, quae obtinet, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 538, f. 67.)

« *Magistro Waltero de Exonia, archidiacono Surreye, capellano nostro.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

2119 Viterbe, 31 juillet 1257.

Generalem, rectorem et fratres de Paenitentia Jesus Christi sub beati Petri et sua protectione suscipit eisque nonnulla jura et immunitates concedit. (Reg. 25, a. III, c. 539, f. 67.)

« .. *generali,.. rectori et fratribus de Penitentia Jhesu Christi tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus etc. usque : infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et domos vestras, in quibus Domino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus ; in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in domibus ipsis auctoritate apostolica institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, preterea quascumque possessiones, quecumque bona eedem domus inpresentiarum juste et canonice possident aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis loca ipsa, in quibus prefate domus site sunt cum omnibus pertinentiis suis. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in domibus vestris professionem, fas sit sine rectoris sui licentia de eisdem locis, nisi artioris religionis obtentu, discedere. Discedentem vero, absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre etc. usque : interdicto. Oleum vero sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte Romane Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Obeunte vero generali rectore vestro, nullus vobis qualibet subreptionis astutia seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu vel eorum major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini regulam, providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque : infra clausuras domorum vestrarum nullus rapinam etc. usque : exercere. Preterea omnes libertates etc. usque : communimus. Decernimus ergo, ut nulli homnino hominum liceat prefatas domos temere perturbare etc. usque : profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum etc. usque : ultioni. Cunctis autem etc. usque : Amen. Amen. Datum Viterbii per manum magistri Jordani, sancte Romane Ecclesie subdiaconi et notarii, II kalendas augusti, indictione XV, Incarnationis dominice anno M.CC.LVII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno tertio. »

2120 Viterbe, 2 juin 1257.

Archiepiscopo et capitulo Compostellanis mandat, quatenus in canonicum recipiant Joannem Martini clericum chori ecclesiae Compostellanae eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 540, f. 67.)

« .. *archiepiscopo et capitulo Compostellanis.* Etsi ad provisionem —. Dat. Viterbii, IIII nonas junii, anno tertio. »

2121 Viterbe, 2 août 1257.

Magistro Riccardo de Montibus clerico indulget, ut ecclesias de Tholevasto et de Ortona, Constantiensis et Roffensis dioecesium, insimul retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 541, f. 67v.)

« *Magistro Riccardo de Montibus, clerico Constantiensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Viterbii, IIII nonas augusti, anno tertio. »

2122 Viterbe, 16 juin 1257.

Joanni priori prioratus de Rocheta indulget, ut quoddam officium in Mauriacensi monasterio, Claromontensis dioecesis,

usque ad triennium retinere valeat. Reg. 25, a. III, c. 542, f. 67v.

« *Johanni priori prioratus de Rocheta, Parmensis diocesis.* Ecclesiarum vastitati, quam exercuit crudelitas tyrannorum, paterno compatientes affectu, libenter illa concedimus, per que status earum in melius reformetur. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, quondam F. olim Romanorum imperator preter alia dampna et gravamina, que intulit tuo prioratui de Rocheta, ecclesias et grangias ipsius totaliter devastavit ac .. decanus monasterii Mauriacensis, Claromontensis diocesis, tibi, de consensu conventus sui, officium quoddam curam animarum non habens in dicto monasterio, quod infirmaria et elemosina dicitur, XX librarum Turonensium valentiam annis singulis non excedens, contulerit in tuarum subsidium expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut tibi retinendi dictum officium cum eodem prioratu de permissione nostra liceret ad tuam conscientiam serenandam. Nos itaque, considerantes quod ex proventibus ipsius adjutus, officii utilius intendere reformationi ejusdem poteris prioratus, tuis supplicationibus inclinati, tecum quod prefatum officium usque ad triennium una cum dicto prioratu libere valeas retinere, constitutione vel consuetudine contraria non obstante, auctoritate apostolica dispensamus; proviso quod prioratus et officium hujusmodi debitis obsequiis non fraudentur. Nulli (etc., nostre dispensationis etc. Datum Viterbii, XVI kal. julii, anno tertio. »

2123 Viterbe, 30 juillet 1257.

Cum Joanne nato nobilis viri J. comitis Burgundiae, domini Salinensis, et Helizabeth uxore ejus, de quodam impedimento matrimonii dispensat. Reg. 25, a. III, c. 543, f. 67v.

« *Johanni nato nobilis viri J. comitis Burgundie domini Salinensis et Helizabeth uxori ejus.* Attenta Sedis Apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans, quibusdam interdum concedit aliqua de plenitudine potestatis, que alias minime indulgeret, et quedam aliquando denegat, que aliis forsan temporibus largiretur, dispensans oportune, juxta[1] qualitatem temporum, suarum munera gratiarum, nunc ea impendendo benigne, nunc autem, inspecta utrobique ipsius qualitate temporis, merito denegando, ut in his quod utile ac salubre fore perspexerit semper agat. Hinc est quod cum vos, sicut nobis exponere curavistis, in quarto consanguinitatis ac tertio et quarto affinitatis gradu vos ad invicem contingentes, matrimonium duxeritis contrahendum, in quo ut licite remanere possitis nobis humiliter supplicastis. Nos, attendentes devotionem, quam nobilis vir J. comes Burgundie dominus Salinensis pater tuus, fili Johannes, ad Apostolicam Sedem habet, necnon et favorem, quem eidem Sedi per vos et vestros multipliciter exhibere potestis, ac dampnosum scandalum quod ex divortio, si fieret, sequi posset, vestris et prefati comitis devotis precibus benignum impertientes assensum, ut, impedimento non obstante predicto, in hujusmodi matrimonio sic contracto licite remanere possitis, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli nostre dispensationis etc. Datum Viterbii, III kalendas augusti, anno tertio. »

1. *Ms.* : justa.

2124 Viterbe, 7 août 1257.

Abbati et conventui monasterii Fossae Novae villam, quae dicitur Adriana, Agrigentinae dioecesis, concedit. Reg. 25, a. III, c. 544, f. 67v.

« .. *abbati et conventui monasterii Fosse Nove, Cisterciencis ordinis, Terracinensis diocesis.* Injuncti officii sollicitudo nos admonet, ut de personis religiosis sollicite cogitantes, eas speciali favore ac gratia prosequamur. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, in monasterio vestro vacetur hospitalitatis officio, ac propter hoc et alias necessitates multiplices multa subire vos oporteat onera expensarum, nos, volentes vobis in hac parte paterna sollicitudine providere, ut hec onera commodius supportare possitis, vestris supplicationibus inclinati, villam, que dicitur Adriana, Aggrigentine diocesis, ad demanium curie pertinentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, vobis et per vos monasterio vestro concedimus et donamus de gratia speciali libere ab ipso monasterio in perpetuum retinendam, non obstantibus si quondam Fr. olim Romanorum imperator post latam in eum depositionis sententiam, vel Conradus natus ejus, aut officiales et fautores eorum predictam villam alii contulerunt, et litteris apostolicis, si que super confirmatione collationis hujusmodi forsitan emanarunt. Nulli etc. nostre

concessionis etc. Datum Viterbii, VII idus augusti, anno tertio. »

2125 Viterbe, 3 août 1257.

Eustachio de Morgis indulget, ut praepositurain ecclesiae Valentinae ac S. Andree de Codiveestre et S. Joannis de Socheby ecclesias, Lincolniensis et Londoniensis dioecesium, insimul retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 545, f. 67v.)

« *Eustachio de Morgis, preposito ecclesie Valentine*. Vite laudabilis —. Dat. Viterbii, III nonas augusti, anno tertio. »

2126 Viterbe, 3 août 1257.

« Cum magistro Martino dispensat, ut praeter magisterium scholarum ecclesiae Ispalensis, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 546, f. 67v.

« *Magistro Martino, magistro scholarum ecclesie Ispalensis*. Licet ne quis —. Dat. Viterbii, III nonas augusti, anno tertio. »

2127 Viterbe, 23 juillet 1257.

Magistro Joanni de Ferreria indulget, ut praeter ecclesiam de Condeto, duo alia beneficia recipere valeat. (Reg. 25, a. II, c. 547, f. 68.

« *Magistro Johanni de Ferreria canonico Turonensi*. Etsi propter ambitiones —. Dat. Viterbii, X kal. augusti, anno tertio. »

2128 Viterbe, 3 août 1257.

Decano et capitulo ecclesiae S. Laurentii de Jonvilla mandat quatenus Joannem de Cathalauno dictum Innocent, pauperem clericum, in canonicum recipiant eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 548, f. 68.

« .. *decano et capitulo ecclesie S. Laurentii de Jonvilla, Cathalaunensis diocesis*. Affectionis paterne studium —. Dat. Viterbii, III nonas augusti, anno tertio. »

2129 Viterbe, 17 juillet 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam de Roccacuria in beatae Mariae Virginis festivitatibus accesserint, quadraginta dies de injunctis paenitentiis relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 549, f. 68

« .. *rectori ecclesie de Roccacuria, Remensis diocesis*. In sanctorum festivitatibus —. Dat. Viterbii, XVI kal. augusti, anno tertio. »

2130 Viterbe, 23 juillet 1257.

Abbati et conventui monasterii de Cultura Cenomanensis mandat, quatenus magistro Johanni de Ferreria, canonico Turonensi, de aliquo prioratu, ad collationem dicti abbatis spectante, consueto clericis saecularibus assignari, liberaliter provideant. (Reg. 25, a. III, c. 550, f. 68.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Cultura Cenomanensis, ordinis S. Benedicti*. Ne liberalitas —. Dat. Viterbii, X kal. augusti, anno tertio. »

2131 Viterbe, 1er août 1257.

Intuitu Joannis tituli S. Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, Rogerum dictum Maromon in capellanum suum recipit. (Reg. 25, a. III, c. 551, f. 68.)

« *Rogero dicto Maromon, capellano nostro, rectori ecclesie de Kyrkeby Orbloers, Eboracensis diocesis*. Suggerente laudabili —. Dat. Viterbii, kalendis augusti, anno tertio. »

2132 Anagni, 16 octobre 1256.

Remissionem procurationum seu gistarum archiepiscopis Remensibus ratione visitationis debitarum, a Thoma, Remensi archiepiscopo, ad instar Renaldi et Juhelli ejus predecessorum, abbati et conventui monasterii S. Nichasii Remensis concessam, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 552[1], f. 68v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Nichasii Remensis, ordinis Sancti Benedicti*. Cum a nobis petitur etc. usque : effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod bone memorie Gervasius fundator monasterii vestri, ac Renaldus et Juhellus, Remenses archiepiscopi, procurationes seu gistas eis ratione visitationis debitas, vobis tam in eodem monasterio quam in membris ejus, pia liberalitate et provida perpetuo remiserunt, prout in eorum litteris inde confectis plenius continetur, ac venerabilis frater noster Thomas Remensis archiepiscopus, successor eorum, litteras ipsas et quicquid per dictos predecessores suos factum extitit approbans, recognovit se vel Remensem ecclesiam nichil juris habere in eodem monasterio vel in membris predictis quoad procura-

tiones et gistas easdem, si quod jus habebat in eis vobis totaliter remittendo, et ab eorum prestatione vos immunes esse et liberos decernendo, prout in litteris inde confectis et ejus sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc factum est ratum et gratum habentes ac supplentes defectum in hoc, si quis fuit ex eo, quod Remense capitulum non consensit, de plenitudine potestatis, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem earumdem litterarum ipsius Thome archiepiscopi de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Février 1255.

« Thomas, Dei gratia Remensis archiepiscopus, « universis presentes litteras visuris, in Domino sa-« lutem. Noverint universi quod, cum nos in monas-« terio Sancti Nichasii Remensis et tam in capite quam « in membris dicti monasterii gista et procurationes « peteremus, abbas et conventus dicti loci, coram « nobis propter hoc constituti, dixerunt se ad dicta « gista et procurationes persolvendas aliquatenus « non teneri et ad immunitatem et libertatem suam « super premissis obstendendam multas rationes pro-« posuerunt. Inter alia exhibuerunt coram nobis ad « defensiones suas super premissis, quasdam litteras « bone memorie Juhelli et Renaudi quondam Remen-« sium archiepiscoporum antecessorum nostrorum, « quarum tenor talis est :

Juin 1249.

« Juhellus Dei gratia Remensis archiepiscopus « universis presentes litteras inspecturis in Domino « salutem. Noverint universi quod, cum nos in monas-« terio Sancti Nichasii Remensis et tam in capite « quam in membris dicti monasterii gistas et procu-« rationes peteremus,.. abbas et conventus dicti loci, « coram nobis propter hoc constituti, dixerunt se ad « dictas gistas et procurationes persolvendas ali-« quatenus non teneri, et ad immunitatem et liberta-« tem suam super premissis ostendendam multas ra-« tiones proposuerunt. Inter alia exhibuerunt coram « nobis ad defensiones suas super premissis quasdam « litteras bone memorie Renaudi quondam Remensis « archiepiscopi, antecessoris nostri, quarum tenor « talis est :

Reims 1229.

» Pastoralis cura, quam Deo disponente suscepi-« mus, nos indesinenter ammonet oppressis subvenire « et quibuslibet anxietatibus attritis compassionis « manum porrigere. Ego itaque Renaudus, Remensis « ecclesie indignus sacerdos, considerans fratres (qui) « in monasterio Beati Nichasii martiris degunt, die « noctuque Deo desudantes, plurimis angi necessita-« tibus, universitati preterea fidelium notum facere « dignum duco, quod, cum abbatem et fratres ecclesie « Sancti Nichasii Remensis impetissem super quibus-« dam, que ad jus meum spectare credebam, gistis « videlicet et procurationibus, tam in prefata ecclesia « quam in ejus membris, predicti fratres nulli antece-« sorum meorum tale quid se unquam reddidisse « dixerunt. Insuper et privilegium reverendi patris « nostri Alexandri pape secundi super hujusmodi liber-« tate et immunitate, necnon et scripta venerabilis « predecessoris Gervasii Remorum archiepiscopi, qui « jamdictam ecclesiam extruxerat, sed et litteras « domini Philippi illustris Francorum regis super « eadem libertate michi attulerunt. Ego vero, inspecto « tenore predictorum scriptorum et notata ex eorum « notitia prefate ecclesie libertate, de sapientum viro-« rum consilio, calumpniam, quam adversus prenomi-« natos fratres habebam, eis omnino remisi et a « prefatis querelis liberos et immunes esse decrevi[1] et « ut malignandi locum successoribus meis nullum « relinquam, presenti pagine inserere dignum duxi. « Signum Hugonis archidiaconi. Signum Frederici « prepositi. Signum Hugonis thesaurarii. Signum « Leonis cantoris. Signum Adam, signum Ermanrici, « signum Alberti, signum Oddonis, signum Henrici « presbiterorum. Signum Gervasii, signum Gerardi, « signum Guidonis, signum Raneri, signum Bosonis, « signum Johannis diaconorum. Signum Albrici, « signum Ammalrici, signum Petri, signum Gerardi « Guidonis subdiaconorum. Actum Remis, anno in-« carnati Verbi M. CC. XXIX, indictione VI, regnante « Ludovico rege Francorum, anno regni ejus XIX, « archiepiscopatus autem domini Reinaldi, anno ter-« tio. Fulcradus cancellarius scripsit et subscripsit ».

« Nos vero, predictas litteras a dicto Renaudo pre-« fate ecclesie concessas laudamus, approbamus et « confirmamus, et dictos fratres a dictis gistis et pro-

1. *Ms.* : dicrevi.

« curationibus, exactionibus et servitiis absolvimus, et « profitemur nos et ecclesiam nostram in dictis gistis « et procurationibus, exactionibus et servitiis nichil « juris habere, et si quod habemus tam in capite quam « in membris abbati et fratribus supradictis omnino « remittimus et refutamus et a dictis prestationibus « eos immunes et liberos, nomine nostro et ecclesie « nostre, esse decernimus. In cujus rei testimonium « presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus « roborari. Actum anno Domini M. CC. XLIX, « mense junio. »

« Nos vero predictas litteras a dictis Juhello et « Renaudo prefate ecclesie concessas laudamus, « approbamus et confirmamus, et dictos fratres a « dictis gistis et procurationibus, exactionibus et « servitiis assolvimus et profitemur nos et ecclesiam « nostram Remensem in dictis gistis et procurationi- « bus, exactionibus et servitiis nichil juris habere « et si quod habemus, tam in capite quam in membris, « ..abbati et fratribus supradictis omnino remittimus et « refutamus, et a dictis prestationibus eos immunes, « nomine nostro et ecclesie nostre Remensis, esse « decernimus. In cujus rei testimonium, presentem « paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. « Actum anno Domini M. CC. LV, mense februario. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Anagnie, XVII kalendas novembris, anno secundo. »

2133 Latran, 12 mai 1257.

Abbati monasterii Gemblacensis mandat, quatenus abbatem et conventum monasterii S. Nichasii Remensis, contra confirmationis supradictae tenorem, ab aliquibus molestari non permittat. (Reg. 25, a. III, c. 552[2], f. 69.)

« .. *abbati monasterii Gemblacensis*, *Leodiensis diocesis*. Petitio dilectorum filiorum —. Dat. Laterani IIII idus maii, anno tertio. »

2134 Viterbe, 30 juillet 1257.

Decano et capitulo Lingonensibus mandat, quatenus magistrum Petrum de Besua clericum, in canonicum recipiant eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 553, f. 69.)

« .. *decano et capitulo Lingonensibus*. Affectionis paterne studium —. Dat. Viterbii, III kal. augusti, anno tertio. »

2135 Viterbe, 30 octobre 1257.

Episcopo Maltensi mandat, quatenus mandatum Innocentii quondam papae super negotio magistri Mathaei de Panormo exequi non postponat, nec magistrum Joanuem Spata hac occasione ab aliquibus molestari permittat. (Reg. 25, a. III, c. 554, f. 69; Rodenberg, t. III, nº 466.)

« .. *episcopo Maltensi*. Sedes Apostolica, diligenti deliberatione considerans merita singulorum, eos, quos ab experto novit emeritos et devotos, remunerat gratia beneficentie specialis. Cum itaque dilectus filius magister Johannes Spata, subdiaconus et capellanus noster, de speciali mandato et auctoritate felicis recordationis I. pape predecessoris nostri privans sententialiter personatu, dignitate, prebendis et ecclesiasticis beneficiis universis venerabilem fratrem nostrum magistrum Matheum de Panormo nunc episcopum, tunc canonicum Syracusanum, pro eo quod illis olim se indignum reddiderat, insistendo tunc servitiis quondam Fr. olim imperatoris etiam post depositionem ipsius, ea omnia eadem auctoritate de speciali gratia et mandato ipsius predecessoris dilecto filio Johanni dicto Sacco canonico Panormitano conferre curarit et idem predecessor si[bi] ea omnia confirmarit nosque postmodum quod ab eisdem capitulo et predecessore factum extitit in hac parte gratum habuerimus et acceptum, non obstantibus aliquibus collationibus, confirmationibus et litteris a Sede Apostolica vel legatis ipsius sub quacumque forma in ejus prejudicium postmodum impetratis vel etiam in posterum impetrandis, te ad instar prefati predecessoris super hiis executore concesso, tu in favorem, ut dicitur, aliquorum mandatum apostolicum interim exequi distulisti, in ipsius Johannis non modicum prejudicium et gravamen. Cum igitur, quod incepimus in hac parte de canonico supradicto, quem ob devotionem precipuam, quam ad nos et Apostolicam Sedem habet, favore prosequimur gratie specialis, relinqui nolimus aliquatenus imperfectum : fraternitati tue iterato firmiter et districte in virtute obedientie per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus mandatum apostolicum super hiis exequi non postponas juxta priorum continentiam litterarum, non obstantibus aliquibus suspensionibus, revocationibus, refutationibus vel lapsibus temporum aliquorum. Nos enim decernimus irritum et inane quicquid super premissis in ejusdem Johannis prejudicium et gravamen a quocumque postmodum extitit attemptatum, vel attemptari contigerit

in futurum, idque per te volumus et mandamus cassum et irritum nuntiari; contradictores etc. Datum Viterbii, III kalendas novembris, anno tertio. »

2136 Viterbe, 13 août 1257.

Episcopo Ratisbonensi inhibet, ne castra de Hohemburch et de Rorbach alienare praesumat. (Reg. 25, a. III, c. 555, f. 69v; Rodenberg, t. III, nº 463.)

« .. *episcopo Ratisponensi*. Ad audientiam nostram pervenit, quod cum castrum de Hohemburch cum suis appenditiis ab antiquo ad ecclesiam Ratisponensem proprietatis titulo pertineret, Dipoldus, marchio de Voheburch et heredes sui castrum ipsum aliquot annis detinuerunt per violentiam occupatum, cui marchioni cum Berhtoldus et fratres sui postmodum successissent et dictum castrum cum suis pertinentiis detinerent, tandem dictus Berhtoldus jus, quod ecclesia ipsa in eisdem habebat castro et pertinentiis, recognoscens, castrum ipsum cum suis appenditiis a bone memorie Sifrido Ratisponensi episcopo predecessore tuo recepit in feudum et in recompensationem feudi hujusmodi Rorbach castrum suum proprium cum suis appenditiis donavit ecclesie supradicte illudque in feudum ab eodem recepit episcopo sub hoc pacto, ut, vacante feudo hujusmodi, castra ipsa cum suis appenditiis apud sepedictam ecclesiam perpetuo remanerent, nullo ab eadem alienationis titulo distrahenda. Cum autem, sicut quorumdam relatione accepimus, dicta castra cum suis appenditiis nuper ad sepedictam ecclesiam sint reversa, tu ipsa cum suis pertinentiis alienare intendis in gravem ejusdem ecclesie lesionem; nos igitur, occurere hujusmodi lesioni volentes, ne predicta castra vel eorum alterum seu ipsorum pertinentie per te vel successores tuos in alios quovis obligationis vel alienationis titulo in ecclesie predicte dispendium transferantur, auctoritate presentium districtius prohibemus, decernentes irritum et inane si quid super hoc contra prohibitionem nostram contigerit attemptari. Datum Viterbii, idibus augusti, anno tertio. »

2137 Latran, 5 mars 1257.

Episcopo Avenionensi, intuitu nobilium virorum Opizonis, Alberti, Jacobi et Nicholai comitum Lavaniae supplicantium, mandat, quatenus Henrico clerico, nepoti magistri Johannis de Camezano, ipsius papae capellani, auctoritate litterarum Innocentii IV in ecclesia Narbonensi recepto in canonicum, sed quadam constitutione generali destituto, jus canonicatus restituat. (Reg. 25, a. III, c. 556, f. 69v.)

« .. *episcopo Avinionensi*. Petitio dilecti filii Henrici —. Dat. Laterani, III nonas martii, anno tertio. »

2138 Viterbe, 4 août 1257.

Episcopo, decano et capitulo Abrincensibus mandat, quatenus Robertum de Paccio clericum Ebroicensis dioecesis, familiarem nobilis viri Joannis nati bonae memoriae Joannis regis Jerosolimitani, in canonicum recipiant eique de praebenda liberaliter provideant. (Reg. 25, a. III, c. 557, f. 69v.)

« .. *episcopo, decano et capitulo Abrincensibus*. Credentes vos — Dat. Viterbii, II nonas augusti, anno tertio. »

2139 Viterbe, 21 juillet 1257.

Abbatissae et conventui monasterii S. Caterinae de Loculo Januensis, ordinis S. Damiani, indulget, ut de quibuscumque bonis dicto monasterio a fidelibus in vita vel in ultima voluntate legatis vel legandis, nulli aliquid solvere teneantur. (Reg. 25, a. III, c. 558, f. 70; Potthast 16938.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Caterine de Loculi Januensis, ordinis Sancti Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis*. Quanto studiosius divine —. Dat. Viterbii, XII kal. augusti. »

2140 Anagni, 11 octobre 1255.

Hugoni dicto Barbitonsori indulget, ut praeter ecclesiam S. Sulpicii juxta Bajocas, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 559, f. 70.)

« *Hugoni dicto Barbitonsori, rectori ecclesie S. Sulpicii juxta Bajocas*. Etsi propter —. Dat. Anagnie, V idus octobris, anno primo. »

2141 Viterbe, 11 juillet 1257.

Decano ecclesiae S. Sepulchri de Cadomo et magistro Michaeli dicto ad Pedem, ejusdem ecclesiae canonico, mandat, quatenus Hugonem dictum Barbitonsorem in ecclesia S. Dionysii de Esprevilla instituant, si eis constiterit illum canonice fuisse nominatum. (Reg. 25, a. III, c. 560, f. 70.)

« .. *decano et magistro Michaeli dicto ad Pedem canonico ecclesie Sancti Sepulchri de Cadomo, Bajo-*

censis diocesis. Dilectus filius Hugo dictus Barbitonsor clericus nobis significare curavit, quod, cum dilectus filius .. abbas monasterii Fiscannensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Rothomagensis diocesis, cui sub certa forma a Sede Apostolica est indultum, quod de beneficiis ad ipsius presentationem spectantibus non possit per litteras apostolicas alicui provideri, predictum Hugonem ad vacantem ecclesiam Sancti Dionisii de Esprevilla, in qua jus obtinet patronatus, venerabili fratri nostro.. Rothomagensi archiepiscopo loci diocesano canonice presentasset, eodem archiepiscopo ipsum ad eandem pro sue voluntatis libito admittere non curante, Riccardus Pauli de Welletis presbiter ejusdem diocesis, pretextu litterarum nostrarum super provisione sua sub certa forma ad eundem archiepiscopum obtentarum per magistrum Robertum de Grenvilla canonicum Rothomagensem, cui dictus archiepiscopus super hoc, prout ex litterarum ipsarum beneficio poterat, commiserat totaliter vices suas, eandem ecclesiam conferre sibi contra justitiam procuravit, quamvis in eisdem litteris nulla de dicta indulgentia, qua dictus abbas uti in negotio hujusmodi intendebat, mentio haberetur, nec aliqua esset clausula in eisdem, per quam robur ejusdem indulgentie tolleretur et eidem R. posset de dicta ecclesia provideri, propter quod idem Hugo, cum ad ejus pervenit notitiam, ad Sedem Apostolicam appellavit. Ideoque cum nostre intentionis non fuerit per hujusmodi litteras dicte indulgentie ipsius abbatis super hoc sibi concesse aliquatenus derogari, mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, si vobis constiterit ita esse, amoto a dicta ecclesia presbitero memorato, dictum Hugonem auctoritate nostra instituatis in ipsa si ei aliquod canonicum non obsistat; nullis litteris obstantibus veritate et justitie prejudicantibus a Sede Apostolica impetratis. Quod si non ambo etc. Datum Viterbii, V idus julii, anno tertio. »

2142 Latran, 9 janvier 1257.

Confirmat facultatem abbati et conventui S. Urbani a Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali concessam, deputandi proventus ecclesiae de Langathon (Langenthal) ad usus proprios ejusdem monasterii S. Urbani. (Reg. 25, a. III, c. 561, f. 70; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 661.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Urbani, Cisterciensis ordinis, Constantiensis diocesis.* Solet annuere Sedes Apostolica etc. usque : impertiri. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, ecclesiam de Langathon, Constantiensis diocesis, in qua jus patronatus habetis et cujus proventus quatuor marcharum argenti valorem annuum non excedunt, vobis in usus proprios deputavit, intrandi possessionem ejusdem ecclesie cedente vel decedente rectore ipsius, diocesani episcopi vel cujuslibet alterius assensu minime requisito, prout ex auctoritate sibi super hoc ab eadem Sede prestita poterat, concessa vobis libera facultate ; ita tamen, quod perpetuo vicario in eadem servituro ecclesia de ipsius proventibus congrua portio assignetur, ex qua comode sustentari valeat et episcopalia ac alia consueta onera subportare, prout in litteris inde confectis ipsius cardinalis sigillatis sigillo plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris precibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani, V idus januarii, anno tertio. »

2143 Latran, 28 mars 1257.

Abbati de Jeddewrth, ordinis S. Augustini, et Thevidaliae, Glasguensis dioecesis, et Dumblanensi archidiaconis transmittit transcriptum litterarum, quas sub nomine ipsius papae confectas, Alanus dictus Hostiarius ad episcopum Brechinensem et decanum Dunkeldensem contra Willelmum comitem de Marra reportaverit et addit eas liquido falsas esse. Suprascriptis mandat, ut detentores ad exhibitionem earum compellant, necnon fabricatorem earum juxta constitutionem contra falsarios castigent. (Reg. 25, a. III, c. 562, f. 70; Potthast 16802.)

« .. *abbati de Jeddewrth, ordinis Sancti Augustini, et.. Thevitalie, Glasguensis diocesis, et.. Dunblacensi archidiaconis.* Inspecto transcripto litterarum, quas sub nomine nostro confectas, nobilis vir Alanus dictus Hostiarius, Aberdonensis diocesis, ad venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Brechinensem et dilectum filium .. decanum Dunkeldensem contra nobilem virum Willelmum comitem de Marra dicitur reportasse, si littere ipse transcripto concor-

dant, eas constat esse falsas. Transcriptum autem litterarum ipsarum tale est :

Latran, 13 décembre 1255.

« Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Brechinensi et dilecto filio .. decano Dunkeldensi salutem et apostolicam « benedictionem. Sua nobis dilectus filius nobilis vir « Alanus dictus Hostiarius, Aberdonensis diocesis, « petitione monstravit, quod nobilis vir Willelmus de « Marra, comitatum de Marra ad ipsum Alanum de « jure spectantem detinet occupatum, cum Morgun- « dus et Duncanus, quibus dictus Willelmus se in « comitatum eundem succedere asserit, non fuerint « de legitimo matrimonio procreati. Quare nobis hu- « militer supplicavit, ut providere super hoc sibi pa- « terna diligentia curaremus. Quocirca mandamus, « quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita « super premissis diligentius veritate, quod inde inve- « neritis nobis per vestras litteras fideliter intimetis, « prefigentes partibus terminum peremptorium compe- « tentem, quo per se vel idoneos procuratores suos « nostro se conspectui representent facture ac re- « cepture super eisdem quod postulat ordo juris. Da- « tum Laterani, idibus decembris, pontificatus nostri « anno primo. »

« Ne igitur falsariorum culpa remaneat impunita, mandamus, quatinus litteras ipsas facientes vobis exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, si eas tales inveneritis quale est transcriptum predictum, easdem litteras esse falsas, et irritum quicquid est illarum occasione presumptum, nuntiare curetis, necnon fabricatorem earum, et quoslibet, quos scienter illis usos esse constiterit, juxta constitutionem contra falsarios editam, appellatione postposita, castigetis. Non obstante constitione etc. usque : generali. Quod si non omnes hiis etc. Quicquid autem super hoc duxeritis faciendum nobis vestris litteris harum seriem continentibus studeatis fideliter intimare. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno tertio. »

2144 Viterbe, 23 juillet 1257.

Archiepiscopo Turonensi mandat, quatenus nobiles viros Joannem de Castellione Blesensem et Guidonem de Sancto Paulo comites et homines eorumdem a sententiis, quas incurrerunt, juxta formam Ecclesiae absolvat. (Reg. 25, a. III, c. 563, f. 70v.)

« .. *archiepiscopo Turonensi*. Petitio nobilium virorum Johannis de Castellione Blesensis et Guidonis de Sancto Paulo comitum nobis exhibita continebat, quod, cum olim, inimico humani generis instigante, inter quondam H. patrem eorum primo et eundem Johannem postmodum ex parte una, et dilectos filios .. abbatem et conventum Majoris Monasterii Turonensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ex altera, gravis contentionis materia exorta fuisset, nonnulli vassalli, familiares et homines eorumdem comitum dictum abbatem ac aliquos priores et monachos ipsius monasterii capere et detinere captivos, aliasque sibi dampna gravia et injurias per rapinas et incendia irrogare, quandoque id eis scientibus et consentientibus, interdum vero ignorantibus sed hoc postmodum ratum habentibus, ausu sacrilego presumpserunt; propter quod iidem comites, vassalli, familiares et homines canonis et hominis sententias incurrisse noscuntur. Cum autem ipsi ad cor reversi a nobis petierunt sibi super hoc salubriter provideri, nos de tua circumspectione confisi, fraternitati tue, de assensu procuratorum utriusque partis, presentium auctoritate committimus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, dictos comites, vassallos, familiares et homines suos, juxta tuum et aliquorum proborum virorum Deum timentium arbitrium satisfacientes parti alteri de premissis, ab eisdem sententiis juxta formam Ecclesie, nostra vice absolvas, et singulorum confessione audita injungas eis super hiis pro modo culpe quod de jure fuerit injungendum, nisi adeo fuerit enormis excessus, quod propter hoc Sedes Apostolica sit merito consulenda. Datum Viterbii, X kalendas augusti, anno tertio. »

2145 Viterbe, 7 juillet 1257.

Intuitu Cathalaunensis episcopi, Joanni clerico, nepoti ejusdem episcopi, in ecclesia Cathalaunensi auctoritate litterarum Innocentii IV recepto in canonicum, sed quadam generali constitutione destituto, jus canonicatus restituit. (Reg. 25, a. III, c. 564[1], f. 70r.)

« *Johanni clerico nepoti .. episcopi Cathalaunensis*. Dudum, prout exhibita nobis —. Dat. Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2146 Viterbe, 7 juillet 1257.

Officiali Cathalaunensi mandat, quatenus supradicto Joanni praebendam cum stallo chori et loco capituli conferre procuret. (Reg. 25, a. III, c. 564[2], f. 70v.)

« .. *officiali Cathalaunensi*. Dudum, prout devotionis —. Dat. ut supra. »

2147 Viterbe, 17 juillet 1257.

Decano Cameracensi mandat, quatenus magistrum, fratres et sorores hospitalis S. Joannis in Cameraco inducat, ut Matildem sororem dicti hospitalis, quae ab eodem discessit, recipiant. (Reg. 25, a. III, c. 565, f. 71.)

« .. *decano Cameracensi*. Exposita nobis dilecte in Christo filie Matildis sororis hospitalis Sancti Johannis in Cameraco petitio continebat, quod ipsa metuens a.. magistro, fratribus et sororibus hospitalis ejusdem, pro eo quod cuidam consorori sue ipsius hospitalis quedam injuriosa verba dixerat, nimis gravem sibi penam infligi, ab eodem hospitali discessit ex quadam animi levitate atque ad Apostolicam Sedem accedens, sibi a peccatorum precaveri periculis et anime provideri saluti humiliter postulavit. Cum igitur non sit mulieribus tanquam vasis fragilibus tutum vagari per seculi libertatem, ne contingat predictam M. lupinis patere morsibus vagabundam salubriter providere volentes, mandamus, quatinus predictos magistrum, fratres et sorores moneas et inducas, ac eis ex parte nostra in virtute obedientie districte precipias, ut eandem M. recipiant, salva regularis ordinis disciplina, et sincera tractetur in Domino caritate. Datum Viterbii, XVI kal. Augusti, anno tertio. »

2148 Viterbe, 7 juillet 1257.

Episcopo Frequentino mandat, quatenus Thomasium quondam monachum monasterii Montis Virginis, ordinis S. Benedicti, Avellinensis dioecesis, quem O[ctavianus] S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis de mandato ipsius papae in abbatem monasterii S. Gabrielis de Airola, ordinis S. Benedicti, S. Agathensis dioecesis, praefecit, in corporalem ejusdem monasterii possessionem inducat et inductum defendat. (Reg. 25, a. III, c. 566, f. 71.)

« .. *episcopo Frequentino*. Petitio dilecti filii —. Dat. Viterbii, nonis julii, anno tertio. »

2149 Viterbe, 11 août 1257.

Capitulo Urgellensi mandat, quatenus magistrum Aprilem, Urgellensem electum, tanquam patrem et pastorem suscipiant ejusque mandatis humiliter intendant. (Reg. 25, a. III, c. 567[1], f. 71; Potthast 16980.)

« *Capitulo Urgellensi*. Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore Deo, continuum suscipiant incrementum. Sane, Urgellensis ecclesia pastoris solatio destituta, nos, qui ex jugo apostolice servitutis universis sumus ecclesiis obligati, volentes eidem ecclesie, ne dampna ex longa vacatione subiret, salubriter providere, dilectum filium magistrum Aprilem Urgellensem electum tunc archidiaconum Salamantinum et capellanum nostrum, virum utique litteratum, morum honestate conspicuum, consilio providum et in spiritualibus et temporalibus circumspectum, acceptumque nobis et nostris fratribus sue merito probitatis predicte ecclesie in episcopum et pastorem prefecimus de fratrum ipsorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, sperantes, quod sua circumspectione laudabili et providentia circumspecta ecclesia ipsa tam circa spiritualia quam temporalia gratis, tribuente Domino, proficiet incrementis. Ideoque mandamus, quatenus eundem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Deo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Viterbii, III idus augusti, anno tertio. »

2150 Viterbe, 11 août 1257.

Clero civitatis et dioecesis Urgellensis, in eumdem modum. (Reg. 25, a. III, c. 567[2], f. 71.)

« *Clero civitatis et diocesis Urgellensis*. Debitum officii nostri etc. ut in alia usque in finem. »

2151 Viterbe, 11 août 1257.

Populo civitatis et dioecesis Urgellensis, in eumdem modum. Reg. 25, a. III, c. 567[3], f. 71.

« *Populo civitatis et diocesis Urgellensis.* Debitum officii nostri —. Dat. ut supra. »

2152 Viterbe, 11 août 1257.

Jacobum regem Aragonum rogat, quatenus eidem electo Urgellensi auxilium et favorem exhibeat. Reg. 25, a. III, c. 567[4], f. 71.

« *Illustri.. regi Aragonum.* Debitum officii nostri. — Datum ut supra. »

2153 Viterbe, 11 août 1257.

Archiepiscopo Terraconensi, cui administratio Urgellensis ecclesiae fuit apostolica auctoritate commissa, mandat, quatenus de administratione hujusmodi se de cetero nullatenus intromittat et bona Urgellensis episcopatus eidem electo integre assignare procuret (Reg. 25, a. III, c. 567[5], f. 71.)

« .. *archiepiscopo Terraconensi.* Debitum officii nostri —. Dat. ut supra. »

2154 Viterbe, 11 août 1257.

Irritum et inane decernit quidquid contra dictum Urgellensem electum factum est vel in posterum fieri contigerit. Reg. 25, a. III, c. 567[6], f. 71[v]; Potthast 16979.

« *Magistro Aprili electo Urgellensi.* Nuper te tunc archidiaconum Salamantinum et capellanum nostrum ecclesie Urgellensi tunc vacanti, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine, in episcopum prefecimus et pastorem. Ne igitur aliquid contra id, quod de te factum est, a capitulo ipsius ecclesie per electionem de persona alia faciendam vel alias etiam quomodolibet presumatur, decernimus ex nunc irritum et inane quidquid per eosdem capitulum seu quoscumque alios de episcopatu predicte ecclesie attemptatum est hactenus vel in posterum contigerit attemptari. Dat. ut supra. »

2155 Viterbe, 27 juin 1257.

Episcopo Cathalaunensi indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus vel ecclesiasticis beneficiis minime teneatur, nec ad id possit coartari per litteras apostolicas non facientes de hujusmodi indulto mentionem. Vult autem, quod Joanni nato nobilis viri Vite de Ferentino consobrini sui propter hoc nullum praejudicium generetur. Reg. 25, a. III, c. 568, f. 71[v].

« .. *episcopo Cathalaunensi.* Exigentibus devotionis tue —. Dat. Viterbii, V kal. julii, anno tertio. »

2156 Viterbe, 15 juillet 1257.

Decano et capitulo ecclesiae S. Salvatoris Metensis mandat, quatenus Radulphum natum Jaquemini civis Metensis in canonicum recipiant eique praebendam conferant. Reg. 25, a. III, c. 569, f. 71[v].

« .. *decano et capitulo ecclesie S. Salvatoris Metensis.* Digne ad illos —. Dat. Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2157 Viterbe, 9 août 1257.

Abbati S. Ambrosii Bituricensis mandat, quatenus priorem et capitulum ecclesiae S. Ursini Bituricensis moneat, ut Sadonem de Duno Regis, canonicum dictae ecclesiae, praebendam in dicta ecclesia possidere ejusque proventus percipere permittat. Reg. 25, a. III, c. 570, f. 71[v].

« .. *abbati Sancti Ambrosii Bituricensis.* Dilectus filius Sado de Duno Regis —. Dat. Viterbii, V idus augusti, anno tertio. »

2158 Viterbe, 9 août 1257.

Priori S. Hilarii Aurelianensis mandat, quatenus Sadoni de Duno Regis praebendam ecclesiae S. Ursini Bituricensis, quam ejusdem ecclesiae prior et capitulum indebite detinent, sine difficultate restitui faciat. Reg. 25, a. III, c. 571, f. 71[v].

« .. *priori Sancti Hylarii Aurelianensis.* Sado de Duno Regis canonicus ecclesie Sancti Ursini Bituricensis nobis significare curavit, quod in eadem ecclesia est statutum et juramento firmatum, ut cum aliquem canonicum ipsius ecclesie contingit cedere vel decedere, fructus prebende sue ipsius ecclesie primi anni per ejusdem ecclesie priorem et capitulum colligantur, et de ipsis emantur redditus qui *annuale*, vulgariter appellantur. Cum autem dictus S. quandam prebendam, quam frater Petrus de Sancto Johanne nunc canonicus ecclesie Sancte Marie de Monte Syon in Jerusalem, ordinis Sancti Augustini, in eadem ecclesia Sancti

Ursini obtinuerat, canonice fuisset adeptus, dicti prior et capitulum, occasione statuti predicti, prebendam ipsam et ejus proventus non solum per annum, sed per triennium tenuerunt et adhuc detinent in ipsius S. non modicum prejudicium et gravamen. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere ipsi[1] super hoc de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, prefatos priorem et capitulum proventibus ejusdem primi anni juxta statutum predictum faciens esse contentos, eos ut prebendam ipsam ei sine qualibet difficultate restituant ut tenentur monitione premissa per censuram ecclesiasticam sicut justum fuerit, appellatione remota, compellas, non obstante quod idem S. non fecit in eadem ecclesia, quamvis per eum non steterit, residentiam personalem, ad quam faciendam dicti prior et capitulum ipsum admittere voluerunt, vel quavis Apostolice Sedis indulgentia, per quam effectus presentium differri possit vel etiam impediri. Datum Viterbii, V idus augusti, anno tertio. »

2159 Viterbe, 10 août 1257.

Abbati S. Ambrosii Bituricensis mandat, quatenus Sadoni de Duno Regis, canonico ecclesiae S. Ursini Bituricensis, de praebenda provideat. (Reg. 25, a. III, c. 572, f. 72.)

« .. *abbati Sancti Ambrosii Bituricensis.* Significavit nobis Sado de Duno Regis canonicus ecclesie Sancti Ursini Bituricensis, quod quondam Petro de Sancto Georgio et Guillelmo de Doet, canonicis ipsius ecclesie, super quadam prebenda, que per mortem Petri Goym ejusdem ecclesie canonici vacavit ibidem, apud Sedem Apostolicam litigantibus, tandem eodem Petro apud ipsam viam universe carnis ingresso, venerabilis frater noster.. archiepiscopus Pisanus tunc plebanus de Vico ac felicis recordationis I. pape predecessoris nostri capellanus, de speciali mandato predecessoris ejusdem, jus canonicatus quod dictus Petrus in ecclesia obtinebat predicta, ipsi S. contulit, eumque de illo per suum pilleum investivit, ac nominatus predecessor.. abbati monasterii Sancti Satiri, Bituricensis diocesis, per suas mandavit litteras, ut ei de prebenda, si qua tunc vacabat ibidem vel quamcito ad id se offerret oportunitas, per se vel per alium provideret; contradictores etc. Sed priore et capitulo ejusdem ecclesie Sancti Ursini indebite asserentibus, quod prebenda, de qua, ut dictum est, inter dictos P. et G. apud Sedem agebatur predictam, et quam dictus Guillelmus ipso Petro defuncto extitit assecutus, Sadoni debebatur[1] eidem, hujusmodi sua provisio effectum adhuc non potuit obtinere. Quare idem S. nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi in hac parte de benignitate solita curaremus. Nolentes igitur prefatum Sadonem de honestis moribus commendandum sperato provisionis ejusdem comodo defraudari, mandamus quatenus, si est ita, non obstante quod dictam prebendam prefatus Guillelmus, ut premissum est, extitit assecutus, provideas ipsi S. de alia juxta priorum continentiam litterarum. Datum Viterbii, IIII idus augusti, anno tertio. »

1. *Ms.* : ipsis.

2160 Viterbe, 17 août 1257.

Priori S. Hilarii Aurelianensis mandat, quatenus Sadoni de Duno Regis praebendam ecclesiae S. Ursini Bituricensis, quam ejusdem ecclesiae prior et capitulum indebite detinent, sine difficultate restitui faciat[2]. (Reg. 25, a. III, c. 573, f. 72.)

« .. *priori Sancti Hylarii Aurelianensis.* Sado de Duno Regis canonicus —. Dat. Viterbii, XVI kalendas septembris, anno tertio. »

2161 Viterbe, 10 août 1257.

Decano ecclesiae Magdunensis mandat, quatenus Sadonem de Duno Regis, de quadam subdiaconali praebenda ei collata, non permittat indebite molestari. (Reg. 25, a. III, c. 574, f. 72.)

« .. *decano ecclesie Magdunensis, Bituricensis diocesis.* Sua nobis Sado de Duno Regis subdiaconus noster, canonicus ecclesie Sancti Ursini Bituricensis, petitione monstravit, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster, intellecto quod in statuto de certo servitorum et prebendarum numero ipsius ecclesie inter cetera continetur, quod loco decedentis ejusdem ecclesie canonici substituatur alius, qui sit in ejus ordine constitutus vel talis, qui ad hujusmodi ordinem infra unius anni spatium a substitutionis sue tempore valeat promoveri, per suas duxit litteras ordinandum, ut presbiteris tunc in ecclesia predicta sua vel quavis auctoritate receptis et recipiendis diaconales vel sub-

1. *Ms.* : debebebatur.
2. Cette bulle est la répétition du numéro 2158.

diaconales, et e converso, diaconibus vel subdiaconibus sacerdotales prebende contra dictum statutum non valeant assignari. Verum Petro de Sancto Johanne supradicte ecclesie canonico religionem intrante, et ibi per annum et amplius moram trahente, Guillelmus Pauperii presbyter, rector ecclesie de Villebret, Biturieensis diocesis, super subdiaconali prebenda, que fuit dicti Petri et per hujusmodi religionis ingressum vacavit ibidem, ipsi Sadoni debita et Apostolice Sedis litterarum auctoritate canonice collata, contra statutum hujusmodi et ordinationem predecessoris predicti, eum presumit indebite molestare. Quia vero prefatus Sado duxit propter hoc ad nostram providentiam recurrendum, mandamus quatinus, partibus convocatis etc. usque: observari. Testes autem etc. Datum Viterbii, IIII idus augusti, anno tertio. »

2162 Viterbe, 17 août 1257.

Archiepiscopo Rothomagensi mandat, quatenus abbatem et conventum monasterii S. Stephani de Cadomo compellant, ut Benedictum dictum Mulot, subdiaconum Bajocensem in monachum dicti monasterii recipiant. (Reg. 25, a. III, c. 575, f. 72.)

« .. *archiepiscopo Rothomagensi*. Benedictus dictus Mulot subdiaconus Bajocensis diocesis in nostra proposuit presentia constitutus, quod, cum olim ipse felicis recordationis I. pape predecessoris nostri, ac postmodum nostras ad instar predecessoris ipsius ad .. abbatem et conventum monasterii Sancti Stephani de Cadomo, ordinis Sancti Benedicti, ejusdem diocesis, super receptione sua in eorum monasterio in monachum et in fratrem in virtute obedientie litteras impetrasset, ac demum eisdem abbate et conventu nostrum et predecessoris ipsius mandatum super hoc non curantibus adimplere, .. officiali Bajocensi suique college nostris dederimus litteris in mandatis, ut eosdem ad id inducere procurarent, et si eorum mandatis ipsi acquiescere recusarent, dicti officialis et collega causam, propter quam eum nollent recipere, nobis per suas litteras intimarent. Cum itaque prefati abbas et conventus asserentes per Sedem Apostolicam eis fore concessum, quod ad receptionem alicujus per litteras apostolicas minime teneantur, ipsum recipere recusarint, idem clericus propter hoc jam expendit omnia bona sua, et quarto ad Sedem Apostolicam accedere est coactus, nobis humiliter supplicavit, ut providere in hac parte sibi de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Volentes igitur quod de dicto clerico pie incepimus perducere ad effectum, mandamus quatinus, si est ita, dictos abbatem et conventum, ut clericum ipsum recipiant in monachum et in fratrem juxta priorum continentiam litterarum, monitione premissa, per te vel per alium per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, concessione non obstante predicta et quavis alia dicte Sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri. Dat. Viterbii, XVI kal. septembris, anno tertio. »

2163 Latran, 9 décembre 1255.

Abbati et conventui monasterii S. Stephani de Cadomo mandat, quatenus Benedictum dictum Mulot, subdiaconum, in monachum dicti monasterii recipiant, juxta priorum continentiam litterarum. (Reg. 25, a. III, c. 576, f. 72v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Stephani de Cadomo, ordinis Sancti Benedicti, Bajocensis diocesis*. Felicis recordationis I. predecessor noster —. Dat. Laterani, V idus decembris, anno primo. »

2164 Anagni, 8 août 1256.

Abbati Cerasiensi et officiali Bajocensi mandat, quatenus abbatem et conventum monasterii S. Stephani de Cadomo moneant, ut Benedictum dictum Mulot in monachum recipiant. (Reg. 25, a. III, c. 577, f. 72v.)

« .. *abbati Cerasiensi, Bajocensis diocesis et .. officiali Bajocensi*. Felicis recordationis —. Dat. Anagniae, VI idus augusti, anno secundo. »

2165 Viterbe, 30 juillet 1257.

Raynerio canonico ecclesiae S. Gaugerici Cameracensis indulget, ut praebendam, quam in dicta ecclesia obtinet, quiete possidere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 578¹, f. 72v.)

« *Raynerio clerico magistri Adinulfi subdiaconi et capellani nostri, canonico ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis*. Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, quedam prebenda, que in ecclesia Sancti Gaugerici Cameracensis, per mortem Mathei de Goy ipsius

ecclesie canonici vacasse dinoscitur, tibi in eadem ecclesia recepto, cui ex statuto nostro de revocatione receptionum in ipsa ecclesia reservato de jure debebatur, canonice collata fuerit, et eam diutius pacifice possederis et quiete, nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut per litteras super restitutionibus aliquorum ibidem receptorum ad jus quod habebant inibi, et qui per constitutionem nostram super cassatione receptionum editam cassati fuerant, post collationem de prefata prebenda tibi factam obtentas a nobis non facientes de collatione et possessione predictis plenariam mentionem nullum tibi possit prejudicium generari, quominus eandem prebendam licite sicut prius tenere valeas et habere, non obstantibus processibus habitis et habendis, qui redundant in tuum prejudicium et gravamen per litteras supradictas. Decernimus enim irritum et inane quicquid super ipsa prebenda post collationem eandem attemptatum extitit per quemcumque. Nulli [etc.] nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, III kal. augusti, anno tertio. »

2166 Viterbe, 30 juillet 1257.

Praeposito ecclesiae Papiensis et magistro Johanni de Stampio canonico Meldensi mandat, quatenus dictum Rainerium ipsius praebendae pacifica possessione gaudere faciant. (Reg. 25, a. III, c. 578[2], f. 72v.

« .. *preposito ecclesie Papiensis Parisius commoranti et magistro Johanni de Stampio canonico Meldensi*. Exigentibus dilecti filii Rainerii. — Datum ut supra. »

2167 Viterbe, 10 août 1257.

Jacobum canonicum Bononiensem, intuitu O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, in suum capellanum admittit. (Reg. 25, a. III, c. 579, f. 72v.

« *Jacobo nato nobilis viri Cathalani civis Bononiensis, canonico Bononiensi*. Meritis tue probitatis. — Dat. Viterbii, IIII idus augusti, anno tertio. »

2168 Viterbe, 19 août 1257.

Petrum Farensem episcopum a capitulo Bergensi postulatum in praesulem ad Bergensem ecclesiam transfert eique mandat, ut ad illam absque dispendio tarditatis accedens, gerat prudenter curam ejus. (Reg. 25, a. III, c. 580, f. 73; Potthast 16990.)

« *Petro Bergensi episcopo*. Recte tunc ecclesiarum utilitati prospicitur et indempnitati salubriter precavetur, cum discretis et providis earum cura committitur, et viduatarum regimini pastores[1] ydonei proponuntur. Unde Romanus pontifex, cui, ex apostolatus officio, imminet de universis ecclesiis sollicite cogitare, hoc maxime circa ipsas attendit et ad id propensius invigilat, ut per bonos et dignos gubernentur rectores, per duces perspicuos in suis gregibus dirigantur, per sacros et eruditos ministros in spiritualibus fulgeant et per dispensatores prudentes temporalium proficiant incrementis, quia navis, que perito remige ducitur, liquida recte percurrit spatia, et domus ubertate rerum excrescit, que patrefamilias regitur studioso, ac vinea, quam diligens cultor curat in botros exuberat opulentos, et ager in segetem fecundam fructificat, quem agricola bonus colit. Sane, Bergensi ecclesia pastoris solatio destituta, capitulum ipsius, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, et Spiritus Sancti gratia, prout moris est, invocata, te tunc Farensem episcopum in eorum presulem postularunt, dilectos filios magistros Johannem, dictum Anglicum, et Johannem Franconem et Thomam eorum concanonicos ad Sedem Apostolicam transmittentes, ac petentes humiliter per eosdem, ut postulationem hujusmodi admittere de speciali gratia curaremus. Nos igitur, ejusdem postulationis discusso processu, quia ipsam invenimus minus canonice celebratam, illam de fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, non duximus admittendam. Verum postmodum, considerato attente, quod per tuam circumspectionem providam et providentiam circumspectam eadem ecclesia laudabilibus tam in spiritualibus quam temporalibus, auctore Domino, proficere poterit incrementis, nos volentes eidem ecclesie, ne dampna ex longa vacatione subiret salubriter providere, de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis, te predicte ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, absolventes te a vinculo, quo Farensi ecclesie tenebaris, et ad dictam Bergensem ecclesiam transferentes, tibi ad illam libere transeundi licentiam concedendo, firma spe fiduciaque

1. *Ms.* : pastoris.

concepta, quod tue diligentie studio, per quam prefata Farensis ecclesia multiplex suscepisse cernitur incrementum, predictam Bergensem ecclesiam in spiritualibus et temporalibus, auctore Domino, laudabiliter augmentabis. Ideoque mandamus, quatinus ad predictam Bergensem ecclesiam absque dispendio tarditatis accedens, geras prudenter et sollicite curam ejus, ita quod tuo labore ac studio, auxilio cooperante divino, in spiritualibus et temporalibus multipliciter augeatur. Datum Viterbii, XIIII kalendas septembris, anno tertio. »

2169 Viterbe, 22 juin 1257.

Confirmat sententiam a Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali latam in causa, quae inter Henricum et Ottobonum canonicos Cathalaunenses, de quadam praebenda Cathalaunensis ecclesiae, vertebatur. Reg. 25, a. III, c. 581, f. 73.

« *Henrico canonico Cathalaunensi, nepoti.. Cathalaunensis episcopi.* Ea que judicio vel concordia etc. usque: communiri. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum olim inter te et Ottobonum canonicum Cathalaunensis ecclesie nepotem dilecti filii nostri O. Sancti Adriani diaconi cardinalis, super prebenda, quam quondam P. decanus ipsius ecclesie in ea obtinuit, questio verteretur, nos demum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem dedimus in causa hujusmodi partibus auditorem, qui, visis rationibus utriusque partis et concessa sibi prius a nobis ordinandi, disponendi, decernendi et diffiniendi super hoc libera potestate, prebendam ipsam ad predictum O. pertinere declarans sibi sententialiter adjudicavit eandem, tibi super ea perpetuum silentium imponendo. Porro idem P. cardinalis eadem auctoritate statim et de speciali mandato nostro prebendam, que tunc per mortem quondam Rogeri dicti Ysambrum canonici ejusdem ecclesie vacare dicebatur, alioquin aliam, si qua ibidem tunc vacabat, tibi contulit, et de ipsa G. procuratorem tuum tuo nomine investivit. Si vero nulla tunc vacaret ibidem, reservavit prebendam proximo vacaturam in eadem ecclesia tibi libere conferendam, decernens si secus fieret irritum et inane, prout in litteris inde confectis et ipsius auditoris sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eodem P. cardinali factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

16 juin 1257.

« Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad « Velum Aureum diaconus cardinalis, universis pre- « sentes litteras inspecturis salutem in Domino. « Inter Ottobonum natum nobilis viri domini G. Spi- « nole, canonicum ecclesie Cathalaunensis, nepotem « venerabilis patris domini Ottoboni Sancti Adriani « diaconi cardinalis ex parte una, et Henricum cano- « nicum ejusdem ecclesie, nepotem venerabilis patris « domini P. episcopi Cathalaunensis ex altera, super « prebenda, quam quondam P. ipsius ecclesie canonicus « et decanus in eadem obtinuit ecclesia, orta materia « questionis, dominus papa nos dedit in ipso negotio « partibus auditorem. Unde pro parte dicti O. libellus « coram nobis oblatus extitit in hunc modum :

« Coram vobis venerabili patre domino P. Sancti « Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, parti- « bus auditore concesso, proponit Rolandus de Lavania « avunculus Ottoboni filii nobilis viri domini Guidonis « Spinole, canonici Cathalaunensis, nepotis venerabilis « patris domini Ottoboni Sancti Adriani diaconi cardi- « nalis, contra Henricum clericum, nepotem domini « Cathalaunensis episcopi et contra procuratorem ejus « legitimum, quod cum dictus O. esset canonicus « ecclesie Cathalaunensis et quedam prebenda va- « casset in ipsa ecclesia per mortem P. olim canonici « et decani ejusdem ecclesie, que de jure pertinet et « spectat ad dictum canonicum, memoratus H. ipsam « prebendam occupavit et in prejudicium dicti « O. canonici et anime sue periculum ipsam preben- « dam cum suis pertinentiis detinet occupatam, quamvis « nullum jus habeat in eadem. Quare petit dictus « procurator, nomine predicto, per sententiam decla- « rari prebendam predictam cum suis pertinentiis et « juribus ad eundem canonicum de jure spectare[1] « et pertinere, et ipsam cum suis pertinentiis, fructibus « et omni causa eidem adjudicari, ac sententialiter « condempnari ipsum H. ad restitutionem prebende « hujusmodi et fructuum ejusdem, a tempore occupa- « tionis predicte, quos extimat annis singulis centum « libras Turonensium, et eidem H., super ipsa pre-

1. *Ms.* : spectaret.

« benda et ejus pertinentiis, perpetuum silentium « imponi, ac decerni predictum O. debere gaudere « pacifica possessione dicte prebende et pertinentia- « rum ipsius.

« Cumque super dicto libello inter prefatum Ro- « landum, nomine dicti Ottoboni, et Willelmum de « Vinariis, procuratorem ejusdem Henrici, procura- « torio nomine, pro eo fuisset aliquandiu litigatum, « predictus dominus papa ordinandi, disponendi, de- « cernendi et diffiniendi de plano et sine contestatione « litis ac judicii strepitu, inter predictos Ottobonum « et Henricum, de prebenda predicta, nobis viva voce « concessit plenam et liberam potestatem. Nos igitur, « auditis et intellectis juribus et rationibus partium « diligenter et deliberatione habita super eis, quia « invenimus predictum Ottobonum prius litteras « apostolicas impetrasse et presentasse super recep- « tione et provisione sua in ecclesia memorata, et « ipsum prius fuisse receptum in eadem in canonicum « et in fratrem de speciali mandato domini pape, pre- « sentibus procuratoribus partium earumdem, ordina- « mus, disponimus et declaramus prebendam predic- « tam cum suis pertinentiis et juribus ad ipsum « Ottobonum de jure spectare, sibi adjudicantes ean- « dem et decernentes ipsum O. fore inducendum in « corporalem possessionem prebende predicte, induc- « tum etiam defendendum, eidem Henrico super ipsa « prebenda et ejus pertinentiis perpetuum silentium « imponendo et amovendo ipsum penitus ab eadem. « Porro, auctoritate predicta et de speciali domini pape « mandato, conferimus dicto Henrico prebendam, que « dicitur vacare in eadem ecclesia ad presens per « mortem quondam Rogerii dicti Ysambrun, canonici « ecclesie supradicte: quod si forte predicta prebenda « non vacat, conferimus ei aliam, si qua vacat ibidem, « et de ea Guillelmum predictum procuratorem suum « per nostrum anulum investimus. Alioquin reserva- « mus prebendam in eadem ecclesia proximo vacatu- « ram eidem Henrico libere conferendam, decernendo « irritum et inane si secus, a quoquam seu quibus- « cumque, quavis auctoritate et quovis modo, conti- « gerit attemptari; non obstante si in eadem ecclesia « auctoritate apostolica seu quavis alia, alii sunt « recepti, quibus quoad assecutionem aliarum pre- « bendarum non intendimus prejudicium generari, seu « quod dictus H. prebendam prefatam, de qua actum « est, tunc vacantem sibi conferri fecit et se investiri « de ipsa, per quod nullum in assecutione alterius pre- « bende, quam sibi contulimus seu quam sibi conferen- « dam reservavimus, sibi prejudicium generetur. « Predicti autem Rolandus et Guillelmus procuratores « eorum acceptaverunt predicta omnia coram nobis. « In cujus rei testimonium, presentes litteras sigilli « nostri munimine roborari fecimus et per Raynaldum « notarium nostrum in publica redigi munimenta. Sub « anno Domini M.CC. LVII pontificatus domini Alexan- « dri IIII pape anno tertio, mense junio, die XVI, « indictione XV, presentibus hiis rogatis testibus ad « hoc specialiter vocatis, magistro Guartia capellano « domini Ottoboni cardinalis, teste; magistro Angelo « de Advocatis; magistro Comite predicti domini Otto- « boni cardinalis cappellano, magistro Pontio capel- « lano nostro et pluribus aliis. Ego Raynaldus de « Palumbaria, Dei et regia gratia judex et notarius, « hiis omnibus interfui et de mandato predicti domini « P. cardinalis ac rogatu procuratorum partium pre- « dictorum hanc cartam scripsi, publicavi et absolvi « et signum mei nominis feci. Nolumus tamen per « hoc dilecto filio Grisolino, canonico ejusdem eccle- « sie, nepoti dilecti filii magistri Arloti notarii nostri « aliquod prejudicium vel obstaculum generari. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno tertio. »

2170 Viterbe, 11 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Pauli de Ripa Arni Pisani indulget, ut hospitale, quod ad usum peregrinorum construxerunt, ullo unquam tempore eidem monasterio auferri possit. (Reg. 25, a. III, c. 583, f. 73v.)[1]

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Pauli de Ripa Arni Pisani, ordinis Vallis Umbrose, ad Romanam Ecclesiam nullo medio, ut dicitur, pertinentis.* Sacra monasterii vestri religio sic vos apud nos dignos favore constituit, ut votivum nobis existat vos ab omnibus, per que vobis possent imminere dispendia, libenti animo preservare. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod predecessores vestri debitum habentes ad proximos pietatis et caritatis affectum, ut etiam ab omni supervenientium hospitum inquietatione semoti sancte religionis possent vacare quieti, quandam curiam, que vulgariter dicitur hospi-

1. Le numéro 582 manque dans le registre.

tale, juxta ipsum monasterium in solo proprio de bonis ejusdem monasterii construxerunt, in qua peregrini pauperes et divites per monachum ipsius monasterii de redditibus ejusdem curie a vobis et ipsis predecessoribus assignatis liberaliter et laudabiliter procurantur. Nos igitur, intellecto quod hujusmodi curia vobis sine gravi ejusdem monasterii lesione auferri tanquam quedam ipsius officina non posset, devotionis vestre precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut predicta curia sive hospitale ullo unquam tempore monasterio predicto auferri aut quomodolibet ab ipsius dominio vobis invitis subduci, seu alii hospitali, ecclesie, collegio, loco vel persone, concedi, subici vel uniri, quavis auctoritate, non possit, absque Sedis Apostolice speciali licentia vel mandato faciente plenam et expressam de hac indulgentia et prefatis monasterio et curia vestroque ordine mentionem, decernentes nichilominus irritum et inane si quid de ipsa curia seu hospitali contra hujusmodi concessionis nostre tenorem contigerit attemptari. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, III idus junii, anno tertio. »

2171 Viterbe, 8 août 1257.

Cum Guillelmo de Reorta dispensat, ut, non obstante defectu natalium, quem patitur, de clerico in minoribus ordinibus constituto genitus et soluta, ad quaslibet regulares administrationes seu dignitates ordinis ejus assumi valeat. (Reg. 25, a. III, c. 584, f. 73v.)

« *Guillelmo de Reorta, canonico monasterii S. Georgii de Nemore, ordinis S. Augustini, Cenomanensis diocesis.* Religio tua meretur —. Dat. Viterbii, VI idus augusti, anno tertio. »

2172 Viterbe, 9 août 1257.

Magistro Girardo de Poys indulget, ut praeter alia beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 585, f. 74.)

« *Magistro Girardo de Poys, archidiacono Leodiensi, capellano nostro.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, V idus augusti, anno tertio. »

2173 Viterbe, 9 août 1257.

Philippo de Eya, canonico Londoniensi indulget, ut praeter beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 586, f. 74.)

« *Philippo de Eya, canonico Londoniensi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, V idus augusti, anno tertio. »

2174 Viterbe, 20 août 1257.

Magistro et fratribus domus militiae Templi in Accon mandat, quatenus comiti Joppensi de pecunia, quam quondam Geraldus patriarcha Jerosolymitanus in dicta domo deponi fecit, usque ad mille marcas argenti in subsidium castri Joppensis expendendas assignent. (Reg. 25, a. III, c. 587 [1], f. 74.

« .. *magistro et fratribus domus militie Templi in Accon.* Circa negotium Terre Sancte dilectus filius nobilis vir.. comes Joppensis tanto affectu ducitur, quod ipse, sicut accepimus, pro custodia castri Joppensis non solum omnia bona sua mobilia et non modicam partem sui patrimonii jam expendit, sed etiam gravi propter hoc premitur sarcina debitorum. Unde fit quod ipse ad custodiam hujusmodi per se ipsum non sufficit, nisi aliunde sibi ad id oportuna subventio procuretur. Cum itaque bone memorie G. patriarcha Jerosolimitanus, sicut accepimus, dum adhuc viveret certam pecunie quantitatem, que sedecim millium Bisantiorum Sarracenorum summam et amplius attingere creditur, in domo vestra deponi fecerit, in ejusdem Terre Sancte subsidium convertendam, nos, intellecto quod, si castrum ipsum, quod absit, ammitti contingeret, maximum exinde detrimentum predicte terre ac fidelibus illarum partium imineret, digne volumus et per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandamus, quatinus eidem comiti de hujusmodi pecunia usque ad mille marcas argenti expendendas juxta ipsius providentiam in subsidium dicti castri, sine difficultate seu dilatione qualibet assignetis, mandatum nostrum taliter impleturi, ut exinde apud nos vestra sinceritas possit merito commendari. Alioquin venerabili fratri nostro.. patriarche Jerosolimitano Apostolice Sedis legato nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Datum Viterbii, XIII kalendas septembris, anno tertio. »

2175 Viterbe, 20 août 1257.

Patriarchae Jerosolymitano notum facit se dictam pecuniae summam in subsidium castri Joppensis convertendam, comiti Joppensi concessisse. (Reg. 25, a. III, c. 587 [2], f. 74.

« .. *patriarche Jerosolimitano*. Circa negotium Terre Sancte. — Dat. ut supra. »

2176 Viterbe, 19 août 1257.

Priori et monachis prioratus de Arboso, Bisuntinae dioecesis, indulget, ut ecclesiam parrochialem de Arboso, in qua jus patronatus habere dicuntur, in usus proprios retinere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 588, f. 74.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Eugendii Jurensis, ordinis Sancti Benedicti, Lugdunensis diocesis*. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, dilectus filius nobilis vir.. H. comes palatinus Burgundie ac dilecta in Christo filia nobilis mulier A. comitissa uxor ejus cupiant prioratum vestrum de Arboso, ordinis Sancti Benedicti, Bisuntine diocesis, utpote in terra eorum situm, ob devotionem, quam erga locum ipsum habent, in temporalibus adeo augmentari, ut possit in eo competens monachorum collegium permanere, nos devotorum vota salubria favore benivolo prosequi delectantes, vestris et eorumdem comitis et comitisse supplicationibus inclinati, dilectis filiis.. priori et monachis ipsius prioratus presentium auctoritate concedimus, ut possessionem parrochialis ecclesie de Arbosio, ejusdem diocesis, in qua jus patronatus habere dicuntur, cum eam, cedente vel decedente rectore ipsius, vacare contigerit, ingredi valeant, ac eandem ecclesiam in usus proprios libere retinere, proviso quod in eadem ecclesia per ydoneum vicarium serviatur, nec debitis divinorum obsequiis defraudetur, reservata eidem vicario de ipsius ecclesie proventibus congrua portione ad debita procurationum diocesani et archidiaconi et alia onera supportanda. Nulli [etc] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, XIIII kalendas septembris, anno tertio. »

2177 Viterbe, 21 août 1257.

Episcopo Lexoviensi mandat, quatenus magistrum Gilebertum de Anfrevilla canonicum Ebroicensem, in canonicum dictae ecclesiae Lexoviensis recipiat eique de praebenda providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 589, f. 74v.)

« .. *episcopo Lexoviensi*. Ad illorum potissime —. Dat. Viterbii, XII kal. septembris, anno tertio. »

2178 Viterbe, 12 août 1257.

Episcopo Albinganensi mandat, ut monasterium monialium S. Joannis de Logano, in spiritualibus et temporalibus sine spe resurgendi collapsum abbatissae et conventui S. Catarinae de Loculo Januensi in perpetuos usus assignet. (Reg. 25, a. III, c. 590, f. 74v; Potthast 16982.)

« .. *episcopo Albinganensi*. Intellecto quod monasterium monialium Sancti Johannis de Logano, ordinis Sancti Benedicti, tue diocesis, tibi pleno jure subjectum, in quo quedam moniales dissolute morantur, et quod consueverat non modica bonorum ubertate florere, adeo est in spiritualibus et temporalibus sine spe resurgendi collapsum, quod non potest aliquatenus in suo ordine reformari, nos ad dilectas in Christo filias.. abbatissam et conventum monasterii Sancte Caterine de Loculi Januensis, ordinis Sancti Damiani, propter ipsarum penuriam gerentes compassionis affectum, precipue quod earum religio clara et approbata suis fructibus intimis ecclesiastice maternitatis amplexibus est fovenda, necnon volentes ex hoc ipsas prosequi speciali gratia et favore, fraternitatem tuam, quam ad hoc esse promptam credimus, rogamus attente, per apostolica scripta tibi districte precipiendo mandantes, quatinus predictum monasterium de Logano, cum omnibus suis possessionibus et pertinentiis ac aliis suis appenditiis positis juxta illud et ornamentis ipsius, auctoritate nostra, eisdem abbatisse et conventui devote sub ordinis sui observantia Domino famulantibus, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram in perpetuos usus assignans, eas vel procuratorem earum in predictorum possessionem corporalem inducere ac inductas defendere, per te vel per alium non postponas, amotis exinde monialibus, que sunt ibi, et per alia ordinis sui monasteria, aut in earumdem Sancte Caterine monasterio congrue collocatis. Contradictores etc., non obstante apostolice sedis indulgentia quibuscumque concessa, per quam hujusmodi effectus impediri valeat vel differri, et de qua plenam et expressam oporteat in litteris nostris fieri mentionem. Datum Viterbii, II idus augusti, anno tertio. »

2179 Viterbe, 11 août 1257.

Praeposito ecclesiae S. Donati Januensis mandat, quatenus faciat, ut detentores bonorum monasterii S. Catarinae de Loculo Januensis ea restituant. (Reg. 25, a. III, c. 591, f. 74v; Potthast 16981.)

« .. *preposito ecclesie Sancti Donati Januensis.* Ex parte dilectarum in Christo filiarum.. abbatisse et conventus monasterii Sancte Caterine de Loculi Januensis, ordinis Sancti Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum sepe contingat detineri possessiones et alia bona, que devolvi debent ex personis sororum ejusdem loci, ratione successionis, vel dotis, sive legati, aut elemosine, seu ex aliis causis ad monasterium memoratum, et grave sit eis ad nos pro singulis habere recursum et coram diversis judicibus experiri, ipsis super hoc dignaremur misericorditer providere. Quocirca mandamus, quatinus quotiens a dictis abbatissa et conventu fueris requisitus, cognito de hiis sine strepitu judicii, eis restitui facias bona ipsa a detentoribus eorumdem. Contradictores etc. Testes autem etc. Datum Viterbii, III idus augusti, anno tertio. »

2180 Viterbe, 9 août 1257.

G. episcopo Lacedaemoniensi mandat, quatenus, pro consequenda sospitate, Salerni vel apud Montempessulanum sive alibi, quandiu expedire videbitur, commorari valeat. (Reg. 25, a. III, c. 592, f. 74v.)

« *G. episcopo Lacedemonensi.* Multam ex eo, prout accepimus, cordis angustiam pateris, quod pro tui corporis infirmitate gravissima impotens ad pastoralis officii executionem debitam inveniris. Nos itaque paterno tibi super hoc condolentes affectu et benigne tuis precibus annuentes, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut pro consequenda, Deo propitio, sospitate votiva, Salerni vel apud Montempesulanum sive alibi, quandiu expedire videbitur, valeas commorari. Datum Viterbii, V idus augusti, anno tertio. »

2181 Latran, 28 janvier 1257.

Coenobium Vallisumbrosanae congregationis pro beatae Mariae Virginis reverentia, ad instar Paschalis papae, in Romanae ecclesiae proprietatem et tutelam atque protectionem Apostolicae Sedis suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, quorum plurima nominatim recenset, jura ac privilegia confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 593, f. 74v; Potthast 16698.)

« .. *abbati, ceterisque Vallis Umbrosane congregationis fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* Desiderium, quod ad religiosum propositum et animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Quia igitur propositum vestrum, divina preveniente ac subsequente clementia, religionis vestre simplicitas bone opinionis odorem et prope ac longe positis aspiravit, nos vestro provectui, annuente Domino, provectus adjungere cupientes, cenobium vestrum pro beate Marie semper Virginis reverentia, cui dicatum est, ad instar felicis recordationis Paschalis pape predecessoris nostri, in Romane Ecclesie proprietatem et tutelam atque protectionem Apostolice Sedis suscipimus et apostolice illud auctoritatis privilegio munientes, ab omnium personarum jugo liberum permanere decernimus. Per presentem igitur privilegii nostri paginam auctoritate apostolica statuimus, ut quecumque hodie vestrum cenobium jure possidet, sive in crastinum concessione pontificum, liberalitate principum vel oblatione fidelium jure atque canonice poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Illis successoribus dicimus, qui eumdem religionis ritum et fidei constantiam conservare et strenue omnipotenti Domino in eodem proposito deservire satagerint. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, liceat vobis a quocumque volueritis catholico episcopo, Romane Ecclesie gratiam atque communionem obtinente, percipere, qui nostra fultus auctoritate, que postula[n]tur indulgeat. Ad hoc censemus atque statuimus, ne ulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare, aut ei subditas possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnino integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolice auctoritate. Nec ulli episcopo potestas sit excommunicationem aut interdictionem vobis ingerere, ut qui in speciales estis filios Apostolice Sedis assumpti, nullius alterius judicio temere exponamini. Quia vero plura vestra monasteria, inspirante Domino, in eandem vobiscum formam religionis consenserunt, videlicet monasterium Sancti Salvii juxta[1] Florentiam, Sancti Fidelis de Strumis, Sancti Salvatoris de Sophena, Sancte Marie de Nerana, Sancti Cassiani de Monte

1. *Ms.* : justa.

Scalario, Sancti Angeli de Passiniano, Sancti Salvatoris de Ficeclo, Sancti Angeli Pistoriensis, Sancti Salvatoris de Vaiano, Sancti Salvatoris de Fontana Taonis, Sancte Marie de Paciania, Sancte Marie de Griuiano, Sancti Petri de Musceto, Sancti Pauli de Razolo, Sancte Reparate de Faventina diocesi et congregatio de Rivis Cesaris, et congregatio de Monte Armato, Sancti Pauli de Pisis, Sancti Bartholomei de Cataplano, Sancte Trinitatis de Florentia, Sancti Laurentii de Cultuboni, Sancti Marci de Placentia, Sancti Basilidis Parmensis diocesis, Sancte Marie de Monteplano, Sancti Gervasii de diocesi Brixiensi, nos et ipsis et omnibus, qui se in crastinum eidem religionis usui ex integro sociare voluerint, presentis privilegii libertatem apostolica auctoritate concedimus, quamdiu in eadem religionis et consuedinis unitate persistere procuraverint. Nec alicui persone facultas sit aliquod vestre congregationis monasterium a loci sui stabilitate revellere ac removere, sine abbatis et congregationis communi consensu. Constituimus autem ut eorum omnium caput [1] vestrum, quod in Valle Umbrosa situm est, monasterium habeatur. Sane, cum terminus vite pastori vestro divina dispositione contigerit, qui ejus loco substituendus fuerit, quia et vobis et aliis omnibus preesse debebit, omnium, qui ceteris presunt monasteriis, consensu et judicio eligatur. Quod si forte ex ipsis abbatibus quilibet, Domino disponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad vestrum principale cenobium principaliter transeat, et ejus mox judicio, sicut in diebus venerande memorie Johannis primi abbatis vestri functum constat, cetera omnia unita vobis monasteria disponantur. Ad indicium autem percepte hujus a Romana Ecclesia libertatis per annos singulos duodecim sagi silicini brachia Lateranensi palatio persolvetis. Si quis igitur in crastinum, archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes, vicecomes, judex, castaldio aut ecclesiastica quelibet secularisve [2] persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus etc. usque : inveniant. Amen. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Rolandi, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, V kalendas februarii, indictione XV, Incarnationis Dominice anno M. CC°. LVII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno tertio. »

1. *Ms.* : capud
2. *Ms.* : securasve.

2182 Viterbe, 31 août 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam monasterii de Boheries in die qua dedicata fuerit et octo diebus sequentibus visitarint, unum annum ; accedentibus vero illuc annuatim in ipsius dedicationis festo et per ejus octavas, centum dies de injunctis paenitentiis relaxat. Reg. 25, a. III, c. 594, f. 75.

« .. *abbati et conventui monasterii de Boheries, Cisterciensis ordinis, Laudunensis diocesis*. Licet is de cujus munere —. Dat. Viterbii, II kal. septembris, anno tertio. »

2183 Viterbe, 7 septembre 1257.

Henrico episcopo Bambergensi inhibet, ne aliqua de bonis ecclesiae Bambergensis quomodolibet alienare praesumat sine speciali mandato Sedis Apostolicae. Reg. 25, a. III, c. 595, f. 75 ; Potthast 17000 ; Rodenberg, t. III, n° 465.

« .. *episcopo Bambergensi*. Cupientes bona ecclesie Bambergensis sub tuo regimine non minui sed augeri, fraternitati tue, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliqua de predictis bonis infeudare, concedere, donare, locare, vendere, permutare, obligare vel quomodolibet alienare presumas, sine nostro speciali mandato, faciente plenam et expressam de presentibus mentionem. Nos enim nichilominus irritum et inane decernimus quicquid contra hujusmodi nostram inhibitionem per te contigerit attemptari. Datum Viterbii, VII idus septembris, anno tertio. »

2184 Viterbe, 31 août 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad aedificationem ecclesiae de Boheries manum porrexerint, centum dies de injunctis paenitentiis relaxat. Reg. 25, a. III, c. 596, f. 75v.

« *Universis Christi fidelibus per Remensem et Coloniensem provincias constitutis.* Quoniam ut ait apostolus etc. usque : eternam. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii de Boheries, Cisterciensis ordinis, Laudunensis diocesis, fuit propositum coram nobis, iidem ecclesiam dicti monasterii de novo edificare inceperint opere sumptuoso, nec ad ipsius consumationem operis proprie ipsis suppetant facultates, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus eis pias ad hoc elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus hujusmodi valeat consumari et vos per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eis ad hoc manum porrexerint adjutricem, centum dies etc. usque : relaxamus. Presentibus post quinquennium etc. usque : decernentes. Datum Viterbii, II kalendas septembris, anno tertio. »

2185 Viterbe, 20 août 1257.

Universis episcopis Britanniae notum facit se confirmare provisionem et constitutionem G[regorii] quondam papae, jam ab Innocentii IV confirmatas. (Reg. 25, a. III, c. 597 [1], f. 75v.)

« *Universis episcopis Britannie.* Dudum inter bone memorie.. Trecorensem,.. Redonensem,.. Macloviensem,.. Briocensem,.. Dolensem,.. Venetensem et .. Leonensem episcopos ex parte una, et quondam Petrum Britannie tunc comitem ex altera, super diversis articulis gravi exorta materia questionis, cum super ipsa multe fuissent a felicis recordationis G. papa predecessore nostro impetrate littere continentes qualiter in partibus illis per eumdem comitem libertas ecclesiastica enormiter ledebatur, et tandem super vitandis et compellendis excommunicatis, ac de ipsis ad agendum, testificandum et alios actus legitimos nullatenus admittendis quandiu in excommunicatione persisterent, et libertatibus ecclesie conservendis ab ipso comite, tam super tercia judicii diffinitorum quam decimis et legatis et ecclesiasticarum defensionibus personarum, necnon super usuris, violatione fidei ac aliis causis in foro tantum ecclesiastico agitandis, a Sede Apostolica certa provisio emanasset, quia postmodum nobilis vir Johannes comes Britannie de novo tunc hujusmodi comitatum adeptus provisionem renuebat observare hujusmodi, tamquam expirasset ex eo, quod in illa de successoribus mentio non fiebat, idem predecessor, ad ipsorum episcoporum instantiam, volens dictam provisionem tamquam provide factam robur firmitatis perpetue obtinere, ipsam a prefato J. comite observari mandavit, extendens eandem provisionem ad ecclesiam Nannetensem,.. decano et.. magistroscolarum Cenomanensibus super hoc executoribus deputatis, qui ad citationes et monitiones aliquas eorumdem nobilium processerunt. Verum quoniam nichilominus idem J. comes provisionem observare hujusmodi, quamquam super hoc diligenter requisitus fuerit, contempnebat, eisdem episcopis miserabili ecclesiarum Britannie statui per apostolicam subveniri providentiam humiliter supplicantibus, felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster earumdem ecclesiarum oppressionibus paterna compatiens pietate, de suorum consilio fratrum decrevit, ut per totam Britanniam excommunicati vitentur et in judiciis ab agendo, testificando ac aliis actibus legitimis necnon publicis officiis, quandiu in excommunicatione permanserint, repellantur, quodque libertates ecclesiastice conserventur et tertia pars judicii defunctorum secundum terre consuetudinem approbatam libere et integre persolvatur ecclesiis, impleantur pie decedentium voluntates, ecclesie ac ecclesiastice persone a comite ipso suisque ballivis et subditis defendantur, causas etiam super usuris, violatione fidei ac alias spirituales seu ecclesiasticas coram episcopis in foro tantum ecclesiastico agitandas in eodem foro ecclesiastico idem comes et sui agi libere patiantur, permittant etiam decimas ecclesiis ac personis ecclesiasticis a laicis resignari. Provisionem autem ab eodem G. predecessore nostro factam de excommunicatis per secularem potentiam compellendis, ut redeant ad Ecclesie unitatem, et legatis tam de terris gentilibus quam servilibus faciendis, secundum terre consuetudinem approbatam, firmiter observari precepit, sub interminatione anathematis, districtius inhibens, ne idem comes vel quivis alius in Britannia ipsa contra statutum hujusmodi, quod perpetuis ibidem temporibus firmum et stabile permanere voluit, aut contra provisionem eandem venire presumat, bone memorie..

Cenomanensi episcopo super hoc eisdem episcopis conservatore concesso, qui in eundem J. comitem occasione provisionis et constitutionis hujusmodi excommunicationis sententiam promulgavit. Cumque postmodum sepefatus J. comes, apud Sedem Apostolicam de observanda constitutione predicta prestito juramento, ab eadem sententia, auctoritate nostra obtinuerit se absolvi, et constitutionis ipsius in aliquibus correctionem, in aliis vero emendationem et in nonnullis etiam moderationem per nostram fieri providentiam postularit, nos dilecto filio.. abbati Beate Marie de Precibus, Venetensis diocesis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut vos ex parte nostra peremptorie citare per se vel alium procuraret, ut infra certum terminum in nostra curaretis presentia cum provisione et constitutione predictis per vos vel alios comparere, nostram super hiis correctionem, emendationem et moderationem, prout ordo rationis exigeret, recepturi. Ex vobis igitur venerabilibus fratribus nostris,.. Maclovieusi et .. Trecorensi pro parte vestra et nichilominus.. Nannetensi pro se et ecclesia sua episcopis ac procuratore ipsius J. comitis comparentibus propter hoc in statuto termino coram nobis, et dicto procuratore correctionem, emendationem et moderationem hujusmodi fieri cum instantia postulante, nos provisionem et constitutionem predictas inspeximus et examinavimus diligenter et auditis ac intellectis, que fuerunt hinc inde proposita, quia nichil in eis repperimus, quod equitatem non saperet et justitie rectitudinem non haberet, in ipsis habito fratrum nostrorum consilio, nichil immutandum duximus vel etiam innovandum. Nolumus autem, quod per hoc vobis detur materia memoratum comitem contra eorumdem provisionis et constitutionis formam aut predictas consuetudines indebite molestandi, quia si secus presumpseritis agere, faciemus eidem comiti ac episcopo Cenomanensi, cum ad nos super hoc ipsius querela pervenerit, exhiberi justitie complementum. Datum Viterbii, XIII kalendas septembris, anno tertio. »

2186 Viterbe, 4 septembre 1257.

Episcopo Cenomanensi mandat, quatenus supradictas provisionem et constitutionem per totam Britanniam ab omnibus observari faciat. (Reg. 25, a. III, c. 597 [2], f. 75v.)

« .. *episcopo Cenomanensi*. Dudum inter bone memorie —. Dat. Viterbii, II nonas septembris, anno tertio. »

2187 Viterbe, 8 août 1257.

Abbatissae et conventui monasterii S. Annae de Jerusalem indulget, ut ad receptionem aliquarum monialium seu provisionem aliquorum in pensionibus vel ecclesiasticis beneficiis non teneantur per litteras Sedis Apostolicae expressam de indulto hujusmodi mentionem non facientes. (Reg. 25, a. III, c. 598, f. 75v.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii S. Anne de Jerusalem, ordinis S. Benedicti, commorantibus in Accon.* Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos, propter Sarracenorum incursus, jamdudum a proprio monasterio exulantes, apud Accon in loco satis arto moremini, paupertatis sarcina pregravate, nos vobis super hoc paterno compatientes affectu, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad receptionem aliquarum monialium seu provisionem aliquorum in pensionibus vel beneficiis ecclesiasticis non teneamini per litteras apostolicas, que plenam et expressam de hac indulgentia non fecerint mentionem. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum Viterbii, VI idus augusti, anno tertio. »

2188 Viterbe, 2 septembre 1257.

Magistro Hugoni de Mortuomari indulget, ut praeter ecclesiam de Biseleia, Wigorniensis dioecesis, ecclesiam de Veteri Radenowra, Herefordensis dioecesis, quam habet commendatam, recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 599, f. 76.)

« *Magistro Hugoni de Mortuomari rectori ecclesie de Byseleya, Wigorniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, IIII nonas septembris, anno tertio. »

2189 Viterbe, 13 août 1257.

Priori et conventui Lewensibus indulget, ut, cedente vel decedente Willelmo rectore ecclesiae de Alifas, in qua jus obtinent patronatus, ecclesiam ipsam in proprios usus retinere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 600 [1], f. 76.)

« .. *priori et conventui Lewensibus, Cluniacensis ordinis, Cicestrensis diocesis.* Cum ecclesia vestra hospitalitate conspicua et in ea specialiter vigeat observantia regularis, dignum arbitramur et decens, ut ipsam donis extollamus specialium gratiarum. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, presentium vobis tenore concedimus, ut, cedente aut

decedente Willelmo rectore ecclesie de Alifas, Eboracensis diocesis, in qua jus obtinetis, sicut asseritis, patronatus, ecclesiam ipsam cum pertinentiis suis in usus vestros perpetuo retinere, ac ipsius corporalem possessionem per eos vel per alium seu alios, ordinarii vel cujusquam alterius irrequisito consensu, ingredi libere valeatis, vicario ipsius ecclesie pro sustentatione sua et ejusdem ecclesie oneribus supportandis congrua portione de ipsius proventibus reservata : non obstante si felicis recordationis I. papa predecessor noster vel nos mandavimus sub quacumque forma verborum alicui beneficio aut beneficiis ad vestram collationem seu presentationem spectantibus provideri, quibus quoad assecutionem aliorum beneficiorum pro tempore vacantium nolumus auctoritate presentium prejudicium generari. Nos enim decernimus irritum et inane si quid contra hujusmodi concessionis nostre tenorem a quoquam contigerit attemptari. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, idibus augusti, anno tertio. »

2190 Viterbe, 13 août 1257.

Abbati monasterii S. Albani mandat, quatenus supradictos priorem et conventum Lewenses in corporalem possessionem ecclesiae de Alifas inducant et defendant inductos. Reg. 25, a. III, c. 600[2], f. 76.

« .. *abbati Sancti Albani, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis.* Cum ecclesia Lewensis —. Dat. ut supra. »

2191 Viterbe, 6 septembre 1257.

Patriarcham Antiocenum, familiam, vicarios et balivos ejus, necnon civitatem, dioecesim, clerum et populum Antiochenos ab archiepiscopi Nimociensis jurisdictione usque ad quadriennium penitus eximit. Reg. 25, a. III, c. 601, f. 76.

« .. *patriarche Antiocheno.* Provenit ex devotionis tue meritis, quod ea tibi animo libenti concedimus, per que, materia submota gravaminis, status tui ac tuorum etiam tranquillitas procuretur. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, tibi, cui Nimociensis ecclesia in spiritualibus et temporalibus est, ut dicitur, auctoritate apostolica commendata, auctoritate presentium indulgemus, ut venerabilis frater noster.. archiepiscopus Nicosiensis ejusdem ecclesie metropolitanus non possit in te vel familiam tuam seu vicarios et balivos tuos in ecclesia supradicta aut ecclesias vel terras sive aliquos de clero vel populo Nimociensis civitatis vel diocesis censuram ecclesiasticam vel aliquam jurisdictionem spiritualem auctoritate metropolitica quomodolibet usque ad quadriennium exercere, te et ecclesiam ipsam, necnon familiam, vicarios et balivos tuos ac civitatem et diocesim, clerum et populum supradictos ab ipsius archiepiscopi jurisdictione interim penitus eximentes. Nos enim universas sententias et quicquid contra presentis indulti tenorem attemptari contigerit, irrita nuntiamus. Volumus autem, ut idem archiepiscopus jura, si que in premissis habet, libere percipiat et habeat, cum nullum ei super eorumdem perceptione jurium velimus per hoc prejudicium generari, ita tamen quod dictus archiepiscopus propter hoc in te vel premissos nullam penitus facultatem habeat censuram ecclesiasticam vel aliquam jurisdictionem spiritualem, auctoritate metropolitica, usque ad idem quadriennium, exercendi. Nulli etc. nostre concessionis, exemptionis et nuntiationis etc. Datum Viterbii, VIII idus septembris, anno tertio. »

2192 Latran, 11 février 1257.

Confirmat concessionem quorumdam reddituum Willelmo nato quondam Huberti Albi, civi Lugdunensi, et Willelmeto clerico, nato ejus, ab abbate et conventu monasterii Insulae Barbarae factam. (Reg. 25, a. III, c. 602[1], f. 76v.

« *Willelmo nato quondam Huberti Albi civi Lugdunensi.* Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Significasti siquidem nobis, quod dilecti filii.. abbas et conventus monasterii Insule Barbare, ordinis Sancti Benedicti, Lugdunensis diocesis, attendentes devotionem et fidei puritatem, quam quondam H. pater tuus et progenitores tui ad ipsos et eorum monasterium habuerunt, et ab ipsis grata servitia eis impensa, recepta a te quadam pecunie summa,[1] quosdam redditus de Binssi ad eos spectantes tibi et Willelmeto clerico, nato tuo, liberaliter concesserunt, ita quod post tuum et ipsius W. obitum, dicti redditus libere ad eorum monasterium revertantur, prout in litteris inde con-

1. *Ms.* quandam pecunie summam

fectis eorum sigillo signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem abbate et conventu provide factum est ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, III idus februarii, anno tertio. »

2193 Latran, 13 février 1257.

Archipresbytero de Corziaco mandat, quatenus praedictos redditus eisdem Willelmo et Willelmeto assignari faciat. (Reg. 25, a. III, c. 602[2], f. 76v.)

« .. *archipresbitero de Corziaco, Lugdunensis diocesis.* Exigentibus dilecti filii —. Dat. Laterani, idibus februarii, anno tertio. »

2194 Viterbe, 25 juillet 1257.

Cum magistro Mathaeo de Bruchardi dispensat, ut ecclesiam de Challac, in qua tenetur residentiam facere, et prebendam Bituricensis ecclesiae, ubi est receptus, insimul retinere valeat, et residens in praedicta Bituricensi ecclesia, possit in praefata ecclesia de Challac per capellanum idoneum usque ad sex annos deservire. (Reg. 25, a. III, c. 603, f. 76v.)

« *Magistro Matheo de Bruchardi, rectori ecclesie de Challac, canonico Bituricensi.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Viterbii, VIII kal. augusti, anno tertio. »

2195 Viterbe, 8 septembre 1257.

Abbatissae et conventui monasterii S. Catarinae de Loculo Januensis concedit, ut tempore generalis interdicti, liceat eis, in festivitatibus beatae Mariae Virginis, pulsatis campanis, populum ad audiendum divina officia in ipso monasterio convocare. (Reg. 25, a. III, c. 604, f. 76v; Potthast 17002.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Katerine de Loculi Januensis, ordinis Sancti Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Exigentibus vestre devotionis —. Dat. Viterbii, VI idus septembris, anno tertio. »

2196 Latran, 17 janvier 1257.

Parrochianis ecclesiae Beatae Mariae de Diva confirmat compositionem factam a Lexoviensi episcopo inter dictos parrochianos et rectorem dictae ecclesiae, super quibusdam redditibus, obventionibus et rebus aliis. (Reg. 25, a. III, c. 605, f. 76v.)

« *Parrochianis ecclesie Beate Marie de Diva, Lexoviensis diocesis.* Ea, que judicio vel concordia terminantur etc. usque : communiri. Porrecta sane nobis vestra petitio continebat, quod orta olim inter vos ex parte una, et.. rectorem ecclesie Beate Marie de Diva ex altera, super quibusdam redditibus, obventionibus et rebus aliis materia questionis, tandem mediante venerabili fratre nostro.. Lexoviensi episcopo loci diocesano, amicabilis inter partes compositio intervenit, quam apostolico petiistis munimine roborari. Nos igitur, vestris petitionibus inclinati, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno tertio. »

2197 Viterbe, 31 juillet 1257.

Michaeli de Valle de Canon clerico Lexoviensis dioecesis indulget, ut non obstante defectu aetatis, cum vicesimum secundum annum attigisse dicatur, unum beneficium curam animarum habens annexam, licite recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 606, f. 76v.)

« *Michaeli de Valle de Canon clerico Lexoviensis diocesis.* Exigentibus tue devotionis —. Dat. Viterbii, II kal. augusti, anno tertio. »

2198 Latran, 14 mai 1257.

Episcopo Bajocensi mandat, quatenus magistro Laurentio de Clausura, capicerio Lexoviensi, beneficium, quod in Bajocensi ecclesia obtinet, in aliud pinguius beneficium ipsius ecclesiae commutet. (Reg. 25, a. III, c. 607, f. 77.)

« .. *episcopo Bajocensi.* Eis, quorum progenitores Apostolica Sedes est experta devotos filios et fideles, maxime quos novit in se progenitorum ipsorum devotionem quasi hereditariam per imitationem laudabilem derivasse, quadam gratitudinis exigentia in suis utilitatibus adesse nos convenit et tam sua quam suorum obsequia per retributionis vicissitudinem compensare, precipue autem dum pro talibus proprie vite honestas

et litterarum scientia interpellant. Attendentes igitur, quod progenitores dilecti filii magistri Laurentii de Clausura, capicerii Lexoviensis, subdiaconi nostri, qui de nobilioribus Romanis extiterunt civibus, per multe devotionis obsequia Romane Ecclesie placuerunt, et quod ipse magister Laurentius ad paternorum se ostendit meritorum similitudinem studiosum, ac diu scolasticis disciplinis insistens, postquam in liberalibus artibus meruit cathedram magistralem, ascendere laudabiliter in utroque jure profecit; accedente premissis dilecti filii nostri O. Sancti Adriani diaconi cardinalis instantia, qui pro ipso nobis attentius supplicavit, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatinus attendens quod idem magister per se ac suos tibi et ecclesie tue poterit existere plurimum fructuosus, beneficium suum Bajocensis ecclesie, in qua prebendarum collatio ad te pertinere dicitur, cum sit, ut asseritur, nimis tenue ac exile, in aliud pinguius ipsius ecclesie beneficium, quod summam viginti librarum Turonensium annis singulis non excedat ac communiam annexam habeat, si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, eidem magistro studeas commutare ac ipsum recipi facias in dicta ecclesia in canonicum et in fratrem, presertim cum dictum beneficium, quod nunc obtinet, non consueverit nisi canonico assignari; non obstante si tibi aut capitulo ipsius ecclesie ab eadem sit Sede concessum, quod ad provisionem vel receptionem cujusquam per litteras apostolicas minime tenearis, aut si dictus magister alias beneficiatus existit, vel si tibi pro aliis direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, seu statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roborato, vel qualibet dicte Sedis indulgentia, per quam a precibus et mandato nostro haberi possis quomodolibet excusatus vel mandati nostri executio impediri valeat in hac parte, etiamsi de ipsa plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem, preces et mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus, quod devotionis tue promptitudinem merito commendemus. Alioquin dilecto filio Jordano Laudunensi capellano nostro et Angelo presbitero ecclesie Sanctorum Laurentii et Damasi de Urbe canonicis, Parisius commorantibus, nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi super hoc mandatum apostolicum exequantur. Contradictores etc. non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliqui etc. usque : trahantur. Datum Laterani, II idus maii, anno tertio. »

2199 Viterbe, 24 juillet 1257.

Archiepiscopo Bituricensi concedit, ut magistrum Radulphum de Sarentonio canonicum de Magduno in canonicum ecclesiae Bituricensis recipi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 608, f. 77.)

« .. *archiepiscopo Bituricensi*. Per studia laudabilis —. Dat. Viterbii, VIII kal. julii, anno tertio. »

2200 Anagni, 4 septembre 1256.

Episcopo Lemovicensi mandat, quatenus Andreae de Mercato, ejusdem episcopi procuratori, pauperi subdiacono Lemovicensis dioecesis, de competenti praebenda providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 609, f. 77.)

« .. *episcopo Lemovicensi*. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Andreas de Mercato, procurator tuus, pauper subdiaconus tue diocesis, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse de quadam tenui ecclesia et pensione trium librarum Lemovicensis monete, quas obtinet, nequeat comode sustentari, nec aliud beneficium habeat, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia vero dicto subdiacono laudabilis conversationis et vite merita suffragari dicuntur, nos eum propter hoc pia benivolentia prosequentes, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eidem subdiacono dictas ecclesiam et pensionem libere resignare parato, secundum sue probitatis meritum in tua civitate vel diocesi de prebendali vel alio ecclesiastico beneficio competenti, ad cujuscumque collationem spectante, etiam curam habente animarum annexam, nulli alii de jure debito, si vacat ad presens vel quamcito se facultas obtulerit, dummodo sit ydoneus et velit in illo personaliter residere, per te vel per alium auctoritate nostra providere procures, faciens eum in ecclesia, in qua sibi contigerit provideri, si collegiata fuerit, in canonicum recipi et in fratrem, non obstante statuto de certo canonicorum numero vel confirmatione Sedis Apostolice seu quacumque firmitate vallato, seu si pro aliis

in eadem ecclesia direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, aut si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari, seu ad receptionem et provisionem alicujus compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores etc. ita tamen quod, si de beneficio ei provideris, quod curam habeat animarum, idem A. ad ordines, quos ipsius beneficii cura requirit, se faciat statutis temporibus promoveri, preces nostras et mandatum in hac parte taliter impleturus, quod negotium pauperis amplecti laudabiliter videaris. Datum Anagnie, II nonas septembris, anno secundo. »

2201 Viterbe, 1er septembre 1257.

Fernando decano Bracharensi indulget, ut ecclesiastica beneficia retinere valeat usque ad valorem annuum quadraginta marcarum sterlingorum ultra summam in litteris eidem Fernando ab Innocentio IV directis comprehensam. (Reg. 25, a. III, c. 610, f. 77v.)

« *Fernando decano Bracarensi, capellano nostro.* Probitatis et nobilitatis tue merita felicis recordationis I. papa predecessor noster attendens, tibi ut preter beneficia, que obtinebas, habentia curam animarum annexam, alia beneficia seu personatus, etiamsi similem curam haberent, usque ad certum valorem annuum libere recipere ac licite retinere valeres, constitutione generalis concilii non obstante, per suas, ut asseris, duxit litteras concedendum. Nos igitur, meritorum tuorum prerogativam diligentius intuentes, ac per hoc super hiis circa te hujusmodi volentes gratiam ampliare, quod beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura predicta, etiamsi sint personatus et dignitates, usque ad valorem annuum quadraginta marcarum sterlingorum ultra summam in dicti predecessoris litteris comprehensam, et insuper si te aliqua ex beneficiis, que obtines, resignare contigerit, loco illorum, que resignaveris, alia, etiamsi eis cura hujusmodi annexa fuerit, dummodo tibi canonice offerantur recipere libere, ac retinere licite, predicta et quam bone memorie.. Sabinensis episcopus, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, contra obtinentes plura ecclesiastica beneficia edidit, constitutionibus nequaquam obstantibus, valeas, tibi auctoritate presentium concedimus dispensando; proviso quod beneficia, personatus et dignitates hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli [etc.] nostre concessionis et dispensationis etc. Dat. Viterbii, kalendis septembris, anno tertio. »

2202 Latran, 1er mars 1257.

Fernando Joannis decano Bracharensi, quem Lupus Marochitanus episcopus juxta mandatum apostolicum in ecclesia S. Mariae de Castrello instituerat rectorem, investiens eundem per anulum suum de eadem, hanc investituram confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 611, f. 77v; Potthast 16760.)

« *Fernando Johannis decano Bracharensi capellano nostro, rectori ecclesie Sancte Marie de Crastello, Auriensis diocesis.* Justis petentium etc. usque: complere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod, cum ad ecclesiam Sancte Marie de Crastelo tunc vacantem fuisses a carissimo in Christo filio nostro.. illustri rege Castelle et Legionis vero patrono ipsius venerabili fratri nostro.. Auriensi episcopo loci diocesano canonice presentatus, et idem episcopus te contra justitiam instituere noluerit in eadem, nos venerabili fratri nostro.. Marrochitano episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut si res taliter se haberet, te in eadem ecclesia instituere, sublata difficultate qualibet, procuraret, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Qui mandatum apostolicum exequens, diligenter litterarum ipsarum forma servata, et intellecto per eundem Auriensem episcopum, quod ecclesia ipsa, quam in spiritualibus et temporalibus dicebat esse collapsam, poterat per diligentie tue studium in melius reformari, te litterarum ipsarum auctoritate in ipsa instituere curavit ac etiam investivit per suum anulum de eadem, prout in litteris ejusdem Marrochitani episcopi confectis exinde plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, institutionem hujusmodi provide factam ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Latran, 23 janvier 1257.

« Noverint universi presentem litteram inspecturi, « quod nos frater Lupus miseratione divina Marro-

« chitanus episcopus et Apostolice Sedis legatus lit- « teras summi pontificis recepimus in hunc modum :

Latran, 12 janvier 1257.

« Alexander episcopus, servus servorum Dei vene- « rabili fratri.. episcopo Marrochitano salutem et « apostolicam benedictionem. Exposuit nobis dilectus « filius Fernandus Johannis decanus Bracarensis, ca- « pellanus noster, quod cum ipse ad vacantem eccle- « siam Sancte Marie de Castrello Auriensis diocesis, « a carissimo in Christo filio nostro.. illustri rege « Castelle et Legionis vero patrono ipsius ecclesie « venerabili fratri nostro.. Auriensi episcopo loci dio- « cesano fuisset canonice presentatus, idem episcopus « dictum decanum contra justitiam instituere noluit « in eadem. Unde a nobis humiliter petiit, ut provi- « dere in hac parte sibi paterna diligentia curaremus. « Cum igitur prefatum decanum, sue devotionis exi- « gentibus meritis, speciali benivolentia prosequamur, « ac velimus eidem in suo jure apostolico adesse « favore, fraternitati tue mandamus, quatinus si tibi « constiterit de premissis, ipsum in premissa ecclesia « auctoritate nostra instituere, sublata qualibet diffi- « cultate, procures. Contradictores etc. Testes au- « tem etc. usque : perhibere. Datum Laterani. II « idus januarii, anno tertio. »

« Quia igitur per testes fidedignos et instrumenta « autentica nobis constitit de premissis, et quia per « patentes litteras venerabilis patris Johannis Aurien- « sis episcopi. loci diocesani, nobis constitit, quod cum « predicta ecclesia in temporalibus et spiritualibus sit « collapsa, per predictum decanum potest in melius « reformari. nos auctoritate apostolica nobis tradita « ex injuncto mandato, predictum Ferrandum Johan- « nis decanum Bracarensem, domini pape capellanum, « instituimus in sepedicta ecclesia Sancte Marie de « Castrello, investientes eundem per nostrum anulum « de eadem, concedentes eidem decano in spirituali- « bus et temporalibus plenam predicte ecclesie potes- « tatem, contradictores etiam, eadem auctoritate, « excommunicationis vinculo innodantes. Datum Rome, « X kalendas februarii, anno Domini M°.CC°.LVII[1], « pontificatus domini Alexandri pape IIII, anno ter- « tio. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Late- rani, kalendis martii, anno tertio. »

1. *Ms.* : M°.CC°.LVI.

2203 Viterbe, 5 septembre 1257.

Helyae Saunerii indulget, ut de Aiguiranda et de Parazaco ecclesias, quas se canonice proponit adeptum, licite insimul retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 612, f. 78.)

« *Helye Saunerii rectori ecclesiarum de Ayguiranda et de Parazago Lemoricensis et Engolismensis diocesium.* Volentes tibi gratiam facere. — Dat. Viterbii, nonis septembris, anno tertio. »

2204 Viterbe, 4 septembre 1257.

Abbati monasterii Dolensis et magistro Philippo de Carnoto canonico ecclesiae S. Aniani mandat, quatenus, juxta priorum litterarum tenorem, magistrum Aymericum de Burgo Dolensi in canonicum Bituricensis ecclesiae recipi eique de praebenda provideri faciant. (Reg. 25, a. III, c. 613, f. 78.)

« .. *abbati monasterii Dolensis, ordinis Sancti Benedicti, et magistro Philippo de Carnoto canonico ecclesie Sancti Aniani, Bituricensis diocesis.* Dilectus filius magister Aymericus de Burgo Dolensi clericus in nostra proposuit presentia constitutus, quod, cum olim pro ipso dilectis filiis.. decano et capitulo Bituricensibus primo preces direximus et mandata et eis postmodum nostris dederimus litteris in preceptis, ut ipsum, quem elegantia morum, donum scientie ac morum honestas dignum reddunt gratia et favore, reciperent in canonicum et in fratrem, eique de prebenda, si qua tunc vacabat in eorum ecclesia vel quamcito ad id se offerret oportunitas, sine difficultate qualibet providerent, dicti decanus et capitulum, precibus, monitis et preceptis nostris, quod non decuit, obauditis, non solum quod mandavimus adimplere noluerunt, verum etiam super hoc nullum ab eis potuit habere responsum in nostram et Apostolice Sedis injuriam et contemptum; propter quod prefatus magister fatigatus plurimum laboribus et expensis jam tertio coactus est ad nos habere recursum. Nos igitur, qui eidem magistro in hac parte affectu paterno compatimur, quod de ipsius provisione incepimus, obtentu venerabilis fratris nostri.. Tusculani episcopi nobis pro eodem magistro super hoc cum instantia supplicantis, nolentes relinquere imperfectum, mandamus, quatinus prefatos decanum et capitulum auctoritate nostra moneatis et efficaciter inducatis, ut eundem magistrum, qui per acquisite merita probitatis ipsis et eorum ecclesie potest existere multipliciter fructuosus,

pro nostra et predicte Sedis reverentia recipiant in canonicum et in fratrem, ac de prebenda provideant, juxta dictarum continentiam litterarum. Quod si ad id majoris partis dicti capituli accedat assensus, non obstante partis contradictione minoris, ipsam ad hoc, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis, nisi ab ea rationabile aliquid objectum fuerit et ostensum. Et ut dictus magister de gratia jam incepta fructum reportet optatum, nos ex nunc decernimus irritum et inane, si quid de canonicatu et prebenda predictis, contra mandati nostri tenorem, a quoquam contigerit attemptari. Quod si non ambo etc. Datum Viterbii, II nonas septembris, anno tertio. »

2205 Viterbe, 7 septembre 1257.

Waltero de Albiniaco indulget, ut praeter duo ecclesiastica beneficia, quae obtinet, quorum redditus quadraginta marcarum argenti valorem vix excedunt, duo alia recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 614, f. 78.

« *Waltero de Albiniaco, rectori ecclesie de Wistapeile, Cantuariensis diocesis, clerico carissime in Christo filie nostre.. illustris regine Anglie.* Licet ne quis —. Dat. Viterbii, VII idus septembris, anno tertio. »

2206 Viterbe, 3 août 1257.

Revocat indulgentias et concessiones, quas nonnulli ecclesiarum praelati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam concedi, ut non teneantur Sedem eandem usque ad certa tempora visitare, contra formam praestiti juramenti. (Reg. 25, a. III, c. 615, f. 78; Potthast 16958.

« *Ad futuram rei memoriam.* Importuna multorum instantia, quam nequit interdum repulsa repellere, felicis recordationis I. papam predecessorem nostrum et nos aliquando coartavit, ut cum votis eorum benignitas Sedis Apostolice quodammodo tracta concurreret non ex voto. Sane nonnulli ecclesiarum prelati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam importune concedi, ut non teneantur Sedem eandem usque ad certa tempora visitare, contra formam prestiti juramenti, ex quo illud evenit inconveniens, quod Apostolice Sedis dignitas rarius visitatur in derogationem reverentie, que ab omnibus debetur eidem, utpote que mater existit ecclesiarum omnium et magistra. Nos igitur, volentes super hoc salubri remedio providere, ac Romanam Ecclesiam, que super omnes alias ordinarie potestatis obtinet principatum, congruis honoribus frequentari, presertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod a predecessoribus nostris super hoc diu excogitatum extitit et obtentum, de fratrum nostrorum consilio indulgentias et concessiones hujusmodi patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis concessas, auctoritate presentium revocamus. Nulli (etc.) nostre revocationis etc. Datum Viterbii, III nonas augusti, anno tertio. »

2207 Viterbe, 15 septembre 1257.

Magistro Girardo de Virsione, archidiacono Sigaloniae, mandat, quatenus Martino dicto Chaygnes, qui de proventibus vicariae perpetuae ecclesiae Bituricensis, quam obtinet, sustentari nequit, de aliquo competenti beneficio provideri faciat. (Reg. 25, a. III, c. 616, f. 78.

« *Magistro Girardo de Virsione, archidiacono Sigalonie.* Dilectus filius Martinus dictus Chaygnes, pauper presbiter, in nostra proposuit presentia constitutus, quod venerabilis frater noster.. archiepiscopus Bituricensis ipsum ad presentationem decani et capituli Bituricensis ecclesie, ad quandam ejusdem ecclesie perpetuam vicariam in diaconum et presbiterum ordinavit. Verum, cum idem presbiter de ipsius vicarie proventibus qui, sicut asserit, centum solidorum Turonensium valentiam annis singulis non excedunt, nequeat aliquatenus sustentari, nos compatientes ipsius presbiteri paupertati ac volentes ei facere gratiam specialem, mandamus, quatinus prefatos decanum et capitulum, quod dicto presbitero provideant in eadem ecclesia de aliquo beneficio competenti, ac tamdiu decem libras Parisiensium pro vite sue necessariis exhibeant annuatim, donec ei per illos de hujusmodi beneficio provisum fuerit, attentius moneas et inducas. Quod si forsan monitis tuis non paruerint in hac parte, tu eos ad premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Datum Viterbii, XVII kal. octobris, anno tertio. »

2208 Viterbe, 22 septembre 1257.

Magistro Joanni indulget, ut praeter ecclesiam de Tuillies, cujus rector existit, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 617, f. 78v.

« *Magistro Johanni rectori ecclesie de Tuillies, Leodiensis diocesis.* Tue probitatis merita —. Dat. Viterbii, X kal. octobris, anno tertio. »

2209 Viterbe, 15 septembre 1257.

Obtentu Joannis de Camezano capellani sui et litterarum contradictarum auditoris, patrui ejus, Joanni de Camezano canonico Exoniensi indulget, ut redditus praebendae, quam in Exoniensi ecclesia obtinet, ecclesiae scolasticis disciplinis insistens per septennium, possit integre percipere. (Reg. 25, a. III, c. 618[1], f. 78v.)

« *Johanni de Camezano, canonico Exoniensi.* Si Sedes Apostolica —. Dat. Viterbii, XVII kal. octobris, anno tertio. »

2210 Viterbe, 17 septembre 1257.

Abbati Westimonasterii et magistro Alexandro de Ferentino, canonico Londoniensi, mandat, quatenus supradicto Joanni de Camezano proventus ejusdem praebendae faciant sine difficultate exhiberi. (Reg. 25, a. III, c. 618[2], f. 78v.)

« .. *abbati Westimonasterii et magistro Alexandro de Ferentino canonico Londoniensi, capellanis nostris.* Si Sedes Apostolica —. Dat. Viterbii, XV kal. octobris, anno tertio. »

2211 Viterbe, 5 septembre 1257.

Philippum quondam electum Salzburgensem, qui ecclesiam Salzburgensem novem et amplius annos occupatam tenuerat, quin se consecrari, quanquam saepe monitus, procuraverit, eadem ecclesia privat, atque postulationem [Ulrici] Secoviensis episcopi in archiepiscopum Salzburgensem factam per [Henricum] episcopum Chimensem, praepositum et scholasticum ac Hermannum canonicos Salzburgenses, quibus capitulum ejusdem ecclesiae providendi eidem de pastore contulerat unanimiter potestatem, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 619, f. 78v; Potthast 16998; Rodenberg, t. III, n° 464.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Olim ecclesiarum cathedralium sponsis contractum hinc inde spirituale conjugium passim, non absque utrorumque periculo, negligentibus consumare, differendo munus consecrationis recipere ultra tempora in antiquis canonibus diffinita, nos, quibus ex injuncto nobis apostolatus officio cura omnium ecclesiarum incumbit, predictis ecclesiis taliter viduatis, que quidem, licet sponsos haberent, destitute tamen erant ipsorum solatio, quoad quedam providere salubriter ac multorum dispendiis obviare volentes, de consilio fratrum nostrorum, universis electis in premissis ecclesiis semestre tempus statuimus, infra quod munus consecrationis reciperent; alioquin, nisi essent legitimo impedimento detenti, ab amministratione spiritualium et temporalium cognoscerent se suspensos; et si ultra predictum tempus sine consecrationis munere detinerent ecclesias aliis sex mensibus viduatas, ex tunc ipsis ecclesiis scirent se auctoritate nostra privatos, et hii, ad quos talium spectat electio, providendi sibi de aliis haberent liberam facultatem, non obstante aliqua indulgentia eis sub quacumque forma verborum concessa, per quam adversus statutum hujusmodi possent in aliquo se tueri. Unde dilecti filii.. prepositus, et Heidinricus canonicus Salzburgensis ecclesie ad Sedem Apostolicam accedentes, tam ex parte sua quam ex parte capituli ejusdem ecclesie coram nobis, non sine multa cordis amaritudine retulerunt, quod Philippus quondam electus ipsius, prisca sanctorum patrum non metuens et moderna statuta contempnens, eandem ecclesiam non tamquam sponsus sed adulter potius tenuit per novem annos et amplius occupatam, cum nec infra tempus prefinitum a canone nec post hujusmodi constitutionem nostram super hoc editam et in illis partibus promulgatam, ab eodem etiam capitulo pluries requisitus, se procuraverit consecrari, quamquam in vocem appellationis proruperit et in ipsa ecclesia in spiritualibus et temporalibus nichilominus temere ministrarit. Propter quod ipso Philippo post primos sex menses ab amministratione suspenso et demum post sex alios eadem ecclesia, juxta tenorem ipsius constitutionis, privato, dicti prepositus et capitulum providendi ecclesie ipsi de alio habentes ex hoc liberam potestatem et volentes ecclesie sue consulere de pastore, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse, tandem in venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Chimensem, prefatum prepositum,.. scolasticum, ac Hermannum canonicos Salzburgenses providendi eidem ecclesie de pastore contulerunt unanimiter potestatem; qui venerabilem fratrem nostrum.. Secowensem episcopum in Salzburgensem archiepiscopum, juxta formam sibi traditam, concorditer postularunt. Quare dicti prepositus et capitulum admitti a nobis postulationem hujusmodi et absolvi eundem episcopum a vinculo, quo tenetur Secowensi ecclesie, ac concedi sibi

licentiam ad Salzburgensem ecclesiam transeundi humiliter petierunt. Quamvis autem ipsi nobis de premissis parati essent facere plenam fidem, nos tamen, per viam juris et equitatis procedere cupientes, dictum Philippum per eundem Chimensem episcopum citari mandavimus, ut infra certum tempus, per se vel per procuratorem idoneum, in nostra compareret presentia, et munitiones et castra ejusdem ecclesie in manibus ipsius episcopi, Ecclesie Romane nomine, assignaret, cum haberemus ipsum de dilapidatione suspectum. Eo itaque per ipsum episcopum juxta hujusmodi mandatum nostrum citato, Albericus ejusdem Philippi clericus, diu post assignatum sibi terminum comparuit coram nobis, quosdam ipsius Philippi nuntios a se missos propter hoc ad Sedem Apostolicam, ut dicebat, asserens nunc in Aquilegensi provincia, nunc in regno Ungarie captivatos, licet hoc totum ex parte dicti capituli negaretur. Negotio autem hujusmodi aliquandiu in nostra presentia ventilato, dum eundem Philippum reputaremus ex premissis non immerito contumacem, dictus Albericus, asserens se procuratorem ejusdem quoddam procuratorium coram nobis exhibuit, defensioni predicti Philippi se nichilominus offerendo. Super quo dilectos filios nostros H. tituli Sancte Sabine presbiterum et P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales dedimus partibus auditores, mandantes, ut de plano et sine judicii strepitu diligenter audirent, que partes vellent proponere coram eis. Premissis igitur in ipsorum presentia ex parte procuratorum ejusdem capituli repetitis, dictus Albericus proposuit ex adverso, quod prepositus et canonicus supradicti non erant nec esse poterant procuratores capituli, cum eidem Philippo major pars ipsius capituli adhereret, super hoc litteras quasdam ostendens, propter quod ipsi tanquam falsi procuratores non debebant admitti. Ad excusationem quoque dicti Philippi proponebat eum sollempnes nuntios destinasse ad Sedem Apostolicam infra tempora constitutionis predicte ad petendum committi pro eo aliquibus suffraganeis ejusdem ecclesie, qui, auctoritate nostra, sibi conferre sacerdotalem ordinem et consecrationis munus impendere procurarent, maxime cum ipse venire ad eandem Sedem propter viarum discrimina et capitales inimicitias, quas habebat in via pretextu Salzburgensis et universalis ecclesie, non auderet. Ad solvendum etiam debitum Romane Ecclesie, pro quo excommunicatus fuerat, impotentem[1] dicebat eundem, cum dicti prepositus et capitulum ipsum de civitate Salzburgensi expelli, et castra ipsius ecclesie ab inimicis ejusdem procuraveri[n]t occupari, propter quod idem Philippus sine amissione castrorum et aliorum bonorum ejusdem ecclesie venire personaliter non poterat nec audebat. Asserebat insuper talem eum a felicis recordationis I. papa predecessore nostro indulgentiam habuisse, ut consecrationis munus non teneretur recipere usque ad sue beneplacitum voluntatis. Allegabat etiam idem A. tempora precedentia constitutionem predictam circumducta fuisse per constitutionem eandem, adjiciens, quod, sicut episcopus negligens recipere munus consecrationis infra tempus expressum in canone, cedit metropolitani sui judicio, sic archiepiscopus in casu consimili cedere debet nostro; propter quod dictus Philippus non erat ipso jure privatus sed ex Apostolice Sedis judicio potius dependebat, et ita, per consequens, dicta postulatio in ecclesia non vacante facta fuerat, et ideo nullatenus admittenda. Sed procuratores dicti capituli exceptiones et allegationes seu propositiones hujusmodi confutantes, negabant majorem partem capituli eidem adherere Philippo, se procuratores legitimos per patentes.. decani et ipsius capituli litteras ostendentes, ac ex hoc asserentes ostensas per ipsum A. ex parte capituli litteras fuisse violenter aut fraudulenter extortas. Quod autem dictus Philippus dicebatur sollempnes ad nos misisse nuntios pro consecrationis munere obtinendo, nec verum esse nec verisimile procuratores capituli responderunt, quia si fuit concessum eidem, et ipse hujusmodi concessione non usus, magis debuit de negligentia reprehendi. Negatum vero fuisse id, ad quod quilibet invitatur, credibile non videtur, cum Ecclesia Romana, que quoslibet electos canonice consecrari desiderat, puniat graviter negligentes sintque pene a jure prodite contra tales; ex quo presumi non debet, ut inde oriantur injurie, unde jura nascuntur. Quod autem de difficultate itineris veniendi ad curiam, impotentia solvendi debitum, de indulgentia sibi concessa et circumductione quorumdam temporum dicebatur, ipsum Philippum non relevat, immo gravat, cum idem finaliter non venire disponens multas in hoc difficultates ingesserit, paupertatem et inimicitias confingendo.

1. *Ms.* : impetentem

Potuit enim ad minus propter hujusmodi vie periculum petivisse conductum, et decem milia marcarum, quas in ludo quintane impudenter expenderat, prudenter poterat pro expensis itineris reservasse. Allegata vero indulgentia, preter id quod fuit per mortem concedentis extincta, jure postmodum super hiis prodito tollebatur. Tempora quoque predicta etsi constitutionem eamdem precedentia liberent, sequentia tamen dampnant. Ad illud vero, quod allegabatur per quandam similitudinem, ut sicut episcopus consecrari differens ultra tempus cedit metropolitani sui judicio, sic archiepiscopus nostro, et per hoc dicta postulatio fuerat indebite celebrata, satis videtur ex tenore ipsius constitutionis responsum, que solo transcursu temporis tales privat. Contempnens etiam munus consecrationis recipere, dum offerretur sibi ab eodem H. cardinali, tunc in illis partibus fungente legationis officio, quod eum faceret consecrari, tandem per supradictum Chimensem episcopum rite fuit auctoritate mandati nostri propter manifestam ipsius contumaciam excommunicationis notatus sententia et ab omni amministratione suspensus. Super quibus omnibus utrique parti producendi testes in nostra curia, faciendi positiones et respondendi ad eas dedimus liberam facultatem. Positionibus igitur coram predictis cardinalibus factis et responsionibus secutis ad eas, testibus quoque ab utraque parte productis et eorum attestationibus publicatis ac examinatis per eos singulis articulis diligenter, iidem cardinales cuncta nobis et fratribus nostris plenarie retulerunt. Nos igitur, auditis attente omnibus et intellectis plene ac studiose discussis, de ipsorum fratrum consilio, dicimus et sententiando pronuntiamus dictum Philippum prefata Salzburgensi ecclesia per constitutionem premissam fuisse privatum et eandem ecclesiam post elapsa tempora constitutionis ejusdem, vacantem et liberam extitisse. Nulli (etc.) nostre sententie etc. Datum Viterbii, nonis septembris, anno tertio. »

2212 Viterbe, 22 septembre 1257.

Monasterium S. Julianae Perusinum in jus et proprietatem beati Petri et Apostolicae Sedis assumit. (Reg. 25, a. III, c. 620, f. 79v.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Juliane Perusini, Cisterciensis ordinis.* Etsi universe orbis ecclesie Apostolice Sedi, que, disponente Domino, super illas ordinarie potestatis obtinet principatum, subesse noscantur, aliquas tamen interdum de sue auctoritatis plenitudine specialius sibi subdit, sic eas a cujuslibet jurisdictione prorsus eripiens, ut nullum nisi solum Romanum pontificem superiorem et dominum recognoscant, constituendo ipsas quodam singulari privilegio liberas penitus et exemptas. Eapropter, dilecte in Domino filie, vestris et dilecti filii nostri Johannis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, cujus novella estis plantatio, postulationibus grato concurrentes assensu, monasterium vestrum, in quo devotum impenditis Domino famulatum, in jus et proprietatem beati Petri et predicte Sedis assumimus, ab omni jurisdictione, potestate ac dominio tam Perusini episcopi, qui pro tempore fuerit, quam cujuslibet alterius prelati seu ecclesiastice persone illud totaliter et perpetuo eximentes, ita quod nec idem episcopus nec quevis alia persona ecclesiastica ipsum utpote prorsus exemptum, vel vos aut Christi ancillas futuris temporibus inibi servituras interdicere, suspendere vel excommunicare valeat, seu quocumque modo alias in prefatum monasterium et personas ipsius potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere. Et si contra forte presumptum fuerit, sit vacuum et inane. Ad indicium autem hujusmodi percepte a predicta Sede libertatis, memoratum monasterium unam libram cere in festo Omnium Sanctorum solvat nobis nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis infringere etc. usque : incursurum. Datum Viterbii, X kalendas octobris, anno tertio ».

2213 Viterbe, 14 septembre 1257.

Abbati et conventui S. Nichasii Remensis significat, se omnibus vere paenitentibus et confessis, qui monasterii ecclesiam in festivitatibus beatae Mariae Virginis ac Nativitatis, necnon Resurrectionis Dominicae, Pentecosten, Sanctorum Omnium, beati Lucae evangelistae necnon ipsius sancti Nichasii ac per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes singulis annis venerabiliter visitarint, indulgentiam unius anni elargiri. (Reg. 25, a. III, c. 621, f. 79v; Potthast 17007.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Nichasii Remensis, ordinis Sancti Benedicti.* Licet is de cujus. — Dat. Viterbii, XVIII kal. octobris, anno tertio. »

2214 Viterbe, 4 août 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Nichasii Remensis indulget, ut, cum expediens fuerit, portare pileos ordini eorum congruentes libere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 622, f. 79v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Nichasii Remensis, ordinis Sancti Benedicti.* Religiose pietatis ac pie religionis vestre promeretur honestas, ut vos favore benivolo prosequentes, petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, annuamus. Significastis siquidem nobis, quod in ordinis vestri regula, quin uti pilleis ordini vestro congruentibus, cum expedit, valeatis, minime prohibetur. Sed, cum non sitis hactenus ipsis usi, eosdem deferre absque Sedis Apostolice licentia dubitatis. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, ut hujusmodi portare pilleos ordini vestro congruentes, cum expediens fuerit, libere valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii, II nonas augusti, anno tertio. »

2215 Anagni, 4 septembre 1255.

Magistro Radulfo de Albusone confirmat collationem prioratus de Dervent, a magistro Alberto tunc in regno Franciae Apostolicae Sedis legato factam. (Reg. 25, a. III, c. 623, f. 79v.)

« *Magistro Radulfo de Albusone canonico Ebroicensi.* In nostra proposuisti presentia constitutus, quod dilectus filius magister Albertus, notarius noster, tunc in regno Francie Apostolice Sedis legatus, attendens grata et accepta obsequia, que sibi et Romane Ecclesie in illis partibus impendisti, ac volens ex hoc tibi specialiter providere, quia sibi ab Apostolica Sede conferendi beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, que in predicto regno tanto tempore jam vacarant, quod ad Sedem eandem erat eorum devoluta collatio, fuerat concessa facultas, dilecto filio.. decano de Hiritonne, Bituricensis diocesis, suis dedit litteris in mandatis, ut, si in Bituricensi provincia vel diocesi aliquod beneficium vacasse taliter inveniret, mox tibi de illo providere curaret, teque in corporalem possessionem ejusdem induceret et tueretur inductum. Unde, quia eidem decano constitit, quod prioratus de Dervent, dicte diocesis, qui consuevit clericis secularibus assignari, tanto tempore vacaverat quod ad predictam Sedem ejus erat collatio devoluta, idem decanus, dilecto filio .. abbate Agedunensis monasterii, Lemovicensis diocesis, ad cujus collationem dictus pertinere dinoscitur prioratus, necnon ejusdem monasterii priore presentibus, predicti legati litterarum auctoritate de prioratu predicto tibi providit, teque investivit per suum pilleum de eodem. Cumque abbatem et priorem predictos requireret si provisioni hujusmodi se opponere vel causam rationabilem, quare id non deberet fieri, vellent proponere coram eo, ipsi responderunt quod dicti legati voluntati super hoc opponere se nolebant, ac promiserunt, quod contra predictam collationem per se vel per alium non venirent, prout in ipsius decani litteris ejus sigillo signatis confectis exinde plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eisdem legato et decano factum est in hac parte ratum habentes et gratum, ac supplentes defectum, si quis in collatione hujusmodi extitit, de apostolice plenitudine potestatis, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus ; non obstante appellatione frivola, si qua super hoc ad Sedem Apostolicam extitit interjecta, vel quod alias in pluribus locis beneficiatus existis. Tenorem autem litterarum predicti decani presentibus inseri fecimus, qui talis est :

10 janvier 1254.

« Universis presentes litteras inspecturis, .. decanus « de Hyrcione, Bituricensis canonicus, executor a « reverendo patre et domino Alberto domini pape « notario Apostolice Sedis legato, auctoritate apostolica datus, salutem in Domino. Cum a predicto patre « auctoritate apostolica receperimus in mandatis, ut « viro discreto magistro Radulfo de Albussone, Ebroicensi canonico ac ejus socio, in diocesi vel provin« cia Bituricensi provideremus de beneficio ecclesias« tico, quod tanto tempore vacasset ibidem, ut propter « lapsum temporis esset ad ipsum dominum papam « ejus collatio devoluta ; quia nobis constitit, quod « prioratus de Darvent, Bituricensis diocesis, monaste« rio Agedunensi, Lemovicensis diocesis, subjectus, fuit « pluribus secularibus clericis in beneficium ecclesias« ticum assignatus, et per mortem B. rectoris eccle« sie de Avalonio, qui proximo in beneficium dictum « prioratum habuit, jam per octo menses et amplius « vacavit, prioratum predictum dicto magistro Ra« dulpho, presente abbate et priore antedicti monas« terii Agedunensis, auctoritate apostolica nobis com« missa conferimus et de ipso ac juribus et pertinentiis

« ejusdem investimus, in contradictores et rebelles in « scriptis excommunicationis sententiam proferentes. « Verum, ut quod a nobis factum fuerat calumpniam « non recipiat in futurum, eosdem abbatem et priorem « et quosdam alios monachos predicti monasterii, qui « presentes aderant, si collationi predicte se opponebant vel aliquam causam, quare non deberet subsis- « tere, proponere intendebant, requisivimus viva voce, « qui expresse nobis responderunt, quod voluntati « domini legati super hoc nolebant se opponere, immo « quod auctoritate apostolica a nobis de ipsius man- « dato in predictis factum est, ratum habebant pro se « et sibi adherentibus, promittentes, quod contra col- « lationem predictam per se vel per alium non venient « in futurum. Dat. anno Domini M.CC.LIIII. die sabati « post Epiphaniam. »

« Nulli [etc.] nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Anagnie, II nonas septembris, anno primo. »

2216 Viterbe, 10 septembre 1257.

Abbati S. Ambrosii Bituricensis mandat, quatenus Petrum de Pratea presbyterum, perpetuum vicarium in ecclesia S. Ursini Bituricensi, capellanum J[oannis] tituli S. Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, in canonicum recipi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 624, f. 80.)

« .. *abbati S. Ambrosii Bituricensis*. Dilectus filius Petrus —. Dat. Viterbii, IIII idus septembris, anno tertio. »

2217 Viterbe, 19 septembre 1257.

Praeposito et capitulo Salzburgensibus notum facit se postulationem [Ulrici] episcopi Sekoviensis in archiepiscopum duxisse admittendam eumque praefatae ecclesiae praefecisse in pastorem. Mandat eis, ut ipsi plene ac humiliter intendant. (Reg. 25, a. III, c. 625, f. 80.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Salzburgensis*. Et commissa nobis a Domino cura pastoralis officii et concessa licet immeritis plenitudine ecclesiastice potestatis, cogimur ecclesiarum omnium, per cotidianam instantiam, diligentem sollicitudinem gerere, ac eas, cum necessitas ingruit vel oportunitas exigit, nunc ex justitie debito, nunc ex gratie beneficio, paterna diligentia providere. Inter ceteras siquidem particulares ecclesias et metropoles universas ecclesiam Salzburgensem Apostolica Sedes mater ecclesiarum tanto debet favorabilius prosequi et benignius intueri, quanto eam magnificentius inter alias divina dispositio respexisse videtur in plenitudine spiritualium et temporalium ubertate. Sane, cum olim Phylippus, quondam electus ejusdem ecclesie, ipsam non tanquam sponsus male contractans eam tenuisset diutius occupatam, vos demum prefatam ecclesiam merito vacare credentes, post decursa tempora constitutionis nostre super hoc edite, qua idem[1] P. privabatur eadem ecclesia vobisque de alio dabatur providendi potestas, convenistis in unum ad eligendum seu postulandum vobis et eidem ecclesie personam ydoneam in pastorem, vocatisque omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, tandem in venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Chimensem et te, fili preposite, necnon.. scolasticum et Hermannum de Justing., canonicum ejusdem ecclesie providendi vice omnium ipsi ecclesie de pastore contulistis unanimiter potestatem : qui habentes pre oculis solum Deum, venerabilem fratrem nostrum.. Salzburgensem archiepiscopum tunc episcopum Sekowensem, virum utique litteratum, probate vite ac circumspectionis experte, in pastorem ecclesie vestre concorditer et canonice postularunt, vosque postmodum admitti a nobis postulationem hujusmodi, ac dari sibi licentiam ad eandem vestram ecclesiam transferendi, eo prius a vinculo Sekowensis ecclesie absoluto, humiliter supplicastis. Nos igitur postulationem ipsam examinari fecimus diligenter, et quia eam invenimus communiter et canonice celebratam, ne ipsa ecclesia vestra, que longo tempore non sine gravi ejus discrimine languit, diu pastore vacaret, postulationem ipsam, de fratrum nostrorum consilio, duximus admittendam, preficientes eum prefate Salzburgensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem et absolventes eundem a vinculo, quo tenebatur ipsi ecclesie Sekowensi, sibi licentia transeundi ad prefatam Salzburgensem ecclesiam ac plena ejus tam in spiritualibus quam in temporalibus amministratione concessis. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus ipsi tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alioquin sententiam, quam idem rite

1. *Ms.* : eidem.

tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Datum Viterbii, XIII kalendas octobris, anno tertio. »

2218 Viterbe, 15 juillet 1257.

Episcopo Cameracensi mandat, quatenus Herbertum, capellanum Ricardi S. Angeli diaconi cardinalis, in canonicum ecclesiae Cameracensis recipi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 626, f. 80v.)

« .. *episcopo Cameracensi*. Cum sicut dilectus —. Dat. Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2219 Viterbe, 12 août 1257.

Archipresbytero et capitulo ecclesie S. Vitalis de Ripa mandat, quatenus Florium de Faniano, canonicum ecclesie de Olzate Orona, Mediolanensis diocesis, in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 627, f. 80v; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I, 666.)

« .. *archipresbitero et capitulo ecclesiae S. Vitalis de Ripa, Cumanae diocesis*. Et ratio postulat —. Dat. Viterbii, II idus augusti, anno tertio. »

2220 Viterbe, 12 août 1257.

Praeposito et capitulo ecclesie de Nerviano mandat, quatenus Guillelmum Lazaronum canonicum ecclesiae de Corbeta, Mediolanensis diocesis, in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 628, f. 80v.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie de Nervianensi, Mediolanensis diocesis*. Et ratio postulat —. Dat. ut in alia.

2221 Viterbe, 9 août 1257.

Archipresbytero et capitulo ecclesie S. Joannis de Modoetia mandat, quatenus Guillelmum de Reoldis canonicum ecclesiae de Nerviano in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 629, f. 80v.)

« .. *archipresbitero et capitulo ecclesie S. Johannis de Modoetia, Mediolanensis diocesis*. De dilecto filio Guillelmo —. Dat. Viterbii, V idus augusti, anno tertio. »

2222 Viterbe, 27 septembre 1257.

Praeposito et capitulo saecularis ecclesiae Brivatensis mandat, quatenus Guillelmum de Monte Revello clericum in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 630, f. 80.)

« .. *preposito et capitulo secularis ecclesie Brivatensis, Claromontensis diocesis*. Ad illorum potissime —. Dat. Viterbii, V kal. octobris, anno tertio. »

2223 Viterbe, 20 septembre 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad monasterium pauperum monialium S. Jacobi de Vitriaco, Cisterciensis ordinis, Cathalaunensis dioecesis, in festo Exaltationis sanctae Crucis accesserint, unum annum de injuncta paenitentia relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 631, f. 81.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis*. Vite perennis gloria —. Dat. Viterbii, XII kal. octobris, anno tertio. »

2224 Viterbe, 17 septembre 1257.

Archipresbitero et capitulo ecclesie S. Joannis de Modoetia mandat, quatenus Guerezinum de Fagniano canonicum ecclesiae de Olzate Orona, Mediolanensis dioecesis, in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 632, f. 81.)

« .. *archipresbitero et capitulo ecclesie S. Johannis de Modoetia, Mediolanensis diocesis*. De dilecto filio Guerezino —. Datum Viterbii, XV kal. octobris, anno tertio. »

2225 Latran, 23 février 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Ambrosii Mediolanensis mandat, quatenus Florium de Fagniano canonicum ecclesiae de Olzate Orona in canonicum ecclesiae Mediolanensis recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, 633, f. 81.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie S. Ambrosii Mediolanensis*. De dilecto filio Florio —. Dat. Laterani, VII kal. martii, anno tertio. »

2226 Viterbe, 4 juillet 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae de Olzate Orona mandat, quatenus Guillelmum Redoldum canonicum ecclesiae S.

Teclae Mediolanensis in canonicum et in fratrem recipiant, eique de praebenda providere curent. REG. 25 a. III, c. 634, f. 81.

« .. *preposito et capitulo ecclesie de Olzate Orona, Mediolanensis diocesis* Deperire vobis —. Dat. Viterbii, IIII nonas julii, anno tertio. »

2227 Viterbe, 6 septembre 1257.

Archipresbitero et capitulo ecclesiae S. Joannis de Modoetia mandat, quatenus Guillelmum dictum Lazaronum canonicum ecclesiae de Corbeta, Mediolanensis dioecesis, in canonicum recipiant, eique de praebenda providere curent. REG. 25, a. III, c. 635, f. 81v.

« .. *archipresbitero et capitulo ecclesie S. Johannis de Modoetia, Mediolanensis diocesis.* Deperire vobis —. Dat. Viterbii, VIII idus septembris, anno tertio. »

2228 Viterbe, 30 septembre 1257.

Magistro Roberto de Prebenda indulget, ut praeter decanatum Dublanensem et alia beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. REG. 25, a. III, c. 636, f. 81v.

« *Magistro Roberto de Prebenda, decano Dublanensi, capellano nostro.* Nota virtus —. Dat. Viterbii, II kal. octobris, anno tertio. »

2229 Viterbe, 10 septembre 1257.

Fratri Amalrico presbytero, abbati monasterii Trium Fontium indulget, ut, non obstante defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, in susceptis ordinibus ministrare et abbatiam dicti monasterii, quam canonice est adeptus, licite retinere valeat. REG. 25, a. III, c. 637, f. 81v.)

« *Fratri Amarico presbitero abbati monasterii Triumfontium, Cisterciensis ordinis, Cathalaunensis diocesis.* Quamvis nativitatis illegitime —. Dat. Viterbii, IIII idus septembris, anno tertio. »

2230 Viterbe, 11 septembre 1257.

Sententiam dicit in negotio de electione Eliensis episcopi. REG. 25, a. III, f. 638, f. 81v.

« *Ad futuram rei memoriam.* Dilecti filii procuratores, priores et conventus Elyensis ecclesie ad nostram accedentes presentiam, coram nobis et fratribus nostris proponere curaverunt, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, ipsi, prout moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata et tractatu de substitutione futuri pontificis habito diligenti, tandem in septem ex ipsis fidedignos providendi eidem ecclesie vice omnium de pastore contulerunt unanimiter potestatem, qui Deum habentes pre oculis dilectum filium.. suppriorem ipsius ecclesie in episcopum et pastorem ejusdem juxta formam sibi traditam concorditer elegerunt. Dicti vero prior et conventus postmodum electionem hujusmodi acceptatam ab eis, venerabili fratri nostro.. Cantuariensi archiepiscopo loci metropolitano per procuratores suos legitime presentarunt, ipsam ab eo petentes humiliter confirmari, protestatione tamen premissa, quod non intendebant coram ipso archiepiscopo litigare, si carissimus in Christo filius noster.. rex Anglie illustris super hoc se duceret opponendum. Ceterum, eodem archiepiscopo ad examinationem negotii procedente, procuratores predicti regis coram eodem archiepiscopo comparentes, nomine regis ipsius excipiendo proposuerunt, quod eadem electio, non expectatis precibus regiis, quarum facultatem in electionibus celebrandis in Anglia sibi et suis antecessoribus Sedes Apostolica reservavit, et defuncti episcopi corde, quod secundum morem patrie de Ispania, ubi decessit idem episcopus, portatum fuerat in Angliam, nondum sepulture tradito, extiterat celebrata; dictusque supprior, cum esset monachus, non debuit eligi, sed potius postulari, quamquam etiam ad postulationem ex eo videretur inhabilis, quod de conventu existeret, qui duas ecclesias auctoritate propria non sine ambitionis vitio in usus suos proprios applicarat. Sed idem archiepiscopus interloquendo pronuntiavit, non obstantibus ex parte dicti regis propositis, fore in hujusmodi negotio procedendum, propter quod ipsius regis procuratores asserentes ex hoc indebite se gravari, Sedem Apostolicam appellarunt, quorum appellationi archiepiscopus ipse non deferens, ad examinationem persone ipsius electi, adhibitis secum quibusdam prelatis sue provincie ac aliis probis viris, diligenter processit, de vita, moribus, conversatione ac meritis ipsius per alium in Elyensi capitulo exacta diligentia sollempniter nichilominus inquirendo. Verum, examinata ipsius electi persona, procuratores ejusdem regis appellationes factas ab eis super hoc coram dicto archiepiscopo

innovantes, ne idem in negotio ipso procederet, iterum appellarunt. Procuratores quoque dictorum prioris et conventus appellationem hujusmodi ob ejusdem Sedis reverentiam acceptantes, petierunt ipsum negotium ad examen dicte Sedis remitti, ne in eo idem archiepiscopus amplius procederet, nichilominus appellando. Licet autem tam ex parte ipsius Elyensis ecclesie quam sepedicti regis ex hiis et ex aliis variis causis, que in instrumentis publicis plenius continentur[1], ad nos ab eodem archiepiscopo fuerit appellatum, nichilominus tamen ipse prefatam electionem pro sua voluntate cassavit et Eliensi ecclesie de alia persona providit. Unde dicti procuratores allegantes ad nos fore per appellationes premissas ejusdem electionis negotium devolutum, quicquid post appellationes hujusmodi per eundem archiepiscopum attemptatum fuerat cassari seu nuntiari cassum et irritum petierunt, et electionem hujusmodi confirmari, quia, cum in causis majoribus, inter quas electionum episcopalium cause merito numerantur, ad examen prefate Sedis propter appellationem quamlibet negotia devolvantur, idem archiepiscopus post appellationes predictas, negotio ab examine ipsius exempto, nichil rite super hoc potuit attemptare, propter quod quicquid postmodum fecerat cassum debebat et irritum nuntiari. Sed procurator ipsius archiepiscopi ex adverso respondit dicens ipsum archiepiscopum, non obstantibus predictis appellationibus, etiamsi de ipsis constaret juste cassasse prefatam electionem et ad provisionem de alio legitime processisse, quia nulla, sicut ipse dicebat, appellatio, nisi fiat ex causa probali, que si foret probata deberet legitima reputari, facit ad nos devolvi seu remitti negotium aut impedit officium cognoscentis, nisi dumtaxat in certis causis, ut est causa fidei et consimiles, quarum discussio Sedi Apostolice specialiter reservatur, inter quas electionum episcopalium cause a jure non videntur includi. Preterea, cum dictus archiepiscopus, cassata electione predicta, jam de persona ydonea Elyensi ecclesie providisset, illa non vocata vel saltem non expectata, usque ad tempus constitutionis, que per appellationes in causis electionum et provisionum emissas citare videtur omnes quos causa contingit, sine ipsius persone injuria non poterat in causa procedi, adiciens quod tam electus ipse quam procuratores Elyensis ecclesie, post appellationes predictas, ejusdem archiepiscopi judicium voluntarie subierunt, ex quo dicebat recessum ab ipsis etiamsi legitime extitissent. Quod prefati procuratores dictorum prioris et conventus negantes omnino, asserebant constanter, propter absentiam ejus, de quo sic dicitur esse provisum, non debere negotium retardari, cum notorium esse ipsum nullum per provisionem ejusdem archiepiscopi, cui solum innititur jus habere pro eo quod explorari juris extitit, quod in causa negligentie tantum, videlicet si dicti prior et conventus neglexissent ad electionem procedere infra tempus a canone constitutum, potuerit idem archiepiscopus providere. Iidem quoque procuratores adjecerunt, quod, cum ille de quo provisum dicitur, nichil aliud possit, nisi jus quod habet ab archiepiscopo allegare, merito debebat inchoatum judicium cum ipso archiepiscopo terminari, eo quod inter duos instantiam judicii inchoatam jus tertii superveniens maxime ab altero litigantium nunquam impediat vel retardet. Citatus etiam a jure talis, sicut superius est expressum, quia non comparuit infra constituta tempora, que predicti procuratores effluxisse dicebant, non erat amplius expectandus. Nos autem ne aliquid de contingentibus obmittere videremur, ad probandum quod idem electus et procuratores Elyensis ecclesie post appellationes predictas ipsius archiepiscopi judicium subiissent, procuratori ejusdem archiepiscopi tempus indulximus, et testes ab eo productos super hoc examinari fecimus diligenter. Et, licet per eorum depositiones nichil constiterit esse probatum, nos tamen iterato audivimus, que partes coram nobis proponere voluerunt. Auditis itaque omnibus hinc inde propositis et plenius intellectis, ad removendam omnem ambiguitatem de cetero super hujusmodi articulo questionis nolentes in hac parte ulterius dubitari, de fratrum nostrorum consilio declaramus, decernimus et censemus causas electionum episcopalium seu de electionibus episcoporum existere de majoribus et inter ipsas annumerari debere, quod est etiam a nostris predecessoribus observatum ac electionis predicte negotium fuisse ad eandem Sedem per appellationes hujusmodi devolutum. Unde quicquid post appellationes predictas fuit per eundem archiepiscopum attemptatum, sive cassando electionem premissam aut ipsi ecclesie de alio providendo quod sibi nullatenus licuit, etiamsi rite cassasset electionem eandem, cum solum in causa negligentie ad eum, qui proximo preesse dinoscitur,

1. *Ms.* : continetur.

hujusmodi provisio devolvatur, cassamus et irritamus omnino vel potius cassum et irritum nuntiamus. Nulli [etc.] nostre declarationis, constitutionis et cassationis etc. Datum Viterbii, III idus septembris, anno tertio. »

2231 Viterbe, 28 septembre 1257.

[Eberhardo Constantiensi episcopo declarat Heilwigem relictam quondam Conradi de Hoven voto castitatis servandae perpetuo et aliis votis solemnibus, licet nondum expletus sit tirocinii annus, obstringi, eique mandat, ut hoc negotium decidat. (Reg. 25, a. III, c. 639, f. 82; Potthast 17016; Bernoulli, *Acta pontificum Helvetica*, t. 1, 667.

« .. *episcopo Constantiensi*. Ex tenore tuarum pridem accepimus litterarum, quod Heilwigis relicta quondam Cunradi de Hoven laici tue diocesis, tunc zelo castitatis et religionis accensa, infra septa domus sue primo votum castitatis servande perpetuo taliter emisisset, ut in manibus fratris Bertoldi de ordine Predicatorum, quem dilectus filius A. prior ipsius ordinis de Friburg ad petitionem ipsius H. illuc propter hoc specialiter destinarat, anulo sue desponsationis reverenter exhibito, se per ipsum in observantiam perpetue continentie duxisset Domino desponsandam, tandem ad monasterium monialium de Adelnhusen, ordinis Sancti Augustini, viventium secundum instituta ipsius ordinis Predicatorum, diocesis supradicte, accedens, in manibus dilecti filii.. prioris jamdicti ordinis Predicatorum ipsius loci, promisit ac vovit se permanere perpetuo continentem et victuram in religione, ac Deo in prefato monasterio, quoad viveret, servituram, verborum nichilominus sollempnitate adhibita, quam adhibere consueverunt profitentes Domino, juxta consuetudinem monasterii memorati, donatis quoque ipsi monasterio liberaliter omnibus bonis suis. Postmodum autem predicta mulier, adhuc in habitu seculari existens, per quendam suum affinem a monasterio ipso violenter abducta, que sponsa Christi effecta fuerat, se, instigante humani generis inimico, Radulpho laico ministeriali de Walthinlo, supradicte diocesis, de facto matrimonialiter copulavit. Cumque dilecte in Christo filie.. priorissa et conventus ipsius monasterii eam ut suam monialem repeterent, ac idem Radulphus sibi prefata bona ipsius mulieris, tamquam in dotem ei concessa, tam mobilia quam immobilia vendicaret, et super hiis inter easdem priorissam et conventum ex parte una, et dictos Radulphum ac mulierem ex altera, coram te auctoritate ordinaria questio fuerit diutius agitata, demum super libellis hinc inde porrectis lite contestata legitime, productis testibus et attestationibus publicatis, cum jam intentio dictarum priorisse et conventus videretur pleno fundata, fuit pro parte ipsius Radulphi propositum, quod, cum prefata mulier servilis conditionis existeret, donare non potuit bona sua, quamquam ipse id minus sufficienter probavisse noscatur, allegans nichilominus quod, licet votum religionis seu professionis a muliere ipsa emissum sollempniter probaretur, professio tamen sic facta non tenet infra tempus probationi concessum, nec dictam mulierem ante annum religioni potuit obligare, ad hoc constitutionem a felicis recordationis I. papa predecessore nostro editam, que *non solum* incipit, inducendo. Propter quod utrum littera ipsius predecessoris confecta exinde sit pro constitutione habenda, et de ipsius intellectu effectus dubius, nos super hoc consulere voluisti, et hujusmodi negotium cum actis in judicio habitis tuo sigillo signatis nobis transmittens, postulasti negotium ipsum apud Sedem Apostolicam, per diffinitivam sententiam terminari, prefixo per te partibus certo termino, quo se propter hoc nostro conspectui presentarent. Nos itaque dictum negotium et examinationem ipsius dilecto filio magistro Gregorio de Neapoli, subdiacono et capellano nostro, duximus committendum. Sane procuratore earumdem priorisse et conventus comparente in termino coram eo, prefato negotio diligenter examinato et nobis plene relato per eum, consideravimus non esse conveniens illud a nobis per diffinitivam sententiam terminari, tum propter absentiam dictorum Radulphi et mulieris et quia tu de jure dubius nos super premissis consulendos duxisti, tum etiam quia prefatis actis unico sigillo signatis, cum ea non invenerimus conscripta per publicam personam vel duos viros ydoneos secundum formam constitutionis super hoc edite, fidem nequivimus adhibere. Quare nos tibi super juris dubio, tenore presentium respondemus, quod, si premissa veritate nitantur, sepedicta mulier religioni earumdem priorisse et conventus, non obstante constitutione ipsa, que de Predicatorum et Minorum fratrum ordinibus mentionem specialiter faciens extendi ad alios ordines non videtur, esse dinoscitur alligata et cum ipsa sponsa Christi semel effecta, non potuerit postmodum alicui viro matrimonialiter copulari, matrimonium inter ipsam et eundem R. contrac-

tum taliter pronuntiandum est non tenere, ac ipsa redire ad prefatum monasterium, in quo juxta professionem suam Deo perpetuo serviat, compellenda. Dicta vero bona, pro eo quod nominata mulier ea prefato monasterio expresse obtulit et donavit, ad jus et proprietatem ipsius monasterii pertinere dicimus, et Radulpho et mulieri prefatis perpetuum debere imponi silentium super illis. Quocirca mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis ac servato legitimo processu coram te habito, negotium ipsum juxta hujusmodi rescriptum nostrum previa ratione decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Viterbii, V kalendas octobris, anno tertio. »

2232 Viterbe, 20 juillet 1257.

Statuit ut Gamelino episcopo S. Andreae, bonis prius restitutis, de criminibus ei a rege Scotiae objectis inquiratur et judicetur. (Reg. 25, a. III. c. 640[1], f. 82v; Potthast 16936.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Venientes dudum ad Sedem Apostolicam dilecti filii magister Jordanus Locard clericus et Robertus de Theweng miles, procuratores carissimi in Christo filii nostri .. regis Scotorum illustris, coram nobis et fratribus nostris proponere curaverunt, quod ipsi tempore consecrationis venerabilis fratris nostri Gamelini episcopi Sancti Andree in Scotia quasdam causas legitimas, propter quas idem nullatenus consecrari debebat, proposuerunt coram consecratoribus ei ab eadem Sede concessis, quas postmodum in libello coram nobis in judicio exhibito expresserunt : videlicet quod ipse G. pro eo quod longo tempore dicti regis et regni administrarat negotia multaque ad manus ejus de proventibus ipsius regni ac etiam dicte ecclesie Sancti Andree pervenerant, de quibus nullam reddiderat rationem, magnis tenebatur ratiociniis obligatus, ac per hoc, antequam de illis rationem redderet, non debebat ad munus consecrationis admitti ; quodque idem, cum esset dicti regis cancellarius, et bona dicte ecclesie Sancti Andree ipsius regis nomine custodiret, litteras et nuntios ad dilectos filios.. priorem et conventum prefate ecclesie Sancti Andree ex parte regia destinavit, ut eum in suum episcopum postularent, eis, per hujusmodi litteras et nuntios, gravissimos incutiendo terrores, videlicet, quod idem rex ipsos non solum de dicta ecclesia, sed etiam de toto regno expelleret, si eligere vel postulare alium attemptarent. Et ut magis ad suum propositum arctaret eosdem, fecit eis victualia subtrahi et negari, quod eos inedia famis mori faceret comminando, sicque, cum per impressionem hujusmodi postulatio facta de ipso vitiosa extiterit, taliter postulatus non erat aliquatenus consecrandus, cum nec nos postulationem admisissemus eandem si hec de ipso ad nostram notitiam pervenissent, et cum idem G. juraverit dictum regem et regnum ac regni bona et prefatam ecclesiam Sancti Andree cum bonis ejusdem fideliter custodire, ipse salutis proprie immemor, non absque reatu perjurii, multa de bonis ipsius regis et regni ac etiam dicte ecclesie subreptione illicita contractavit, ea suis utilitatibus applicando, aliis etiam perjuriis in ejusdem regis et regni non modicum detrimentum dampnabiliter se involvit. Cum enim de custodiendo fideliter ipsius regis sigillo et de non sigillandis in ejus prejudicium aliquibus litteris absque speciali regis ejusdem et procerum suorum mandato se corporali astrinxerit juramento, idem, religione violata ipsius, dicto rege inscio et ignaro, multas litteras sigillavit, per quas idem rex gravibus debitis, que non fuerunt in ipsius utilitatem conversa, est quibusdam creditoribus obligatus ; aliis nichilominus ad nos et fratres nostros ex parte regia deprecatoriis litteris, ab eo, preter ipsius regis conscientiam, eodem sigillatis sigillo, ex quibus per obreptionem a nobis obtinuit postulationem suam ad gratiam confirmationis admitti. Quare dicebant procuratores regis prefati dictum G. tot perjuriis irretitum propter premissa non debere aliquatenus consecrari, et ne prefati consecratores ad ipsius consecrationem procederent, ad nostram audientiam appellarunt. Unde dicti procuratores petebant a nobis, ut cum ipsi parati essent hujusmodi appellationem prosequi coram nobis, dilectum filium magistrum Robertum de Prebenda capellanum nostrum, procuratorem ipsius episcopi Sancti Andree respondere libello, quem ei offerebant ex parte regia, faceremus. Sed dictus procurator episcopi proposuit ex adverso, quod, cum idem episcopus post admissionem postulationis sue cum cause cognitione a nobis obtentam, ac etiam post consecrationem suam tenuerit et possederit bona temporalia ad ecclesiam suam spectantia et in eorum possessione fuerit, ac predictus rex vel alii ejus nomine et auctoritate, ipso id ratum habente, dictum episcopum Sancti Andree bonis hujusmodi spoliarint,

illaque a tempore spoliationis hujusmodi detinuerint et adhuc occupata tenerent in suum et ecclesie sue prejudicium, plurimorum scandalum ac contra ecclesiasticam libertatem, respondere libello sibi pro parte regis oblato, nisi prius fieret eidem episcopo bonorum restitutio predictorum, nullatenus tenebatur : quin immo instanter petiit, antequam in hujusmodi procederetur negotio, restitui prefatum episcopum Sancti Andree ad omnia bona predicta, quibus fuerat per potentiam regiam spoliatus. Sed dictis procuratoribus regis ejusdem hujusmodi possessionem ipsius episcopi Sancti Andree et spoliationem factam per eundem regem inficiantibus et asserentibus ipsum regem a tempore obitus bone memorie Abel episcopi Sancti Andree predicta bona temporalia ipsius ecclesie ex quadam approbata regni sui consuetudine continue possedisse ac commisisse predicto Gamelino episcopo, nunc ipsius regis cancellario, bonorum custodiam eorumdem, et antequam de sue postulationis admissione constaret, commissionem hujusmodi, eodem G. amoto, ab eisdem bonis penitus revocasse, et sic eum ad bona predicta restitui non debere [1], demum tam procurator episcopi ad probandam possessionem et spoliationem hujusmodi, quam dicti procuratores regis ejusdem, ut reprobarent per quosdam articulos ipsius procuratoris intentionem, dicto G. episcopo interim in nostra comparente presentia, testes producere curaverunt. Nos autem testes hinc inde productos examinari fecimus diligenter, et tam per ipsorum attestationes et patentes litteras judicum, quibus super hujusmodi negotio scripseramus, et quorumdam prelatorum, qui nobis super eodem negotio fideliter rescripserunt, quam per confessiones partium factas in judicio coram nobis ac etiam per famam publicam tantum de hujusmodi cause meritis nobis liquet, quod de fratrum nostrorum ordinamus consilio, ut dictus episcopus ante omnia restituatur plenarie ad bona temporalia supradicta cum fructibus perceptis ex eis et in ipsorum possessionem plenam et pacificam reducatur. Et quia idem episcopus contra dictum regem se suamque causam efficaciter defendere non valeret, nisi ei primo ab ipso rege idonea securitas prestaretur, volumus, quod rex ipse sufficientem eidem episcopo securitatem exhibeat, quod ipsum vel suos per se aut suos in personis vel rebus aliquatenus non offendet. Et eodem episcopo predictorum bonorum cum perceptis ex eis fructibus possessionem plenariam obtinente, sibique hujusmodi securitate a rege prestita memorato, postea rex ipse contra dictum episcopum super objectis criminibus audiatur, et testes recipiantur hinc inde super eisdem criminibus et reprobatione testium eorumdem. Sententias autem excommunicationis et interdicti a predictis judicibus et ab eodem episcopo Sancti Andree predictorum spolationis et occupationis occasione prolatas, postquam idem Sancti Andree episcopus ad bona predicta fuerit integre restitutus, decernimus per eos, qui easdem tulere sententias, fore secundum formam Ecclesie penitus relaxandas. Alioquin per dilectum filium magistrum Gottifridum de Alatro capellanum nostrum, decanum Olenensem, quem in Scotiam specialiter pro hujusmodi negotio mittimus, juxta eandem formam dicte sententie relaxentur. Nulli etc. nostre ordinationis etc. Datum Viterbii, XIII kalendas augusti, anno tertio. »

1. *Ms.* deberet.

2233 Viterbe, 25 septembre 1257.

Magistro Gottifrido de Alatro mandat, quatenus praedictam sententiam de Gamelino episcopo S. Andreae latam, exequendam curet. (Reg. 25, a. III, c. 640[2], f. 83 ; Potthast 17012.

« *Magistro Gottifrido de Alatro capellano nostro, Olenensi decano*. Ut in causarum —. Dat. Viterbii, VII kal. octobris, anno tertio. »

2234 Viterbe, 7 septembre 1257.

Magistro Joanni de Rota indulget, ut dum theologicae facultatis studio in scolis sollempnibus insistit, proventus ecclesiasticos, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, integre percipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 641 [1], f. 83v.)

« *Magistro Johanni de Rota diacono, canonico Redonensi*. Probitatis tue merita —. Dat. Viterbii, VII idus septembris, anno tertio. »

2235 Viterbe, 7 septembre 1257.

Archipresbitero Andegavensi mandat, quatenus supradicto magistro Joanni de Rota dictos proventus faciat integre ministrari. (Reg. 25, a. III, c. 641 [2], f. 83v.)

« .. *archipresbitero Andegavensi*. Probitatis merita — Dat. ut supra. »

2236 Viterbe, 6 septembre 1257.

Irritam decernit sententiam a quibusdam laicis latam in causa, quae inter abbatem et conventum monasterii in Argona ex una parte et quondam Anselmum dominum de Possessa ex altera vertebatur. (Reg. 25, a. III, c. 642, f. 83v.)

« .. *decano ecclesie Sancti Stephani Cathalaunensis.* Dilecti filii.. abbas et conventus monasterii in Argona, Cisterciensis ordinis, Cathalaunensis diocesis, exhibita nobis petitione monstrarunt, quod, cum clare memorie Theobaldus Campanie ac Brie comes palatinus monasterium ipsum, quod in comitatu consistit Campanie, consueverit pietatis intuitu a pravorum incursibus defensare, et per suas patentes litteras promisit id in posterum se facturum, tandem quondam Anselmo domino de Possessa, Cathalaunensis diocesis, custodiam et justitiam nominati monasterii et quarumdam grangiarum ipsius ad se spectare, ac sibi super hiis injuriari comitem asserente predictum, ab utroque super eisdem in quosdam laicos, ipsis abbate et conventu non vocatis sed quamcito id ad eorum pervenit notitiam contradicentibus, fuit tamquam in arbitros compromissum, qui minime attendentes, quod laicis arbitrari super rebus ecclesiasticis est penitus interdictum, custodiam et justitiam supradictas necnon plateaticum in monasterio et grangiis antedictis per iniquum arbitrium prefato nobili et ipsius heredibus de facto adjudicasse dicuntur, in sue iniquitatis expressionem addentes, quod iidem abbas et conventus in causis suis coram ipsis debeant litigare, sicque hujusmodi occasione arbitrii Aelidis relicta, Anselmus et Johannes filii et heredes dicti domini in supradictis monasterio et grangiis custodum et defensorum nomina indebite usurpantes, prescriptum monasterium nituntur sue subdere servituti in eorum prejudicium non modicum et gravamen. Cum igitur res inter alios acta non debeat aliis prejudicium generare, mandamus, quatinus, si est ita, dictum arbitrium et quicquid est ob illud et ipsius occasione presumptum auctoritate apostolica decernens irritum et inane, relictam et filios supradictos, ne occasione ipsius arbitrii in monasterio memorato et grangiis suis aliquod juris sibi vendicare presumant per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Si quid vero juris se habere proposuerint, tu partibus convocatis audias causam et appellatione remota etc. facias quod decreveris per censuram eandem firmiter observari. Testes etc. usque : perhibere. Non obstante Sedis Apostolice indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, etiamsi de ipsa plenam et expressam oporteret in presentibus fieri mentionem. Datum Viterbii, VIII idus septembris, anno tertio. »

2237 Viterbe, 26 septembre 1257.

Omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam monasterii S. Nichasii Remensis in singulis festivitatibus apostolorum, Ascensionis Domini, beati Joannis Baptistae, ac beati Remigii confessoris et per octo dies festivitates ipsas sequentes visitarint, unum annum et quadraginta dies de injuncta ipsis paenitentia relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 643, f. 83v.)

« .. *abbati et conventui monasterii S. Nichasii Remensis, ordinis S. Benedicti.* Licet is de cujus munere —. Dat. Viterbii, VI kal. octobris, anno tertio. »

2238 Viterbe, 4 septembre 1257.

Episcopo Saresbiriensi, priori S. Andreae de Northampton et archidiacono Cantuariensi mandat, ut decimam ecclesiasticorum proventuum et quamcumque pecuniam Henrico regi Angliae pro executione voti sui in terris ejus ab Apostolica Sede concessam sollicite colligant, non obstante contradictione episcoporum. (Reg. 25, a. III, c. 644, f. 83v; Potthast 17021.)

« .. *episcopo Saresbiriensi et.. priori Sancti Andree de Noranpton., Lincolniensis diocesis, et.. archidiacono Cantuariensi, capellano nostro.* Volumus et sub pena excommunicationis et privationis ab officiis et beneficiis vobis districte precipiendo mandamus, quatinus decimam ecclesiasticorum proventuum et quamcumque pecuniam carissimo in Christo filio nostro.. regi Anglie pro executione voti sui in terris ejus ab Apostolica Sede concessa, per vos vel per alios fideliter ac sollicite colligatis, juxta continentiam litterarum super hoc ab eadem Sede venerabili fratri nostro.. Cantuariensi archiepiscopo et dilectis filiis magistro Rostando, capellano nostro, ac quibuscumque aliis directarum, non obstante contradictione ipsorum vel aliorum quorumcumque regni Anglie, seu appellatione ad Sedem ipsam occasione hujusmodi interjecta, vel quibuscumque litteris apostolicis impetratis et impetrandis, cujusvis tenoris fuerint, etiamsi de ipsis plenam et expressam ac

de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem. Quod si non omnes etc. duo vel unus vestrum etc. Datum Viterbii, IIII nonas octobris, anno tertio. »

2239 Viterbe, 18 juillet 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Nicasii Remensis significat se omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ad eorum ecclesiam causa devotionis accesserint singulis diebus, indulgentiam centum dierum concedere. (Reg. 25, a. III, c. 645, f. 84; Potthast 16930.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Nichasii Remensis, ordinis Sancti Benedicti*. Licet is de cujus —. Dat. Viterbii, XV kal. augusti, anno tertio. »

2240 Viterbe, 17 septembre 1257.

Praeposito, decano, et capitulo Augustensibus mandat, quatenus Ulricum dictum Gulam plebanum ecclesiae de Steinichirche, Augustensis dioecesis, in canonicum recipiant, eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 646, f. 84.)

« .. *preposito,.. decano et capitulo Augustensibus*. Credentes vos —. Dat. Viterbii, XV kal. octobris, anno tertio. »

2241 Viterbe, 17 septembre 1257.

Cum Bettulino Judice, cive Januensi, et Picamilia ejus uxore, de quodam affinitatis impedimento dispensat. (Reg. 25, a. III, c. 647, f. 84.)

« *Bettulino Judici civi Januensi*. Licet[1] inter affines conjugalis copula sacris sit constitutionibus interdicta, consuevit tamen interdum super hiis Sedes Apostolica dispensare, presertim dum id justum exigit et suadet honestum. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu olim cum Picamilia sorore Bonifacii civis Januensis, quondam Beldietam uxorem tuam tertio et quarto consanguinitatis gradu contingentem, matrimonium contraxisti, eique diu cohabitans suscepisti filios ex eadem. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod, impedimento affinitatis hujusmodi non obstante, tu et eadem P. in sic contracto matrimonio remanere libere ac licite valeatis, auctoritate vobis presentium concedimus dispensando. Nulli [etc.] nostre concessionis et dispensationis etc. Datum Viterbii, XV kal. octobris, anno tertio[1]. »

1. *Ms.* : Sicet.

2242 Viterbe, 9 octobre 1257.

Martinum natum Gerardi Ferrarii de Parma in scriptorem suum admittit. (Reg. 25, a. III, c. 649, f. 84v.)

« *Martino nato Gerardi Ferrarii de Parma, clerico dilecti filii Hugonis Rubei capellani nostri*. Merita tue devotionis —. Dat. Viterbii, VII idus octobris, anno tertio. »

2243 Viterbe, 9 octobre 1257.

Decano et capitulo ecclesiae S. Mauricii Augustensis mandat, quatenus Eberhardum dictum de Wertungen scolarem in ecclesia Augustensi recipiant in canonicum eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 650, f. 84v.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Sancti Mauricii Augustensis*. Ne liberalitas suo fraudari —. Dat. Viterbii, VII idus octobris, anno tertio. »

2244 Viterbe, 18 juillet 1257.

Archipresbitero plebis de Framula, obtentu nobilium virorum Opizonis, Alberti, Jacobi et Nicholai comitum Lavaniae, quorum existit consanguineus Henricus clericus, natus nobilis viri Vicini Bonijohannis de Clavaro, nepos Johannis de Camezano ipsius papae capellani et contradictarum ejusdem auditoris, mandat, quatenus eidem Henrico, juxta litteras Innocentii IV recepto in canonicum in plebe Lavaniae, Januensis dioecesis, sed quadam generali constitutione destituto, jus canonicatus restituat. (Reg. 25, a. III, c. 651, f. 84v.)

« .. *archipresbitero plebis de Framula, Januensis diocesis*. Petitio dilecti filii Henrici —. Dat. Viterbii, XV kal. augusti, anno tertio. »

1. A cet endroit se trouve dans le registre une bulle annulée :

Episcopo, decano et capitulo mandat, quatenus Joannem in eorum ecclesia recipiant in canonicum, eique de praebenda provideant. (Reg. 25, a. III, c. 648, f. 84.)

« .. *episcopo.. decano et capitulo..* Ne liberalitas suo fraudari —. Dat. Viterbii, VI nonas octobris, anno tertio. »

Les noms propres ont été grattés et une main de l'époque a écrit au début et à la fin de l'acte la mention : « va-cat ».

2245 Viterbe, 11 juillet 1257.

Remensi, Senonensi, Rothomagensi et Treverensi archiepiscopis et ipsorum suffraganeis ac capitulis et officialibus eorumdem injungit, ut nuntios abbatis et conventus monasterii S. Nichasii Remensis, juxta apostolica mandata, pro fabrica dicti monasterii in ecclesiis eorumdem dioecesium elemosinas petere permittant. (Reg. 25, a. III, c. 652, f. 85.)

« .. *Remensi,.. Senonensi,.. Rothomagensi et.. Treverensi archiepiscopis et ipsorum suffraganeis ac capitulis et officialibus eorumdem.* Gravem dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Sancti Nichasii Remensis querelam recepimus continentem, quod, cum pro requirendis et petendis fabrice dicti monasterii elemosinis, juxta indulgentiam eis ab Apostolica Sede concessam, eorum nuntii ad quorumdam tam regularium quam secularium ecclesias vestrarum civitatum et diocesium accedunt, ipsi eos juxta mandatum apostolicum aspernantur recipere, sed, quod gravius est, ab ipsis ecclesiis eosdem nuntios eicere non verentur, cum deberent eos benigne ac patienter audire et parrochianos ac alios homines ad conferendas fabrice prefati monasterii elemosinas attentius secundum litterarum nostrarum continentiam exhortari. Quidam quoque de predictis quandam partem elemosinarum, que ad dictam fabricam pia devotione fidelium eroganlur, exigunt impudenter et, ut possint extorquere quod querunt, fabrice subsidium impedire pro sue voluntatis arbitrio non formidant. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus prefatis regularibus et aliis vobis subditis sub districtione, qua convenit, injungatis, ut predictos nuntios in ecclesiis suis ad opus dicte fabrice elemosinas petere, juxta quod eis Apostolica Sedes indulsit, ac populis nostrarum exponere continentiam litterarum sine qualibet contradictione permittant, et si de ipsorum aliquibus ad audientiam vestram super hoc querela pervenerit, in transgressores juxta modum culpe taliter vindicetis, quod eos sue temeritatis peniteat et prefati abbas et conventus pro defectu justitie non cogantur ad nostram presentiam ulterius laborare, preceptum nostrum taliter impleturi, quod vestra exinde possit devotio commendari. Datum Viterbii, V idus julii, anno tertio. »

2246 Viterbe, 27 juin 1257.

Eisdem mandat, quatenus dictis abbati et conventui monasterii S. Nichasii Remensis bona, quae fabricae dicti monasterii sunt in testamento legata seu alio modo donata, sine malitiosa dilatione et absque diminutione persolvi faciant. (Reg. 25, a. III, c. 653, f. 80.)

« *Eisdem.* Gravem etc. ut in alia, usque : quod contingit. Interdum, quod si quando laici subditi vestri, dicto monasterio vel ipsius fabrice de rebus suis quicquam in testamento vel alio modo relinquunt, heredes eorum vel illi, qui res ipsas penes se habent, ipsum legatum eis solvere contradicunt in animarum suarum periculum, impedimentum pii desiderii testatorum et ipsorum monasterii et fabrice prejudicium et gravamen, super quo apostolicum fuit remedium imploratum. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus, si quando predicti abbas et conventus exinde apud vos querimoniam deposuerint, illos, quos vobis denunciaverint, si vobis ita esse constiterit, moneatis attentius et districtione qua convenit juxta officii vestri debitum compellatis, ut ea, que fabrice predicti monasterii et ipsi monasterio sunt in testamento legata seu alio modo donata, sine malitiosa dilatione et absque diminutione persolvant. Datum Viterbii, V kalendas julii, anno tertio. »

2247 Viterbe, 15 juillet 1257.

Eisdem mandat, quatenus universis presbyteris eorumdem jurisdictioni subjectis injungant, ut in eorum ecclesiis eosdem nuntios abbatis et conventus monasterii S. Nichasii Remensis ad elemosynas postulandas admittant. (Reg. 25, a. III, c. 654, f. 85.)

« *Eisdem.* Gravem etc., ut in alia, usque : quod, licet vobis nostris dederimus litteris in preceptis, ut universis presbiteris vestre jurisdictioni subjectis injungeretis districte, quod nuntios fabrice dicti monasterii in suis ecclesiis ad opus ipsius fabrice elemosinas querere, juxta quod eisdem abbati et conventui Apostolica Sedes indulsit, sine contradictione qualibet paterentur, vos tamen, cum aliquam ecclesiam de novo construi[1] facere vos contingit aut veterem reparari, non solum nostrum in hac parte adimplere preceptum omittitis, verum etiam eisdem presbiteris, ne dictos nuntios, donec predictarum ecclesiarum vestra questa facta fuerit, in suis admittant ecclesiis ad predicta, districtius inhibetis, in prejudicium dictorum

1. *Ms.* : construere.

abbatis et conventus et fabrice ipsius monasterii dispendium et jacturam. Quia igitur id equanimiter tollerare non possumus nec debemus, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus illud de cetero nullatenus presumentes, nuntios predictorum abbatis et conventus in ecclesiis vestris, ut premissum est, ad denuntiandum indulgentiam apostolicam et elemosinas fidelium postulandas admittere, ac presbiteris supradictis, ut eos ad hoc idem in suis ecclesiis, annis singulis, durante hujusmodi indulgentia, benigne juxta mandati apostolici tenorem, suscipiant, precipere districtius procuretis. Datum Viterbii, idibus julii, anno tertio. »

2248 Viterbe, 23 juillet 1257.

Archiepiscopis et episcopis, ad quos litterae istae pervenerint, mandat, quatenus nonnullos quaestores se monasterii S. Nichasii Remensis nuntios mentientes, qui ejusdem monasterii nomine elemosynas petere non formidant, capi faciant ac omnia bona ab eis collecta praedictis abbati et conventui restitui curent. (Reg. 25, a. III, c. 655, f. 85.)

« .. *archiepiscopis et episcopis, ad quos littere iste pervenerint*. Ex parte dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Sancti Nicasii Remensis nobis est oblata querela, quod nonnulli iniquitatis filii se ipsius monasterii nuntios mentientes, per diversa loca, ejusdem monasterii nomine, elemosinas petere ac colligere non formidant in animarum suarum periculum et dicti monasterii non modicum detrimentum. Unde, cum non sit malitiis hominum indulgendum, fraternitati vestre ad instar felicis recordationis I. pape predecessoris nostri per apostolica scripta mandamus, quatinus in vestris diocesibus questores capi hujusmodi facientes, rebus et bonis omnibus collectis taliter, que penes eos inventa fuerint, predictis abbati et conventui vel eorum nuntiis plenarie restitutis, illos pro hujusmodi excessibus studeatis taliter castigare, quod ipsi vel alii committere de cetero similia non presumant, subditis vestris districtius inhibentes, ne ad petendas vel colligendas elemosinas, vota vel legata ejusdem sancti nomine aliquos admittant, nisi veros ejusdem monasterii nuntios secum propter hoc predictorum abbatis et conventus litteras deferentes. Datum Viterbii, X kalendas augusti, anno tertio. »

2249 Viterbe, 11 octobre 1257.

Martino episcopo et archidiacono Legionensibus mandat, quatenus moneant abbatem S. Facundi, ordinis S. Benedicti, ut guardiano et fratribus ordinis Minorum ejusdem loci de illatis damnis et injuriis satisfactionem exhibeat. (Reg. 25, a. III, c. 656, f. 85v ; Potthast 17026.)

« .. *episcopo et.. archidiacono Legionensibus*. Ex parte dilectorum filiorum.. guardiani et fratrum ordinis Minorum de villa Sancti Facundi, gravis nobis est oblata querela, quod.. abbas monasterii loci ejusdem, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Legionensis diocesis, contra ipsos pro eo rancore concepto, quod iidem guardianus et fratres quemdam sui ordinis apostatam, quem sine ipsorum licentia et contra indulta ipsi ordini ab Apostolica Sede concessa dictus abbas presumpsit recipere in monachum ipsius monasterii, repetentes, nonnullis conditionibus, quas ipse ab eis contra indulta predicte Sedis ac instituta ejusdem ordinis Minorum ab eis pertinaciter exigit, contradicunt, diversis gravaminibus et injuriis gravibus afficere non veretur eosdem[1], excommunicationis sententiam in ipsos post appellationem ab eis ad nos legitime interpositam tam auctoritate sua, quam de mandato, ut asserit, venerabilis fratri nostri.. archiepiscopi Auxitani, ad quem supradictus apostata super absolutione sua ab eodem ordine litteras apostolicas dicitur impetrasse, temere fulmina n s, ac pulsatis campanis et candelis accensis diebus singulis faciens innovari : alias eos variis vexationum adinventionibus molestando in divinam et dicte Sedis ac nostram offensam, ipsorum non modicum prejudicium et scandalum plurimorum. Quare pro dictis guardiano et fratribus humiliter petebatur a nobis, ut subvenire super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nolentes itaque ipsorum gravamina conniventibus oculis pertransire, cum eis pro reverentia divini nominis, cujus obsequiis sunt astricti, oportuni favoris gratia prosequi teneamur, discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus, inquisita super premissis de plano et sine judicii strepitu veritate, si rem inveneritis ita esse, sententiam ipsam, cujuscumque sit auctoritate prolata, nullam fuisse penitus nuntiantes, memoratum abbatem per vos vel per

1. *Ms.* : eodem.

alium attentius moneatis, ut prefatis guardiano et fratribus de illatis dampnis et injuriis satisfactionem debitam exhibens, ab hujusmodi et quibuslibet illorum gravaminibus omnino desistat. Quod si forte prefatus abbas monitis vestris acquiescere in hac parte noluerit, vos ex tunc eum peremptorie citare curetis, ut infra competentem terminum, quem sibi duxeritis prefigendum, personaliter compareat coram nobis, super premissis facturus dictis guardiano et fratribus, ac alias pro meritis recepturus, quem nichilominus si in prefato termino se nostro conspectui presentare contempserit, excommunicationis sententia, appellatione postposita, involvatis, et eam faciatis, pulsatis campanis et candelis accensis, singulis diebus dominicis et festivis, in locis in quibus expedire videritis, innovari sollempniter et dictum abbatem ab omnibus artius evitari ; non obstante si ei a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possit sive aliqua indulgentia Sedis ejusdem, per quam mandati nostri effectus in hac parte impediri valeat vel differri, et de qua seu cujus toto tenore oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Quicquid autem inde feceritis et diem citationis ac formam nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter exponatis. Quod si non ambo etc. Datum Viterbii, V idus octobris, anno tertio ».

2250 Viterbe, 8 octobre 1257.

Guardiano et fratribus ordinis Minorum de S. Facundo, Legionensis dioecesis, locum, quem abbas et conventus monasterii S. Facundi, ordinis S. Benedicti, eorum usibus liberaliter concesserunt, defectum supplens, donat in perpetuum. (Reg. 25, a. III, c. 657, f. 85v ; Potthast 17024.)

« .. *guardiano et fratribus ordinis Minorum de Sancto Facundo, Legionensis diocesis*. Merita vestre sacre religionis et pie devotionis efficiunt, ut Sedem Apostolicam, in hiis, que sunt favoris et gratie, gaudeatis benignam et benivolam invenisse. Sane nuper, vestris et carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Castelle et Legionis supplicationibus inclinati, locum, quem.. abbas et conventus monasterii Sancti Facundi, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Legionensis diocesis, vestris usibus, ad ipsius regis instantiam, in ejus presentia, liberalitate pia et provida concesserunt, ac etiam hujusmodi cessionem ipsius loci vobis per nostras litteras confirmantes, supplevimus defectum, si quis in hoc fuit, de nostre plenitudine potestatis. Verum, quia, super concessione prefata, nullum extitit ex parte predictorum abbatis et conventus confectum publicum instrumentum, non immerito dubitatis, quod ipsi, processu temporis reproba penitentia ducti, vos eodem loco spolient et expellent exinde pro sue arbitrio voluntatis : quare nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc vobis de benignitate apostolica curaremus. Ne igitur, quod pro Dei gloria et animarum salute, quarum lucro nil carius reputamus, fuit ex pio devotionis studio inchoatum, in divinam offensam et animarum dispendium, quod absit, in posterum revocetur, nos, propter hoc volentes, ut omnis de cetero dubitationis scrupulus, in hac parte, de vestris cordibus auferatur, vosque libere ac pacifice valeatis in prefato loco virtutum cultui et saluti intendere animarum, ipsum locum, sicut, presente dicto rege, vobis extitit assignatus ac vos recepistis eundem et hactenus possedistis, cum suis pertinentiis, auctoritate apostolica in perpetuum deputamus vestris vestrorumque successorum usibus et donamus, non obstantibus defectu instrumenti aut alterius scripture autentice, seu quibuscumque litteris vel indulgentiis a Sede Apostolica impetratis, vel in posterum impetrandis, per quas hujusmodi nostre deputationis et donationis robur valeat infirmari, aut de quibus oporteat in presentibus plenam et expressam fieri mentionem. Nulli [etc.] nostre deputationis et donationis etc. Datum Viterbii, VIII idus octobris, anno tertio ».

2251 Viterbe, 7 octobre 1257.

Abbati monasterii S. Facundi, Legionensis dioecesis, mandat, quatenus a suo monasterio fratrem Guillelmum Arnaldi apostatam fratrum Minorum amoveat eumque in alio claustro locet. (Reg. 25, a. III, c. 658, f. 85v ; Potthast 17023.

« .. *abbati monasterii Sancti Facundi, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Legionensis diocesis*. Quelibet sacra religio per vite innocentiam et cultum fraterne pacis semper proficit ad incrementa virtutum, ac ita salubriter cuncta disponit, ut ab ea totius materia scandali et semine discordie amputatis, inde ipsius crescat opinio, inde gloriose actionis exemplo sibi dissimilis non occurrit. Sane mirantes accepimus, licet credere vix possimus, quod tu, qui vite innocentis et pacifice

quietis commoda studio bene agendi augere deberes ac novis semper successibus renovare, a disciplinis veterum patrum doctissimis animum revocans, id operari potius te delectat, quod non decet monachum, et tibi potest infamie generare jacturam, in eo maxime quod Guillelmum Arnaldi virum rixe, discordie filium, qui olim animi levitate, vel potius culpa sua, ordinem fratrum Minorum, quem professus fuerat, dereliquit post vitam absque jugo discipline, quam idem duxit dampnabiliter per seculum vagabundam, pretextu quarumdam litterarum felicis recordationis I. pape predecessoris nostri, super absolutione ipsius ab ordine supradicto, per surreptionem obtentarum, in tuo monasterio recepisti in monachum et in fratrem, occasione ipsius te infestum dilectis filiis fratribus Minoribus de sancto Facundo, Legionensis diocesis, exhibens, in eorum scandalum, gravamen sui ordinis et salutis tue non modicum detrimentum. Idem namque Guillelmus in monasterio ipso sub tue protectionis umbra pariter et favoris monachalem gerens habitum, quem moribus diffitetur, adhuc, ut olim, fraudulenter incedit post principem tenebrarum se in lucis angelum transfigurans, dum sub specie sanctitatis, cujus virtutem prorsus abnegat, contra predictos fratres utique innocentes, ut gladium acuit linguam suam ac detractionis dente famam eorum lacerans, constitutis coram se clero et populo, ut audiant verbum Dei, pro favo divini sermonis virus invidie subministrare presumit, et eorum munditiam ac in ipsis sanctitatis formam et justitie speculum nititur depravare, quorum ordinem Dominus ut lucernam insignem ad illuminationem domus sue inter alias celestium exemplarium lampades suscitavit. Ne igitur idem G. in injuriam Christi et nostram ac predictorum fratrum opprobrium se gaudeat triumphum de tantis excessibus et de hiis veluti piis operibus laudum premia reportare, discretioni tue per apostolica scripta, in virtute obedientie, districte precipiendo mandamus, quatinus eumdem Guillelmum Arnaldi a prefato monasterio, infra spatium quindecim dierum post receptionem presentium, sine difficultate transferas, per te, auctoritate nostra, in alio monasterio tui ordinis collocandum. Nos enim statuimus, ut ibidem velut simplex claustralis, quem decernimus cujuslibet officii et regiminis presidentia vel aministratione indignum, tam intus quam extra monasterium, quocumque nomine censeatur, debeat predicationis et confessionis a nobis in perpetuum privatus officio de cetero permanere : firmiter quoque, ac sub pena excommunicationis, quam eum, qui contra fecerit, volumus ipso facto incurrere, inhibemus, ut nullus deinceps dictum Guillelmum inde amovere, vel ad prefatum monasterium Sancti Facundi reducere presumat aliquando, absque mandato Sedis Apostolice speciali ; preces autem et preceptum nostrum taliter adimpleas in hac parte, ut exinde digna laudibus apud nos tua sinceritas habeatur. Alioquin venerabilibus fratribus nostris.. Legionensi et.. Zamorensi episcopis, per litteras nostras injungimus, ut te ad id, monitione premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant ; non obstante si tibi vel monasterio tuo a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possitis, aut quibuscumque litteris seu indulgentiis impetratis seu imposterum impetrandis, per quas nostre in hac parte commissionis jurisdictio impediri vel differri, aut etiam hujusmodi nostre constitutionis et inhibitionis robur valeat infirmari. Datum Viterbii, nonis octobris, anno tertio. »

2252 Viterbe, 2 octobre 1257.

Magistro Thomae decano Ceritaniae ac ecclesiae S. Mariae de Tolono et ecclesiae de Turrellis rectori indulget, ut praeter ipsos decanatum et ecclesias, beneficia ecclesiastica, quibus non sit cura animarum annexa, usque ad valorem quadraginta marcarum argenti recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 659, f. 86.)

« *Magistro Thome subdiacono nostro, capellano dilecti fratris nostri J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, decano Ceritanie, ac ecclesie Sancte Marie de Tolono et ecclesie de Turellis, rectori, quarum una dependet ab altera, Urgellensis et Narbonensis diocesium.* Cupientes proni ad gratiam —. Dat. Viterbii, VI nonas octobris, anno tertio. »

2253 Viterbe, 15 octobre 1257.

Episcopo Cremonensi mandat, quatenus Panevino presbytero, olim rectori ecclesiae S. Viti Cremonensis, praebendam, quae in plebe de Platina vacare dicitur, conferat eumque recipi faciat in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 660, f. 86.)

« .. *episcopo Cremonensi.* Digne debent per Ecclesiam consolationem habere —. Dat. Viterbii, idibus octobris, anno tertio. »

2254 Viterbe, 16 juillet 1257.

Donationi apostolicae reservat praeposituram, canonicatum et praebendam Grassensis ecclesiae, quae Vicedominus Aquensis electus, tempore suae promotionis habebat. (Reg. 25, a. III, c. 661, f. 86.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum nos electionem de dilecto filio Vicedomino electo Aquensi, tunc capellano nostro et preposito Grassensi, in Aquensi ecclesia celebratam, de fratrum nostrorum consilio, duxerimus confirmandam, nos preposituram et canonicatum ac prebendam Grassensis ecclesie cum juribus et pertinentiis eorumdem, que idem electus tempore sue promotionis habebat, donationi apostolice reservamus juxta nostrum beneplacitum conferenda; decernentes ex nunc irritum et inane quicquid de prepositura, canonicatu et prebenda predictis contra vel post hujusmodi reservationem nostram, per quemcumque vel quoscumque nostra vel quavis alia auctoritate contigerit attemptari. Nulli [etc.] nostre reservationis et constitutionis etc. Datum Viterbii, XVII kal. augusti, anno tertio. »

2255 Viterbe, 30 juillet 1257.

Confirmat collationem eorumdem praeposituræ, canonicatus et praebendae Grassensis ecclesiae magistro Leonardo de Turricula a Jordano subdiacono et notario ipsius papae factam. (Reg. 25, a. III, c. 662, f. 86.)

« *Magistro Leonardo de Turricula capellano nostro, preposito ecclesie Grassensis.* Cum dilectus filius magister Jordanus subdiaconus et notarius noster, auctoritate nostra sibi in hac parte commissa, preposituram, canonicatum et prebendam Grassensis ecclesie cum omnibus juribus et pertinentiis eorum, que dilectus filius.. Aquensis electus tempore sue promotionis habebat, tibi contulerit, teque per suum birretum investiverit de eisdem, non obstante quod nondum elapsum est tempus de consecrandis episcopis a canone diffinitum, decreverit quoque irritum et inane, si secus de predictis prepositura, canonicatu et prebenda per quemcumque contigerit attemptari, prout in instrumento publico et ipsius notarii sigillo signato confecto exinde plenius continetur, nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem notario factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; non obstante si aliqui in ecclesia et diocesi Grassensibus super provisione facienda ipsis de personatibus seu dignitatibus et prebendis apostolicas[1] litteras impetrarunt, quibus quoad assecutionem preposituro, canonicatus et prebende predictorum te volumus anteferri. Nos etiam irritum et inane decernimus quicquid aliud de ipsis prepositura, canonicatu et prebenda, nostra vel quavis alia auctoritate, fuerit attemptatum. Tenorem autem predicti instrumenti presentibus inseri fecimus, qui talis est :

Viterbe, 30 juillet 1257.

« Viro venerabili et amico carissimo magistro « Leonardo de Turricula domini pape capellano, Jor- « danus ejusdem domini subdiaconus et notarius in « vero salutari salutem. Sanctissimus pater et domi- « nus Alexander, divina providentia sancte Romane « Ecclesie summus pontifex, volens nobis gratiam fa- « cere specialem, nobis viva voce injunxit, ut prepo- « situram, canonicatum et prebendam Grassensis ec- « clesie cum omnibus juribus et pertinentiis suis, que « venerabilis pater dominus Vicedominus Aquensis « electus tempore sue promotionis habebat, sub infra- « scripta forma vobis auctoritate apostolica conferre- « mus. Nos igitur preposituram, canonicatum et pre- « bendam predicta cum omnibus juribus et pertinen- « tiis suis commissa nobis ipsius domini pape aucto- « ritate vobis conferimus vosque de ipsis per « birretum nostrum presentialiter investimus, non « obstante quod nondum elapsum est tempus de con- « secrandis episcopis a canone diffinitum, decernentes « irritum et inane, si secus de predictis prepositura, « canonicatu et prebenda eorumque pertinentiis con- « tigerit attemptari. In cujus rei testimonium et cau- « telam presens instrumentum per manum Galgani « de Verulis, auctoritate sancte Romane Ecclesie « publici notarii exinde fieri fecimus nostri sigilli « appensione munitum. Actum Viterbii, presentibus « magistris Bartholomeo Medico, Johanne et Abba- « monte Sublacensibus et Bartholomeo de Sancto Vito « scriptoribus domini pape, testibus specialiter voca- « tis et rogatis, die lune, III kalendas augusti, anno « domini M.CC.LVII, pontificatus domini Alexandri « pape IIII, anno tertio, indictione XV. Et ego Gal- « ganus de Verulis, auctoritate sancte Romane Eccle-

1. *Ms.* : aspostolicis.

« sic publicus notarius, collationi et investiture pre-
« dictis interfui et premissa omnia, de ipsius magistri
« Jordani mandato, scripsi et publicavi et signum
« feci. »

« Nulli etc. nostre confirmationis et constitutionis etc. Datum Viterbii, III kalendas augusti, anno tertio. »

2256 Viterbe, 7 octobre 1257.

Joanni de Hesel indulget, ut praeter ecclesiam de Elnele, Eboracensis dioecesis, possit etiam medietatem ecclesiae de Tweng, ejusdem dioecesis, retinere. (Reg. 25, a. III, c. 663, f. 86v.)

« *Johanni de Hesel, rectori ecclesie de Elnele Eboracensis diocesis.* Volentes tibi —. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno tertio. »

2257 Viterbe, 24 octobre 1257.

Archiepiscopo Bituricensi mandat, quatenus Joanni de Velcia, clerico pauperi, de beneficio competenti providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 664, f. 86v.)

« .. *archiepiscopo Bitturricensi.* Constitutus in presentia —. Dat. Viterbii, VIII kal. octobris, anno tertio. »

2258 Viterbe, 14 octobre 1257.

Radulfo de Cropper J[oannis] tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis capellano indulget, ut praeter ecclesiam de Newenton, unicum alterum beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 665, f. 87.)

« *Radulfo de Cropper, rectori ecclesie de Newenton, Lincolniensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Viterbii, II idus octobris, anno tertio. »

2259 Viterbe, 13 octobre 1257.

Decano et capitulo ecclesiae S. Aredii mandat, quatenus Petrum de Podio Jaule pauperem clericum dictae ecclesiae in canonicum et in fratrem recipiant. (Reg. 25, a. III, c. 666, f. 87.)

« .. *decano et capitulo ecclesie S. Aredii, Lemovicensis diocesis.* Dilectus filius Petrus —. Dat. Viterbii, III idus octobris, anno tertio. »

2260 Viterbe, 13 juin 1257.

Remensi, Senonensi, Rothomagensi et Treverensi archiepiscopis ac ipsorum suffraganeis, necnon capitulis et decanis, archidiaconis et officialibus eorumdem mandat, quatenus nuntios monasterii S. Nichasii Remensis recipiant et a suis subditis recipi faciant. (Reg. 25, a. III, c. 667, f. 88.)

« .. *Remensi,.. Senonensi,.. Rothomagensi et.. Treverensi archiepiscopis ac ipsorum suffraganeis, necnon capitulis et decanis, archidiaconis et officialibus eorumdem.* Cum dilecti filii.. abbas et conventus monasterii Sancti Nichasii Remensis, ordinis Sancti Benedicti, ad honorem Dei et ipsius sancti, cujus meritis multa ibidem Deus dicitur miracula operari, eorum ecclesiam structure mirabilis et sumptuose dudum inceptam desiderent consumare, nosque fideles Christi ad subveniendum hujusmodi operi Apostolice Sedis indulgentia invitemus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, vobis per apostolica scripta, in virtute obedientie firmiter precipiendo mandantes, quatinus, ut sitis cooperatores predicti operis, venientes ad vos eorum nuntios propter hoc cum sanctuario ipsius ecclesie, quod secum deferent et vos benigne et sollempniter recipiatis et singuli vestrum faciant a suis recipi subditis in eorum ecclesiis tam indulgentiam nostram quam totum ejusdem monasterii negotium sine contradictione aliqua explanandos, vosque litteras vestras super hoc eisdem nuntiis quotiens requisiti fueritis concedatis, ut vestris devotis intervenientibus suffragiis, dictum opus valeat consumari. Datum Viterbii, idibus junii, anno tertio. »

2261 Viterbe, 19 octobre 1257.

Confirmat electionem Guidonis in Aniciensem episcopum. (Reg. 25, a. III, c. 668, f. 87.)

« .. *electo Aniciensis ecclesie.* Assumpti quamvis immeriti, disponente Domino, in plenitudinem potestatis, tanto libentius litteratos viros, quos morum honestas et conversatio munda decorant, in partem sollicitudinis evocamus, quanto per tales operarios vinea Domini studiosius excoli et custodiri melius consuevit. Sane dudum ecclesia Aniciensis pastoris solatio destituta, dilecti filii.. decanus et capitulum ejusdem ecclesie, die ad eligendum prefixa, presentibus omnibus, qui volebant, debebant et poterant

commode interesse, in quosdam de eorum canonicis providendi eis de presule contulerunt unanimiter potestatem, qui te in eorum episcopum elegerunt. Ipsi autem electionem hujusmodi acceptantes, eam nobis per ipsorum solempnes nuntios presentarunt, et petierunt ipsam a Sede Apostolica confirmari. Examinato igitur ipsius electionis processu, eam ex certis causis non duximus confirmandam. Verum quia, sicut ex quorumdam fratrum nostrorum et multorum aliorum testimoniis, que quidem credibilia facta sunt nimis, accepimus et utique acceptamus, tu litterarum scientia, honestate vite ac conversatione laudabili decoraris, nos hec propensius attendentes et volentes predicte ecclesie, utpote nobis immediate subjecte, vitare pericula, que sibi possent, si vacaret diutius, iminere, te eidem Aniciensi ecclesie, de fratrum eorumdem consilio et apostolice potestatis plenitudine prefecimus in episcopum et pastorem, firma spe nobis proposita, quod, auctore illo, qui dat virtutes et premia elargitur, eadem ecclesia per diligentie tue studium grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Cum itaque vocationi divine obsequi te deceat reverenter, discretionem tuam rogamus et obsecramus in Domino per apostolica scripta tibi in virtute obedientie firmiter precipiendo mandantes, quatinus, quod a nobis super hoc immo a Domino factum est amplectens humiliter et devote, suscipias episcopalis regimen dignitatis, ut tibi per vite meritum et aliis proficias per exemplum, ut, dum multos ad salutem direxeris, merearis in hereditatis gloria jocundari, et nos, qui tibi in omni oportunitate adesse proponimus in tuis laudibus merito in Domino delectemur. Datum Viterbii, XIIII kalendas novembris, anno tertio. »

2262 Viterbe, 3 octobre 1257.

Archidiacono de Valdeyras mandat, quatenus collationem ecclesiae S. Joannis de Meres in Arala Joanni Martini clerico Ovetensis dioecesis ab episcopo Ovetensi factam confirmet, si ei constiterit collationem hujusmodi provide factam esse. (Reg. 25, a. III, c. 669, f. 87v.)

« .. *archidiacono de Valdeyras, in ecclesia Legionensi.* Cum sicut dilecti —. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno tertio. »

2263 Viterbe, 21 octobre 1257.

Bonaventurae generali ministro ordinis fratrum Minorum significat se, ut ille ministerium suum efficaciter valeat exercere, universis ministris, custodibus, guardianis, ceterisque fratribus praedicti ordinis, in virtute obedientiae inhibere, ne ipsorum aliquis privilegiis seu indulgentiis sub quacumque forma ab Apostolica Sede obtentis uti praesumat absque ejus speciali mandato. (Reg. 25, a. III, c. 670, f. 87v; Potthast 17045.)

Fratri Bonaventure generali ministro ordinis fratrum Minorum. Ut ministerium tibi commissum ad Dei gloriam et prosperum tui ordinis statum libere ac efficaciter valeas exercere, nullusque fratrum ejusdem ordinis pretextu alicujus licentie possit mandatum obedientie regularis aut ipsius ordinis subterfugere disciplinam, universis et singulis ministris, custodibus, guardianis ceterisque fratribus predicti ordinis, tenore presentium, in virtute obedientie districtius inhibemus, ne ipsorum aliquis privilegiis, indulgentiis, litteris, mandatis vel licentiis quibuscumque pro ipsis vel ipsorum aliquo seu aliquibus, sub quacunque forma verborum, ab Apostolica Sede obtentis hactenus seu in posterum obtinendis, uti quoquomodo presumat absque tuo mandato et licentia speciali. Nos enim omnem penam, quam hujusmodi nostre inhibitionis transgressoribus rite duxeris infligendam, ratam habebimus, et observari, auctore Deo, inviolabiliter faciemus. Si vero ipsorum aliqui electiones, seu postulationes, aut provisiones, quas deinceps celebrari de ipsis in ecclesiis cathedralibus aut fieri contigerit absque tuo arbitrio, acceptare, seu illis consentire presumpserint, nos omnem processum, qui de ipsis et pro ipsis in hac parte habitus fuerit, irritum decernimus et inanem, nolentes ut eis quicquam juris per electiones, postulationes, vel provisiones hujusmodi eorumque acceptationes et consensus quomodolibet acquiratur. Ad hec, ut eo efficacius commissum tibi officium exequi valeas, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, illam tibi potestatem circa absolutionem fratrum ejusdem ordinis ab excommunicationum sententiis et dispensationem super eorum irregularitatibus presentium tenore concedimus, quam nostri penitentiarii habere ab Apostolica Sede noscuntur. Ceterum quia pro certo tenemus, quod data sit tibi celitus gratia regendi salubriter populum sanctum Dei ac ejusdem gubernacula ordinis prospere dirigendi, nobis de te fiducia magna probetur, quod dictus ordo, te illi presidente, continuatis concrescet augmentis, ejusque status, auctore Domino, grata suscipiet per tuum ministerium incrementa virtutum.

Ideoque discretionem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, ac per apostolica tibi scripta mandamus, in remissionem tibi peccaminum nichilominus injungentes, quatinus sic te cultorem religionis exhibeas et vindicem vitiorum, quod eodem ordine tue doctrine rore compluto, tuaque salubri dispositione composito, crescas exinde meritis apud Deum, penes nos gratia, et apud homines clara fama. Nos enim, qui ejusdem profectum et augmentum ordinis toto cordis zelamur affectu, tibi in omnibus, que tuum contingunt officium, firmiter apostolico favore adesse proponimus, ac, ut idem ordo sub tuo regimine titulis refulgescat insignibus, omnem, quam poterimus, intendimus opem et operam adhibere. Datum Viterbii, XII kalendas novembris, anno tertio.

2264 Viterbe, 15 octobre 1257.

Priori et capitulo ecclesiae S. Ursini Bituricensis mandat, quatenus Stephanum rectorem ecclesiae Montis Meraudi, Bituricensis dioecesis, in ecclesia Montis Cenobii, ejusdem dioecesis, recipi faciant in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 671, f. 87v.)

« .. *priori et capitulo ecclesie Sancti Ursini Bituricensis*. Affectionis paterne studium —. Dat. Viterbii, idibus octobris, anno tertio. »

2265 Viterbe, 17 octobre 1257.

Regi Scotiae privilegia et indulgentias, quibus Sedes Apostolica domus regiae personas honoravit, confirmat et communit. (Reg. 25, a. III, c. 672, f. 87v; Potthast 17042.)

« .. *regi Scotie illustri*. Quanto personam tuam sinceriori affectione diligimus et inter alios orbis principes specialiter proponimus honorare, tanto libentius petitionibus tuis annuimus et liberalius exauditionis januam aperimus. Hinc est quod nos, devotionis tue precibus inclinati, privilegia et indulgentias, quibus tuam et progenitorum tuorum personas Sedes Apostolica, exigentibus domus tue meritis, honoravit, necnon antiquas et rationabiles consuetudines regni tui, in quarum possessione vel quasi tu et antecessores tui fuistis hactenus, a tempore cujus memoria non existit, sicut eas juste obtines et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli (etc. nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XVI kal. novembris, anno tertio. »

2266 Viterbe, 28 octobre 1257.

Abbati et conventui monasterii de Niwehain, cujus redditus sunt tenues et exiles, ecclesias de Plimeut et de Loweputte, Exoniensis dioecesis, ad usus proprios concedit. (Reg. 25, a. III, c. 673[1], f. 88.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Niwehain, Cisterciensis ordinis, Exoniensis diocesis*. Injuncti officii sollicitudo nos admonet, ut de personis religiosis precipue cogitantes, eas speciali favore et gratia prosequamur. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, monasterium vestrum, quod est novella plantatio, redditus habeat valde tenues et exiles et multorum debitorum sit onere pregravatum, nos, necessitatibus vestris paterno compatientes affectu, dilecti filii nostri J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis supplicationibus inclinati, ecclesias de Plimeut et de Loweputte, Exoniensis diocesis, in quibus, sicut asseritis, jus patronatus habetis, vobis et monasterio vestro in perpetuum vestris et successorum vestrorum usibus propriis cum omnibus earum juribus et pertinentiis applicandas de gratia concedimus speciali, vobis nichilominus indulgentes, ut, cedentibus vel decedentibus rectoribus earumdem, possessionem ipsarum auctoritate nostra ingredi libere valeatis, assignata vicariis, qui pro tempore in eisdem servierint, de ipsarum ecclesiarum proventibus idonea portione, unde valeant congruam sustentationem habere ac episcopalia, archidiaconalia et cetera ipsarum ecclesiarum onera supportare, contradictione venerabilis fratris nostri.. episcopi et dilectorum filiorum capituli Exoniensis aliquatenus non obstante. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii, V. kal. novembris, anno tertio. »

2267 Viterbe, 28 octobre 1257.

Priori de Lahyda mandat, quatenus supradictos abbatem et conventum, in possessionem earumdem ecclesiarum inducat et defendat inductos. (Reg. 25, a. III, c. 673[2], f. 88.)

« .. *priori de Lahyda, Wintonensis diocesis*. Injuncti officii sollicitudo —. Datum Viterbii ut supra. »

2268 Viterbe, 3 octobre 1257.

Confirmat constitutionem ab archiepiscopo Lundensi et suffraganeis ejus edictam. (Reg. 55, a. III, c. 674, f. 88; Potthast 17019.)

« .. *archiepiscopo Lundensi et suffraganeis suis.* Hiis, que pro ecclesiastica libertate ac utilitate et statu ecclesiarum, ab ipsarum prelatis provide statuuntur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, que nostro fuerint presidio communita. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quedam pro libertate ecclesiastica et utilitatibus ac statu ecclesiarum vestrarum communi deliberatione ac provida edideritis statuta salubria et honesta, prout in litteris inde confectis plenius continetur, nos, vestris supplicationibus inclinati, statuta ipsa, sicut provide facta sunt, habentes grata et rata, eadem, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est :

« Cum ecclesia Datiana adeo gravi persecutioni sit « exposita tirampnorum, quod episcopis, qui se pro « domo Dei murum obiciunt defensionis, etiam in « presentia domini regis in ipsorum personas non « verentur minas injuriosas inferre, que satis proba- « biliter sunt timende, cum clerus secularis defen- « sione videatur carere penitus potestatis, ac illorum « superbia a metu regio libera et secura in malum « possit ascendere quantum velit, sanxit presentis « concilii auctoritate, ut quicumque episcoporum infra « terminos regni Datie mala captione de mandato do- « mini regis sive ejus conniventia vel consensu, vel « alicujus nobilis, qui manet infra fines predicti regni, « captus fuerit, vel membrum amiserit aut atrocem « injuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, « dummodo probabiliter presumi possit hoc de volun- « tate domini regis processisse, ac dubium non sit « ipsum hoc faciliter corrigere posse, in toto regno « divina sint officia interdicta. Si vero aliquod « predictorum alicui episcoporum illorum fuerit « per aliquem potentem, qui manet extra regnum « Datie, et ex conjecturis conjici possit aliquo modo « hoc ex regis vel principum sive nobilium regni « Datie consilio provenisse, eo ipso ejusdem episcopi « diocesis a celebratione misteriorum sileat divino- « rum, et si rex ammonitus per duos episcopos vel « quoscumque clericos sue diocesis distulerit, vel non « curaverit taliter leso infra mensem justitiam exhi- « bere, regnum ipsum usque ad condignam satisfac- « tionem habeatur a divinis suspensum. Prohibemus « etiam sub excommunicationis pena, ne aliquis pres- « biter seu capellanus alicujus nobilis, durantibus « predictorum interdictorum sententiis, ipsis nobilibus « presentibus aut aliquo alio in curiis dictorum nobi- « lium vel alias publice vel private divina celebrare « presumat. Quod qui fecerit sciat se excommunica- « tionis sententiam incurrisse. »

Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, V nonas octobris, anno tertio.

2269 Viterbe, 25 octobre 1257.

Ricardo de Thevrayo clerico indulget, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ad sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium etiam curam animarum habens obtinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 675, f. 88.)

« *Ricardo de Thevrayo clerico Bajocensis diocesis.* Illegitime genitos —. Dat. Viterbii, VIII kal. novembris, anno tertio. »

2270 Viterbe, 15 octobre 1257.

Universis paenitentibus et confessis, qui ad consummationem Claromontensis ecclesiae manum porrexerint adjutricem, centum dies singulis diebus de injuncta paenitentia relaxat. (Reg. 25, a. III, c. 676, f. 88v.)

« *Universis Christi fidelibus per regnum Francie constitutis.* Ecclesiarum fabricis manum porrigere adjutricem pium apud Deum et meritorium reputantes, frequenter Christi fideles ad impendendum ecclesiis ipsis hujusmodi auxilium nostris monemus litteris et hortamur. Et ut ad id eo fortius animentur, quo majus ex hoc animarum comodum speraverint adipisci, nonnunquam pro hiis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, remissiones videlicet et indulgentias, elargimur. Et quidem conveniens est et dignum, ut Christi fideles loca divino deputata cultui devotione congrua venerantes, et debitum illis honorem reverenter exhibeant, et ad eorum decorem sua etiam impendia studiose, cum et in componendis ad usus humanos edibus inpendi diligentia soleat, subministrent, quatinus, cooperantibus caritativis eorum subsidiis, possint illa decentis consumatione structure superni regis laudibus apta reddi. Hinc est quod, cum, sicut venerabilis frater noster.. episcopus et dilecti filii.. decanus et capitulum Claromontenses nobis exponere curaverunt, ipsi eorum ecclesiam

ampliare ceperint opere nimium sumptuoso, nec ad tanti consumationem operis sibi proprie suppetant facultates, universitatem vestram monemus, rogamus, et hortamur in Domino atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatinus provide attendentes, quod inter holocausta virtutum illud Deo acceptabilius creditur, quod de pinguedine caritatis offertur, de bonis vobis collatis a Deo, pias ad id elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per hec et alia bona, que, Domino inspirante, feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri ac Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad consumationem hujusmodi operis manum porrexerint adjutricem, centum dies singulis diebus de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus; presentibus post quinquennium minime valituris, quas mitti etc. usque : decernentes. Datum Viterbii, idibus octobris, anno tertio. »

2271 Viterbe, 28 octobre 1257.

Decano et capitulo ecclesiae S. Petri Tervisinae mandat, quatenus Tolbertum natum nobilis viri Azonis de Azonibus Tervisini, pauperem scolarem, in canonicum recipiant. (Reg. 25, a. III, c. 677, f. 88v.)

« .. *decano et capitulo ecclesie S. Petri Tervisine* Provideri pauperibus —. Dat. Viterbii, XI kal. novembris, anno tertio. »

2272 Viterbe, 11 mars 1257.

Confirmat receptionem magistri Bernardi de Caltrona in canonicum saecularis ecclesiae S. Genesii Claromontensis, et archidiacono Brivatensi mandat, quatenus eidem Bernardo de praebenda providere curet. (Reg. 25, a. III, c. 678, f. 88v.)

« .. *archidiacono Brivatensi in ecclesia Claromontensi*. Significavit nobis dilectus filius magister Bernardus de Caltrona canonicus secularis ecclesie Sancti Genesii Claromontensis, quod, cum nos olim pro ipso paupere clerico venerabili fratri nostro .. episcopo Claromontensi in forma, qua pro pauperibus clericis eorum diocesanis consuevimus scribere, direximus scripta nostra, ut sibi de competenti ecclesiastico beneficio ad suam, alioquin de alio ad cujuscumque collationem spectante in sua civitate vel diocesi per se vel per alium provideret[1], tandem dilectus filius .. officialis Claromontensis, cui commisit super hoc dictus episcopus, prout ex litterarum nostrarum beneficio poterat, vices suas, sibi de canonia ipsius ecclesie Sancti Genesii, in qua prebendarum collatio ad abbatem et capitulum ejusdem dignoscitur pertinere, providit, maxime cum iidem abbas et capitulum provisioni hujusmodi suum prebentes assensum, prefatum magistrum in canonicum receperint et in fratrem. Nos itaque, ipsius B. supplicationibus inclinati, hujusmodi provisionem et receptionem ratas et firmas habentes, ac defectum, si quis in eis fuit, supplentes, ac eas auctoritate apostolica confirmantes, discretioni tue mandamus, quatinus, si est ita, eidem magistro de prebenda nulli alii de jure debita, si vacat ad presens in ipsa ecclesia, vel quamcito se facultas obtulerit, per te vel per alium auctoritate nostra, sicut justum fuerit, providere procures. Contradictores etc. non obstante, quod ipse alibi est receptus, sive aliqua indulgentia Sedis Apostolice, per quam provisio hujusmodi valeat impediri. Datum Laterani, V idus martii, anno tertio. »

2273 Viterbe, 15 octobre 1257.

Praeposito et capitulo Haselacensibus liberam concedit facultatem recipiendi in canonicum Ulricum rectorem ecclesie de Makenh dudum in supradicta ecclesia receptum, sed per constitutionem apostolicam exclusum. (Reg. 25, a. III, c. 679, f. 88v.)

« .. *preposito et capitulo Haselacensibus, Argentinensis diocesis*. Licet, sicut accepimus —. Dat. Viterbii, idibus octobris, anno tertio. »

2274 Viterbe, 4 octobre 1257.

Electo et priori Praedicatorum Aberdonensibus mandat, quatenus, licet sententiam O(ctaviani) S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis super quaestione natalium Morgundi Scoti latam confirmaverit, super natalibus dicti Morgundi veritatem inquirant et quod canonicum fuerit decernant. (Reg. 25, a. III, c. 680, f. 89 ; Potthast 17020.)

« .. *electo et priori Predicatorum Aberdonensibus*. Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Alanus dictus Hostiarius, carissimi in Christo filii nostri .. regis Scotie illustris sororius, quod, cum nobilis

1. *Ms.* : providere.

vir Guillelmus de Marra, Aberdonensis diocesis, comitatum de Marra, ad prefatum Alanum de jure spectantem, detineret in ejusdem A. prejudicium occupatum, ac Morgundus et Duncanus defuncti, quibus dictus Guillelmus in comitatu ipso se succedere asserit, non fuerint de legitimo matrimonio procreati, dictus Alanus quasdam super hoc per quendam procuratorem suum ad venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Brechinensem suumque collegam impetravit litteras apostolicas inter cetera continentes, ut, vocatis qui vocandi essent et inquisita super premissis diligentius veritate, quod invenirent per suas nobis litteras intimarent, prefigendo partibus terminum peremptorium competentem, quo, per se vel per procuratores idoneos ad causam hujusmodi sufficienter instructos, nostro se conspectui presentarent, facture ac recepture, quod ordo exigeret rationis. Sed, cum iidem episcopus et collega in eodem negotio procedentes, processum suum ad examen apostolicum, juxta dictarum litterarum continentiam, remisissent, nos postmodum, causam hujusmodi dilecto filio nostro O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali commisimus terminandam, coram quo, causa ipsa pendente, pars altera coram ipso quasdam litteras sub bulla nostra confectas, predictarum ad dictos episcopum et collegam obtentarum tenorem totaliter continentes, quas idem Guillelmus ad.. abbatem monasterii de Jeddewrd suosque collegas impetrarat, ostendit, per quas predictas litteras ad episcopum et collegam predictos obtentas, si talis foret tenor ipsarum per omnia qualis in secundis litteris insertus fuerat, falsas esse dicimur decrevisse. Verum, partibus super hiis coram eodem cardinali ad invicem diutius litigantibus, tandem dictus cardinalis, auditis et intellectis rationibus et allegationibus, quas partes voluerunt proponere coram eo, cum procurator Alani predicti originale litterarum ipsarum nequiverit ostendere coram ipso, cum illud juramento suo assereret fore in partibus Scoticanis, volens parcere partium laboribus et expensis, relatione de predictis omnibus nobis facta, de nostra licentia et mandato ac etiam de voluntate partium et assensu, litteras utrasque impetratas ex parte ipsius Alani et ex parte etiam Guillelmi comitis memorati, et processus omnes habitos per easdem cassavit et irritavit, cassos etiam et irritos nuntiavit, cassans nichilominus omnem processum, si quis auctoritate litterarum ex parte ipsius comitis impetratarum de cetero coram quocumque judice haberetur, partibus super jure suo in questione hujusmodi litteras impetrandi licentiam concedendo, prout in litteris cardinalis ejusdem plenius continetur. Nos igitur quod per eundem cardinalem super hoc factum est ratum et gratum habentes ac auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, super natalibus dicti Morgundi inquiratis diligentius veritatem, et quod canonicum fuerit, appellatione postposita, decernatis etc. usque : observari, dicto regi comitatus ipsius judicio reservato. Testes autem etc. usque : perhibere ; non obstante indulgentia, qua tibi, fili prior, vel fratribus tui ordinis a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod de causis inviti cognoscere minime teneamini, que vobis a Sede committuntur eadem, et que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum Viterbii, IIII nonas octobris, anno tertio. »

2275 Viterbe, 15 octobre 1257.

Omnibus ecclesiarum praelatis per regnum Franciae constitutis notum facit se omnibus ad perfectionem operis ecclesiae Claromontensis adjutorium tribuentibus certam indulgentiam concessisse ; supradictos monet, ut episcopi et capituli nuntios benigne recipiant et a subditis recipi faciant. (Reg. 25, a. III, c. 681, f. 89.

« *Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Francie constitutis.* Ecclesiarum fabricis —. Dat. Viterbii, idibus octobris, anno tertio. »

2276 Viterbe, 27 octobre 1257.

Capitulo Connerensi mandat, quatenus Guillelmum in episcopum Connerensem praefectum recipiant eique humiliter intendant. (Reg. 25, a. III, c. 682[1], f. 89v.)

« *Capitulo Connerensi.* Cassata electione, quam de .. archidiacono vestro a vobis in ecclesia vestra tunc pastore vacante invenimus minus canonice celebratam, ac demum meritis scientie, honestatis et vite, que venerabili fratri nostro Guillelmo Connerensi episcopo tunc capellano nostro monacho Wintoniensis ecclesie suffragari percepimus, attente pensatis, eum ipsi ecclesie Connerensi, fratrum nostrorum communicato consilio, in episcopum prefecimus et pastorem,

sibi nullum propter hoc in posterum Armachana ecclesia, cujus suffraganeus esse dinoscitur, passura prejudicium, consecrationis beneficium nostris manibus conferentes, firma concepta fiducia, quod cum sit in spiritualibus providus et in temporalibus circumspectus, ecclesia ipsa per diligentie sue studium, auctore Domino, in utrisque gratum consequi debeat incrementum. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, vobis mandantes, quatinus eundem episcopum vestrum, cum ad vos pervenerit, devote ac hilariter admittentes, sibi tanquam patri et pastori animarum vestrarum debitam obedientiam et reverentiam impendatis, et ejus salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, et vos in eo processu temporis patrem invenisse benivolum gaudeatis. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari —. Dat. Viterbii, VI kal. novembris, anno tertio. »

2277 Viterbe, 27 octobre 1257.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Connerensis. (Reg. 25, a. III, c. 682[2], f. 89[v].)

2278 Viterbe, 27 octobre 1257.

In eundem modum populo civitatis et diocesis Connerensis. (Reg. 25, a. III, c. 682[3], f. 89[v].)

2279 Viterbe, 27 octobre 1257.

Guillelmum, tunc Wintoniensis ecclesiae monachum in Connerensem episcopum praeficit. (Reg. 25, a. III, c. 682[4], f. 89[v].)

« *Guillelmo episcopo Connerensi.* Cassata electione —. Dat. ut supra. »

2280 Viterbe, 23 octobre 1257.

Archiepiscopo Compostellano facultatem concedit recipiendi in canonicum ecclesiae Compostellanae Joannem Joannis, minorem portionarium ejusdem ecclesiae, ejusdem archiepiscopi clericum, non obstante quod idem Joannes alias unicum obtinet beneficium. (Reg. 25, a. III, c. 683, f. 89[v].)

« .. *archiepiscopo Compostellano.* Tuam volentes honorare —. Dat. Viterbii, X kal. novembris, anno tertio. »

2281 Viterbe, 8 octobre 1257.

Selacte canonico Aquilegensi confirmat collationem beneficii, quod Symon Norwicensis electus in ecclesia de Witinginur tempore promotionis suae habebat. (Reg. 25, a. III, c. 684, f. 89[v].)

« *Selacte canonico Aquilegensi nepoti dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis.* Cum dilectus filius magister Ubertus de Cochenato subdiaconus et capellanus noster, auctoritate nostra sibi specialiter in hac parte commissa, portionem seu beneficium, quam vel quod dilectus filius magister Symon Norwicensis electus in ecclesia de Witinginur, Dunelmensis diocesis, tempore sue promotionis habebat, cum omnibus juribus et pertinentiis suis tibi contulerit, et dilectum filium Accursum clericum cardinalis predicti, tuo nomine investiverit de eisdem, non obstante quod nondum elapsum erat tempus de consecrandis episcopis a canone diffinitum, aut si aliqui Apostolice Sedis vel legatorum ipsius super provisionibus suis in predicta diocesi specialiter vel in regno Anglie generaliter litteras impetrarunt, quibus quoad assecutionem aliorum beneficiorum nullum prejudicium generetur, decreverit quoque irritum et inane quicquid de predicta portione seu beneficio contra hujusmodi collationem suam contingeret attemptari, prout in litteris inde confectis et ipsius magistri sigillo signatis plenius continetur; nos tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem magistro factum est in hac parte ratum habentes et gratum, ac supplentes defectum, si quis in hiis extitit, de apostolice plenitudine potestatis, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, non obstante quod eidem electo beneficia, que sue promotionis tempore obtinebat, usque ad certum tempus duximus reservanda. Tenorem autem litterarum predictarum ipsius magistri presentibus inseri fecimus, qui talis est :

Viterbe, 7 octobre 1257.

« Ubertus de Cochenato, domini pape subdiaconus « et capellanus discreto viro Selate canonico Aquilegensi, nepoti venerabilis patris domini O. Sancte « Marie in Via Lata diaconi cardinalis, salutem in « Domino. Cum venerabilis pater magister Symon, « Norwicensis electus, ad regimen Norwicensis ecclesie « sit promotus, nos de speciali auctoritate domini « pape nobis oretenus in hac parte commissa, portio-

« nem seu beneficium, quam vel quod idem electus in « ecclesia de Witinginur, Dunelmensis diocesis, tem- « pore sue promotionis habebat, tibi cum omnibus « juribus, et pertinentiis suis conferimus et Accur- « sum clericum domini cardinalis prescripti de illis, « tuo nomine, presentialiter investimus, non obstante « quod nondum elapsum est tempus de consegrandis « episcopis a canone diffinitum, seu quod alias benefi- « ciatus existis, aut si aliqui Apostolice Sedis vel lega- « torum ipsius super provisionibus suis in predicta « diocesi specialiter vel in regno Anglie generaliter « litteras impetrarunt, quibusquoad assecutionem alio- « rum beneficiorum nullum prejudicium generetur. « Decernimus quoque auctoritate predicta irritum et « inane quicquid de predicta portione seu beneficio « contra hujusmodi collationem nostram contigerit « attemptari. In cujus rei testimonium presentes « litteras fieri fecimus et sigillo nostro muniri. Datum « Viterbii, IIII nonas octobris, pontificatus domini « Alexandri pape IIII, anno tertio »

« Nulli etc. nostre suppletionis et confirmationis etc. Datum Viterbii, VIII idus octobris, anno tertio. »

2282 Viterbe, 27 octobre 1257.

Henrico regi Angliae mandat, quatenus Guillelmum in episcopum Connerensem praefectum, protegat et defendat. (Reg. 25, a. III, c. 685, f. 90.)

« .. *illustri regi Anglie*. Divine gratia majestatis —. Dat. Viterbii, VI kal. novembris, anno tertio. »

2283 Viterbe, 25 octobre 1257.

Roberto dicto Foliot indulget, ut cum praebendae Saresbiriensis ecclesiae septem et dimidiae, et de Wynterbor Abbatis ac de Bradeford Peverel ecclesiarum, quarum rector existit, duodecim marcarum argenti proventus vix excedant, predictas ecclesias licite retinere ac earumdem ecclesiarum altera dimissa, unicum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 686, f. 90.)

« *Roberto dicto Foliot, canonico Saresbiriensi*. Licet ne quis —. Dat. Viterbii, VIII kal. novembris, anno tertio. »

2284 Viterbe, 25 octobre 1257.

Willelmo de Salvigniaco clerico collationem cujusdam praebendae ecclesiae de Sancergio, Bituricensis dioecesis, confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 687, f. 90.

« *Willelmo de Salvigniaco clerico*. Cum a nobis petitur etc. usque : effectum. Sane exhibita nobis tua petitio continebat, quod nos venerabili fratri nostro.. Bituricensi archiepiscopo in forma, secundum quam pro pauperibus clericis scribere consuevimus, per nostras litteras mandavimus, ut tibi in sua civitate vel diocesi de beneficio, si quod ad suam collationem spectaret, alioquin ad cujuscumque collationem spectante per se vel alium faceret provideri. Cumque archipresbiter Bituricensis, cui idem archiepiscopus super hoc commiserat vices suas, dilectis filiis.. priori et capitulo secularis ecclesie de Sancergio, Bituricensis diocesis, ad quos, ut dicitur, ipsius ecclesie pertinet collatio prebendarum, per suas litteras mandaverit, ut in eorum ecclesia te reciperent in canonicum et in fratrem, ac prebendam, que ibidem tunc vacabat per mortem P. de Bellojoco ipsius ecclesie canonici, assignarent, prior et major ac sanior pars ipsius capituli, quatuor de canonicis dumtaxat contradicentibus pro eo, quod de Bituricensi diocesi non fueras oriundus, quamvis in ipsa diocesi ab infantia, ut asseris, fueris enutritus et ibidem disposueris perpetuo commorari, te receperunt[1] in canonicum et in fratrem et tibi prebendam assignarunt predictam. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc provide factum est gratum et ratum habentes, id, hujusmodi contradictione predictorum quatuor nequaquam obstante, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli (etc.) nostre confirmationis etc. —. Datum Viterbii, VIII kal. novembris, anno tertio. »

2285 Viterbe, 3 novembre 1257.

Episcopo Pampilonensi mandat, quatenus Theobaldo regi Navarrae, comiti Campaniae ac Briae palatino unctionem impendat et capiti ejus imponat regium diadema; praeterea dicto episcopo ejusque successoribus facultatem concedit ungendi et coronandi dicti regis successores. (Reg. 25, a. III, c. 688, f. 90; Potthast 17054.)

« .. *episcopo Pampilonensi*. Quoniam ad subsistentiam multorum et regimen preesse oportet unum singulare precipuum, quia pluralitas in presentia scissuram induceret, subsistentibus discrimen inferret et solidam gubernaculi disrumperet firmitatem, preminent quidem ob hoc dispositione divina singulis regnis

1. *Ms.* : reciperent.

et mundi provinciis singula regnantium solia et singule principantium potestates, quia dum reges populis imperant et populi regibus reverenter intendunt, dum hii humiliter subsunt et illi benigne presunt, dum congruis illi preunt jussibus et devotis isti animis obsecuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium animorum unitas, misericordia et veritas sibi obviant, ac justitia et pax se ad invicem complectuntur. Ideo namque a summo illo Rege, per quem singuli reges regnant et principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum est ipsius attributa potestas, ut, assumpto ab eis dominandi officio, judicent in equitate populos et dirigant in terris subjectas sibi gentium nationes, quatinus sit voluntas eorum in executione justitie ac meditatio in lege rectitudinis et observantia bone pacis, ad que utique perfectius exercenda, iidem reges unctionis sacre virtute, quam per venerabiles Dei ministros antiquo more suscipiunt, donum gratie recipiunt potioris, ut et in prosecutione justi regiminis fortius convalescant et tam in se quam in eorum subditis, prudentiori et sanctiori spiritu dirigantur. Nam etsi differat principis unctio a pontificis unctione, quia in capite pontifex ungitur, princeps autem in brachio sive humero vel in armo, in quibus principatus congrue designatur, quia etiam illius caput consecratur chrismate, brachium vero istius oleo delinitur, vehemens tamen est et in ipsis regibus hujus efficacia sacramenti, quoniam inuncto[1] Saule insiliit spiritus Domini super eum et in virum alterum est mutatus, et in David, unctione suscepta, spiritus Domini est directus. Ad insinuandum quoque quod in regibus esse debet plenitudo virtutum quodque in eis est integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis honorabile ac venerabile sub circulari forma imponitur diadema. A quo siquidem principe, qui talibus decoratur insigniis et titulis presignitur, tamquam a capite subditis velut membris recte vivendi modus indicitur et modestie regula componitur et dictatur. Sane carissimus in Christo filius noster Theobaldus rex Navarre illustris et comes Campanie ac Brie palatinus devotissimus Ecclesie filius, premissa veluti princeps catholicus diligenter attendens ac sperans per hujusmodi unctionem specialis gratie rore perfundi, nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse per apostolicam providentiam in regem juxta quod fit in aliis coronari cupiat et oleo deliniri, non tam signi quam signati delectatus amore, faceremus eum in regem inungi et regale suo imponi capiti diadema. Nos igitur dicti regis devotionem multimodam attendentes et considerantes, quod progenitoribus suis, qui fuerunt ardentes Catholice fidei amatores non solum derivatione sanguinis sed et puritatis ac bonitatis immitatione succedit, ac volentes ob hoc eum in hiis specialiter honorare, ipsius supplicationibus grato concurrentes assensu fraternitati tue de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatinus, adhibito tecum decenti episcoporum numero, tum propter ejusdem regis honorificentiam, tum propter reverentiam sacramenti, sibi auctoritate nostra hujusmodi unctionem impendas et capiti ejus imponas regium diadema. Nos enim tibi et tuis successoribus ad ejusdem regis instantiam ungendi et coronandi auctoritate apostolica eum suosque successores in devotione Romane Ecclesie persistentes in reges juxta morem, qui servatur in talibus circa reges alios catholicos, et sicut canonica instituta edocent, liberam per presentes litteras concedimus facultatem. Nulli [etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii, III nonas novembris, anno tertio. »

1. *Ms.* : inunctio.

2286 Viterbe, 19 juillet 1257.

Magistro Stephano de Sandwyco indulget, ut praeter archidiaconatum Essexiae et alia beneficia, quae in regno Angliae obtinet, et quorum proventus quatuor marcarum summam vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 689, f. 90v.)

« *Magistro Stephano de Sandwyco, archidiacono Essexie, Londoniensis diocesis*. Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, XIIII kal. augusti, anno tertio. »

2287 Viterbe, 5 novembre 1257.

Gilberto dispensando concedit, ut praeter ecclesiam de Estwille, cujus proventus quatuor marcarum summam non excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 690, f. 90v.)

« *Gilberto rectori ecclesie de Estwille, Lincolniensis diocesis*. Licet ne quis —. Dat. Viterbii, nonis novembris, anno tertio. »

2288 Viterbe, 30 octobre 1257.

Magistro Heliae Dureti decano Lemovicensi, intuitu A[imerici] Lemovicensis episcopi, indulget, ut praeter decanatum

ejusdem ecclesiae, aliud beneficium curam animarum habens recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 691, f. 90v.)

« *Magistro Helye Dureti decano Lemovicensi*. Vite laudabilis et scientie —. Dat. Viterbii, III kal. novembris, anno tertio. »

2289 Viterbe, 31 octobre 1257.

Magistro Petro dicto Merle indulget, ut duo ecclesiastica beneficia curam animarum habentia licite recipere et libere retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 692, f. 91.)

« *Magistro Petro dicto Merle clerico Lemovicensis diocesis*. Vite laudabilis —. Dat. Viterbii, II kal. novembris, anno tertio. »

2290 Viterbe, 30 octobre 1257.

Magistro Thomae de S. Amando indulget, ut praeter ecclesiam de Riperiis, cujus rector existit, unicum aliud ecclesiasticum beneficium retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 693, f. 91.)

« *Magistro Thome de Sancto Amando rectori ecclesie de Riperiis, Engolismensis diocesis*. Vite laudabilis —. Dat. Viterbii, III kal. novembris, anno tertio. »

2291 Viterbe, 28 octobre 1257.

Episcopo et capitulo Calagurritanis et Calciatenis mandat, quatenus Joannem Sancii diaconum chori dictae ecclesiae, qui beneficium obtinet, quod decem Marabuttinorum annis singulis valentiam non excedit, in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 694, f. 91.)

« .. *episcopo et capitulo Calagurritanis et Calciatenis*. Dilectus filius Johannes —. Dat. Viterbii, V kal. novembris, anno tertio. »

2292 Viterbe, 1er novembre 1257.

Ministro provinciali et fratribus de ordine Minorum in Anglia supplicantibus, quidquid contra litteras seu privilegia eis super recipiendo et obtinendo loco in villa S. Edmundi regis et martyris, quae Beri vulgariter appellatur, Norwicensis dioecesis, a Sede Apostolica concesso, per alias litteras attentatum est, ex nunc decernit irritum et inane. (Reg. 25, a. III, c. 695, f. 91; Potthast 17050.)

« .. *ministro provinciali et fratribus de ordine fratrum Minorum in Anglia*. Vestre meritis religionis inducimur, ut vos favore benivolo prosequamur, et in hiis, que digne deposcitis, habeamus providentie studium efficacis. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus annuentes, quicquid contra litteras, privilegia seu indulgentias vobis super recipiendo et obtinendo loco in villa Sancti Eadmundi regis et martiris, que Beri vulgariter appellatur, Norwicensis diocesis, a nobis concesso, per quascumque alias litteras vel indulgentias seu privilegia non facientia de premissis mentionem expressam attemptatum est, vel contigerit attemptari, ex nunc auctoritate presentium decernimus irritum et inane; eadem auctoritate nichilominus statuentes, ut hujusmodi littere vel indulgentie, seu privilegia a Sede Apostolica impetrata vel impetranda, nullis personis religiosis vel secularibus communiter seu divisim contra vos et concessionem prefati loci ac decretum et statutum nostrum aliquatenus suffragentur. Nulli (etc.) nostre constitutionis etc. Datum Viterbii, kalendis novembris, anno tertio. »

2293 Viterbe, 10 octobre 1257.

Abbati monasterii Cellaenovae mandat, quatenus Martino Petri clerico, procuratori dicti monasterii in Romana curia, de beneficio providere curet. (Reg. 25, a. III, c. 696, f. 91.)

« .. *abbati monasterii Cellenove, ordinis S. Benedicti, Auriensis diocesis*. Etsi ad provisionem —. Dat. Viterbii, VI idus octobris, anno tertio. »

2294 Viterbe, 3 novembre 1257.

Priori de Vulturio mandat, quatenus a Guidone Longo nepote Coelestini IV, canonico ecclesiae de Abiate Guazano, Mediolanensis dioecesis, libera loci et praebendae, quos in ecclesia ipsa obtinet, resignatione recepta, eos auctoritate apostolica Guidoni de Castellione clerico ejusdem dioecesis, dicti Coelestini quondam papae nepoti, conferat et assignet eumque faciat in canonicum recipi. (Reg. 25, a. III, c. 697, f. 91v.)

« .. *priori de Vulturio, Mediolanensis diocesis*. Cum sicut dilectus filius Guido de Castellione —. Dat. Viterbii, III nonas novembris, anno tertio. »

2295 Viterbe, 6 novembre 1257.

Episcopo Pampilonensi mandat, quatenus illos, quibus rex Navarrae per juramenta a se praestita obligatus esse dicitur,

moneat, ut juramenta ista sine difficultate relaxent. (Reg. 25, a. III, c. 698, f. 91v; Rodenberg, t. III, nº 468.)

« .. *episcopo Pampilonensi*. Ex parte carissimi in Christo filii nostri.. regis Navarre illustris fuit propositum coram nobis, quod cum post obitum clare memorie T. regis Navarre patris ejus, nonnulli regni sui nobiles regi eidem in annis puerilibus constituto, super assecutione jurium dicti regni non sine infidelitatis nota se opponere presumpsissent, idem rex pro redemptione juris regii ad prestandum talibus certa stipendia et quedam alia facienda eisdem, ad que[1] prius non nisi voluntarius tenebatur, in detrimentum ejusdem regni, juramenti vinculo se astrinxit. Processu vero temporis ipsius regni nobiles, matre sua et universis consiliariis, quos de partibus Campanie secum duxerat, tam ab ipso rege quam regno eodem exclusis, eum, qui tunc vix exegerat quartum decimum annum etatis sue, quasdam confederationes illicitas cum carissimo in Christo filio nostro.. rege Aragonum illustri, habente tunc questionem contra carissimum in Christo filium nostrum.. illustrem regem Castelle, inire non sine prefati regni dispendio ipsasque proprio juramento firmare quibusdam circumventionibus[2] procurarunt. Cum autem rex ipse postmodum subtrahendo dictis nobilibus prefata stipendia, sicut ante juramentum hujusmodi licebat eidem, et componendo cum predicto rege Castelle ac per hoc a confederatione ipsius regis Aragonum recedendo, prout status regni sui merito requirebat, religionem juramentorum ipsorum violasse dicatur, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc salubriter curaremus. Nos igitur, ejusdem regis Navarre honori et fame consulere cupientes, mandamus, quatinus illos, quibus idem rex ratione juramentorum hujusmodi creditur obligatus, quod juramenta ipsa sine qualibet difficultate relaxent ex parte nostra moneas attentius et inducas. Alioquin tu eadem juramenta relaxans ipsum ad eorum observantiam denunties non teneri, sibi super violatione ipsorum juramentorum salutarem penitentiam injungendo. Datum Viterbii, VIII idus novembris, anno tertio. »

2296 Viterbe, 10 août 1257.

Confirmat sententiam ab O[ctaviano] S. Mariae in Via Lata diacono cardinali latam in causa, quae inter R. decanum ecclesiae Civitatensis et Andream Cauxonum plebanum ecclesiae S. Hermacori de Venetiis, super quadam ecclesiae Paduanae praebenda, vertebatur. Reg. 25, a. III, c. 699, f. 91v.

« *R. decano ecclesie Civitatensis, Aquilegensis diocesis, capellano dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis*. Ea, que judicio vel concordia terminantur etc. usque : communiri. Lecta siquidem coram nobis tua petitio continebat, quod cum causa, que dudum vertebatur inter te et Andream Cauxonum plebanum ecclesie Sancti Hermacori de Venetiis, super quadam prebenda ecclesie Paduane, ad Apostolicam Sedem delata fuisset, tandem cum in ea coram dilecto filio magistro Jacobo Falconario capellano nostro partibus a nobis auditore concesso fuerit hinc inde diutius litigatum, tu ac Blancus plebanus de Laurelia, Tervisine diocesis, procurator ejusdem Andree habens ab ipso ad componendum et compromittendum in arbitros et specialiter in dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem speciale mandatum, in eundem cardinalem tamquam in arbitrum et compositorem amicabilem super hoc juramento et certa pena interpositis concorditer compromittere curavistis, qui hujusmodi compromisso recepto et concessa sibi a nobis viva voce auctoritate, ac plena licentia providendi, ordinandi et sententiandi super hoc inter partes, prout melius expedire videret, in causa ipsa providendo arbitratus extitit, arbitrando decrevit et ordinando pronuntiare curavit, prout in publico instrumento inde confecto et ipsius cardinalis sigilli appensione munito plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Viterbe, 6 août 1257.

« In Dei nomine. Amen. Olim inter R. decanum Ci-
« vitatensem et Andream Cauxonum plebanum
« ecclesie Sancti Hermacori de Venetiis super pre-
« benda ecclesie Paduane, quam magister Ugutio quon-
« dam canonicus Paduanus ibidem obtinuit, questione
« suborta et ad curiam ipsam delata, tandem cum
« coram magistro Jacobo Falconario domini pape ca-
« pellano partibus auditore concesso super ea fuis-
« set diutius litigatum, prefatus decanus pro se ac

1. *Ms.* : atque.
2. *Ms.* : circumvenitionibus.

« Blancus plebanus de Laurelia, Tervisine diocesis, « procurator predicti Andree, a quo ad compositio- « nem faciendam [1] et eligendos arbitros et ad compro- « mittendum in eos et specialiter in nos Octavianum « Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem spe- « ciale habebat mandatum, compromiserunt in nos « O. cardinalem predictum tanquam in arbitrum et « amicabilem compositorem super questione pre- « dicta sub certa pena et interpositione prestiti « juramenti comprehensis in eodem compromisso et « super hiis omnibus et singulis prefatus decanus « se ipsum et memoratus Blancus procuratorio no- « mine ipsius Andree voluntati et ordinationi nostris se « totaliter submiserunt, prout commissum erat eidem « procuratori ab eodem A. per publicum instrumen- « tum inde confectum per Walfredinum de Natalis, « Tervisinum notarium. Nos igitur, hujusmodi com- « promisso et submissione receptis ac data nobis a « domino papa viva voce auctoritate ac plena licen- « tia providendi, ordinandi et sententiandi inter ipsos « sicut eis viderenus et questioni utilius expedire, « sic super ea providendo arbitramur, arbitrando or- « dinamus et ordinando pronuntiamus, videlicet quod « predictam prebendam idem Andreas de cetero « habeat cum juribus et pertinentiis suis libere ac « quiete sine ipsius contradictione decani et eam « ad ipsum dicimus et decernimus pertinere, memo- « rato decano imponentes perpetuum silentium super « ea, ac mandantes eidem, ut occasione ipsius vel « super ea ipsum de cetero non molestet; ita tamen « quod fructus, redditus et proventus sive obventiones « ejusdem prebende tam presentis temporis quam « futuri, qui ex ea a kalendis preteriti mensis maii « provenerunt vel sunt in posterum proventuri, divi- « dantur communiter, et communicentur pariter inter « eos, ut ipse Andreas medietatem eorum tantum et « prenominatus decanus aliam medietatem ipsorum « sine diminutione et impedimento aliquo habeat et « percipiat et in hujusmodi eorum perceptione per- « sistat tandiu donec aliam integram prebendam in « ecclesia Paduana fuerit assecutus et extiterit in « eisdem possessione ac fructuum ipsius prebende « perceptione pacifice et quiete. Cum vero pre- « dictus decanus integram fuerit assecutus preben- « dam et pacifice ipsam possederit ac fructus « integre perceperit ex eadem, ex tunc illa medietas « fructuum, quam dictus percipiebat decanus, « eidem Andree libere remaneat et quiete. Onera « vero ipsius prebende que residentem subire oportet, « idem Andreas subeat et ferat prout fuerit oportu- « num. Ne autem predictus decanus diutius sub « expectatione future prebende, permaneat, de auc- « toritate ac licentia nobis a domino papa data et de « speciali mandato ipsius eidem decano prebendam, « si qua vacat in ecclesia Paduana, adjudicamus et « eam sibi conferimus ac ad ipsum eandem dicimus « pertinere. Quod si nulla ibidem vacat, prebendam « proximo vacaturam ipsi decano conferendam et « assignandam donationi apostolice reservamus, inhi- « bentes, ne super hujusmodi prebenda a quoquam « vel quibuscumque aliquid in ipsius decani prejudi- « cium attemptetur, ac decernentes irritum et inane, « si quid, contra inhibitionem et reservationem hujus- « modi vel collationem factam sive faciendam a no- « bis, a quoquam, quovis modo et quavis auctoritate « contigerit attemptari; non obstante quod si aliqui « apostolica vel legatorum Apostolice Sedis aut « quacumque alia auctoritate in predicta ecclesia « sunt recepti vel ut recipiantur insistant, quibus « omnibus eundem decanum de speciali gratia do- « mini pape in assecutione hujusmodi prebende volu- « mus anteferri, sive quod Albertinus archidiaconus « Paduanus, Guillelmus et Percivallus et quidam alii, « qui in canonicos asseruntur recepti, duas preben- « das ex ordinatione.. archipresbiteri et capituli dicte « ecclesie in ipsa ecclesia obtinere et fructus earum « inter se dividere ac duas alias prebendas expec- « tare dicantur, sive contrariis consuetudinibus ipsius « ecclesie vel statutis, juramento vel alia firmitate « vallatis, aut indulgentia qualibet eidem capitulo vel « aliis quibuscumque ab Apostolica Sede concessa, per « que predicta vel aliquod predictorum impediri « valeat vel differri, seu quod idem decanus decana- « tum ecclesie Civitatensis et canonicatum ecclesie « Castellane obtineat, vel alias beneficiatus existat. « Demum si eundem decanum pro assequenda hujus- « modi futura prebenda et fructibus percipiendis ex « ea vel dictum Andream pro ea defendenda, si « impetiretur ab aliquo vel aliquibus super ipsa, in « judicio vel extra judicium sumptus facere oportue- « rit, de fructibus dicte prebende magistri Ugutio- « nis communiter fiant. Hec autem omnia et singula « per penam in compromisso appositam et vinculum

1. *Ms.* : faciendum.

« prestiti juramenti precipimus et decernimus debere « ab eisdem decano et Andrea inviolabiliter et sine « difficultate aliqua observari, et eos si contravenerint ex nunc in scriptis, excommunicationis sententia innodamus. In cujus rei testimonium premissa « omnia publicari mandavimus per notarium infrascriptum et sigilli nostri fecimus munimine roborari. « Actum Viterbii, in camera nostra, presentibus « magistris Uberto de Cochenato, Guidone de Sancto « Cassiano, et Frennando decano Bracarensi domini pape capellanis et sociis nostris, magistro « Rodulfo de Podiobonizo notario nostro, Johanne de « Abbate canonico Aquilegensi, Bono clerico Sancti « Nicolai Paduano et aliis testibus ad hoc vocatis, sub « anno Domini M.CC.LVII, pontificatus domini « Alexandri pape IIII anno tertio, VI die intrante « augusto, XV indictionis. Ego Johannes de Campulo « Apostolice Sedis auctoritate notarius predictis « omnibus interfui et ea de mandato dicti domini cardinalis in publicam formam redegi ».

« Nulli nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, III idus augusti, anno tertio. »

2297 Viterbe, 12 novembre 1257.

Priori et conventui de Allevilla confirmat concessionem a nobili viro Gaufrido de Ranconio factam totius dominii et juris, quod in hominibus dicti monasterii dicebat se habere. Reg. 25, a. III, c. 700, f. 92.

« ..*priori et conventui de Allevilla, ordinis Sancti Augustini, Engolismensis diocesis*. Cum a nobis petitur etc. usque ad: effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod nobilis vir Gaufridus de Ranconio Taleburgensis dominus et Marceliacensis cum assensu matris et fratrum suorum, post multiplices exactiones et injurias per eum et prepositos suos vobis et ecclesie ac hominibus vestris illatas, totum dominium et jus, quod dicebat se habere in hominibus ipsis, vobis concessit habendum perpetuo libere et quiete, prout in litteris inde confectis ejusdem nobilis sigillo signatis plenius continetur. Nos igitur, vestris devotis precibus inclinati, quod ab eodem nobili super hoc provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« Quoniam que voluntaria dispositione finita sunt, « duraturis litterarum apicibus expedit commendari, « ego Gaufridus de Ranconio Taleburgensis dominus « et Marciliacensis cum assensu et voluntate matris et « fratrum nostrorum ad notitiam omnium volumus « pervenire, quod post plurimas exactiones et enormitates per nos et prepositos nostros.. priori et « fratribus ecclesie de Allevilla violenter illatas, « amore Dei et interventu domine Letitie matris « nostre et bonorum virorum ibidem assistentium ad « hanc reconciliationem pacis per Dei misericordiam « taliter devenimus. Volentes igitur omnem libertatem.. priori et fratribus ejusdem ecclesie et hominibus suis perpetuo servare, auferentes omnem « pravam et antiquam consuetudinem, universum hominum suorum dominium predicte ecclesie et fratribus, omni occasione et simulatione penitus remota, libere et quiete habendum concedimus, et « super hominibus suis omnem potestatem nominate « ecclesie et fratribus, sine aliqua requisitione de cetero relinquimus in pace habendam, hoc tamen retento, quod si homo prioris injuriosus apparuerit, « justitia per manum prioris tractabitur et clamor domini vel nuntii ejus primo dirigetur ad priorem, et « tractabitur justitia coram priore, evidentibus testibus et presentibus et approbatis et in curia loquentibus. Actum est hoc apud Nyortum in domo Stephani de Verrua, presente Helia priore Sancte « Marie de Allevilla et Petro de Rofiet sacerdote et « canonico, Petro Gaufrido milite, Aymerico de Ebrehone clerico domini G. de Ranconio et Gaufrido de « Roches, Guillelmo Aleardo et pluribus aliis, tam « mulieribus quam viris, accepto tamen dono prius « beneficii domus prenominate ab ipso priore pro me « et fratribus meis pariterque patre mortuo et matre « mea per Dei gratiam adhuc viva et salva, tam in « missis quam in matutinis, vigiliis et orationibus et « helemosinis et omnibus bonis. Anno ab Incarnatione « Domini existente M.CC.XII. Ut autem cartula hec « in perpetuum robur obtineat firmitatis, sigilli nostri « munimine fecimus communiri. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, II nonas novembris, anno tertio. »

2298 Viterbe, 30 octobre 1257.

Aegidio Guillelmi, intuitu [Aegidii] Sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis, cujus idem Aegidius nepos esse

dicitur, indulget, ut ecclesiam S. Frontini Zamorensem ac praebendas, quas in Palentina et Zamorensi ecclesiis canonice obtinet, licite retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 701, f. 92v.)

« *Egidio Guillelmi rectori ecclesie Sancti Frontoni Zamorensis.* Volentes propter probitatis —. Dat. Viterbii, III kal. novembris, anno tertio. »

2299 Viterbe, 23 octobre 1257.

Confirmat incorporationem ordinis, qui Pauperum Catholicorum hactenus dicebatur, ordini Heremitarum S. Augustini. (Reg. 25, a. III, c. 702, f. 92v.)

« .. *generali et ceteris prioribus et fratribus Heremitarum ordinis Sancti Augustini.* Justis petentium etc. usque : complere. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod dilectus filius.. prior provincialis et fratres in Lombardia constituti, qui de ordine Pauperum Catholicorum hactenus dicebantur, de mandato dilecti filii nostri R. Sancti Angeli diaconi cardinalis, qui auctoritate nostra omnes Heremitas cujuscunque ordinis uniens, eos decrevit sub unius professionis voto et uno capite perpetuo virtutum Domino deservire, se ac fratres domorum subjectarum eisdem ordini vestro incorporare curarunt, tibi fili prior generalis exhibere obedientiam et [reve]rentiam promittentes, prout in instrumento publico confecto exinde plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem priore et fratribus provide factum est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem instrumenti prefati de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

27 juillet 1256.

« In nomine Domini, anno a Nativitate ejus M.CC.LVI, « die mercurii, sexto die ante kalendas augusti, in- « dictione quartadecima, coram infradictis testibus « ad hoc rogatis, ego frater Nicolaus provincialis « meo nomine et omnium fratrum totius provincie et « locorum de ordine Pauperum Catholicorum, in qui- « bus commorantur, volens obedire sancte matri « Ecclesie Romane et venerabili patri domino Riccardo « Sancti Angeli diacono cardinali, cui a domino papa « concessa est plenitudo potestatis ad infradictam « unionem faciendam, do et offero me et universum « collegium supradictum et domos omnes in Lombar- « dia, que sunt sub protectione mea, cum omnibus « rebus ad ipsas domos pertinentibus, vobis fratri « Jacobo procuratori totius ordinis Heremitarum, no- « mine et vice fratris Lanfranchi prioris generalis « ordinis Heremitarum Sancti Augustini, volens con- « corporare me et universos fratres jamdicti ordinis « ordini fratrum Heremitarum et unire jamdictum « ordinem eidem vestro, et promitto obedientiam et « reverentiam nomine meo et omnium fratrum qui « sunt sub protectione mea tibi fratri Jacobo, nomine « et vice predicti fratris Lanfranchi, presentibus om- « nibus fratribus meis in civitate Mediolanensi com- « morantibus et consentientibus fratre Nicolao et « fratre Ambrosio Giappa et fratre Zoanino et fratre « Alberto de Cumis et fratre Belloto et fratre Pedreto « porta Romana et fratre Alberico et fratre Albertino « de Cremona et fratre Gaspparro et fratre Zanebellino. « Actum in oratorio istorum fratrum sito in porta Ho- « rientali extra supra murum fossati communis Me- « diolanensis et pro notariis fuerunt Arnoldus de « Gairoldis de Gerenzano et Ottinus de Vogenzate « porte Cumane ; interfuerunt ibi testes Guazo filius « quondam Negronis de Casate et Amizo filius quon- « dam Gazciaguerre Colderarii, et Raulle filius[1] Alberti « Umpilli et Guillelmus filius quondam Octonis Ros- « telli de Sollario et alii plures omnes porte Cumane. « Ego Castellus notarius filius quondam Ottobelli « Nazarii de Corcomano de Burgo porte Cumane « civitatis Mediolanensis tradidi et scripsi. Ego Tadeus « notarius filius Zanebelli de Lomacio porte Cumane « civitatis Mediolanensis jussu suprascripti Castelli de « Corcomano notarius scripsi. »

« Nulli [etc.]nostre confirmationis. Datum Viterbii, X kalendas novembris, anno tertio. »

2300 Anagni, 23 juillet 1256.

Magistro Laurentio, canonico Lexoviensi indulget, ut praeter [beneficia, quae obtinet, curam animarum habentia, unum aliud beneficium, etiam similem curam habens, licite recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 703, f. 93.)

« *Magistro Laurentio canonico Lexoviensi nepoti quondam Johannis Judicis de Clausura subdiacono nostro.* Cupientes proni ad gratiam —. Dat. Anagnie, X kal. augusti, anno secundo. »

1. *Ms.* : filio.

2301 Viterbe, 9 novembre 1257.

Confirmat sententiam a R[iccardo] S. Angeli diacono cardinali latam in causa, quae inter magistrum Rogerum rectorem ecclesiae de Rernolba et Joannem de Anagnia, super ecclesia de Roby vertebatur. Infrascriptis mandat, quatenus dictam sententiam exequi faciant. (Reg. 25, a. III, c. 704, f. 93.)

« .. *episcopo Lincolniensi et magistro Roberto de Sancta Agatha archidiacono Dunelmensi.* Hiis, que nostri auctoritate mandati provide fieri dinoscuntur, propitios condecet et favorabiles nos haberi. Olim igitur orta inter dilectos filios magistrum Rogerum rectorem ecclesie de Rernolba, canonicum Lincolniensem, et Johannem de Anagnia capellanum nostrum, super ecclesia de Roby, Lincolniensis diocesis, materia questionis, ac questione hujusmodi ad examen Apostolice Sedis remissa, datoque a nobis in ipso magistro Dalfinate capellano nostro partibus auditore, fuit tandem a prefato capellano et procuratore ipsius magistri habente ab eo de compromittendo super hujusmodi questione speciale mandatum, in dilectum filium nostrum R. Sancti Angeli diaconum cardinalem tamquam in judicem, arbitrum et compositorem amicabilem compromissum. Unde cardinalis predictus, cognitis ipsius cause meritis et juris ordine observato, de speciali mandato nostro prefatam ecclesiam cappellano tamquam sibi de jure debitam adjudicavit eidem, ac prefatum magistrum a restitutione perceptorum ex ea proventuum absolvens, de nostro beneplacito ordinavit, ut eidem magistro, cujus expensis et laboribus fuimus more paterno compassi, debeat de equivalenti beneficio in regno Anglie provideri. Nos autem quod per eundem cardinalem super hoc factum est ratum habentes et gratum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus sepedicto magistro in eodem regno juxta ordinationem predictam studeatis de hujusmodi beneficio ad cujuscumque collationem spectante per vos vel per alios, si quod inibi vacat ad presens, vel quamprimum ad id se facultas obtulerit providere. Contradictores etc.; non obstante aliqua Apostolice Sedis indulgentia cuicumque collegio vel personis concessa, quod excommunicari, suspendi vel interdici aut ad receptionem vel provisionem alicujus compelli non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, sive quavis alia dicte Sedis indulgentia cujuscumque tenoris existat, per quam effectus nostre gratie impediri valeat vel differri, aut si pro aliis in predicto regno direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, vel quod idem magister alias beneficiatus existit. Datum Viterbii, V idus novembris, anno tertio. »

2302 Viterbe, 11 novembre 1257.

Archipresbytero et capitulo basilicae Principis Apostolorum de Urbe, possessiones, bona ac jura ecclesiae S. Mariae Tiburtinae olim fratribus ordinis Minorum concessa addicit. (Reg. 25, a. III, c. 705[1], f. 93; Potthast 17066.)

« .. *archipresbitero et capitulo basilice Principis Apostolorum de Urbe.* Ille specialis affectus illaque caritas singularis, quibus basilicam Principis Apostolorum de Urbe, ob ipsius Principis reverentiam, cujus fidei firmitatem Christus fundamentum Ecclesie stabilivit, cujus vigili cure suas oves sub trina pascendi eas jussione commisit, cujusque eximie providentie claves regni celorum tradidit, ut per eum ipsius regni clauderetur janua et pateret, indesinenter prosequimur, propensiori nos cura sollicitant, ut de vobis, tamquam de precipuis filiis, specialiter cogitantes, apostolice sinum gratie manu vobis munifica explicemus. Decet namque, ut vos, qui predicte basilice, quin immo illius Principis estis deputati obsequiis, super quem ecclesiastica structura edificii firma manet, et per quem totus grex dominicus salubribus reficitur pascuis, et in viam vite dirigitur, per quem etiam in eterni regis palatium introitur, et precipuis attollamus favoribus, et condignis gratiarum titulis exaltemus, quatinus eo ferventius et devotius hujusmodi obsequiis insistatis, quo amplius et liberalius per apostolicam providentiam vos senseritis honorari. Cum igitur ecclesiam Sancte Marie Tiburtine olim fratribus ordinis Minorum duxerimus concedendam, nos attendentes quod ejusdem ecclesie possessiones eisdem fratribus habere non licet, ac vobis de illis gratificari volentes, vestris supplicationibus inclinati, possessiones hujusmodi, videlicet domos, vineas, terras cultas et incultas, molendina, casalina, oliveta, ortos, canapinas ac cetera bona et jura predicte ecclesie, cum omnibus fructibus, redditibus, pensionibus et proventibus eorumdem, vobis et per vos memorate basilice, de gratia conferimus speciali, communis mense vestre usibus perpetuis temporibus applicanda; ita quod nullo umquam tempore vobis vel suc-

cessoribus vestris premissa omnia vel ipsorum aliqua vendere vel donare, seu pignori obligare, aut quomodolibet alienare; seu in alios usus convertere liceat, et si secus presumpseritis, eo ipso a predictorum jure cadatis. Volumus autem, ut dilectis filiis.. abbati et fratribus Angelo et Blasio quondam monachis ejusdem ecclesie, quamdiu vixerint, de predictis redditibus, fructibus et proventibus vite necessaria ministretis, ac teneamini ministrare, quibus cedentibus vel decedentibus, iidem fructus, redditus et proventus integre revertantur ad mensam predictam et in ejusdem mense usus totaliter convertantur. Nulli [etc. nostre collationis etc. Datum Viterbii, III idus novembris, anno tertio. ».

2303 Viterbe, 11 novembre 1257.

Philippo canonico ecclesiae S. Mariae Majoris de Urbe mandat, ut in possessionem bonorum ecclesiae S. Mariae Tiburtinae capitulum basilicae Principis Apostolorum inducat et tueatur inductum. (Reg. 25, a. III, c. 705[2], f. 93v; Potthast 17067.)

« .. *Philippo canonico ecclesie Sancte Marie Majoris de Urbe.* Ille specialis affectus. — Dat. ut supra. »

2304 Viterbe, 20 octobre 1257.

Conventui monasterii S. Crucis Colimbriensis mandat, quatenus Martino Petri dicti monasterii priori intendat et obediat, non obstantibus nonnullis litteris a Sede Apostolica fraudulenter obtentis. (Reg. 25, a. III, c. 706[1], f. 93v.)

« *Conventui monasterii Sancte Crucis Colimbrensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini.* Cum dilectus filius Martinus Petri prior vester olim a nobis per nuntium ejus et litteras cedendi licentiam postulasset, nos intellecto quod idem compellebatur ad hoc per potentiam laicalem, eam sibi penitus denegantes, prout in quibusdam nostris litteris dilecto filio.. cantori Salamantino directis plenius continetur, vobis per alias litteras nostras injunximus, ut eidem priori nichilominus deberetis obedientiam et reverentiam exhibere, dicto cantore sibi super hoc executore concesso. Quasdam vero alias litteras.. abbati de Alcobatia, Cisterciensis ordinis, Ulixbonensis diocesis, ad petitionem ipsius prioris, ut prima facie videbatur, direxisse dicimur inter cetera continentes, ut cum idem prior paratus esset cedere, sicut in litteris ipsis fingebat impetrator earum, dictus abbas cessionem ipsius reciperet vice nostra si, consideratis circumstantiis universis, videret ipsi monasterio expedire; contradictores etc. Sed idem abbas ad monasterium ipsum accessit et non sequens judicium rationis, dicto priori mandavit, ut commissum sibi monasterium in suis manibus resignaret, et quia prior ipse prudenter attendens, quod id utilitati ejusdem monasterii non expediebat nec sibi, quodque in eo propter malitiam aliquorum amministrationem liberam non habebat, ei obedire noluit sicut nec debuit in hac parte, dictus abbas cepit contra ipsum inquirere, ac postmodum in eundem priorem et omnes obedientes eidem de facto excommunicationis sententiam fulminavit. Cum igitur intentionis nostre non fuerit, ut per tales litteras idem prior compelleretur aliquo modo ad cedendum, dictusque abbas procederet taliter contra ipsum, nos volentes eidem priori et monasterio, utpote nobis immediate subjectis, utiliter providere, memorato cantori nostris damus litteris in mandatis, ut, si constiterit sibi de plano et sine judicii strepitu abbatem ipsum taliter processisse, predictas litteras et processus per eas habitos et quicquid ex eis secutum est vel ob eas auctoritate nostra revocet et decernat[1] processus hujusmodi non tenere, faciens eidem priori a vobis, quos ad id monuisse dicitur, per se vel per alium, premissis nequaquam obstantibus, exhiberi obedientiam et reverentiam debitam et devotam. Contradictores etc. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici per litteras Sedis ejusdem non possint, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem et constitutione de duobus dietis edita in concilio generali. Quocirca universitati vestre mandamus, quatinus, non obstantibus supradictis litteris ad ipsum abbatem directis et processibus habitis per easdem, dicto priori juxta formam hujusmodi mandati apostolici obedire ac intendere tamquam membra capiti procuretis, ita quod ad id per supradictum cantorem, prout in mandatis habet a nobis, non sit necessarium vos compelli. Datum Viterbii, XIII kalendas novembris, anno tertio. »

2305 Viterbe, 11 novembre 1257.

Cantori Salamantinae ecclesiae mandat, quatenus supradictum mandatum exequi faciat. (Reg. 25, a. III, c. 706[2], f. 93v.)

1. *Ms* : decernas

« .. *cantori Salamantine ecclesie*. Cum dilectus filius Martinus Petri —. Dat. ut supra. »

2306 Viterbe, 11 novembre 1257.

Guillelmo abbati monasterii Aquicinctensis concedit facultatem utendi tunica, dalmatica, chirotecis et sandaliis in missarum sollempniis et sollempnem benedictionem in monasterio suo dandi. (Reg. 25, a. III, c. 707, f. 93v.

« *Guillelmo abbati monasterii Aquaintensis, ordinis Sancti Benedicti, Attrebatensis diocesis*. Ad ecclesiastici decoris augmentum repperta sunt insignia dignitatum, que Sedes Apostolica congrua in singulos humilitate distribuit et devotis filiis, prout dignum judicat, obtinenda concedit. Cum itaque, sicut accepimus, usus mitre ac anuli tibi ac successoribus tuis ab eadem Sede de speciali gratia sit concessus, necnon et benedicendi altaris et sacerdotis ornamenta et conferendi monachis tuis minores ordines etiam concessa facultas, ut ipsi Sedi devotione sedula te gratum reddidisse gaudeas et habere plene sinceritatis studium circa eam, tibi tuisque successoribus sit votivum utendi in missarum sollempniis tunica, dalmatica, cirothecis et sandaliis necnon et dandi benedictionem sollempnem in monasterio tuo duntaxat et in hujusmodi sollempniis ac matutinalibus et vespertinis officiis, dummodo diocesanus episcopus presens tunc temporis in ipso monasterio non existat, tibi et eisdem successoribus liberam concedimus facultatem. Nulli etc. nostre concessionis, etc. Datum Viterbii, III idus novembris, anno tertio. »

2307 Viterbe, 4 novembre 1257.

Regi Portugaliae mandat, quatenus Martinum Petri, monasterii S. Crucis Colimbriensis priorem protegat. Reg. 25, a. III, c. 708, f. 93v.

« .. *illustri regi Portugalie* Ad aures nostras pervenit, quod.. abbas Alcobatie, Cisterciensis ordinis, Ulixbonensis diocesis, contra dilectum filium M. Petri priorem monasterii Sancte Crucis Colimbriensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini, auctoritate quarumdam litterarum nostrarum satis inordinate processit, cujus occasione conventus ejusdem monasterii dicto priori denegant obedire. Quia vero inordinatum processum hujusmodi plures asserunt tuo favore, quod vix credimus, fuisse presumptum, serenitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus tue defensionis usum obmittens convertere in lesionis abusum, dicto priori benignus assistas, eique adesse debeat justitie tue thronus, sic ab ipsius cessando molestiis et ipsum ab aliis, quantum in te fuerit, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia defensando, quod a te specialiter nullam sentiat lesionem, et nos devotionem tuam ex hoc dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Viterbii, II nonas novembris, anno tertio. »

2308 Viterbe, 4 novembre 1257.

Civitatensi episcopo mandat, quatenus regem Portugaliae moneat et inducat, ut eundem priorem protegat. Reg. 25, a. III, c. 709, f. 94.

« .. *Civitatensi episcopo*. Ad aures nostras pervenit—. Dat. ut supra. »

2309 Viterbe, 7 novembre 1257.

Episcopo Zamorensi mandat, quatenus juxta tenorem priorum litterarum ab ipso ei tunc Zamorensi electo directarum, Garsiam Petri clericum magistri Stephani capellani ejusdem papae, ecclesiae Zamorensis portionarium, in dicta ecclesia recipi faciat in canonicum eique de praebenda provideat. Decano ecclesiae Palentinae dat in mandatis, ut dictum episcopum ad id efficaciter inducat. Reg. 25, a. III, c. 710, f. 94.

« .. *episcopo Zamorensi*. Dilectus filius Garsias Petri —. Dat. Viterbii, VII idus novembris, anno tertio. »

2310 Viterbe, 9 novembre 1257.

Archiepiscopo Compostellano mandat, quatenus revocet quamdam excommunicationis sententiam, in concilium civitatis Compostellanae, contra statuta concilii generalis promulgatam. Reg. 25, a. III, c. 711[1], f. 94.

« .. *archiepiscopo Compostellano*. Significarunt nobis Johannes Petri dictus Serpi justitiarius et concilium civitatis Compostellane, quod tu in eos communiter, nulla competenti monitione premissa, sine causa rationabili, auctoritate propria, excommunicationis sententiam promulgasti, contra statuta concilii generalis. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, sententiam ipsam infra octo dies post susceptionem presentium

sine qualibet difficultate relaxes. Alioquin dilecto filio .. decano Bracarensi nostris damus litteris in mandatis, ut ipse ex tunc ab eis super hiis, pro quibus excommunicati habentur, sufficienti cautione recepta, sententiam juxta formam Ecclesie relaxet eandem et injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, audiat si quid fuerit questionis et appellatione remota, canonico fine decidat et faciat quod decreverit auctoritate nostra firmiter observari, proviso attentius quod si pro manifesta offensa etc. usque : relaxetur. Datum Viterbii, V idus novembris, anno tertio. »

2311 Viterbe, 9 novembre 1257.

Decano Bracarensi mandat, quatenus eandem excommunicationis sententiam relaxet, si apostolica mandata dictus episcopus noluerit exequi. (Reg. 25, a. III, c. 711[2], f. 94.)

« .. *decano Bracarensi*[1]. Illi scribatur ut in alia in modum executorie usque : relaxetur. Testes etc. —. Dat. ut supra. »

2312 Viterbe, 3 novembre 1257.

Priori et fratribus Heremitis Camaldulensibus Heremi, Aretinae dioecesis, indulget, ut hospitalia Pisana eorum jurisdictioni subjecta sint exempta ab unione majoris hospitalis, quod Pisis construitur. (Reg. 25, a. III, c. 712[1], f. 94; Potthast 17055.)

« .. *priori et fratribus Heremitis Camaldulensibus Heremi, Aretine diocesis*. Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum .. potestas et commune Pisani, occasione compositionis nuper inter ipsos et Romanam Ecclesiam inite, quoddam hospitale, quod jam incepisse noscuntur, teneantur Pisis construere de bonis propriis et dotare, venerabilis frater noster .. archiepiscopus tunc electus Pisanus ad instantiam, sicut dicitur, dilecti filii fratris Mansueti, de ordine Minorum, capellani et penitentiarii et tunc in partibus illis nuntii nostri, omnia hospitalia civitatis et diocesis Pisanarum hospitali construendo per ipsos subjecit auctoritate propria, ut dicitur, et univit, et nos postmodum eadem hospitalia hospitali eidem seu magistro ipsius per certum assignari executorem ad hoc deputatum a nobis, litteris nostris dicimur mandavisse. Nolentes ergo loca, que in predictis civitate ac diocesi vos et monasteria vobis subdita obtinetis, jurisdictioni alterius hac occasione submitti, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per unionem et subjectionem hujusmodi aut quamlibet aliam, factam vel de cetero faciendam, nullum vobis, quoad hospitale, quod apud monasterium Sancti Fridiani Pisani, et alia hospitalia, que tam vos quam Sancti Zenonis, Sancti Michaelis de Burgo Civitatis, Sancti Savini et Sancti Stephani de Cintorio, diocesis ejusdem, ac aliorum locorum monasteria vobis subjecta in predictis civitate ac diocesi habere noscimini, ac eorumdem hospitalium pertinentias valeat prejudicium generari, nec talis unio et subjectio ad predicta hospitalia vestra et monasteriorum ipsorum, seu pertinentias eorumdem possit extendi, decernentes nichilominus unionem et subjectionem easdem et quicquid pretextu unionis et subjectionis hujusmodi nostra vel quavis auctoritate attemptatum est, etiamsi jam ipsorum hospitalium hospitali prefato possessio sit collata, vel contigerit attemptari, quantum ad vos et predicta monasteria et hospitalia nullius existere firmitatis; non obstante confirmatione, si qua est super hiis a Sede Apostolica impetrata vel etiam impetranda. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, III nonas novembris, anno tertio. »

2313 Viterbe, 3 novembre 1257.

Archiepiscopo Pisano mandat, quatenus unionem hospitalium monasteriorum Camaldulensium cum hospitali majori Pisis factam revocet. (Reg. 25, a. III, c. 712[2], f. 94; Potthast 17056.)

« .. *archiepiscopo Pisano*. Oblata nobis ex parte —. Dat. ut supra. »

2314 Viterbe, 16 novembre 1257.

Magistrum Laurentium capicerium Lexoviensem innocentem declarat in negotio cujusdam matrimonii dispensationis a quodam falsario concessam. (Reg. 25, a. III, c. 713, f. 94v.)

« *Universis fidelibus Christi presentes litteras inspecturis*. Cum dilectus filius magister Laurentius capicerius Lexoviensis apud Sedem Apostolicam constitutus dispensationis indulgentiam super matrimonio inter Paganum et Agnetem de Novoburgo in prohibito consanguinitatis gradu contracto procurarit fideliter

1. Sans adresse dans le registre original.

impetrare et Venturelle quondam clerico Sancte Marie in Monticellis de Urbe, quia conversationem habere cum quibusdam nostris familiaribus videbatur, commisisset bona fide negotium procurandum, idem V.[1] agens infideliter cum fideli et fraudulenter cum bone fidei possessore, exhibuit demum prefato magistro litteras prima facie apostolicas dispensationem hujusmodi continentes, soluta sibi ab eodem magistro non modica pecunie quantitate, quas cum idem magister comperisset per falsitatis vitium fabricatas, eundem falsarium capi et adduci ad ecclesiastice animadversionis judicium tamquam vir prudens et providus procuravit. Ne igitur super hoc idem magister unde laudari promeruit aliquorum exinde obtrectationibus mordeatur, aut ejus fama laudabilis aliqua ex facto premisso putetur nota vel nube respersa, in quo se prudentis cautele studio exhibuit innocentem, presentes litteras, quibus contra latratus quorumcumque munitus suam in hac parte possit ostendere puritatem sibi duximus concedendas. Datum Viterbii, XVI kalendas decembris, anno tertio. »

1. Le registre porte un V. Mais il s'agit évidemment du clerc nommé *Venturella*.

2315 Viterbe, 20 novembre 1257.

Confirmat electionem Aegidii de Marchimont in abbatem monasterii S. Richarii in Pontivo. (Reg. 25, a. III, c. 714[1], f. 94v.)

« *Fratri Egidio de Marchimont electo monasterii Sancti Richarii in Pontivo ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Ambianensis diocesis.* Inter curas multiplices, que nos angunt, illa propensius perurget, ut viduatis ecclesiis, presertim que ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, tales Deo actore preficiantur ministri, per quos animarum profectui consulatur et ecclesie ipse salubriter gubernentur. Sane dilecti filii .. supprior et conventus monasterii Sancti Richarii in Pontivo ad Romanam Ecclesiam immediate spectantis, ordinis Sancti Benedicti, Ambianensis diocesis, nobis significare curarunt per nuncios et litteras speciales, quod monasterio ipso abbatis regimine destituto, ipsi, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum communiter ordinata, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, in quinque religiosos et Deum timentes ejusdem monasterii monachos et discretos viros magistros Bernardum de Abbatisvilla Ambianensem et Giroldum ejusdem loci Tornacensem canonicos contulerunt unanimiter vota sua, dantes eis eligendi abbatem plenam et liberam potestatem et promittentes se illum, quem concorditer ipsi eligerent pro electo recipere et habere. Qui consideratis in te tunc ipsius monasterii monacho vite munditia, religionis favore ac litterarum scientia necnon et providentia tam spiritualium quam temporalium circumspecta, in quibus laudabiliter emines, in te suos oculos dirigentes, te canonice in abbatem ejusdem monasterii elegerunt, et hujusmodi electione in capitulo publicata, supprior et conventus predicti gratum et benivolum ad hoc prebuerunt assensum. Unde nobis cum instantia supplicarunt, ut electionem hujusmodi confirmare de benignitate solita curaremus. Cum igitur electionem eandem canonicam per examinationem invenerimus diligentem, pleno de tua ydoneitate fidedignorum testimonio habito, dictam electionem de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Quocirca discretionem tuam rogamus attentius et hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus tuum jactans in Domino cogitatum, commissam ejusdem monasterii tibi curam prudenter et fideliter exequaris, illius procurandis profectibus et honoribus ampliandis sic sollicite sic efficaciter intendendo, ut talenta tibi credita referens geminata, fidelis et providus dispensator merearis constitui a Domino supra multa, nosque de tuo et ejusdem monasterii in spiritualibus et temporalibus sperato profectu possimus in Domino gloriari. Datum Viterbii, XII kalendas decembris, anno tertio. »

2316 Viterbe, 20 novembre 1257.

Suppriori et conventui monasterii S. Richarii in Pontivo mandat, quatenus dicto Aegidio de Marchimont tamquam eorum abbati humiliter intendant. (Reg. 25, a. III, c. 714[2], f. 94v.)

« .. *suppriori et conventui ejusdem monasterii.* Inter curas multiplices —. Dat. ut supra. »

2317 Viterbe, 20 novembre 1257.

Episcopo Noviomensi mandat, quatenus eidem abbati munus benedictionis impendat eique faciat a subditis ejus debitam obedientiam et reverentiam exhiberi. (Reg. 25, a. III, c. 714[3], f. 95.)

« .. *episcopo Noviomensi.* Inter curas multiplices —. Dat. ut supra. »

2318 Viterbe, 17 novembre 1257.

Abbati monasterii S. Marciani Terdonensis mandat, quatenus praeposito et conventui domus Dei Astensis, ecclesiam S. Michaelis de Duducino, Astensis dioecesis, concedat. (Reg. 25, a. III, c. 715, f. 95.)

« .. *abbati Sancti Marciani Terdonensis, ordinis Sancti Benedicti.* Ex parte dilectorum filiorum .. prepositi et conventus domus Dei Astensis, ordinis Humiliatorum, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum nimia paupertate graventur, ad relevandam eorum inopiam, ca[m]pestrem ecclesiam Sancti Michaelis de Duducino, Astensis diocesis, cujus patronorum et clericorum ad id accedit assensus, concedi eis de benignitate apostolica mandaremus. Nos igitur eisdem preposito et conventui, qui laudabiliter vacare dicuntur studio pie conversationis et vite, paterno super hoc compatientes affectu, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatinus si id, quod de ipsorum patronorum et clericorum assensu proponitur, veritate fulcitur, dictam ecclesiam cum juribus et pertinentiis suis, diocesani loci per omnia jure salvo, concedas ipsis preposito et conventui sine juris prejudicio alieni. Datum Viterbii, XV kal. decembris, anno tertio. »

2319 Viterbe, 21 novembre 1257.

Raynaldo de Genna nepoti suo ejusque heredibus masculis castrum de Trebis, Anagninae dioecesis, in feudum confert, atque eum per cuppam argenteam investit. (Reg. 25, a. III, c. 716 f. 95; Potthast 17081.)

« *Nobili viro Raynaldo de Genna nepoti nostro.* Tuam tuorumque puram fidem ac sinceram devotionem non indigne pensantes, ac volentes te propter hoc artius Apostolice Sedis servitiis obligare, quo amplius per Sedem ipsam te senseris honorari, omnes redditus et proventus ceteraque jura et bona, que Romana Ecclesia in castro de Trebis, Anagnine diocesis, obtinet, cum omnibus honoribus, jurisdictionibus et pertinentiis eorumdem, tibi tuisque heredibus masculis ex te legitime descendentibus in perpetuum, de fratrum nostrorum consilio et assensu, in feudum conferimus de gratia speciali, teque de illis per cuppam argenteam presentialiter investimus; ita quod ejusdem castri domini, vassalli et ceteri ipsius castri habitatores, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, tibi et hujusmodi tuis heredibus de premissis omnibus integre respondeant ac intendant plenarie, quemadmodum predicte Romane Ecclesie hactenus faciebant, ac tu iidemque heredes nobis nostrisque successoribus canonice intrantibus, et predicte Romane Ecclesie tamquam ipsius feudatarii juramentum fidelitatis pro premissis teneamini exhibere. Verumtamen volumus, ut si te ac ipsos heredes absque filiis masculis legitimis decedere forte contigerit, redditus et proventus ac jura et bona predicta libere ad jus et proprietatem ejusdem Ecclesie devolvantur. Ad inditium autem hujus percepte a predicta Sede libertatis et gratie, tu et predicti heredes persolvetis unum obolum aureum in festo Omnium Sanctorum nobis et eisdem successoribus census nomine annuatim; et si forsitan tu vel dicti heredes, aliquando ab hujusmodi census solutione cessaveritis, volumus quod propter hoc a premissorum jure cadatis; sed nichilominus vobis etiam postmodum solventibus censum ipsum, hujusmodi nostra collatio perpetuum robur obtineat firmitatis, ita quod pro termino in quo censum ipsum non solveritis, illum teneamini reddere duplicatum. Nulli [etc.] nostre collationis etc. Datum Viterbii, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, XI kalendas decembris, indictione prima, Incarnationis dominice anno M° CC° LVII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno tertio.

2320 Viterbe, 21 octobre 1257.

Abbatissae et conventui monasterii de Flines indulget, ut cum ipsarum coenobium de Tornacensi dioecesi, in qua primo fuerat, in Attrebatensem dioecesim sit translatum, privilegiis et indulgentiis Sedis Apostolicae, quibus in dicta Tornacensi dioecesi utebantur, uti possint libere in eadem Attrebatensi dioecesi. (Reg. 25, a. III, c. 717, f. 95; Potthast 17046.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii de Fellines, Cisterciensis ordinis, Atrebatensis diocesis.* Cum sicut ex parte vestra —. Dat. Viterbii, XII kal. novembris, anno tertio. »

2321 Viterbe, 30 juillet 1257.

Magistro Joanni indulget, ut cum ecclesia de Wotton, ecclesiam de Houton., Lincolniensis dioecesis, cujus habet

custodiam, tanquam intitulatam habere valeat et licite retinere. Reg. 25, a. III, c. 718, f. 95.

« *Magistro Johanni, rectori ecclesie de Wotton., Lincolniensis diocesis*. Probitatis tue meritis —. Dat. Viterbii, III kal. augusti, anno tertio. »

2322 Viterbe, 21 août 1257.

Abbatissae et conventui monasterii de Elnistowe, intuitu Joannis, S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, ecclesiam de Clanefeld Lincolniensis dioecesis, in qua jus patronatus habent, usibus dicti monasterii applicandam perpetuo concedit. Reg. 25, a. III, c. 719, f. 95.

« .. *abbatisse et conventui monasterii de Elnistowe, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis*. Injuncti officii sollicitudo —. Dat. Viterbii, XII kal. septembris, anno tertio. »

2323 Viterbe, 24 novembre 1257.

Joanni Lebel, clerico Walteri, Dunelmensis episcopi, indulget, ut praeter duo ecclesiastica beneficia curam animarum annexam habentia, quae canonice obtinet, unicum aliud beneficium retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 720, f. 95v.)

« *Johanni Lebel clerico.. Dunelmensis episcopi*. Attendentes tue merita —. Dat. Viterbii, VIII kal. decembris, anno tertio. »

2324 Viterbe, 24 novembre 1257.

Joanni de Barthon Lincolniensi canonico indulget, ut praeter praebendam Lincolniensis ecclesiae et alia beneficia, quae obtinet, unicum aliud beneficium recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 721, f. 95v.

« *Johanni de Barthon, canonico Lincolniensi*. Attendentes tue merita —. Datum ut supra. »

2325 Viterbe, 24 novembre 1257.

Ricardo de Wica, in eumdem modum. Reg. 25, a. III, c. 722, f. 95v.

« *Ricardo de Wica clerico Lincolniensis episcopi rectori ecclesie de Estneston, Lincolniensis diocesis*. Attendentes tue etc. ut in alia usque in finem. »

2326 Viterbe, 22 novembre 1257.

Magistro Willelmo de Merwe indulget, ut praeter ecclesiam de Biton, curam animarum annexam habentem, unicum aliud beneficium ecclesiasticum recipere valeat. Reg. 25, a. III, c. 723, f. 95v.

« *Magistro Willelmo de Merrwe rectori ecclesie de Biton., Dunelmensis diocesis*. Attendentes etc. —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2327 Viterbe, 31 octobre 1257.

Alberto Ratisponensi episcopo terminum praefigit ad solvendas magistro Andreae de Tarento, civi Romano, mille marcas sterlingorum, mutui causa debitas. Reg. 25, a. III, c. 724, f. 95v; Rodenberg, t. III, no 467.

« *Universis presentes litteras inspecturis*. Venerabili fratre nostro[1] .. Ratisponensi episcopo et dilecto filio magistro Andrea de Tarento, cive Romano, in nostra presentia constitutis[2], dictus magister asseruit coram nobis se mille marcas sterlingorum, tredecim soldis et quatuor denariis sterlingorum pro marca qualibet computatis, dicto episcopo apud Sedem Apostolicam commoranti pro suis et ecclesie Ratisponensis expediendis negotiis mutuasse, ac eundem episcopum sibi teneri ex causa mutui in hujusmodi pecunie quantitate. Unde petebat eundem episcopum ad solvendum ei predictas mille marcas sententialiter condempnari ac apostolica auctoritate compelli. Dictus vero episcopus de plano confessus est se, a prefato magistro Andrea, hujusmodi mutuum recepisse, sibique in predicta pecunie quantitate teneri, propter quod nullo modo voluit subire judicium, sed cum instantia petiit competentem sibi terminum ad solvendum ei dictam pecuniam assignari; ita quod, si in ipso termino in solutione deficeret, in omnes penas incideret, quas nos duceremus propter hoc imponendas eidem. Nos igitur de utriusque partis assensu, prefato episcopo festum Resurrectionis Dominice proximo venturum, ad solvendum integre predictas mille marcas dicto magistro vel ejus nuntio, apud Venetias pro peremptorio termino duximus prefigendum, ita quod ipsas mille marcas dictus episcopus sub periculo et expensis suis ad locum ipsum deportari faciat, et illas ipsi magistro vel ejus nuntio in domo, quam idem magister vel ejus nuntius elegerit, integre assignari. Si vero dictus episcopus infra predictum terminum pecuniam non solverit memoratam, nos ipsum decernimus ex tunc excommuni-

1. *Ms.* : episcopo.
2. *Ms.* : constitutus.

cationis sententie, quam in eundem protulimus, subjacere, et tanquam excommunicatum precepimus ab omnibus artius evitari. Et cum nobis constet predictum episcopum hujusmodi pecuniam apud Sedem predictam, pro vite sue necessariis expendisse, volumus, et de ipsius episcopi assensu statuimus, ut exceptiones non numerate pecunie, doli, vel fraudis, et quod predictum mutuum non fuerit in predicte Ratisponensis ecclesie utilitatem[1] conversum, a predicto episcopo suisve successoribus nequaquam opponi valeant in futurum, sed, omni exceptione cessante, idem episcopus vel successores sui prefatas mille marcas, ipsi magistro A. vel ejus successoribus restituere integre teneantur. Concessit quoque predictus episcopus ex nunc lib[e]re amministrationem omnium bonorum temporalium ipsius Ratisponensis ecclesie nuntio et procuratori ejusdem magistri ejus nomine, ut tandiu in omnibus temporalibus ejusdem ecclesie administrandi liberam et plenariam habeat potestatem, donec de predictis mille marcis, eidem magistro vel ejus nuntio, apud Venetias, sicut predictum est, fuerit integre satisfactum. Promisit etiam dictus episcopus se curaturum et facturum, quod dictus procurator predicti magistri salvus et securus et sine aliquo impedimento ad partes illas accedat et administret bona predicta et redeat usque Venetias, cui utique procuratori tam in eundo, quam morando et redeundo, de securo conductu et expensis etiam dictus episcopus providere promisit. Ad que omnia et singula firmiter observanda, prefatus episcopus corporali juramento coram nobis prestito se astrinxit. Datum Viterbii, II kalendas novembris, anno tertio. »

2328 Viterbe, 5 novembre 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Laurentii Mediolanensis mandat, quatenus Guerentianum de Fanigniano canonicum ecclesiae de Olzate Orona, Mediolanensis dioecesis, in canonicum recipiant eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, a. III, c. 725, f. 95v.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie S. Laurentii Mediolanensis*. Deperire vos —. Dat. Viterbii, nonis novembris, anno tertio. »

2329 Viterbe, 19 novembre 1257.

Magistro Joanni indulget, ut praeter ecclesiam S. Joannis Oxonie, cujus proventibus viginti solidos sterlingorum valentibus sustentari non potest, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 726, f. 96.)

« *Magistro Johanni, rectori ecclesie S. Johannis Oxonie, Lincolniensis diocesis*. Licet ne quis —. Dat. Viterbii, XIII kal. decembris, anno tertio. »

2330 Viterbe, 28 octobre 1257.

Petro de Baschervilla indulget, ut praeter ecclesiam de Heregerde, cujus rector existit, unicum aliud beneficium recipere possit. (Reg. 25, a. III, c. 727, f. 96.)

« *Petro de Baschervilla, rectori ecclesie de Heregerde, Wintoniensis diocesis*. Tue laudabilis conversationis —. Dat. Viterbii, V kal. novembris, anno tertio. »

2331 Viterbe, 3 novembre 1257.

Cum [Petrus] Ovetensis episcopus, Joanni Martini clerico chori ecclesiae Ovetensis, quoddam perpetuum beneficium tunc vacans in ecclesiis de Valentia et de Benevento et in Toral, Ovetensis dioecesis, duxerit canonice conferendum, archidiacono de Valdeyras mandat quatenus, si ei constiterit collationem hujusmodi provide factam esse, eam auctoritate apostolica confirmare studeat. (Reg. 25, a. III, c. 728, f. 96.)

« .. *archidiacono de Valdeyras, in ecclesia Legionensi*. Cum sicut dilecti filii —. Dat. Viterbii, III nonas novembris, anno tertio. »

2332 Viterbe, 13 novembre 1257.

Cum [Petrus] Ovetensis episcopus eidem Joanni Martini annuum redditum sex marcarum sterlingorum percipiendum in civitate et dioecesi Ovetensibus, consuetum clericis saecularibus pro beneficio assignari, duxerit canonice conferendum, archidiacono de Trastamar mandat, quatenus, si ei constiterit collationem hujusmodi provide factam esse, eam auctoritate apostolica confirmare studeat. (Reg. 25, a. III, c. 729, f. 96.)

« .. *archidiacono de Trastamar, in ecclesia Compostellana*. Cum sicut dilecti filii —. Dat. Viterbii, idibus novembris, anno tertio. »

2333 Viterbe, 23 octobre 1257.

Decano et capitulo ecclesiae Anthoniensis mandat, quatenus cum Benerum de Anthonio de mandato ipsius papae in canonicum ecclesiae Anthoniensis receperint, eum ad presbyteratus ordinem promovendum episcopo Cameracensi praesentare curent. (Reg. 25, a. III, c. 730[1], f. 96.

1. *Ms.* : utilitate.

« .. *decano et capitulo ecclesie Anthoniensis, Cameracensis diocesis.* Dilectus filius Renerus de Anthonio canonicus ecclesie vestre in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum nos olim pro ipso vobis preces direxerimus et mandata, ut ipsum in ecclesia vestra, in qua tertie prebende collatio ad vos et duarum ad.. abbatem Lobiensem pertinere dicitur, recipientes in canonicum et in fratrem, de hujusmodi prebenda ad collationem vestram spectante, si tunc vacabat ibidem vel quamprimum ad id se offerret oportunitas, provideretis eidem, vos auctoritate hujusmodi litterarum ipsum in fratrem et canonicum recepistis. Verum cum in ipsa ecclesia statutum esse dicatur juramento firmatum, ut tertia prebenda ad collationem vestram spectans nulli nisi presbitero conferatur, universitati vestre mandamus, quatinus canonicum ipsum paratum ad presbiteratus ordinem promoveri, loci diocesano promovendum per eum ad eundem ordinem successive statutis temporibus presentantes, ei post promotionem hujusmodi prebendam ipsam nulli alii de jure debitam quamprimum ad id se facultas obtulerit liberaliter conferatis. Alioquin dilecto filio.. decano ecclesie Sancti Amati Duacensis, Atrebatensis diocesis, nostris damus litteris in mandatis, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur. Datum Viterbii, X kal. novembris, anno tertio. »

2334 Viterbe, 23 octobre 1257.

Decano ecclesiae S. Amati Duacensis mandat, quatenus si dicti decanus et capitulum idem mandatum neglexerint adimplere, ipse illud super hoc exequi non omittat. (Reg. 25, a. III, c. 730ª, f. 96.)

« .. *decano ecclesie sancti Amati Duacensis, Atrabatensis diocesis.* Dilectus filius Renerus de Anthonio —. Dat. ut supra. »

2335 Viterbe, 24 novembre 1257.

Obtentu H. fratris regis Castelle et Legionis, Petro Joannis indulget, ut praeter thesaurariam ecclesiae Auriensis et quoddam aliud beneficium, quod in eadem ecclesia obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 731, f. 96.)

« *Petro Johannis, thesaurario Auriensi.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Viterbii, VIII kal. decembris, anno tertio. »

2336 Viterbe, 13 novembre 1257.

Decano ecclesie S. Leonardi mandat, quatenus ad provisionem Conradi canonici ecclesiae S. Thomae Argentinensis sine qualibet difficultate procedat. (Reg. 25, a. III, c. 722ª,[1] f. 96ᵛ.)

« .. *decano ecclesie S. Leonardi, Argentinensis diocesis.* Pro dilecto filio Conrado —. Dat. Viterbii, idibus novembris, anno tertio. »

2337 Viterbe, 26 juillet 1257.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Theutonicorum Jerosolimitani terram Culmensem eis a Conrado duce Poloniae donatam, in jus et proprietatem beati Petri susceptam et quidquid terrae a paganis Prusciae expugnatum eant, in perpetuum possidendum confirmat, conditione adjecta ut in recognitionem dominii et perceptae a Sede Apostolica libertatis, Romanae Ecclesiae censum annuum persolvant. (Reg. 25, a. III, c. 723ª, f. 96ᵛ; Potthast 16944.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitanis.* Pietati proximum et rationi consonum arbitramur, ut vobis, qui voluptatibus seculi derelictis, tollentes crucem secuti estis Dominum crucifixum, omnem, quam cum Deo possumus, favoris gratiam liberaliter impendamus, presertim cum nos licet immeriti vices ejusdem Domini geramus in terris, qui sua vestigia sequentibus perennis vite premia largietur in celis. Hinc est quod, sicut vestro relatu didicimus, cum vos ad Pruscie partes, Salvatoris virtute preambula, procedentes in terra nomine Colmon, quam a christianis longis retro temporibus habitatam, predecessoribus clare memorie Conradi ducis Poloniae dominantibus in eadem, idem dux vobis pro salute sua et fidelium in confinio dictarum partium positorum, pia liberalitate donavit, prout in eodem privilegio super hoc confecto plene perspeximus contineri, constructis per vos castris et villis non absque multis laboribus et expensis, et Prutenorum impetu, divina propitiante gratia, refrenato, ac dictorum salute procurata fidelium, quos a multis temporibus afflixerat eorumdem insania Prutenorum, Pruscie partem christiano nomini reddideritis subjugatam. Nos ad instar felicis recordationis Gregorii pape predecessoris nos-

1. A partir de ce numéro, le scribe au lieu d'écrire DCCXXXII, a repris DCCXXII et a continué ensuite régulièrement jusqu'au DCCXXXIII. Ces numéros doubles ont été distingués par l'exposant *a*.

tri volentes, ut pro ejusdem acquisitione terre eo plenius vester animus invalescat, quo vos et existentes ibidem fidei catholice professores et a nobis obtinebitis gratiam specialem, quod a vobis suffragante exercitu christiano jam de ipsa terra, auctore Domino, noscitur acquisitum, in jus et proprietatem beati Petri suscipimus et eam sub speciali Apostolice Sedis protectione ac defensione perpetuis temporibus permanere sancimus, ipsamque vobis et domui vestre cum omni jure et proventibus suis concedimus in perpetuum libere possidendam, ita ut per vos aut alios dicta terra nullius unquam subiciatur dominio potestatis : que vero in futurum, largiente Domino, insistendo defensioni christianitatis de terra paganorum in eadem provincia vos contigerit adipisci, firma et illibata vobis vestrisque successoribus, sub jure ac proprietate Sedis Apostolice eodem modo statuimus permansura. Ceterum in eadem terra, dispositioni Sedis Apostolice reservamus, ut per ipsam, cum vos propitiationis divine munere optata ejusdem terre spatia contigerit obtinere, ac de statu ipsius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de constituendis in ipsa ecclesiis et instituendis ibidem clericis, episcopis et prelatis aliis, necnon de providendo, quod iidem de prefata terra congruam habeant portionem, et quod promissiones ac pactiones, quas presentibus habitatoribus ejusdem terre fecisse noscimini, aut futuris facietis in posterum, a vobis valeant observari et quod in recognitionem dominii et percepte a Sede Apostolica libertatis, Ecclesie Romane census annuus persolvatur, sicut in Domino ad honorem Ecclesie ac utilitatem vestram visum fuerit expedire. Tenorem autem predicti privilegii vobis a prefato duce concessi de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Juin 1230.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. « Quoniam juxta verbum viri sapientis generatio preterit et generatio advenit, nichilque stabile vel « permanens est sub sole, sed vanitati atque mutabilitati subjacent universa, ne cum labentibus annis « rerum magnifice seu utiliter gestarum labatur pariter et aboleatur memoria, munificentias et libertates, presertim in pias causas et loca religiosa « collatas, scriptura convenit perpetuari, que non « solum omnem emergentem in posterum precidat et « tollat ambiguitatem, verum etiam universis, ad « quorum notitiam pervenerit, laudabilis et imitatione digni exempli speciem representando commendet et ad similia invitando accedat. Cum enim « omne datum optimum et omne donum perfectum « desursum sit a patre luminum descendens, qui dat « omnibus affluentiam et nemini improperat, hominibus concedens temporalia, non ut placeant aut « delectent, quia in sui natura vana, vaga sunt et corruptibilia, sed tanquam semen et materia ad exercenda misericordie opera benigne subministrans : « oportet diem extreme messionis, quando omnes « simul in unum dives et pauper stabunt ante « tribunal districti judicis, rationem de omnibus gestis strictissime reddituri, operibus caritatis preveniri in hujus vite via seminando, quod tunc metatur « in patria, quando in exultatione reportabuntur manipuli bonorum operum cum fructu centuplato. « Eapropter ego Conradus, divina miseratione dux « Mazovie et Cujavie, cunctis presentibus et futuris « presens scriptum inspecturis notum esse volo, quod « cum Pruteni et alii christiani nominis inimici magnam partem terrarum mearum ipsis adjacentium « depredationibus, incendiis tam ecclesiarum quam « aliorum locorum, interfectionibus et captivationibus « virorum, mulierum et parvulorum, peccatis hominum, qui altissimum in vanitatibus suis irritaverunt, « exigentibus, miserabiliter divina permissione vastaverunt, eorumque, qui Christum oderunt, semper « ascendens superbia invaluerit, adeo ut nec adhuc « ipsum in membris ejus persequi cessent aut desistant, non solum res, immo magis ipsum sanguinem « fidelium inter infinitas et horrendas auditu et dictu « abusiones, quas in contumeliam exercent Creatoris, « sitientes, sperans per viros religiosos manum Domini, que nos tetigit, et flagellum sue[1] indignationis « placari, ejusque favente gratia, qui suis adesse « consuevit, per Christi milites, quorum spes, virtus « et gloria Deus est, brachium fortitudinis Sarracenorum conterendum, salutis anime mee ac meorum « eterneque retributionis intuitu, ac ob defensionem « fidelium in Polonia, uxore mea Agafia filiisque « meis Bolezlao, Kazimiro, Somovito expresse de « bona et spontanea voluntate consentientibus, accedente quoque consilio et consensu episcoporum, « magnatum et majorum terre mee, dedi et contuli

1. *Ms.* : sive.

« hospitali Sancte Marie domus Theutonicorum et fra- « tribus ejusdem domus totum et ex integro Cholmen « territorium cum omnibus suis attinentiis, ab eo loco, « ubi Drawanza egreditur terminos Pruscie et per « decessum ejusdem fluminis usque in Wizlam, et in de- « cessu Wizle usque ad Osam, et per ascensum Ose « usque ad terminos Pruscie, in veram et perpetuam « proprietatem possidendum pleno jure cum omni liber- « tate, fructu et utilitate, totam terram cum aquis a- « quarumque decursibus, stagnis, paludibus, monti- « bus, vallibus, saltibus, nemoribus, silvis, arbustis, « pratis, pascuis, omnibus cultis et incultis, viis et « inviis, cum omnium eorum libera et plena utilitate « ac fructu, que in predictis omnibus sunt vel fuerint « inventa, apparentia vel occulta, et specialiter sive « aurum sive argentum, vel alia quecumque species « eris vel metallorum aut gemmarum fontes, vel vene « salis et quicquid omnino in terra vel supra, vel in « aquis viventium fuerit, castores et omnes vena- « tiones quarumque ferarum, piscationes quoque « piscium omnium generum cum ipsis aquis pre- « dictis et omni earum proventu et utilitate in « piscationibus, navigiis, passagiis, pontibus, molen- « dinis et insulis, cum villis, castris, opidis, grangiis, « foris, monetis, pedagiis, theloneis terrarum et aqua- « rum et omnino cum omnibus contentis intra limites « predictos et pleno jure ac integra libertate ipsorum « etiam limitatum sine qualibet diminutione, cum omni « honore et jurisdictione, perfecto et vero dominio, « proprietate ac possessione omnium predictorum et « aliorum omnium, que in privilegiis largitionum in « favorabiles quaslibet personas, vel loca, in favorem, « comodum et cautelam eorum, quibus conferuntur, « conscribi solent aut possunt, ita ut beneficium mee « collationis largissimam ad omne commodum, hono- « rem et utilitatem domus et fratrum eorumdem re- « cipiat interpretationem, nichil prorsus juris, utilita- « tis, advocatie, patronatus, vel cujuslibet alterius « jurisdictionis aut potestatis, quocumque nomine « censeri possit, vel appellari, mihi, heredibus vel « successoribus meis in omnibus supradictis, vel quo- « libet eorum retinens aut reservans, sed omnia ea « cum libertatibus et pleno et integro jure, sine omni « dolo, fraude, captione ac captiositate, sine diminu- « tione ac coartatione, cum bona et exuberante fide, « et largissimo intellectu, domui et fratribus memora- « tis contuli et collata recognosco, me, heredes et « terram meam obligans et teneri volens de evec- « tione. Preterea quicquid de personis vel bonis omnium « Sarracenorum captivatione, depredatione, extor- « sione, occupatione et subjugatione mobilium sive im- « mobilium, terrarum vel aquarum, atque omnium in eis « contentorum, quolibet modo fratres predicti adipisci « potuerint, cum omni et integro jure ac libertate su- « perius premisse donationis, nulla prorsus domina- « tione, coartione vel impedimento ipsis a me, here- « dibus meis vel quolibet alio, quem nos prohibere « vel coartare possimus, prestando vel procurando « eisdem concessi[1] cum vera proprietate et perfecto « dominio quiete possidendum, et in hoc consensi, « cum uxoris mee, filiorum meorum, episcoporum, « baronum et magnatum terre mee consensu, contra « omnem hominem ad observationem et defensionem « omnium supradictorum secundum omne posse et « totas vires meas eisdem consilium et auxilium bona « fide firmiter promittens, omnes heredes et succes- « sores meos et terras meas obligans mecum et as- « tringens ad ratihabitionem, observationem et con- « servationem, donationem, concessionem obligationum « et promissionum omnium supradictorum : fratres « quoque predicti bona fide repromiserunt mihi here- « dibusque meis secundum Dei honorem et timorem « contra Prutenos et alios Sarracenos nobis conter- « minos terram nostram impugnantes, quamdiu hostes « fidei sunt et inimici cultus Christi, assistere, et « sine dolo ac fictione una nobiscum omni tempore mi- « litare. Ne igitur donationes et concessiones predicte « celebri digne memoria tam utiles quam necessarie « non solum securitati fidelium in Polonia, qui graves « impugnationes et oppressiones ab hostibus Christi « jamdudum sustinuerunt, in presenti proficientes, ve- « rum etiam propagationi et ampliationi sacrosancte « fidei catholice, ut etiam ipsos infideles, quorum exinde « speratur conversio, per Dei gratiam profuture ha- « beant in oblivionem, aut cujuscumque calliditate, « dolo, versutia, sinistra interpretatione debilitari, « perverti, frangi, violari valeant vel irritari, vel « saltem malivola machinatione attemptari, sed po- « tius pie mee donationis facta firma permaneant et « inconvulsa, ad perpetuam prefatorum gestorum « memoriam, presentem paginam testium inscrip- « tione, mei, uxoris mee, episcoporum et magnatum

1. *Ms.* : concessu

« terre mee sigillis roborari feci atque communiri. « Acta sunt in Crulw ante Pontes, anno Incarnatio- « nis Dominice MCCXXX, mense junio, indictione III. « Testes horum sunt : Guntherus episcopus Mazau, « Michael episcopus Cujavie, Christianus episcopus « Pruzie, Bernuldus prepositus, Wilhelmus decanus, « Pacozlaus senior, Pacozlaus junior, comes Dirsyon, « Nicolaus cancellarius, magister Johannes cancella- « rius, Gregorius subcancellarius et quamplures alii « tam religiosi quam seculares. »

« Nulli etc. nostre protectionis, concessionis et constitutionis, etc. Datum Viterbii, VII kal. augusti, anno tertio. »

2338 Viterbe, 16 octobre 1257.

Magistro ac fratribus hospitalis S. Mariae Theutonicorum Jerosolymitani confirmat concessionem duarum partium Curlandiae eis a Guillelmo episcopo Sabinensi, tunc Apostolicae Sedis legato, de mandato Innocentii IV factam. (Reg. 25, a. III, c. 724^{a}, f. 97^{v} ; Potthast 17041.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitani.* Veros Christi martires illos ex dilectis filiis fratribus ordinis vestri dignissime reputamus, qui non solum in Terra Sancta, sed etiam in Livonie ac Pruscie partibus pro fidei negotio ad Dei gloriam magnifice promovendo labores acerrimos et infinitas angustias ac egestatem nimiam cum omni patientia frequentissime sustinentes, in mortem sua corpora tradiderunt secura ducti fiducia, quod ex dominici bibitione calicis proveniret eis premium perpetue claritatis. Pro tanta siquidem excellentia meritorum, nos decens et pium esse providimus, ut eumdem ordinem vestrum specialis benivolentie gratia jugiter foveamus, ita quod ipsius magnitudo negotii semper de bono in melius possit, auctore Domino, prosperari. Sane, dilecto filio magistro Johanne de Capua notario nostro fratre ipsius ordinis vestri referente, percepimus, quod bone memorie Guillelmus Sabinensis episcopus tunc apud Sedem Apostolicam de beneplacito et mandato felicis recordationis I. pape predecessoris nostri quoad predictas Livonie ac Pruscie partes fungens legationis officio, vobis ejusdem predecessoris auctoritate concessit, ut sicut ex gratia Sedis Apostolice de tota Pruscia, que juris est et proprietatis beati Petri, duas partes habetis, ita simili modo per omnia de tota Curonia seu Curlandia, que inter regiones Pruscie totaliter computatur, duas partes cum omni jure ac proventu ipsarum duarum partium integre habeatis; non obstante compositione aliqua facta per quemcumque alium, et illa precipue, quam quidam religiosi viri, qui milites Christi tunc temporis vocabantur et tandem vestre religionis habitum, auctoritate sedis apostolice, assumpserunt, cum bone memorie Eingelberto ipsius Curonie seu Curlandie episcopo, sub ea forma fecisse dicuntur, quod ipsi tertiam et duas partes terre idem episcopus obtineret. Adjecit etiam prefatus episcopus Sabinensis, quod in predictis duabus partibus vestris ejusdem Curonie seu Curlandie salva sint episcopo vel episcopis, qui fuerint ibidem pro tempore, illa omnia dumtaxat, que non possunt nisi per episcopum exerceri, prout in patentibus litteris ipsius episcopi Sabinensis confectis exinde ac suo sigillo signatis plenius continetur. Cum itaque pro parte vestra fuerit a nobis humiliter postulatum, ut hujusmodi concessionem duarum partium ejusdem Curonie seu Curlandie factam vobis a sepedicto episcopo Sabinensi apostolico roborare munimine dignaremur, nos, vestris ac prefati notarii supplicationibus inclinati, concessionem ipsam ratam et firmam habentes, eam de certa scientia auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes irritum et inane si aliquid super hiis contra confirmationis nostre tenorem fuerit attemptatum. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Lyon, 7 février 1245.

« Guillelmus miseratione divina Sabinensis episco- « pus, Apostolice Sedis legatus, dilectis in Christo.. « magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theu- « tonicorum Jerosolimitani salutem in nomine Jhesu « Christi. Fungientes olim in Livonie ac Pruscie « partibus legationis officio, oculis nostris aspeximus, « quod vos sacre conversationis et vite studio desu- « dantes, animam vestram letanter pro Christo poni- « tis et christiane religionis augmentum omni dili- « gentia promovetis, inter alias vestras angustias « illam multotiens penuriam patientes, que vix potest « censeri credibilis, nisi de visu prodeat evidentia ca- « ritatis. Sane quidam religiosi viri, qui Christi milites « vocabantur, quandam partem Curonie seu Curlandie « de paganorum manibus eruentes, cum bone memo-

« rie Eingelberto episcopo ibidem instituto a nobis « talem compositionem iniisse dicuntur, ut eis tertia « pars terre et due partes episcopo, qui esset pro « tempore, deberentur. Postmodum autem facta or- « dini vestro dictorum incorporatione militum, quorum « ad vos jura omnia per hoc legitime sunt translata, « cum predicta pars Curonie relicto cultu catholice « fidei et eodem episcopo infidelium manibus inter- « fecto, in pristinam perfidiam laberetur, nos ipsam « partem de impiorum manibus prevalenti dextera « resumentes, et ejusdem terre grande spatium ac- « quirentes per divine subsidium potestatis, castrum, « quod olim Guldinge modo Jesusbore dicitur, inibi « contruxistis. Verum cum vos pro acquisitione resi- « dui et conservandis etiam acquisitis, expensas gra- « viores solito et majores oporteat subire labores, ad « sanctissimi patris domini I. pape gratiam recurris- « ti[s], humili supplicatione petentes, ut sicut de terra « Pruscie, quam ipse recepit in jus et proprietam beati « Petri vobis due partes auctoritate Sedis Apostolice « sunt concesse, sic de prefata Curonia seu Curlandia, « cum sit pars Pruscie, vobis, non obstante composi- « tione predicta seu qualibet alia, duas partes con- « cedere dignaretur. Prefatus vero dominus papa « nobis ad plenum de hujusmodi negotii circumstantiis « informatis et scientibus illius provincie qualitatem, « de sua benignitate commisit, ut super hoc illius « provisionis studium haberemus, quod negotio fidei « et vestre ac aliorum fidelium videremus expedire « saluti. Nos itaque sollicite attendentes, quod a vobis « post Deum hujusmodi negotii magnitudo dependet « et quod palmam martirii queritis ut quietem aliis « preparetis, auctoritate ipsius domini pape vobis con- « cedimus, ut sicut ex gratia Sedis Apostolice de tota « Pruscia duas partes habetis, ita simili modo per « omnia duas partes de tota Curonia seu Curlandia, « non obstante compositione predicta seu qualibet « alia per quemcumque facta, cum omni jure ac pro- « ventu ipsarum integre habeatis, presertim cum cer- « tum sit nobis et omni homini terrarum illarum « habenti notitiam, quod Curonia seu Curlandia inter « regiones Pruscie totaliter computatur. In predictis « autem duabus partibus vestris ipsius Curonie seu « Curlandie salva sint episcopo vel episcopis, qui « fuerint ibi pro tempore, illa omnia dumtaxat, que « non possunt nisi per episcopum exerceri. Datum « Lugduni, anno Domini M.CC.XLV, VII idus fe- « bruarii, pontificatus domini Innocentii pape IIII, anno « secundo. »

Nulli [etc.] nostre confirmationis et constitutionis etc. Datum Viterbii, XVII kalendas novembris, anno tertio.

2339 Viterbe, 1er décembre 1257.

Magistro Ade de Cesteton indulget, ut praeter beneficia, quae obtinet, unum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 725^{a}, f. 98.)

« *Magistro Ade de Cesteton., rectori ecclesie de Bradewen, Wigorniensis diocesis.* Volentes tibi —. Dat. Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2340 Viterbe, 22 novembre 1257.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis notum facit se omnibus eleemosynam erogantibus ad consummationem operis hospitalis S. Lazari Jerosolymitani in Accon, quem nimia vetustate consumptum fratres ejusdem hospitalis de novo reparare coeperunt, indulgentiam centum dierum concedere. (Reg. 25, a. III, c. 726^{a}, f. 98.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait apostolus —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2341 Viterbe, 22 novembre 1257.

Magistro et fratribus domus militiae Leprosorum S. Lazari Jerosolymitanae concedit, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, dummodo hii, quibus ipsorum restitutio fieri debeat, inveniri non possint, necnon de redemptionibus votorum, usque ad summam ducentarum marcarum argenti recipere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 727^{a}, f. 98.)

« .. *magistro et fratribus domus militie Leprosorum Sancti Lazari Jerosolimitane.* Intenta misericordie studiis apostolice preminentia dignitatis sub continua vobis afflictione gementibus debet sic adesse propitia, quod miserabilis vestra conditio penarum suarum aliqua percipiat lenimenta. Hinc est quod nos vestris necessitatibus paterno compatientes affectu, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, dummodo hii, quibus ipsorum restitutio fieri debeat, omnino inveniri et sciri non possint, necnon de redemptionibus votorum auctoritate diocesanorum prius factis, Jerosolimitano dumtaxat excepto, usque ad summam

ducentarum marcarum argenti recipere valeatis, auctoritate vobis presentium duximus concedendum, si pro similium receptione alias non sitis a nobis hujusmodi gratiam consecuti; ita quod si aliquid de ipsis ducentis marchis dimiseritis vel restitueritis aut dederitis illis, a quibus eas receperitis, hujusmodi dimissum vel restitutum seu datum nichil ad liberationem eorum possit nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli [etc.] nostre concessionis etc. Datum ut supra. »

2342 Viterbe, 29 novembre 1257.

Magistro Guillelmo dicto Gabet rectori ecclesiae de Longavilla confirmat collationem canonicatus, quem in ecclesia Pictavensi obtinet. (Reg. 25, a. III, c. 728ª, f. 98.)

« *Magistro Guillelmo dicto Gabet rectori ecclesie de Longavilla, Pictavensis diocesis.* Justis petentium desideriis etc. usque : complere. In nostra siquidem constitutus presentia retulisti, quod cum nos olim super receptione ac provisione tua in ecclesia Pictavensi primo preces et mandatum et postmodum preceptum in virtute obedientie bone memorie.. episcopo et dilectis filiis capitulo Pictavensibus per nostras litteras direxerimus, ac dicto episcopo et majori parte ipsius capituli consentientibus, super hiis eidem episcopo compellendi minorem partem eorum, nisi proponeret causam rationabilem quare id fieri non deberet, dederimus per alias nostras litteras facultatem, eodem tandem episcopo sublato de medio, dilecto filio.. archidiacono Turonensi destinavimus scripta nostra, ut super hujusmodi receptione ac provisione tua procederet juxta formam traditam episcopo memorato. Sed quia idem archidiaconus super hoc procedere non poterat, parte altera non vocata, nobis tandem tue probitatis obtentu et intuitu dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis pro te capellano suo apostolicam gratiam supplicantis, volentibus hujusmodi gratiam circa te inceptam deducere ad effectum, idem cardinalis, prout sibi viva voce commisimus, tibi presenti canonicatum ipsius ecclesie Pictavensis cum plenitudine juris canonici et omni alio jure, quod ratione canonicatus consueverunt et debent ipsius ecclesie canonici obtinere, contulit, et te de ipsis omnibus investivit, decernens et mandans te in ipsius ecclesie fratrem et canonicum recipi ac tibi stallum in choro et locum in capitulo assignari, prout in publico instrumento confecto exinde et sigillo cardinalis prefati signato plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Viterbe, 14 novembre 1257.

« In nomine Domini. Amen. Dudum sanctissimus « pater dominus Alexander, divina providentia sacrosancte Romane Ecclesie summus pontifex, sub « certa forma bone memorie episcopo et venerabilibus viris decano et capitulo Pictavensibus pro te « dilecto in Christo magistro Guillelmo dicto Gabet « primo preces et mandata et postmodum, ipsis quod « mandabatur minime adimplentibus, in virtute obedientie precipiendo direxisse dicitur scripta sua, ut « te, tunc clericum et procuratorem ipsius episcopi « in ecclesia Pictavensi, in qua certus canonicorum « numerus non habetur, reciperent in canonicum et in « fratrem et tibi de proventibus ejusdem ecclesie « sicut uni ex canonicis ejus, si ad hoc ejusdem ecclesie suppetant facultates, non obstante quod alias « beneficiatus existis, liberaliter providere curarent. « Set, licet in receptionem tuam episcopus et major « pars capituli consensisset, propter contradictionem « tamen minoris partis nullum ex hiis comodum reportasti. Verum idem dominus noster summus pontifex volens tibi certa hec de innata benivolentia « providere recipiendi ac faciendi recipi te in canonicum et in fratrem ac provideri tibi de prebenda in « eadem ecclesia, in qua prebendarum collatio ad « episcopum et capitulum communiter pertinere dicitur, et per censuram ecclesiasticam compescendi « minorem partem prefati capituli, nisi ab ea objectum « foret aliquid rationabile et ostensum, concessit « primo memorato episcopo per suas litteras facultatem et demum, eodem episcopo sublato de medio. « archidiacono Turonensi mandavit, ut si tuta esset « super receptione ac provisione tua in eadem ecclesia sine qualibet difficultate procedere procuraret. « Sed discretus vir magister Berardus de Neapoli archidiaconus Turonensis, subdiaconus et capellanus « ejusdem domini pape, attendens hujusmodi mandato « sibi directo cause cognitionem inesse ac propter hoc « nolens procedere, parte altera, que tue receptioni

« se opposuerat non vocata, predicta omnia domino « nostro summo pontifici, presentibus nobis fratre « Hugone divina miseratione tituli Sancte Sabine pres- « bitero cardinali, retulit diligenter, qui nostre ac tue « probitatis obtentu volens tibi ceptam gratiam effi- « caciter reddere fructuosam, perficiendi quod de « hujusmodi tua provisione ceptum erat pro nostre « voluntatis arbitrio concessit nobis vive vocis ora- « culo liberam facultatem. Nos igitur, auctoritate « ejusdem domini pape nobis specialiter in hac parte « commissa, tibi magistro Guillelmo dicto Gabet ca- « pellano nostro presenti et recipienti, canonicatum « sive canoniam Pictavensis ecclesie, cum plenitudine « juris canonici et omni jure, quod ratione canonicatus « consueverunt et debent canonici ejusdem ecclesie « obtinere, conferimus et de ipsis omnibus per nos- « trum anulum investimus, decernentes et mandantes « te recipi in ipsius ecclesie fratrem et canonicum ac « stallum tibi in choro et locum in capitulo assignari. « In cujus rei testimonium presens publicum instru- « mentum scribi et publicari fecimus per magistrum « Stephanum dictum de Pire, clericum Bisuntinum, « notarium nostrum, et nostro sigillo muniri. Acta « sunt hec Viterbii apud fratres Predicatores in hos- « pitio cardinalis ejusdem, anno Domini M.CC.LVII, « indictione prima, die XVII exeunte mense novem- « bri, tempore domini Alexandri pape IIII, pontifica- « tus ejusdem anno tertio. Presente me subscripto « notario et testibus infrascriptis : videlicet memorato « magistro Berardo de Neapoli archidiacono Turonensi, « subdiacono et capellano domini pape, magistro « Johanne archidiacono Thoarcensi in ecclesia Picta- « vensi, Landulfo canonico Neapolitano, Stephano de « Aygaelius clerico Lugdunensi et pluribus aliis. Et « ego Stephanus predictus auctoritate apostolica pu- « blicus notarius, qui predictis interfui, predicta de « mandato cardinalis ejusdem scripsi et in publicam « formam redegi ac meo signo signavi. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, III kalendas decembris, anno tertio. »

2343 Viterbe, 29 novembre 1257.

Episcopo Xanctonensi mandat, quatenus magistrum Guillelmum dictum Guabet in possessionem ipsius canonicatus inducat et defendat inductum. Reg. 25, a. III, c. 728[a 2], f. 98v.

« .. *episcopo Xanctonensi*. Retulit coram nobis —. Dat. ut in alia. »

2344 Viterbe, 29 novembre 1257.

Archiepiscopo Rothomagensi mandat, quatenus magistrum Laurentium Joannis Serustici, capicerium Lexoviensem, qui de nobilibus traxit originem, in ecclesia S. Mariae Rothomagensi recipi faciat in canonicum eique de praebenda provideat. Reg. 25, a. III, c. 729[a], f. 99.

« .. *archiepiscopo Rothomagensi*. Ad illorum provisionem promptos —. Dat. Viterbii, III kal. decembris, anno tertio. »

2345 Viterbe, 2 octobre 1257.

Episcopo Cenomanensi mandat, quatenus eundem magistrum Laurentium capicerium Lexoviensem in ecclesia S. Juliani Cenomanensi recipi faciat in canonicum eique de praebenda provideat. Reg. 25, a. III, c. 730[a], f. 99.

« .. *episcopo Cenomanensi*. Ad illorum provisionem —. Dat. Viterbii, VI nonas octobris, anno tertio. »

2346 Latran, 15 mars 1256.

Confirmat concessionem juris patronatus in ecclesia S. Leonardi de Magor et capellis ipsius a Gilberto Marescallo comite de Penbroch, monasterio S. Mariae de Gloria Anagnino factam. Reg. 25, a. III, c. 731[a], f. 99.

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Gloria Anagnini, Florensis ordinis*. Cum a nobis petitur etc. usque ad : effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum bone memorie Gillebertus Merescallus Anglie, comes de Penbroch, jus patronatus, quod habebat in ecclesia Sancti Leonardi de Magor et capellis ipsius, Landavensis diocesis, vobis pia liberalitate contulerit, bone memorie Elyas Landavensis episcopus loci diocesanus, quod per eundem comitem factum fuerat in hac parte ratum habens et gratum ac id ordinaria auctoritate confirmans, ecclesiam et capellas predictas cum omnibus pertinentiis earumdem vobis et per vos monasterio vestro, prout ad eum spectabat, concessit in proprios usus perpetuo retinendas, statuens nichilominus et taxans in ipsa ecclesia perpetuam vicariam, prout in litteris inde confectis et eorumdem episcopi et comitis sigillo signatis plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod per episcopum et comitem predictos provide

factum est in hac parte ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores litterarum ipsarum de verbo ad verbum inseri presentibus facientes, qui tales sunt :

Strigull, 23 février 1238.

« Universis Christi fidelibus presentes litteras ins-« pecturis Gillebertus Merescallus Anglie, comes Pen-« broch., salutem in Domino. Noverit universitas « vestra nos divine pietatis intuitu et pro reverentia « domini Gregorii summi pontificis, jus patronatus, « quod habebamus in ecclesia Sancti Leonardi de « Magor cum capellis et omnibus suis pertinentiis, « que in diocesi Landavensi consistit, monasterio « Sancte Marie de Gloria in Anagnia, Florensis ordi-« nis, in puram et perpetuam elemosinam integre ac « liberaliter contulisse. Ut autem hec donatio nostra « firma et stabilis perpetuis temporibus perseveret, « presentem cartam sigillo nostro fecimus commu-« niri. Actum apud Strigull. VII kalendas martii, « anno Domini M. CC. XXXVIII, pontificatus su-« pradicti domini Gregorii VIIII pape, anno XII. »

Newburgh, 19 mai 1239.

« Elyas miseratione divina Landavensis ecclesie « minister humilis, dilectis in Christo filiis.. abbati « et conventui monasterii Sancte Marie de Gloria « Anagnini, Florensis ordinis, salutem in Domino. « Cum nobilis vir Gillebertus Marescalcus comes « Penbroch, divine pietatis intuitu et pro reveren-« tia domini Gregorii summi pontificis, jus patrona-« tus, quod habebat in ecclesia Sancti Leonardi de « Magor cum omnibus pertinentiis suis, que in nostra « diocesi consistit, vobis et per vos monasterio ves-« tro integre ac libere contulerit, sicut in ejus pa-« tentibus litteris perspeximus contineri ; nos ob « ipsius sanctissimi patris superius memorati domini « Gregorii VIIII pape reverentiam, per religiosum « virum fratrem Deodatum monachum et procuratorem « vestrum vestris precibus inclinati, jus patronatus « hujusmodi vobis et per vos monasterio vestro aucto-« ritate propria de speciali gratia duximus confir-« mandum, ac dictam ecclesiam Beati Leonardi de « Magor cum omnibus pertinentiis suis pro jamdicti « venerandi patris domini pape fundatoris vestri « reverentia et ad preces dicti nobilis viri G. « Merescalli, in proprios et perpetuos usus perpetuo « retinendam de gratia concedimus liberali et pre-« sentis etiam scripti patrocinio confirmamus, salva « vicaria a nobis et dicto fratre Deodato procuratore « vestro taxata, ad quam vos et successores vestri « sive procurator vestri monasterii perpetuo ydo-« neum vicarium presentabunt, et ut hec nostra con-« cessio [et] confirmatio firma et stabilis perpetuis « temporibus perseveret, presentem cartam sigillo « nostro fecimus communiri. Actum apud Novumbur-« gum, XIIII kalendas junii, anno Incarnationis « Domini M. CC. XXXVIIII. »

Tintern, 26 mai 1239.

« Elyas miseratione divina Landavensis ecclesie « minister humilis, universis Christi fidelibus, ad quos « presens scriptum pervenerit, salutem in Domino. « Noverit universitas vestra nos considerato valore[1] « ecclesie Sancti Leonardi de Magor, nostre diocesis, « in qua nobilis vir Gillebertus Merescallus comes « Penbroch. jus patronatus, quod habuerat, et illud « per suas patentes litteras pro reverentia sanctis-« simi patris domini Gregorii VIIII pape, abbati et « conventui monasterii Sancte Marie de Gloria Ana-« gnini Florensis ordinis, ac per eos dicto monaste-« rio, intuitu divine contulit pietatis, et nos jus pa-« tronatus hujusmodi, sicut a dicto nobili viro « memorato monasterio integre ac libere concessum « est, confirmantes, ac dictam ecclesiam eisdem « fratribus ac per eos dicto monasterio pro fratrum « ipsius necessitatibus in proprios ac perpetuos usus « conferentes, in ecclesia eadem una cum fratre « Deodato monacho et procuratore monasterii supra-« dicti vicariam perpetuam duximus statuendam, ita « quod vicarius a dictis fratribus ad dictam eccle-« siam omni tempore presentandus, omnia onera spi-« ritualia et temporalia tam matricis ecclesie quam « capelle omni tempore sustinendo, altaragium, « minutas decimas, duodecim acras terre, quarum « quatuor sunt in mora et octo juxta montes[2] perci-« piat et sit contentus, dictam vero ecclesiam cum « domibus, grangiis, et omnibus proventibus, reliquis « et decimis feni et aliis omnibus circumstantiis, cum « vivario et tota terra juxta ipsum pertinentibus ad « eandem, predicto fratri Deodato monacho et pro-« curatori ejusdem monasterii nomine auctoritate

1. *Ms.* : valorem.
2. *Ms.* : justa.

« propria assignandam duximus in usus proprios et « perpetuos a jamdicto monasterio et fratribus ibi- « dem Deo servientibus perpetuo possidendam. In « cujus rei testimonium presentem cartam sigillo « nostro fecimus roborari. Actum apud Tintern., « VI kalendas junii, anno Domini M. CC. XXXVIIII. »

« Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, idibus martii, anno secundo. »

2347 Viterbe, 22 novembre 1257.

Episcopo et capitulo Augustensibus notum facit se omnibus vere paenitentibus et confessis, qui ecclesiam Augustensem in honore beatae Mariae Virginis constructam visitarint in festo Assumptionis ejusdem Virginis et infra octavas ejus, unum annum et quadraginta dies, illuc vero accedentibus in aliis dictae Virginis festivitatibus, quadraginta dies annuatim de injunctis paenitentiis relaxare. (Reg. 25, a. III, c. 732, f. 99v.)

« .. *episcopo et capitulo Augustensibus*. Gloriosus Deus in sanctis —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2348 Viterbe, 27 novembre 1257.

Inhibet ne aliquis in parrochiis ecclesiarum, in quibus abbas et conventus monasterii Aquicinctensis jus patronatus habent, decimas de manibus laicorum sine speciali licentia redimere vel acquirere possit quamdiu parati sunt eas redimere. (Reg. 25, a. III, c. 733, f. 99v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Aquicitensis ordinis Sancti Benedicti, Attrebatensis diocesis*. Religionis vestre favor exposcit et devotionis vestre merita nos inducunt, ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, annuamus. Vestris igitur devotis precibus inclinati, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliquis in parrochiis ecclesiarum, in quibus jus patronatus habetis, rectoribus ecclesiarum ipsarum exceptis, decimas redimere vel acquirere possit de manibus la[i]corum sine vestra licentia speciali, quamdiu eas parati estis redimere de manibus eorundem. Nulli [etc. nostre inhibitionis etc. Datum Viterbii, V kalendas decembris, anno tertio. »

2349 Viterbe, 24 novembre 1257.

Magistro Willelmo Wasconi indulget, ut in aliquo beneficiorum suorum residens vel in scholis aut apud Sedem Apostolicam commorans sive nobilis viri Thomae de Sabaudia comitis insistens obsequiis possit praebendae, quam in ecclesia S. Donatiani Brugensis obtinet, percipere cum ea integritate proventus, distributionibus cotidianis dumtaxat exceptis, cum qua illas perciperet, si in ea personaliter resideret. (Reg. 25, a. III, c. 734 [1], f. 99v.)

« *Magistro Willelmo Wasconi scriptori nostro, canonico ecclesie Sancti Donatiani Brugensis, Tornacensis diocesis*. Per devotionis obsequia —. Dat. Viterbii, VII kal. decembris, anno tertio. »

2350 Viterbe, 24 novembre 1257.

Abbati S. Vedasti et Willelmo de Ebreduno, canonico Atrebatensi mandat, quatenus eidem magistro Willelmo Wasconi dictos proventus integre ministrari faciat. (Reg. 25, a. III, c. 734 [2], f. 100.)

« .. *abbati S. Vedasti et Willelmo de Ebreduno, canonico Atrebatensi*. Per devotionis obsequia —. Dat. ut in alia. »

2351 Viterbe, 25 novembre 1257.

Nobilibus viris dominis, vassalis et aliis habitatoribus castri de Trebis mandat, ut Raynaldo de Genna, cui jura, redditus et proventus ejusdem castri concessit, homagium faciant, necnon de praedictis juribus respondeant. (Reg. 25, a. III, c. 735 [1], f. 100; Potthast 17084.)

« *Nobilibus viris dominis vassalis et aliis habitatoribus castri de Trebis*. Cum nos jura, redditus, et proventus, que Romana Ecclesia in castro de Trebis, Anagnine diocesis, obtinebat, dilecto filio nobili viro Raynaldo de Genna nepoti nostro, de fratrum nostrorum consilio et assensu, in perpetuum duxerimus concedenda, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur, volumus et presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus eidem vel procuratori suo ejus nomine juramenta fidelitatis prestare ac ligium homagium facere necnon de predictis juribus, redditibus, et proventibus sicut hactenus predicte respondebatis ecclesie, integre ac plenarie respondere curetis. Alioquin dilecto filio.. Campanie Maritimeque rectori litteris nostris injungimus, ut vos ad hec spiritualiter et temporaliter, appellatione remota, compellat. Datum Viterbii, VII kalendas decembris, anno tertio. »

2352 Viterbe, 26 novembre 1257.

Campaniae Maritimaeque rectori mandat, quatenus, si habitatores praedicti castri de Trebis supradicta mandata neglexerint adimplere, eos ad id compellat. (Reg. 25, a. III, c. 735[2], f. 100.)

« .. *Campanie Maritimeque rectori*. Cum nos jura —. Dat. Viterbii, VI kal. decembris, anno tertio. »

2353 Viterbe, 1er décembre 1257.

Confirmat litteras, quibus Octavianus S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis, de mandato ipsius papae, Arnaldo Maynardi concedit canonicatum et praebendam sacerdotalem Engolismensis ecclesiae, quae magister Guillelmus de Gromo resignavit. (Reg. 25, a. III, c. 736[1], f. 100.

« *Arnaldo Maynardi subdiacono, rectori ecclesie de Ayrasvilla, Engolismensis diocesis*. Hiis que fiunt nostri auctoritate mandati, ut intacta permaneant et illibata consistant, libenter adicimus apostolici roboris firmitatem. Tua sane petitio nobis exhibita continebat, quod dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis tibi canonicatum et prebendam sacerdotalem, que magister Guillelmus de Gromo dudum obtinens in Engolismensi ecclesia libere auctoritate nostra in ipsius cardinalis manibus resignarat, de speciali mandato nostro sibi oretenus facto contulit cum omnibus suis pertinentiis et te de ipsis per suum pileum investivit, ita quod ad ordines et residentiam tenearis, prout ipsius prebende onus exigit et ejusdem ecclesie consuetudo requirit, non obstante si aliqui sint ibidem quacumque auctoritate recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus, quoad assecutionem aliarum prebendarum, nullum prejudicium generetur, seu qualibet Sedis Apostolice indulgentia vel statuto, cujuscumque tenoris fuerint, per que collatio et investitura hujusmodi valeant impediri. Te quoque dictus cardinalis ad eandem prebendam in ecclesia ipsa recipi statuit, et si secus fieret irritum et inane decrevit, prout in instrumento publico inde confecto et sigillo ipsius cardinalis munito plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eodem cardinali factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem instrumenti ejusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est :

Viterbe, 19 novembre 1257.

« In nomine Domini. Amen. Nos Octavianus miseratione divina Sancte Marie in Via Lata diaconus « cardinalis, recepta nomine et vice domini Alexandri pape IIII et de ipsius speciali mandato nobis « viva voce facto, libera resignatione a magistro « Guillelmo de Gromo, canonico ecclesie Engolismensis, de canonia et jure canonicatus et prebenda, « quod et quam in dicta ecclesia obtinebat, de « ipsius domini pape licentia et mandato oretenus « nobis facto, dictos canonicatum, canoniam, et « prebendam sacerdotalem, quam dictus magister in « prefata ecclesia obtinebat, cum plenitudine juris « canonici Arnaldo Mainardi subdiacono, rectori ecclesie de Ayrasvilla, damus et concedimus, et ipsum de predictis cum pileo, quod in manu tenemus, « auctoritate et mandato predictis presentialiter investimus cum omnibus juribus et pertinentiis ad « dictos canonicatum et prebendam pertinentibus, ut « juxta statuta ipsius Engolismensis ecclesie tam in « suscipiendis ordinibus quam in exequendo sacerdotale officium se faciat promoveri et ibidem residentiam faciat personalem, prout prebende ipsius « ecclesie, ad quam recipietur, consuetudo requirit, « non obstantibus si in ipsa ecclesia Engolismensi « sint aliqui quacumque auctoritate recepti vel ut « recipiantur insistant, quibus dictus rector in assecutione dictorum canonicatus et prebende preferatur, ita quod quantum ad assecutionem aliarum « prebendarum nullum aliis prejudicium generetur, « seu statuto de certo canonicorum numero quacumque firmitate vel juramento vallato et privilegiis sive indulgentiis aut litteris seu statutis Sedis « Apostolice, sub quacumque forma verborum conceptis, de quorum toto tenore vel de verbo ad « verbum oporteat, quod in presentibus mentio habeatur, et per que dicta concessio et investitura « possint aliquatenus impediri ; volentes et statuentes auctoritate prefata, quod idem Arnaldus a « venerabili patre.. episcopo et discretis viris.. « decano et capitulo Engolismensibus, statuto aliquo « non obstante, recipiatur in canonicum et in fratrem, decernentes irritum et inane si secus de predictis a quoquam contingeret attemptari. In cujus « rei testimonium presentem concessionem et

« investituram per infrascriptum notarium nostrum « scribi mandavimus et sigilli nostri fecimus appen- « sione muniri. Actum Viterbii in hospitio supradicti « domini cardinalis, anno Domini M.CC.LVII, indic- « tione I, mense novembri, die martis XVIIII in- « trante, presentibus domino Uberto de Cocanato « domini pape capellano, domino Alberto Azzarii « cive Parmensi, et fratre Iterio dicto Pater noster, « testibus ad hoc rogatis et vocatis. Ego Zambra- « sius de Burgo Sancti Laurentii, Florentine diocesis, « imperiali auctoritate notarius, predicta de man- « dato supradicti domini cardinalis scripsi et in « publicam formam redigi. »

« Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2354 Viterbe, 1er décembre 1257.

Archipresbytero de Archiaco mandat, quatenus eundem Arnaldum Maynardi in possessionem dicti canonicatus inducat. (Reg. 25, a. III, c. 736 [2], f. 100v.)

« .. *archipresbitero de Archiaco, Xantonensis diocesis.* Petitio dilecti filii —. Dat. Viterbii ut in alia. »

2355 Viterbe, 8 novembre 1257.

Episcopo et capitulo Ovetensibus per triennium indulget, ut occasione archidiaconatus de Benevento, per litteras Sedis Apostolicae conveniri ultra duas dietas ab eorum ecclesia nequeant. (Reg. 25, a. III, c. 737, f. 100v.)

« .. *episcopo et capitulo Ovetensibus.* Vestre devotionis meretur honestas, ut petitionibus, quas nobis non indignas favore porrigitis, exauditionis benivolentiam impendamus. Cum igitur sicut nobis significare curastis archidiaconatus de Benevento in ecclesia vestra per unam dietam extra Ovetensem diocesim extendatur, ac ipsius occasione [conveniri] ultra fines ejus per duas dietas sepius teneamini auctoritate Sedis Apostolice litterarum, nobis supplicastis instanter, ut super hiis vobis providere benignius curaremus. Vestris itaque precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per litteras dicte Sedis conveniri ultra duas dietas a vestra ecclesia nequeatis, nisi eedem littere plenam et expressam fecerint de indulto hujusmodi mentionem; presentibus post triennium minime valituris. Nulli etc. nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, VI idus novembris, anno tertio. »

2356 Viterbe, 1er décembre 1257.

Cum magistro Galfrido de Fulcham dispensat, ut praeter beneficia, quae obtinet et quorum proventus sexdecim marcarum sterlingorum valentiam vix excedunt, unum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 738, f. 100v.)

« *Magistro Galfrido de Fulcham de Erdinton, et de Clahangre ecclesiarum rectori, Londoniensis et Exoniensis diocesium.* Illos precipue. Dat. Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2357 Viterbe, 8 décembre 1257.

Episcopo Lexoviensi mandat, quatenus magistro Laurentio subdiacono, capicerio Lexoviensi, de aliquo ecclesiastico beneficio providere curet. (Reg. 25, a. III, c. 739, f. 100v.)

« .. *episcopo Lexoviensi.* Cum devotis nostris —. Dat. Viterbii, VI idus decembris, anno tertio. »

2358 Viterbe, 24 novembre 1257.

Riccardum quondam abbatem monasterii Corneliensis in capellanum suum admittit. (Reg. 25, a. III, c. 740, f. 100v.)

« *Ricardo quondam abbati monasterii Corneliensis, ordinis Sancti Benedicti, Lexoviensis diocesis.* Meritis tue probitatis —. Dat. Viterbii, XIII kal. decembris, anno tertio. »

2359 Viterbe, 4 décembre 1257.

Cantori ecclesiae de Homburo mandat, quatenus non obstante constitutione quadam generali, Walterum rectorem ecclesiae de Fivis qui P[etri] S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legati, litteras directas ad magistrum Nicholaum dictum Morum canonicum Virdunensem impetravit, in ecclesia S. Salvatoris Metensi recipi faciat in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 741, f. 101.)

« .. *cantori ecclesie de Homburo, Metensis diocesis.* Ex parte dilecti filii —. Dat. Viterbii, II nonas decembris, anno tertio. »

2360 Viterbe, 19 octobre 1257.

Episcopo Nemausensi mandat, quatenus Guidoni Fulcodii Aniciensi electo, munus consecrationis impendat. (Reg. 25, a. III, c. 742, f. 101.)

« .. *episcopo Nemausensi*. Cum nuper dilectum filium Guidonem Fulcodii propter excellentiam meritorum suorum, quibus per Dei gratiam pollere dinoscitur, Aniciensi ecclesie, nobis immediate subjecte, prefecerimus in episcopum et pastorem, ac electum ipsum, qui debilis dicitur, a labore veniendi ad curiam pro consecrationis munere obtinendo relevari velimus et indempnitati ejusdem ecclesie providere, mandamus, quatinus ipsi electo, adhibito tecum episcoporum numero juxta sanctiones canonicas, vice nostra munus consecrationis impendas, recepturus ab eo postmodum nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis solite juramentum, secundum formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per ejus patentes litteras, suo sigillo signatas per proprium nuntium ad nos quantotius studeas destinare. Datum Viterbii, XIIII kal. novembris, anno tertio. »

2361 Viterbe, 22 juin 1257.

Sacristae Vivariensi mandat, quatenus quandam venditionem rescindat, si ei constiterit venditorem ultra dimidium justi pretii fraudulenter esse deceptum. (Reg. 25, a. III, c. 743, f. 101.)

« .. *sacriste Vivariensi*. Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod Guillelmus de Chalanco, canonicus Aniciensis, Petro Bartholomei, civi Aniciensi, dolo et fraude inductus temporalem jurisdictionem, quam in quadam parte civitatis Aniciensis ac quibusdam aliis locis habebat, et res alias vendidit, in quarum venditione etiam ultra dimidiam justi pretii asserit se deceptum, de non veniendo contra venditionem hujusmodi a Guillelmo predicto prestito juramento. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, predictum Petrum Bartholomei, ut recepto pretio quod pro jurisdictione ac rebus predictis dedit, venditionem rescindat, juramento hujusmodi non obstante, vel ei suppleat, quod venditionis tempore noscitur justo pretio defuisse, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, previa ratione, compellas. Datum Viterbii, X kal. julii, anno tertio. »

2362 Viterbe, 8 décembre 1257.

Succentori Bituricensi mandat, quatenus priorem et capitulum ecclesiae S. Cyrici de Exolduno, Bituricensis dioecesis, juxta tenorem priorum litterarum eis directarum inducat, ut Gaufridum de Albigniaco dictum Belins, pauperem clericum, in eorum ecclesia recipiant in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 744, f. 101.)

« .. *succentori Bituricensi*. Exposuit nobis dilectus filius —. Dat. Viterbii, VI idus decembris, anno tertio. »

2363 Viterbe, 1er décembre 1257.

Waltero de Caltrep, rectori ecclesiae de Magna Cressingham indulget, ut praeter dictam ecclesiam curam animarum habentem, ecclesias de Sufeld. et de Naringes, Norwicensis dioecesis, licite recipere et retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 745, f. 101.)

« *Waltero de Caltrep rectori ecclesie de Magnacressingham, Norwicensis diocesis*. Illos precipue prosequi —. Dat. Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2364 Viterbe, 9 décembre 1257.

Infrascriptis mandat, quatenus magistrum Nicholaum de Plimpton. archidiaconum Norfolchiae, non permittant super eodem archidiaconatu et beneficiis, quae obtinet, ab aliquibus molestari. (Reg. 25, a. III, c. 746, f. 101^{v}.)

« .. *abbati de Waltham Londoniensis diocesis*.. *priori Norvicensi et* .. *precentori ecclesie Sancti Pauli Londoniensis*. Quia nonnulli etc. usque : cum itaque dilectus filius noster magister Nicolaus de Plimpton., archidiaconus Norfolchie, capellanus noster, sicut idem proposuit coram nobis, a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, super archidiaconatu Norfolchie et aliis beneficiis, que in regno Anglie optinet, molestias multiplices patiatur, nos volentes eidem contra insolentias malignantium providere, mandamus, quatinus eidem capellano efficaciter favoris presidio assistentes, non permittatis ipsum super eisdem archidiaconatu et beneficiis ab aliquibus indebite molestari. Molestatores etc. Presentibus post quinquennium minime valituris etc. Quod si non omnes etc. Datum Viterbii, V idus decembris, anno tertio. »

2365 Viterbe, 5 décembre 1257.

Magistro Nicholao de Plimpton., archidiacono Norfolchiae, indulget, ut praeter ecclesiastica beneficia, quae obtinet,

adhuc unicum aliud beneficium licite recipere et retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 747, f. 101v.)

« *Magistro Nicolao de Plimpton, capellano nostro, archidiacono Norfolchie.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, nonis decembris, anno tertio. »

2366 Viterbe, 6 novembre 1257.

Priori et capitulo ecclesiae S. Amani in Biterria mandat, quatenus in eorum ecclesia Joannem de Veltia clericum recipiant in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 748, f. 101v.)

« .. *priori et capitulo secularis ecclesie Sancti Amani in Biteria, Bituricensis diocesis.* Ut reddantur merita clariora —. Dat. Viterbii, VII idus novembris, anno tertio. »

2367 Viterbe, 13 décembre 1257.

Infrascriptis liberam facultatem concedit compromittendi in abbatem monasterii de Spineto tanquam in arbitrum et compositorem amicabilem super quaestione inter ipsos orta et potestatem, consilium et commune Clusinos. (Reg. 25, a. III, c. 749, f. 101v.)

« .. *episcopo et.. preposito ecclesie Sancte Mustiole Clusine ac eorum capitulis.* Olim inter vos ex parte una et potestatem, consilium et commune Clusinos ex altera, super temporali jurisdictione civitatis Clusine, domibus, vineis, nemoribus et aliis diversis articulis questio mota fuit et propter hoc materia multe turbationis exorta, nunc autem, faciente Domino, a quo bona cuncta procedunt, vos et ipsi super hoc sicut accepimus in viam pacis dirigi cupitis et terminare amicabiliter hujusmodi questionem volentes, in dilectum filium abbatem monasterii de Spineto, ordinis Vallis Umbrose, Clusine diocesis, sub certa pena precise compromittere super hiis ac observare ipsius abbatis arbitrium promittentes, si ad hoc consensus noster accedat. Nos igitur considerantes illud esse salutis consilium, quo tanta submovetur jurgiorum materia et periculosa membrorum et capitis turbatio conquiescit, in eundem abbatem tamquam in arbitrum, arbitratorem, laudatorem et compositorem amicabilem compromittendi super premissis et obligandi sub certa pena vos et successores vestros ad observationem omnium, que idem abbas in hac parte fuerit arbitratus, liberam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Viterbii, idibus decembris, anno tertio.

2368 Viterbe, 13 décembre 1257.

Episcopo Clusino mandat, quatenus postquam de supradicta quaestione in dictum abbatem monasterii de Spineto compromissum fuerit, relaxet sententias interdicti et excommunicationis in potestatem, consilium et commune Clusinos promulgatas. (Reg. 25, a. III, c. 750, f. 101v; Rodenberg, t. III, n° 471.

« .. *episcopo Clusino.* Olim inter te tuamque ecclesiam,.. prepositum ecclesie Sancte Mustiole Clusine ac earumdem ecclesiarum capitula ex parte una et .. potestatem, consilium, commune Clusinos ex altera, super temporali jurisdictione civitatis Clusine, domibus, vineis, nemoribus et aliis diversis articulis questio mota fuit et propter hoc materia multe turbationis exorta et tam occasione hujusmodi questionis quam pro eo etiam quod iidem potestas, consilium et commune quondam Frederico Romanorum imperatori contra Ecclesiam adheserunt, dicuntur in eos auctoritate apostolica diverse interdicti et excommunicationum sententie promulgate. Cum igitur inter te ac commissum tibi populum super hiis amicabilis concordia provenire credatur, nos cupientes inter vos haberi mutuam caritatem et habitam conservari, mandamus, quatinus postquam super hujusmodi controversiis in dilectum filium.. abbatem monasterii de Spineto, ordinis Vallis Umbrose, Clusine diocesis, extiterit juxta mandati nostri tenorem a partibus sollempniter compromissum et de servando ipsius abbatis arbitrio seu laudo prestite fuerint cautiones, dictas sententias juxta formam Ecclesie auctoritate nostra relaxes, injuncto eis nichilominus quod videris injungendum; non obstante si tibi et eisdem preposito et capitulis a Sede Apostolica sit indultum, quod eedem sententie relaxari non possint per ipsius Sedis litteras non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, vel qualibet alia indulgentia dicte Sedis cujuscumque tenoris, per quam id valeat impediri. Datum Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2369 Viterbe, 22 novembre 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Juniani, Lemovicensis dioecesis, mandat, quatenus Helyam Nigri pauperem clericum ejusdem dioecesis, in ecclesia S. Juniani recipiant in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 751, f. 102.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Sancti Juniani, Lemovicensis diocesis.* De dilecto filio Helya Nigri —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2370 Viterbe, 9 décembre 1257.

Cum electo Conventrensi omnia beneficia, quae tempore suae promotionis obtinebat, usque ad triennium reservaverit, volens adhuc dicti electi personam honorare, ei concedit facultatem conferendi et resignandi praebendam, quam in ecclesia Exoniensi per hujusmodi reservationem obtinet, magistro Nicholao de Plymptonia, archidiacono Norfolchiae, ac eundem faciendi in canonicum dictae ecclesiae recipi. (Reg. 25, a. III, c. 752, f. 102.)

« .. *electo Conventrensi.* Cum sicut ex parte tua —. Dat. Viterbii, V idus decembris, anno tertio.

2371 Viterbe, 11 décembre 1257.

Joanni Petri archidiacono Auriensi, intuitu nobilis viri Henrici fratris [Alphonsi] regis Castellae ac Legionis indulget, ut praeter archidiaconatum Auriensem unicum aliud ecclesiasticum beneficium recipere et retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 753, f. 102.)

« *Johanni Petri archidiacono Auriensi.* Licet ne quis plures —. Dat. Viterbii, III idus decembris, anno tertio. »

2372 Viterbe, 12 décembre 1257.

Aprili Roderici canonico Astoricensi, intuitu ejusdem nobilis viri Henrici fratris [Alphonsi] regis Castellae ac Legionis indulget, ut praeter canonicatum, quem in Astoricensi ecclesia obtinet, duo beneficia curam animarum habentia recipere et retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 754, f. 102.)

« *Aprili Roderici canonico Astoricensi, capellano dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis.* Licet ne quis. — Dat. Viterbii, II idus decembris, anno tertio. »

2373 Viterbe, 10 décembre 1257.

Omnibus ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, notum facit se fratribus hospitalis ecclesiae Beatae Mariae de Monte Cenisio nonnullas indulgentias et libertates concessisse. (Reg. 25, a. III, c. 755, f. 102v.)

« *Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris, et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint.* Cum dilectis filiis fratribus hospitalis ecclesie Beate Marie de Monte Cenisio, ordinis Sancti Augustini, Taurinensis diocesis, duxerimus indulgendum, ut semel in anno recipiantur in ecclesiis ad elemosinas colligendas, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus cum fratres ipsi ad loca vestra pro elemosinis accesserint colligendis, benigne recipientes eosdem et honeste tractantes, ipsos in ecclesiis vestris amonere populum et elemosinas libere querere permittatis, confratrias vestras, quas facere potestis cotidie, ipsorum confratriis, que semel in anno fiunt, nullatenus preponentes, nec occasione illarum elemosine pauperum Christi depereant et impediantur opera pietatis. De parrochianis autem vestris, qui domos illorum invadunt per violentiam vel infringunt aut indebitis molestiis opprimunt fratres ipsos et tam deposita quam res diripiunt eorumdem, cum exinde querimoniam deposuerint coram vobis tam districtam eis justitiam faciatis et ita jura eorum defendere ac manutenere curetis, quod ipsi ad nos pro defectu justitie sepe recurrere non cogantur, sed nos sollicitudinem et obedientiam vestram debeamus merito commendare, vosque beneficiorum, que in sancta domo illa fiunt, participes existatis. Preterea liberas et absolutas personas, que se domui eorum in sanitate vel infirmitate reddiderint, libere ac sine molestia recipi permittatis ab eis nec ipsos temptetis super hoc aliquatenus impedire. Illud autem non mediocriter movet nos nec modicum ecclesiastice derogat honestati, quod quidam vestrum contra institutionem sanctorum patrum in Turonensi concilio editam fratrum ipsorum corpora cum decedunt nolunt sine pretio sepelire; unde, quia tam prava exactio et iniqua non est aliquatenus toleranda, in obedientie vobis virtute precipimus, ut nullo modo a fratribus ipsis vel aliis pro sepultura quicquam exigere vel accipere, nisi quod spontanea decedentium liberalitas vel parentum devotio vobis contulerit, attemptetis, sed absque ullo pretio sepeliatis corpora mortuorum, et si quis hoc ulterius attemptaverit, taliter animadvertetis in eum, quod amplius similia non presumat. Ad hec presentium vobis auctoritate precipimus, ne ab eis contra tenorem privilegiorum Apostolice Sedis de nutrimentis animalium suorum, sive de ipsis animalibus decimas exigere presumatis. Cum autem oratoria vel cimiteria, secundum quod eis est beneficio privilegiorum Ecclesie Romane concessum, duxerint construenda, vos fratres archiepiscopi et episcopi eis pro se ac familia sua tantum orato-

ria dedicare ac cimiteria benedicere procuretis, nec aliquis vestrum contra tenorem privilegiorum ipsorum id impedire audeat aliquatenus vel turbare. De cetero quoque fratres hospitalis ipsius in vestris episcopatibus constitutos, qui crucem et suum habitum deponentes, per illecebras seculi et vitiorum corrupta vagantur, et illos etiam, qui prioribus suis contumaces et rebelles existunt et balivas detinent contra voluntates ipsorum, moneatis instanter et pro vestri officii debito compellatis, ut habitum depositum resumentes in obedientia prelatorum suorum devote ac humiliter perseverent et balivas sive alia officia per violentiam nullo modo detinere presumant. Quicumque autem mandatorum vestrorum extiterint contemptores, eos excommunicationis sententia percellatis, quam faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Preterea quicumque de facultatibus sibi a Deo collatis fratribus subvenerint antedictis et in tam sancta fraternitate statuerint se collegas eisque beneficia persolverint annuatim, eis, de beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, septimam partem injuncte penitentie relaxamus. Apostolica quoque auctoritate ob reverentiam ipsius hospitalis statuimus, ut hiis, qui eorum fraternitatem assumpserint, si forsan ecclesie, ad quas pertinent, a divinis fuerint officiis interdicte, ipsosque mori contigerit, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti, aut etiam publice usurarii, sepultura ecclesiastica non negetur. Volumus autem, ut liceat eis confratres suos, quos ecclesiarum prelati apud ecclesias suas malitiose non permiserint sepeliri, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti, aut etiam publice usurarii, tumulandos deferre ad ecclesias hospitalis ejusdem et oblationes tam pro eis quam pro aliis, qui in eorum cimiteriis requiescunt, exhibitas sine alieni juris prejudicio retinere, hoc etiam addito, ut receptores fraternitatis ejusdem seu etiam collectarum salvo jure dominorum suorum sub beati Petri et nostra protectione consistant. Adicimus insuper, ut si qui eorumdem fratrum, qui ad easdem fraternitates missi fuerint vel collectas, in quamlibet civitatem, castellum vel vicum advenerint, si forte locus ille a divinis fuerit officiis interdictus[1], in eorum jocundo adventu semel aperiantur ecclesie annuatim et, excommunicatis et nominatim interdictis ejectis, divina ibi officia celebrentur; salva in omnibus supradictis declaratione concilii generalis. Ad majorem quoque vestre mercedis cumulum nichilominus vobis mandando precipimus, quatinus hanc nostram constitutionem per parrochias vestras nuntiari propriis litteris faciatis. Mandamus etiam, ut si qui de clericis ecclesiarum vestrarum prefatis hospitalis fratribus cum licentia prelati et capituli sui sponte ac gratis per annum vel biennium decreverint deservire, nequaquam impediant et interim sua beneficia non ammittant. Datum Viterbii, IIII idus decembris, anno tertio.

1. *Ms.* : interdictis.

2374 Viterbe, 24 novembre 1257.

Pelagio Roderici, canonico Zamorensi, intuitu Octaviani S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, cujus idem canonicus capellanus existit, indulget, ut praeter canoniam ecclesiae Zamorensis, duo alia beneficia recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 756, f. 103.)

« *Pelagio Roderici canonico Zamorensi.* Devotionis et probitatis tue —. Dat. Viterbii, VIII kal. decembris, anno tertio. »

2375 Viterbe, 13 décembre 1257.

Episcopo Fundano mandat, quatenus Joanni archipresbytero ecclesiae S. Olivae de Cora, Velletrensis dioecesis, de aliquo ecclesiastico beneficio provideat, ei assignata interim duarum unciarum auri annua pensione de camera ejusdem episcopi. (Reg. 25, a. III, c. 757, f. 103.)

« .. *episcopo Fundano.* Volentes dilecto filio —. Dat. Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2376 Viterbe, 16 novembre 1257.

Rolando de Ferentino canonico Anagnino indulget, ut ecclesiam S. Walterici de Wollectis, Rothomagensis dioecesis et abbatiam saecularis ecclesiae S. Joannis Evangelistae de Ferentino, quas obtinet, curam animarum habentes, insimul retinere possit. (Reg. 25, a. III, c. 758, f. 103.

« *Rolando de Ferentino, canonico Anagnino rectori ecclesie S. Wallerici de Wollectis Rothomagensis, capellano P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis.* Quia devotionis claritate —. Dat. Viterbii. XVI kal. decembris, anno tertio. »

2377 Viterbe, 27 novembre 1257.

Abbati Stirpensi mandat, quatenus cum magistro Simone de Rupe Cavardi canonico Lemovicensi dispenset, ut duo

beneficia, quae indebite obtinet, possit de cetero libere retinere. Reg. 25, a. III, c. 759, f. 103.

« .. *abbati Stirpensi, Lemovicensis diocesis.* Dilectus filius magister Symon de Rupe Cavardi canonicus Lemovicensis nobis significare curavit, quod olim ipse de Beri et de Tost ecclesias, Norwicensis [et] Lincolniensis diocesium, curam animarum habentes obtinuit, et eas absque dispensatione Sedis Apostolice de facto possedit, super quo sibi a nobis petiit salubriter provideri. Quia vero nobis de dicto S. laudabile testimonium a pluribus perhibetur, mandamus, quatinus ab eodem S. libera illius ecclesie de premissis duabus, quam prius habuerat, resignatione recepta, de fructibus, quos medio tempore percepit ex ea facias ipsi ecclesie dignam et debitam satisfactionem impendi, et eidem S. propter hec injuncta penitentia salutari, eam tandem sibi de novo, auctoritate nostra, sibi conferas et assignes, non obstante quavis indulgentia dicte Sedis, cujuscumque tenoris fuerit, per quam posset hujusmodi collatio impediri; et ut dictas ecclesias possit de cetero licite retinere, dispenses nichilominus cum eodem, proviso quod eedem ecclesie debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Datum Viterbii, V kalendas decembris, anno tertio. »

2378 Viterbe, 15 novembre 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Mariae de Monte Morelli mandat, quatenus Riccardo de Thevrayo, clerico Bajocensis dioecesis, juxta priorum litterarum tenorem, de competenti beneficio providere curent. Reg. 25, a. III, c. 760, f. 103.

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Monte Morelli, ordinis Sancti Augustini, Abrincensis diocesis.* Ut super provisione dilecti filii Ricardi de Thevrayo —. Dat. Viterbii, XVII kal. decembris, anno tertio. »

2379 Viterbe, 12 décembre 1257.

Suspendit usque ad kalendas junii proximas sententiam excommunicationis et paenas, quas Henricus rex Angliae, propter defectus aliquos a se circa negotium Siciliae commissos incurrit. Reg. 25, a. III, c. 761, f. 103; Potthast 17105; Rodenberg, t. III, n° 470).

« .. *regi Anglorum illustri.* Ad reformandum negotium regni Sicilie, quod tecum et cum carissimo in Christo filio nostro Eadmundo nato tuo Sicilie rege illustri[1], Ecclesia Romana suscepit, et ad reparandum illud in prosecutionis statum, a quo propter obmissiones et protractiones[2] diversas cadere videbatur, dilectum filium magistrum Arlotum subdiaconum et notarium nostrum, de cujus fide plene confidimus, duximus de fratrum nostrorum consilio transmittendum, concessa sibi expressius sub certa forma super reformatione ipsius negotii usque ad kalendas junii proximas per alias nostras litteras facultate. Quoniam autem ante omnia tibi ad nuntiorum tuorum instantiam et alias etiam per nostre sollicitudinis studium sic duximus providendum, quod tu excommunicationis sententiam seu aliquas ex penis, que in privilegio concessionis, innovationis et confirmationis, quas prefato Eadmundo super predicto regno fecimus, continentur, propter defectus aliquos a te circa predictum commissos negotium nullatenus incurristi et regnum tuum non subjaceat ecclesiastico interdicto, super provisione hujusmodi contra penas easdem tibi et regno ipsi a nobis facta plene, tibi decernimus auctoritate presentium esse cautum tam ad conscientiam quam ad famam, ut presertim maculatus reatu vel nota perjurii nullatenus sentiaris. Ut autem super eisdem penis sic tibi prospiciatur in posterum et predicti reformationi negotii sic oportunitas temporis commodetur[3], quod non contingat illud in grave dispendium ecclesie ac ipsius regni perniciem protelari, penas omnes in predicto contentas privilegio, usque ad predictas kalendas, presentium auctoritate suspendimus, ita presertim quod interim occasione quorumcumque defectuum, a te in eodem negotio commissorum, tu excommunicationis sententiam vel reatum aut notam perjurii non incurras, nec regnum tuum subjaceat ecclesiastico interdicto, nec nos predictas innovationem, concessionem et confirmationem cassemus, irritemus, aut cassas vel irritas nuntiemus, nec de ipso regno interim aliter quomodolibet disponamus, sed jus, quod prefato regi Sicilie ex innovatione, concessione et confirmatione sibi super eodem regno factis a nobis extitit acquisitum, eidem et heredibus suis usque tunc salvum maneat et illesum, sicut erat, postquam eedem innovatio, concessio et confirmatio fuerunt eidem in memorato pri-

1. *Ms.* illustre.
2. *Ms.* : procurationes.
3. *Ms.* : quomodetur.

vilegio per nos facte. Ad cujus suspensionis irrefragabile testimonium presentes litteras fore decernimus efficaces. Datum Viterbii, II idus decembris, anno tertio. »

2380 Viterbe, 16 juin 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Mariae de Monte Morelli mandat, quatenus Riccardo de Thevrayo, clerico Bajocensis dioecesis, qui diu scolasticis disciplinis institit et in eisdem laudabiliter profecisse dicitur, nec est aliquod, ut asserit, ecclesiasticum beneficium assecutus, de aliquo beneficio competenti provideant. (Reg. 25, a. III, c. 762, f. 103v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Monte Morelli, ordinis Sancti Augustini, Abrincensis diocesis.* Digne agere credimus —. Dat. Viterbii, XVI kal. julii, anno tertio. »

2381 Viterbe, 4 décembre 1257.

Abbati Cluniacensi mandat, quatenus archiepiscopo Tarentasiensi, prioratum S. Petri de Alavardo, Cluniacensis ordinis, conferat et assignet. (Reg. 25, a. III, c. 763[1], f. 103v.)

« .. *abbati Cluniacensi.* Quia inter devotos Apostolice Sedis, aliquos propter majora ipsorum merita uberiori complecti dilectione tenemur, digne illis, cum et aliis benigni et propitii existamus, benivoli magis et favorabiles invenimur, immo ne noster circa tales fecundus affectus defectum aliquem in effectu contineat, sed in illo exuberet ad profectum, convenit, ut congruis ipsos honoribus studeamus attollere, non solum gratie nostre sibi gremium manu explicando munifica, verum etiam penes alios eorum commodum affectuoso studio procurando. Quia igitur venerabilis frater noster.. archiepiscopus Tarantasiensis tanta circa Romanam Ecclesiam puritate pollere devotionis et fidei reperitur, quod recte meretur et multe laudis attolli preconio et copiosi muneris magnitudine honorari, nos hec non indigne pensantes, considerantes etiam, quod de proventibus suis archiepiscopalibus, prout decet dignitatem archiepiscopalem sustentari non potest, ac volentes propter hoc sibi per te, de cujus specialiter benivolentia et liberalitate confidit, alicujus provisionis gratia subveniri, discretionem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes, quatinus attendens provide quod per ipsum archiepiscopum, cum sit potentia et dignitate sublimis, multa tibi et monasterio tuo poterunt comoda procurari, pensans insuper cum quanta tibi mentis affectione scribimus pro eodem, prioratum Sancti Petri de Alavardo, Cluniacensis ordinis, Grationopolitane diocesis ad tuam collationem spectantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, persone ipsius archiepiscopi ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram sue quoque probitatis obtentu conferas et assignes, proviso tamen, quod personis in eodem prioratu Domino servituris, de ipsius proventibus, more solito, vite necessaria ministrentur; non obstante si tibi et conventui predicti monasterii communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod ad providendum alicui de prioratibus hujusmodi minime teneamini quodque ad id compelli aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam aut totaliter non insertam hujusmodi gratia impediri valeat vel differri, et statuto quolibet ipsius ordinis juramento vallato, per quod forsitan prohibetur, ne prioratus hujusmodi personis secularibus conferantur; sciturus quod id gratum nobis erit plurimum et acceptum, quin immo eo gratius hoc habebimus quo ex devotione procedere videbitur potiori, certo namque argumento monstrabis, quod multum ad nos devotionem et predictum archiepiscopum sinceritatem habeas, si nostro in hac parte affectui studueris effectu consono concordare, et ut de nostra super hoc voluntate plenius tibi constet, firma teneas credulitate, quod exinde nos in tuis et monasterii tui agendis senties magis favorabiles et benignos et studebimus etiam alias tibi et ipsi monasterio, cognita in hoc tui animi puritate, grata vicissitudine respondere. Alioquin venerabili fratri nostro.. episcopo Grationopolitano litteris nostris injungimus, ut ipse per se vel per alium mandatum super hoc apostolicum exequatur. Contradictores etc. —. Datum Viterbii, II nonas decembris, anno tertio. »

2382 Viterbe, 3 décembre 1257.

Episcopo Gratianopolitano mandat, quatenus si praedictus abbas Cluniacensis mandatum apostolicum super hoc neglexerit adimplere, ipse illud exequatur. (Reg. 25, a. III, c. 763[2], f. 104.)

« .. *episcopo Grationopolitano*. Quia inter devotos —. Dat. Viterbii, III nonas decembris, anno tertio. »

2383 Viterbe, 13 décembre 1257.

Magistro Henrico de Mertinton indulget, ut praeter ecclesiastica beneficia, quae obtinet, quorum proventus viginti marcharum sterlingorum valentiam annuatim non excedunt, duo alia beneficia recipere et retinere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 764, f. 104.)

« *Magistro Henrico de Mertinton, rectori ecclesie de Kaingeston., Conventrensis et Lichefeldensis diocesis*. Volentes tibi tue devotionis —. Dat. Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2384 Anagni, 6 octobre 1256.

Petro Picaudi dicto de Ranconio, intuitu magistri Rostanni ipsius papae capellani, cujus dictus Petrus clericus existit, indulget, ut praeter duo beneficia, quae ex indulgentia Innocentii IV in provincia Bituricensi obtinet, unicum aliud recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 765, f. 104.)

« *Petro Picaudi dicto de Ranconio, canonico ecclesie Sancti Austregisili Bituricensis*. Consuevit Sedes Apostolica —. Dat. Anagnie, II nonas octobris, anno secundo. »

2385 Viterbe, 1er décembre 1257.

Magistro Petro canonico ecclesiae S. Stephani in Brolio Mediolanensis mandat, quatenus magistro Benjamin Sedis Apostolicae scriptori juxta Innocentii IV litterarum tenorem de aliquo beneficio providere curet. (Reg. 25, a. III, c. 766, f. 104.)

« *Magistro Petro canonico ecclesie Sancti Stephani in Brolio, Mediolanensis, Parisius commoranti*. Apostolice provisionis hos expertes relinqui non convenit, qui se nobis caros et acceptos per grata et diutina obsequia reddiderunt. Licet igitur, sicut dilectus filius magister Benjamin scriptor noster exposuit coram nobis, felicis recordationis I. papa predecessor noster eidem magistro in regno Alamannie de aliquo beneficio ecclesiastico per suas sub certa forma litteras mandaverit provideri, certo sibi super hoc executore concesso, idem tamen scriptor de hujusmodi gratia nullum adhuc commodum, sed potius labores multiplices et sumptus plurimos reportavit; super quo supplicavit sibi provisionis nostre remedio subveniri. Nos itaque moti erga eum pie compassionis affectu, eo quod propter proprii corporis debilitatem commode nequit ad presens scriptorie officium exercere, ac nolentes inchoatam sibi gratiam imperfectam relinqui, mandamus, quatinus in executione provisionis hujusmodi procedas per te vel per alium juxta ipsius predecessoris continentiam litterarum. Contradictores etc. Non obstante si aliquibus illarum partium a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem alicujus compelli non possint, aut alius cuiquam nequeat de beneficiis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus providere per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi, necnon illorum nominibus, ad quos beneficia ipsa pertinent, mentionem. Datum Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2386 Viterbe, 3 décembre 1257.

Decano et capitulo Bituricensibus mandat, quatenus magistrum Radulphum de Albussone canonicum Ebroicensem, ipsius papae capellanum, juxta priorum litterarum tenorem recipiant in canonicum ecclesiae Bituricensis, non obstante quodam ejusdem ecclesiae statuto. (Reg. 25, a. III, c. 767 [1], f. 104.)

« .. *decano et capitulo Bituricensibus*. Dilecti filii magistri Radulfi de Albussone —. Dat. Viterbii, III nonas decembris, anno tertio. »

2387 Viterbe, 3 décembre 1257.

Decano et succentori Bituricensibus mandat, quatenus si dictum capitulum mandata apostolica super hoc neglexerit adimplere, ipsi illud auctoritate apostolica exequi faciant. (Reg. 25, a. III, c. 767 [2], f. 104v.)

« .. *decano et.. succentori Bituricensibus*. Dilecti filii magistri Radulfi de Albussone, ut in alia usque in finem. »

2388 Viterbe, 18 décembre 1257.

Confirmat electionem M[atthaei] Conchensis episcopi in Burgensem episcopum. (Reg. 25, a. III, c. 768, f. 104v.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Burgensis*. Omnium ecclesiarum sollicitudini ex injuncto nobis apo-

stolice jugo servitutis astricti circa ipsarum singulas, prout ab eo permittitur, cujus vices licet immeriti gerimus, continue attentionis oculo vigilamus, in eo presertim, ut talibus earum regimen, nostro interveniente studio, committatur, quorum sollicitudine circumspecta et circumspectione sollicita laudabilibus auctore Domino proficiant incrementis. Sane dudum ecclesia vestra pastoris solatio destituta, vos, prout moris est, convenientes in unum, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, in tres de vestro collegio providendi vobis de presule contulistis unanimiter potestatem, quibus tandem venerabilem fratrem nostrum magistrum M. Burgensem tunc Conchensem episcopum postulantibus in ecclesie vestre pastorem, vos postulationem hujusmodi nobis per speciales nuntios presentantes, admitti eandem a Sede Apostolica humiliter petivistis s . Licet autem postulationem ipsam, quam non ex postulati vitio minus canonice factam invenimus, non duxerimus admittendam, volentes tamen ecclesie vestre vitare pericula, que sibi possent, si vacaret diutius, imminere, dictum magistrum M. tunc Conchensis ecclesie presulem virum utique probate vite, fame celebris et magne scientie ac circumspectionis experte Burgensi ecclesie, ipsius utilitate ac necessitate pensatis, de fratrum nostrorum consilio prefecimus in episcopum et pastorem, absolventes eum a vinculo, quo eidem Conchensi ecclesie tenebatur, et ad dictam Burgensem ecclesiam transferentes, sibi ad illam transeundi licentiam tribuendo, firma spe fiduciaque concepta, quod idem sue diligentie studio, per quam Conchensis ecclesia multiplex suscepisse dicitur incrementum, vestram ecclesiam in spiritualibus et temporalibus laudabiliter prestante Domino augmentabit. Ideoque universitati vestre mandamus, quatenus eundem episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, ipsi obedientiam et reverentiam debitam libere ac sine difficultate qualibet impendatis, ejus monitis et mandatis salutaribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus etc. observari. Datum Viterbii, XV kalendas januarii, anno tertio. »

2389 Viterbe, 21 décembre 1257.

Archiepiscopo Tarentasiensi mandat, quatenus circa ordinationem et reformationem ecclesiae Tarentasiensis efficaciter sine judicii et advocatorum strepitu procedat. (Reg. 25, a. III, c. 769, f. 104v ; Bernoulli, *Acta pontif. helvetica*, t. I. 668.)

« .. *archiepiscopo Tarentasiensi*. In nostra proposuisti presentia constitutus, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster, intellecto quod ecclesia Tarantasiensis propter torporem et incuriam canonicorum regularium ordinis Sancti Augustini tunc habitantium in eadem, multa incurrerat in spiritualibus et temporalibus detrimenta, dilecto filio nostro R. Sancti Angeli diacono cardinali, de fratrum suorum consilio, eandem per suas sub certa forma litteras commisit ecclesiam de secularibus canonicis ordinandam, qui juxta traditam sibi formam dictam ordinavit ecclesiam, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, mandans tibi [1] per suas litteras, ut ordinem hujusmodi executioni demandare cures; idemque predecessor, quod super hoc ab eodem cardinali factum extitit confirmavit, propter quod tu juxta ordinationem predictam prefatos regulares canonicos de voluntate ipsorum in aliis ecclesis consimilis ordinis, Tarentasiensis et Viennensis provinciarum, collocans, illis exceptis, qui personatus habebant et qui remanserunt in eisdem personatibus et aliis quibusdam remanentibus in ecclesia memorata, quibus de assensu eorum fuit sufficienter provisum, instituisti in ea, in qua erant quatuordecim regulares canonici vel circa hujusmodi numerum residentes, viginti canonicos seculares, predictis regularibus canonicis non contradicentibus nec reclamantibus, sed ordinationem potius acceptantibus supradictam, de non veniendo contra illam prestito a quibusdam eorum corporaliter juramento. Sed postmodum suggesto nobis mendaciter, quod ipsa ecclesia ex tali ordinatione non erat reformata sed potius deformata.. abbati Sancti Petri foris Portam Viennensis, sancti Benedicti,.. priori Vallis Sancte Marie, Diensis diocesis, Cartusiensis, et fratri Petro dicto Rocelin Lugdunensi, Predicatorum ordinum, nostris dedimus litteris in mandatis nullam de provisione hujusmodi predictorum canonicorum regularium et juramento predicto facientibus mentionem, ut personaliter accedentes ad locum, si eis de plano et sine judicii strepitu de premissis constaret et sine gravi scandalo fieri posset, predictos regulares canonicos, ordinatione et confirmatione predictis nequaquam

1. *Ms.* : sibi.

obstantibus, reducentes in eum statum, in quo fuerat tempore ordinationis predicte, amotis ab ipsa ecclesia secularibus canonicis, bona prefate ecclesie, que divisa erant inter seculares canonicos, reduci facerent in commune, alioquin quod super hoc invenirent, nobis per suas litteras fideliter intimarent. Cumque abbas et frater Petrus predicti, eodem priore se totaliter excusante, ad predictam ecclesiam accedentes super premissis ex arrupto, lite non contestata, inquisitionem fecissent, predicti canonici seculares ex certis et sufficientibus gravaminibus ad nostram audientiam appellarunt. Abbas vero et frater Petrus predicti non attendentes, quod ex hoc oriebatur magnum scandalum, eosdem seculares canonicos, quanquam predicta ecclesia non esset ex hujusmodi ordinatione deformata, fore amovendos ab ipsa ecclesia et reducendos in ea dictos regulares canonicos per diffinitivam sententiam, juris ordine non servato, pronuntiarunt iniquam, a qua quidam ex memoratis canonicis secularibus in vocem appellationis ad Sedem Apostolicam prorumperunt, nosque processum abbatis et fratris Petri predictorum super hoc habitum duximus confirmandum. Postmodum vero, intellecto quod predicta ecclesia propter contentiones hujusmodi patiebatur in spiritualibus et temporalibus non modicum detrimentum, venerabili fratri nostro.. archiepiscopo Ebredunensi et dilecto filio fratri Aymon de Crusilli priori fratrum Predicatorum Lausanensi per nostras injunximus litteras, ut ad eandem ecclesiam personaliter accedentes, si eis constaret ex premissis causis vel aliqua earum fuisse ad eandem Sedem a memoratis secularibus canonicis appellatum, revocarent in statum debitum quicquid post appellationes hujusmodi attemptatum temere invenirent, ac facientes sibi exhiberi ordinationem predicti cardinalis et hujusmodi processum predictorum abbatis et fratris Petri cum omnibus litteris apostolicis impetratis hinc inde, detentores ad exhibitionem earum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, ordinatione et processu predictis diligenter inspectis, prefatam ecclesiam de secularibus vel regularibus canonicis per se vel per alios, prout secundum Deum et utilitatem ipsius ecclesie expedire viderent, de plano et sine judicii et advocatorum strepitu ordinare curarent et ordinationem eorum facerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari ; injuncto nichilominus per alias litteras nostras archiepiscopo memorato, ut illos ex eisdem canonicis, quos a dicta ecclesia per se ac predictum priorem amoveri contingeret, si regulares existerent, in aliquibus locis consimilis ordinis, Tarantasiensis, Viennensis et Lugdunensis provinciarum, per se vel per alium collocaret ; si vero seculares forent, in aliquibus ecclesiis earundem provinciarum cathedralibus vel aliis faceret eos recipi in canonicos et in fratres ac ipsis de prebendis, si tunc vacarent vel quamprimum ad id se offerret oportunitas, provideret, ita quod in una ecclesia uni tantum deberet canonico provideri. Unde nobis humiliter supplicasti, ut cum per memoratos archiepiscopum et priorem nullus finaliter predictarum litterarum auctoritate habitus sit processus et tam regulares quam seculares canonici in te tamquam in arbitrum, arbitratorem et ordinatorem nuper compromiserint super omnibus supradictis, providere in hac parte predicte ecclesie de benignitate solita curaremus. Volentes igitur, quin immo toto mentis desiderantes affectu, ut eadem ecclesia ab hujusmodi dissentionum, quibus conquassatur, fluctibus penitus liberetur et ad statum tranquillum et prosperum reducatur, fraternitati tue mandamus, quatinus sententia, appellatione predictis et litteris ad predictos archiepiscopum et priorem super hoc directis nequaquam obstantibus, circa ordinationem et reformationem ipsius ecclesie, solum Deum habens pre oculis efficaciter de plano et sine judicii et advocatorum strepitu tam nostra quam tua auctoritate procedas, ordinando illam de regularibus vel secularibus canonicis, prout utilitati et bono, prospero et tranquillo ejusdem statui videris expedire. Contradictores etc. Datum Viterbii, XII kalendas januarii, anno quarto. »

2390 Viterbe, 7 décembre 1257

Inhibet ne ecclesiarum rectores a clericis vel laicis, qui in monasterio Claraevallis Deo famulari volunt, occasione hujusmodi pecuniam aut mortuarium extorquere praesumant. (Reg. 25, a. III, c. 770, f. 105.

« .. *abbati et conventui monasterii Clarevallis, Cisterciensis ordinis, Lingoniensis diocesis.* Vobis ad hec tota mente sollicitis, ut eterno regi per devote laudis obsequia placeatis, illa debemus prompto et benigno favore concedere, de quibus animarum salus possit, auctore Domino, provenire. Sane transmissa nobis vestra petitio continebat, quod cum sepe contin-

gat clericos et laicos sanos, liberos et absolutos e seculo fugientes velle vestrum ordinem profiteri ac una vobiscum sub vestre religionis habitu virtutum Domino perpetuo famulari, rectores ecclesiarum, quarum illi parrochiani existunt, eos pro mortuis occasione hujusmodi reputantes, super hoc ipsis temere se opponunt, donec ab eisdem vel illorum heredibus pecuniam extorqueant, que mortuarium nuncupatur, propter quod frequenter dictorum clericorum et laicorum pium in hac parte propositum impeditur, non sine dictorum monasterii et ordinis gravi prejudicio et animarum dispendio manifesto. Quare pro parte vestra humiliter petebatur a nobis, ut providere super hoc de circumspectione Sedis Apostolice curaremus. Cum itaque a nobis, qui religionis augmentum tota mente diligimus, tam detestabilis et enormis abusio debeat omnino respui et nullatenus sustineri, nos devotionis vestre precibus annuentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut prefatos clericos et laicos sanos, liberos et absolutos se sponte ad idem monasterium transferre volentes libere in monachos seu conversos recipere valeatis; ceterum districtius inhibentes, ne dicti rectores pecuniam ipsam seu mortuarium occasione hujusmodi ab eisdem clericis et laicis vel eorum heredibus exigere aut extorquere presumant, sententias suspensionis aut interdicti vel excommunicationis, que in vos vel monasterium ipsum aut aliquem alium pretextu vestri eadem occasione prolate fuerint, auctoritate predicta decernimus irritas et inanes. Nulli [etc.] nostre concessionis, inhibitionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, VII idus decembris, anno tertio. »

2391 Viterbe, 23 décembre 1257.

Magistro Rostanno archidiacono Agennensi mandat, quatenus Guillelmo Diderii, canonico Tarentasiensi, consanguineo Tarentasiensis archiepiscopi, de aliquo ecclesiastico beneficio in regno Angliae providere procuret. (Reg. 25, a. III, c. 771, f. 105.)

« *Magistro Rostanno archidiacono Agennensi, capellano nostro.* Ascriptis militie clericali —. Dat. Viterbii, X kal. januarii, anno quarto. »

2392 Viterbe, 27 juin 1257.

Magistro Sinicio mandat, quatenus decanum et capitulum ecclesie Londoniensis inducat, ut magistro Jacobo annuam pensionem debitam persolvant (Reg. 25, a. III, c. 772, f. 105v.)

« *Magistro Sinicio scriptori nostro in Anglia commoranti.* Dilectus filius magister Jacobus consanguineus dilecti filii magistri Johannis de Sancto Germano subdiaconi et notarii nostri, in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum .. decanus et capitulum ecclesie Londoniensis annuam pensionem trium marcarum sterlingorum ei tamdiu se promiserint soluturos donec sibi de beneficio ecclesiastico competenti spectante ad collationem ipsorum ducerent providendum, se ad hoc per suas patentes litteras obligando, dicti decanus et capitulum ei pensionem eandem per quinquennium et amplius motu proprio subtrahentes, providere sibi de dicto beneficio non curarunt, quamquam ad id obtulerit se facultas. Quare dictus Jacobus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse in partibus Anglicanis cum eisdem decano et capitulo nequeat litigare, providere sibi super hoc de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Quia vero eidem J. non possumus sicut nec debemus in suo jure deesse, qui sumus omnibus in sua justitia debitores, mandamus, quatinus prefatos decanum et capitulum, ut ei pensionem ipsam juxta litterarum ipsarum tenorem exsolvant, moneas efficaciter et inducas; quod si forte monitis tuis acquiescere noluerint in hac parte, tu eos ex nunc per te vel per alium ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra trium mensium spatium post citationem tuam per procuratorem ydoneum compareant coram nobis facturi et recepturi super premissis quod dictaverit ordo juris. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas patentes litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum Viterbii, V kal. julii, anno tertio. »

2393 Viterbe, 5 octobre 1257.

Magistrum Rostandum capellanum suum sub beati Petri et sua protectione suscipiens, ei indulget, ut residens in uno de beneficiis, quae obtinet, possit in aliis per idoneos vicarios facere deserviri. (Reg. 25, a. III, c. 773, f. 105v.)

« *Magistro Rostando capellano nostro.* Grata tue devotionis obsequia —. Dat. Viterbii, III nonas octobris, anno tertio. »

2394 Viterbe, 22 novembre 1257.

Eidem indulget, ut loco illorum e suis beneficiis, quae resignare potuerit, ei totidem recipere et retinere liceat. (Reg. 25, a. III, c. 774, f. 105v.)

« *Eidem.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2395 Viterbe, 22 novembre 1257.

Eidem supplicanti indulget, ut tres ejus clerici per quinquennium ejus obsequiis vel Henrici regis Angliae servitiis insistentes proventus beneficiorum, quae obtinent, cum ea integritate percipere valeant, distributionibus cotidianis dumtaxat exceptis, cum qua ilios perciperent si in ipsis ecclesiis personaliter residerent. (Reg. 25, a. III, c. 775, f. 105v.)

« *Eidem.* Tuam volentes honorare personam —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2396 Viterbe, 13 décembre 1257.

Rostando archidiacono Agennensi concedit facultatem dispensandi auctoritate apostolica cum duobus clericis, ut duo ecclesiastica beneficia curam animarum habentia, insimul recipere et retinere valeant. (Reg. 25, a. III, c. 776, f. 106.)

« *Rostando capellano nostro, archidiacono Agennensi.* Tuam volentes honorare personam —. Dat. Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2397 Latran, 30 avril 1257.

Jacobo canonico Paduano confirmat collationem canonicatus et praebendae, quibus Petrus quondam Paduanus canonicus ab episcopo Adriensi privatus est. (Reg. 25, a. III, c. 777, f. 106.)

« *Jacobo canonico Paduano, nato nobilis viri Manfredi de Lobia, Ecclesie Romane devoti.* Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Tua sane nobis exhibita petitio continebat, quod cum dilectus filius noster. O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, tunc in provincia Lombardie Apostolice Sedis legatus, venerabili fratri nostro.. episcopo Adriensi suis dederit litteris in mandatis, ut Petrum Abbatisse quondam canonicum Paduanum, qui Ezelino de Romanis, Dei et Ecclesie inimico adherere presumpsit, canonicatibus et prebendis, que in majori et Sancti Michaelis ecclesiis Paduanis habebat, privans, ea personis idoneis Ecclesie Romane devotis conferre ac assignare curaret, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, idem episcopus dictum Petrum canonicatu et prebenda, que tunc in Paduana obtinebat ecclesia, litterarum ipsarum auctoritate, de premissis legitime cognito et comperto privavit et ipsa tibi in devotione Sedis Apostolice persistenti canonice contulit, investiens te nichilominus de eisdem, prout in publico instrumento inde confecto dicitur plenius contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli [etc.] nostre confirmationis etc. Datum Laterani, II kalendas maii, anno tertio. »

2398 Viterbe, 22 novembre 1257.

Confirmat restitutionem castri Gennae ab abbate et conventu monasterii Sublacensis nobilibus viris Raynaldo et Joanni dominis castri Gennae et eorum haeredibus factam. (Reg. 25, a. III, c. 778, f. 106.)

« *Nobilibus viris Raynaldo et Johanni nepotibus nostris dominis castri Genne, heredibus quondam Philippi patris nostri, domini ejusdem castri.* Hiis, que fiunt et peraguntur ab aliis, consuevit Apostolica Sedes adicere firmitatem, et si quicquam neglectum est vel omissum, quod utile ac necessarium ad rei geste perfectionem existeret, defectum hujusmodi sua precellenti auctoritate supplere, ut sic aliorum acta, que alias efficaciam in se obtinent et vigorem, potiori fulcimento subsistant et perdurent robore firmiori, et quibus ad sui debitum complementum aliquid forte deest, reddantur per hec magis valida magisque stabilia perseverent. Sane bone memorie Lando, abbas monasterii Sublacensis, in rocca Sublacensi, existens sanus mente, adeo tamen alias debilis, quod ad monasterium tunc ire non poterat, et conventus ipsius monasterii in capitulo ejusdem monasterii ad hoc specialiter congregati, nulla vi coacti vel dolo inducti sed sua bona libera voluntate ac consensu acceptaverunt et ratificaverunt restitutionem et concessionem castri Genne cum omnibus usibus, utilitatibus et pertinentiis suis

factam quondam Philippo de Genna patri nostro tuoque, fili R., avo, et tuo, fili J., proavo et ejus heredibus in perpetuum per eosdem abbatem et conventum, sicut apparet per quasdam litteras sigillo ejusdem monasterii communitas. Acceptaverunt etiam quicquid in eisdem litteris continetur et promiserunt pro se suisque successoribus in perpetuum inviolabiliter observare, nec movere litem vel questionem aliquam super hujusmodi restitutione ac concessione ipsi Philippo ejusque heredibus in futurum. Dederunt etiam, cesserunt et mandaverunt eidem Philippo et ejus heredibus omne jus, omnemque actionem realem et personalem, tacitam et expressam, quod et quas habebant vel habere poterant contra ipsos ex quacumque causa vel jure ratione castri predicti, renuntiantes omni exceptioni, juri et rationi omnique contemptui, que possent obicere pro eo quod predicte littere non fuere de communi eorum voluntate confecte, omni etiam contemptui, quem ex quacumque alia causa possent obicere, necnon et omni contradictioni et appellationi et quibuscumque litteris super contradictione et appellatione et quocumque alio contemptu conscriptis, quas voluerunt et mandaverunt esse cassas et nullas omnique robore ac firmitate carere, necnon et omnibus litteris impetratis vel etiam impetrandis omnique privilegio, consuetudini et statuto contra dictum Philippum et ejus heredes ratione castri ejusdem competentibus vel competituris eisdem, per que contractus hujusmodi possit in aliquo minui vel rescindi; salvis tamen illis juribus, que dicti abbas et conventus in ipso castro Genne habere dicebant, prout in predictis litteris plenius continetur. Ad majorem autem firmitatem et evidentiam premissorum Gualterus, ejusdem monasterii prepositus, de mandato et voluntate fratrum suorum predictorum, Philippum tunc presentem de castro Genne cum rocca et tenimentis suis omnibus et juribus universis, per quendam scifum argenteum investivit. Renuntiaverunt preterea venditioni dudum facte a quondam Raynaldo ejusdem Philippi patre, avo nostro, de consensu ejusdem Philippi monasterio memorato, omnique juri, exceptioni et rationi eis pretextu predicte venditionis tunc competentibus, et que in posterum quocumque modo vel jure contra ipsum Philippum et heredes ipsius competere possent. Mandaverunt insuper iidem abbas et conventus instrumentum super hujusmodi venditione confectum omnino rescindi, quod utique instrumentum frater David de Afili monachus ejusdem monasterii rescidit in capitulo de ipsorum mandato et unanimi voluntate. Voluerunt nichilominus et mandaverunt iidem abbas et conventus, ut si quod instrumentum vel alique littere aut aliquis rogus seu quecumque alia scriptura per tabellionem vel per quemcumque alium de hoc confecta forsitan apparuerint, sint cassa et cancellata nec robur habeant firmitatis. Hec autem omnia et singula promiserunt ipsi abbas et conventus pro se suisque successoribus in perpetuum rata et firma semper habere, nec contra ratione aliqua vel exceptione venire, sed castrum predictum ejusque jura dicto Philippo ejusque heredibus legitime defendere ab omni molestante persona et reficere ipsis dampna et expensas, que et quas incurrerent si contra predicta aliquid contingeret attemptari. Ceterum quidam monachi ejusdem monasterii, qui hujusmodi restitutioni et concessioni, tempore quo facte fuerunt, non consenserant, informantes conscientias et animos suos per litteras felicis recordationis Innocentii pape IIII predecessoris nostri, in quibus erant dicte littere abbatis et conventus inserte, ac recognoscentes quod recte, rationabiliter et de jure predicte restitutio et concessio facte fuerant, bona voluntate ac libenti animo specialiter et expresse acceptaverunt restitutionem et concessionem hujusmodi, consentientes omnibus et singulis supradictis ac renuntiantes omni contemptui, quem possent allegare pro eo, quod vocati non fuerant ad restitutionem et concessionem easdem, omnique appellationi et litteris impetratis et etiam impetrandis, omnique juri et exceptioni, per que contractus hujusmodi posset in aliquo impediri, prout in instrumento publico super hiis confecto plenius et expressius perspeximus contineri. Nos itaque, quod super hiis a prefatis abbate et conventu factum est ratificamus ex certa scientia et approbamus, ac premissas restitutionem, concessionem, acceptationem, ratificationem, promissionem, renuntiationem et investituram habentes acceptas ac inviolabiles, inconcussas et stabiles in perpetuum manere volentes, illas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Et quia in eisdem restitutione, concessione, acceptatione, ratificatione, promissione, renuntiatione et investitura quando facte fuerunt licentia vel auctoritas seu assensus Romani Pontificis minime intervenit, nos omnem defectum, qui ex hoc fuit, et quemlibet alium, si quis ex quacumque

causa in restitutione, concessione, acceptatione, ratificatione, promissione, renuntiatione et investitura predictis est habitus, supplemus de apostolice plenitudine potestatis, ita quod, hujusmodi defectibus nequaquam obstantibus, eedem restitutio, concessio, acceptatio, ratificatio, promissio, renuntiatio et investitura valide per totum et efficaces existant et perpetua vigeant firmitate, nec ullo unquam tempore valeant violari, neque liceat abbati et conventui prefati monasterii, qui sunt vel fuerint pro tempore, predictas restitutionem, concessionem et acceptationem, ratificationem, promissionem, renuntiationem et investituram et alia supradicta revocare, irritare vel reprobare in toto vel in parte aut venire vel attemptare seu facere aliquid contra ipsas; et si forte presumpserint, sit omnino vacuum, irritum et inane. Verum, quia felicis recordationis Innocentius papa III predecessor noster abbati et conventui ejusdem monasterii in virtute obedientie sub interpositione anathematis, suis dedit litteris in preceptis, ut de bonis ipsius monasterii vendere, infeudare, impignorare vel locare aut aliter alienare seu aliquem hujusmodi innovare contractum ultra valorem centum librarum sine suo speciali et expresso consensu nullatenus attemptarent decrevitque quod contra mandatum ejus attemptaretur irritum et inane, quia insuper idem Innocentius papa III dicitur ordinasse, quod memoratum castrum Genne esset perpetuo de mensa vel demanio monasterii supradicti, ne quid contra ipsius ordinationem fieret, prohibens sub anathematis vel alia certa pena et in irritum revocans, si aliqua in posterum alienatio fieret de eodem, nos, ne supradicte restitutio, concessio, acceptatio, ratificatio, promissio, renuntiatio et investitura propter hec videantur vel censeantur invalide, irrite et inanes aut revocate, neve aliquatenus enervari vel infringi seu infirmari hac occasione valeant, apostolica auctoritate statuimus, ut premissis ipsius Innocentii pape III litteris, precepto, decreto, ordinatione, prohibitione, pena, revocatione ac ceteris, que in eisdem continentur litteris, et quibuscumque apostolicis seu etiam aliis litteris, instrumentis vel munimentis, que predictis restitutioni, concessioni, acceptationi, ratificationi, promissioni, renuntiationi et investiture aut nostre in hiis approbationi, confirmationi et suppletioni obviari vel obesse, seu eas impedire, debilitare, infirmare vel rescindere possent in aliquo, nequaquam obstantibus, eedem restitutio, concessio, acceptatio, ratificatio, promissio, renuntiatio et investitura, necnon approbatio et confirmatio et suppletio in omnibus et per omnia perpetuo valeant et irrevocabili ac inviolabili semper stabilitate perdurent, maxime cum ex ipsa facti evidentia vel per ipsius rei effectum notorium certi immo certissimi existamus, quod prefati monasterii abbas et monachi predictos Philippum et Raynaldum hostiliter obsidentes, eos possessione memorati castri nequiter destituerunt et ab ipsis spoliatis jam et de castro eodem ejectis ac magna paupertate compulsis quandam venditionem juris eorum, cessionem et refutationem sibi fieri procurarunt, sitque longe vacuum et diversum restituere quod debetur et dationem vel donationem seu concessionem facere prorsus novam, et intentio ejusdem Innocentii pape III non fuerit, quod res vel possessio aliena contra Deum et rectam conscientiam ab ipsis abbate et monachis teneretur. Sed ne propter premissa omnia, vel eorum aliquod aut ipsorum occasione molestiam vel controversiam, vexationem, turbationem seu calumpniam aliquam super memorato castro Genne, aliquo tempore, vos vel successores vestri pati possitis, nos ad tollendam in hoc omnem dubietatem omnemque questionis, calumpnie, impetitionis et prepeditionis materiam, ipsum castrum Genne cum omnibus juribus, honoribus et pertinentiis suis vobis et heredibus vestris auctoritate apostolica et de precelse plenitudine potestatis in feudum concedimus ex certa scientia et gratia speciali, sub eo tamen tenore et modo, qui in prefatis litteris et instrumento super jamdictis restitutione, concessione, acceptatione, ratificatione, promissione, renuntiatione et investitura confecto habetur. Instrumentum autem ipsum verum et rectum non cancellatum nec vitiatum nec abolitum nec corruptum neque in aliqua sui parte suspectum attente inspeximus et perlegimus diligenter, et ejusdem instrumenti tenorem ad plenam et efficacem cautelam, perpetuam rei firmitatem et futuram rei memoriam, presentibus de verbo ad verbum duximus inserendum. Ut igitur idem tenor omnimodam rei seu facti certitudinem faciat sic insertus, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eandemque vim eandemque vigorem per omnia habeat et retineat, que habet predictum instrumentum, et eadem sibi prorsus fides adhibeatur, que in instrumento adhibetur eidem, ac quandocumque et ubicumque sive in judicio sive alibi fuerit exhibitus et ostensus, stetur ei firmiter in

omnibus, sicut staretur eidem instrumento, si foret exhibitum vel ostensum, ac plenam et firmam fidem per omnia faciat, etiamsi originale sive ipsum instrumentum non exhiberetur nec appareret nec etiam haberetur, ratificatione, approbatione, confirmatione ac suppletione nostra in hiis firma semper et stabili permanente. Tenor autem predictus talis est :

Subiaco, 2 septembre 1243.

« In nomine Domini, anno Nativitatis ejusdem « M. CC. XLIII, pontificatus domini Innocentii pape « IIII anno primo, indictione secunda, mensis sep- « tembris die secunda, hac quidem die in presentia « mei Johannis scriniarii et testium subscriptorum, do- « minus Lando abbas monasterii Sublacensis, in rocca « Sublacensi, sanus mente, adeo tamen alias debilis, « quod ad monasterium tunc ire non poterat, et « conventus ipsius monasterii in capitulo ipsius mo- « nasterii ad hoc specialiter aggregati, nulla vi coacti « vel dolo inducti, sed sua bona et libera voluntate « ac consensu acceptaverunt et ratificaverunt resti- « tutionem et concessionem castri Genne cum omni- « bus juribus, usibus, utilitatibus et pertinentiis suis « factam domino Philippo de Genna et ejus heredibus « in perpetuum per dictos dominum abbatem et con- « ventum, sicut apparet per scriptum eorum, monas- « terii sigillo munitum, quod ego Johannes scriniarius « vidi et inspexi per se et prout in litteris domini « Innocentii IIII pape erat insertum. Cujus scripti « tenor de verbo ad verbum talis est :

Subiaco, 31 décembre 1240.

« Lando miseratione divina abbas et conventus mo- « nasterii Sublacensis, nobili viro Philippo de Genna « salutem in Domino. Nobilitati tue tenore presen- « tium tam tibi quam aliis presentes litteras inspec- « turis volumus esse notum et ad cautelam tam « monasterii nostri quam tui et heredum tuorum pre- « sentibus declarari, quod nos attendentes grata « obsequia, que per te ac tuos nostro monasterio pro- « venerunt et provenient, dante Domino, in futurum, « recognoscentes nichilominus, quod tu Philippe et « predecessores tui olim habuistis in feudum castrum « Genne a monasterio antedicto, quo castro, omisso « debito juris ordine, contra compositionem inter « monasterium Sublacense et antecessores tuos irritam « et per Sedem Apostolicam confirmatam fuistis privati, « licet processu temporis, ab ipso monasterio recepta « quadam summa pecunie, tam tu quam bone memorie « dominus Raynaldus pater tuus spoliati cesseritis « juri vestro, restituimus et concedimus in perpetuum « tibi et heredibus tuis ipsum castrum Genne in « feudum, sicut hactenus habuistis, cum omnibus per- « tinentiis et juribus suis, scilicet terris cultis et incultis, « silvis, pascuis, aquis, aquimolis et omnibus aliis ju- « ribus et pertinentiis suis intra castrum et extra ; quod « castrum tu et heredes tui tenebitis in feudum a « monasterio nostro, ita ut non possimus vobis auferre « castrum predictum sine justa et legitime probata « causa, sic tamen quod predicto castro tu et heredes « tui monasterio nostro prestabitis juramentum fide- « litatis, et guerram et pacem ad mandatum abbatis « predicti monasterii facietis, reservatis monasterio « nostro ecclesiis, decimationibus et mortuariis castri « predicti et data publica[1], quam abbas cum eo modo « et mensura faciet, in qua dolus et immoderantia « esse non videatur ultra quam in aliis castris abbatie. « Quam siquidem datam tu Philippe et heredes tui « colligetis et abbati vel cui ipse preceperit assigna- « bitis, de qua collecta retinebitis vobis quatuor libras, « videlicet pro singulis annis quadraginta soldos, et hoc « vobis concedimus pro eo etiam, quod olim fuit vobis « concessum pro recompensatione collecte quatuor « librarum, quas singulis annis habuerunt predeces- « sores vestri ab hominibus castri Pontie, quod cas- « trum olim predecessores vestri habuerunt. Sane si « aliquo tempore jamdictum castrum tu, filii et heredes « tui aliquo casu perdideritis, monasterium Sublacense « pro viribus vos ipsum castrum recuperare juvabit « et recuperatum restituet. Hanc autem restitutionem « et concessionem promittimus omni tempore ratam « et firmam habere et contra non venire sub pena « decem librarum auri et pena soluta contractus ratus « et firmus permaneat ; salva tamen locatione facta « domino pape in vita sua, quam volumus in suo robore « permanere, ita quod post mortem domini pape, « liceat tibi, Philippe, et heredibus tuis absque requisi- « tione nostra intrare castrum predictum et corpo- « ralem possessionem apprehendere et jure perpetuo « possidere et recipere homagium ab hominibus castri

1. *Ms.* : bublica.

« predicti. Datum Sublaci, anno Domini M. CC. XLI, « II kalendas januarii, pontificatus Domini Gregorii « pape noni, anno quartodecimo. Ego frater Gual- « terus prepositus Sublacensis predictis consentio et « subscribo. Ego frater Odorisius de Cerreto pre- « dictis consentio et subscribo. Ego frater Henricus « de Montana predictis consentio et subscribo. Ego « frater Petrus predictis consentio et subscribo. Ego « frater Malgerius predictis consentio et subscribo. « Ego frater Nicolaus de Cervaria predictis consentio « et subscribo. Ego frater Riccardus predictis con- « sentio et subscribo. Ego frater Stephanus predictis « consentio et subscribo. Ego frater Nicolaus nepos « prepositi predictis consentio et subscribo. Ego « frater Raynaldus de Colle predictis consentio et « subscribo. Ego frater Blasius predictis consentio et « subscribo. Ego frater Gibzulinus predictis consentio « et subscribo. Ego frater Oddo predictis consentio et « subscribo. Ego frater Matheus de Montana predictis « consentio et subscribo. Ego frater Petrus de A- « gusta predictis consentio et subscribo. Ego frater « Raynaldus filius domini Abaiamontis predictis « consentio et subscribo. Ego frater Johannes, filius « domini Landulfi, predictis consentio et subscribo. « Ego frater Oddo de Rubiano predictis consentio et « subscribo. Ego frater Bartholomeus de Sculc[ul]a pre- « dictis consentio et subscribo. Ego frater Gentilis « de Scarpa predictis consentio et subscribo. Ego « frater Antonius predictis consentio et subscribo. « Ego frater Johannes Barne predictis consentio et « subscribo. Ego frater Philippus predictis consentio « et subscribo. Ego frater Johannes de Aletro pre- « dictis consentio et subscribo.

« Acceptaverunt etiam quicquid in eodem scripto « continetur et promiserunt pro se suisque successo- « ribus in perpetuum inviolabiliter observare, nec « movere litem vel questionem aliquam super hujus- « modi restitutione et concessione ipsi domino Phi- « lippo et ejus heredibus in futurum. Dederunt etiam, « cesserunt et mandaverunt ipsi domino Philippo et « ejus heredibus in perpetuum omne jus et actionem « realem et personalem, tacitam et expressam, quod « et quas habent vel habere possent contra ipsos ex « quacumque causa vel jure, ratione castri predicti, « renuntiando omni exceptioni juri et rationi et omni « contemptui, quem possent obicere pro eo, quod dicte « littere non fuerunt facte in communi, omnique con- « temptui, quem ex quacumque causa possent obicere, « omni contradictioni et appellationi et quibuscumque « litteris de contradictione et appellatione et quo- « cumque contemptu, quas voluerunt et mandaverunt « esse cassas et nullas et cujuslibet firmitatis robore « carituras, omnibus litteris impetratis vel impe- « trandis, omni privilegio, consuetudini et statuto « eisdem competentibus vel competituris contra « dictum dominum Philippum et ejus heredes ratione « castri ejusdem, per que contractus hujusmodi posset « in aliquo minui vel rescindi, salvis tamen illis exceptis « juribus, que dicti dominus abbas et conventus in « ipso castro Genne debent habere ab eodem domino « Philippo, prout in dictis litteris continetur. Et ad « majorem firmitatem et evidentiam predictorum do- « minus Gualterus prepositus ipsius monasterii, de « mandato et voluntate fratrum suorum inferius sub- « scriptorum, nomine conventus investivit per quen- « dam scifum argenteum ipsum dominum Philippum « presentem de castro Genne cum rocca et teni- « mentis suis omnibus et juribus universis. Renun- « tiaverunt preterea venditioni quondam facte a bone « memorie domino Raynaldo patre dicti domini Phi- « lippi de consensu ejusdem domini Philippi monas- « terio nominato, omnique juri, exceptioni et rationi « eis ratione dicte venditionis competentibus nunc « vel in posterum quocumque modo vel jure contra « ipsum dominum Philippum et heredes ipsius et « instrumentum inde confectum mandaverunt ipsi « abbas et conventus rescindi; quod instrumentum « frater David de Afili monachus ipsius monasterii in « capitulo de ipsorum mandato et voluntate rescidit. « Voluerunt etiam et mandaverunt, quod si quid ins- « trumentum vel littere vel rogus[1] seu quecumque alia « scriptura per tabellionem vel quemcumque alium « apparuerint, sint cassa et cancellata nec robur ha- « beant firmitatis. Que omnia et singula promiserunt « ipsi abbas et conventus pro se suisque successo- « ribus in monasterio Sublacensi in perpetuum rata « et firma semper habere, nec contra ratione aliqua « vel exceptione venire, sed castrum et jura castri « dicto domino Philippo et ejus heredibus legitime « defendere ab omni molestante persona, et reficere « eis dampna et expensas, que et quas incurrerent si « contra predicta ratione aliqua contingeret attemp-

1. *Ms.* : rogatus

« tari, dantes mihi Johanni scriniario licentiam « hunc contractum curandi plenarie secundum con« silium sapientis. Hec autem sunt nomina mona« chorum de novo consentientium supradictis, qui in« formantes conscientiam et animum suum per « scriptum domini Innocentii IIII pape, apostolica « bulla munitum, in quo erant dicte littere abbatis et « conventus inserte, quod recte, rationabiliter et de « jure predicta restitutio et concessio fiebant domino « Philippo et ejus heredibus sua bona voluntate et « libenti animo, sicut dictum est, ipsi specialiter et « expresse acceptaverunt hujusmodi restitutionem et « concessionem factas de castro Genne ipsi domino « Philippo et ejus heredibus, consentientes expresse « omnibus et singulis supradictis, et renuntiaverunt « omni contemptui, quem possent allegare pro eo, quod « vocati non fuerant ad hujusmodi restitutionem et « concessionem, omni appellationi et litteris impe« tratis vel impetrandis omnique juri et exceptioni, « per que contractus hujusmodi posset in aliquo im« pediri et fecerunt per omnia sicut superius conti« netur. Investituram vero predictam, quam fecit su« pradictus dominus prepositus sicut dictum est per « sciphum argenteum de mandato et voluntate con« ventus, fecit eam videlicet monachorum, qui prius et « nunc consenserunt predictis, quorum nomina sunt « in litteris suprascriptis et aliorum monachorum de « novo consentientium, quorum nomina sunt hec. « Frater Benedictus, frater Julianus, frater Johannes « de Celano, frater Theodinus, frater Oddo de Ru« viano, frater Johannes de Pileo, frater Johannes de « Rocca, frater Maximus, frater Matheus de Rocca, « frater David, frater Matheus de Afili, frater Jacobus, « frater Rolandus, frater Nicolaus domini Bartho« lomei. Aliorum vero nomina monachorum, qui prius « et nunc consenserunt predictis sunt in litteris « abbatis et conventus superius annotata. Cujus rei « hii vocati et rogati fuerunt testes, magister Nico« laus Macrobius clericus Sancti Angeli de Anagnia, « magister Angelus dictus Prior scriptor domini « pape, dominus Gratianus, dominus Abaiamont, « dominus Landolfus et Oddo filius ejus de Sublaco, « dominus Andreas abbas ecclesie Sancti Silvestri de « Monte Siratti. Et ego Johannes dictus Guitto sacro« sante Romane Ecclesie scriniarius predictis interfui « et ea rogatus scripsi et proprio signo signavi. « Tenor autem predictarum litterarum memorati « Innocentii pape IIII, per quas dicti monachi suas « conscientias suumque super hoc animum informa« runt, talis est :

Anagni, 8 août 1243.

« Innocentius episcopus servus servorum Dei, « dilecto filio nobili viro Philippo de Genna salutem et « apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur etc. « usque : effectum. Sane cum olim inter bone memorie « Symonem abbatem et conventum monasterii Subla« census ex parte una et nobiles viros quondam Phi« lippum de Marrano avum et Raynaldum patrem « tuos ac Bartholomeum ejusdem Philippi filios ex « altera, super castris Effide et Pontie controversia « mota fuisset, tandem Romana Ecclesia mediante, ad « talem finem et concordiam devenerunt, quod dictus « abbas dedit et concessit eis in feudum castrum « Genne et feudum Johannis Rolandi vel cambium « pro eo, si nobiles ipsi vellent in compensationem « castri Pontie, recepto ab eis juramento fidelitatis et « quibusdam pactis in concessione adjectis, quam [d]atio« nem et concessionem felicis memorie Alexander papa « predecessor noster postmodum confirmavit, sicut « hec omnia in instrumento concessionis et privilegio « confirmationis plene perspeximus contineri. Post« modum vero Romanus abbas et monachi monasterii « supradicti, rejecta modestia monachali et fide vas« sallis debita violata, predictum Raynaldum patrem « tuum ac te hostiliter obsidentes et vos ejusdem « castri Genne possessione destituentes, quamdam « sibi cessionem seu refutationem vel venditionem « de castro ipso fecerunt fieri a vobis spoliatis et « ejectis ac extrema paupertate coactis, data vobis « nichilominus ducentarum librarum Provenientium « quantitate, quod castrum pie memorie H. Ostiensi « episcopo et A. fratri ejus locationis ejusdem titulo « concesserunt, et sic monachi et conductores predicti « castrum idem longissimo tempore possederunt. Sed « quia Spiritus Sancti gratia nonnunquam corda « illuminat et inspirat et corrigantur errata, dilecti « filii Lando nunc abbas et conventus predicti mo« nasterii Sublacensis recognoscentes hec omnia et « voce propria declarantes, tibi et heredibus tuis « castrum Genne reconcessere prefatum, prout in « litteris inde confectis sepedicti monasterii sigillo « signatis plenius vidimus contineri. Ad hujus autem

« rei evidentiam pleniorem et perpetuam firmitatem, « ut nullus dubitationi locus pateat in futurum, te- « norem litterarum ipsarum de verbo ad verbum pre- « sentibus inseri fecimus, qui talis est :

Subiaco, 31 décembre 1240.

« Lando miseratione divina abbas et conventus « monasterii Sublacensis nobili viro Philippo de « Genna salutem in Domino. Nobilitati tue tenore « presentium tam tibi quam aliis presentes litteras « inspecturis volumus esse notum et ad cautelam « tam monasterii nostri quam tui et heredum tuorum « presentibus declarari, quod nos, attendentes grata « obsequia, que per te et tuos nostro monasterio pro- « venerunt et provenient, dante Domino, in futurum, « recognoscentes nichilominus, quod tu Philippe et « predecessores tui olim habuistis in feudem castrum « Genne a monasterio antedicto, quo castro, omisso « debito juris ordine, contra compositionem inter mo- « nasterium Sublacense et antecessores tuos initam « et per Sedem Apostolicam confirmatam, fuistis pri- « vati, licet processu temporis ab ipso monasterio « recepta quadam summa pecunie tam tu quam bone « memorie dominus Raynaldus pater tuus spoliati « eesseritis juri vestro, restituimus et concedimus in « perpetuum tibi et heredibus tuis ipsum castrum « Genne in feudum, sicut hactenus habuisti, cum « omnibus pertinentiis et juribus suis, scilicet terris « cultis et incultis, silvis, pascuis, aquis, aquimolis et « omnibus aliis, juribus et pertinentiis suis intra castrum « et extra, quod castrum tu et heredes tui tenebitis « in feudum a monasterio nostro, ita ut non possimus « vobis auferre castrum predictum sine justa et legi- « time probata causa; sic tamen quod pro dicto castro « tu et heredes tui monasterio nostro prestabitis « juramentum fidelitatis et guerram et pacem ad « mandatum abbatis predicti monasterii facietis, re- « servatis monasterio nostro ecclesiis, decimationibus « et mortuariis castri predicti et data publica, quam « abbas cum eo modo et mensura faciet, in qua dolus « et immoderantia esse non videatur ultra quam in « aliis castris abbatie. Quam siquidem datam tu Phi- « lippe et heredes tui colligetis et abbati vel cui ipse « preceperit assignabitis, de qua collecta tenebitis « vobis quatuor libras, videlicet pro singulis annis « quadraginta soldos, et hoc vobis concedimus pro eo « etiam, quod olim fuit concessum vobis pro recom- « pensatione collecte quatuor librarum, quas singulis « annis habuerunt predecessores vestri ab hominibus « castri Pontie, quod castrum olim predecessores « vestri habuerunt. Sane si aliquo tempore jam- « dictum castrum tu filii et heredes tui aliquo casu « perdideritis, monasterium Sublacense pro viribus vos « ipsum castrum recuperare juvabit et recuperatum « restituet. Hanc autem restitutionem et concessionem « promittimus omni tempore ratam et firmam habere « et contra non venire sub pena decem librarum auri « et, pena soluta, contractus ratus et firmus permaneat; « salva tamen locatione facta domino pape in vita sua, « quam volumus in suo robore permanere, ita quod « post mortem domini pape liceat tibi Philippe et « heredibus tuis absque requisitione nostra intrare « castrum predictum et corporalem possessionem ap- « prehendere et jure proprio possidere et recipere « homagium ab hominibus predicti castri. Datum « Sublaci, anno Domini M. CC. XLI, II kalendas ja- « nuarii, pontificatus domini Gregorii pape noni, anno « quartodecimo. Ego frater Gualterus prepositus Su- « blacensis predictis consentio et subscribo. Ego « frater Odorisius de Cerreto predictis consentio et « subscribo. Ego frater Henricus de Montanea pre- « dictis consentio et subscribo. Ego frater Petrus « predictis consentio et subscribo. Ego frater Malge- « rius predictis consentio et subscribo. Ego frater « Nicolaus de Cervaria predictis consentio et subs- « cribo. Ego frater Riccardus predictis consentio et « subscribo. Ego frater Stephanus predictis consentio « et subscribo. Ego frater Nicolaus nepos prepositi « predictis consentio et subscribo. Ego frater Ray- « naldus de Colle predictis consentio et subscribo. « Ego frater Blasius predictis consentio et subscribo. « Ego frater Gibgulinus predictis consentio et subs- « cribo. Ego frater Oddo predictis consentio et subs- « cribo. Ego frater Matheus de Montana predictis « consentio et subscribo. Ego frater Petrus de « Augusta predictis consentio et subscribo. Ego frater « Raynaldus filius domini Abbaiamontis, predictis « consentio et subscribo. Ego frater Johannes filius « domini Landulfi predictis consentio et subscribo. « Ego frater Oddo de Robiano predictis consentio et « subscribo. Ego frater Bartholomeus de Sculcula « predictis consentio et subscribo. Ego frater Gentilis « de Scarpa predictis consentio et subscribo. Ego « frater Antonius predictis consentio et subscribo.

« Ego frater Johannes Barue predictis consentio et « subscribo. Ego frater Philippus predictis consentio « et subscribo. Ego frater Johannes de Aletro pre- « dictis consentio et subscribo.

« Nos igitur tam per instrumenta legitima quam « per facti notorium de premissis omnibus certiores « effecti, quod a prefato L. abbate et conventu « factum est de certa scientia approbamus, ac res- « titutionem et concessionem tibi et tuis heredibus in « perpetuum factas ratas et firmas habentes, eas auc- « toritate apostolica confirmamus, et presentis scripti « patrocinio communimus. Defectus consensus quo- « rumdam monachorum absentium, qui restitutioni ac « concessioni non interfuere predictis,et aliorum, qui « non consenserunt, ac eorum, qui contradixisse et « appellasse dicuntur, supplendo de nostre plenitudine « potestatis. Nulli [etc.] nostre approbationis, confir- « mationis et suppletionis etc. Datum Anagnie, VI « idus augusti, anno primo. »

« Nulli [etc.] nostre ratificationis, approbationis, confirmationis, suppletionis, constitutionis, concessionis et decreti etc. usque : incursurum. Datum Viterbii, X kalendas decembris, anno tertio. »

2399 Latran, 9 mars 1257.

Eandem restitutionem et litteras abbatis Sublacensis insertas (Dat. Sublaci, anno MCCXLI, II kal. januarii. — Subiaco, 31 décembre 1240) confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 779, f. 108v.)

« *Nobilibus viris Raynaldo, Johanni et Tholomeo nepotibus nostris, dominis castri Genne, heredibus quondam Philippi patris nostri domini ejusdem castri.* Hiis que fiunt et peraguntur —. Dat. Laterani, VII idus martii, anno tertio. »

2400 Viterbe, 27 novembre 1257.

Eandem restitutionem et litteras abbatis Sublacensis insertas (anno Nativitatis MCCXLIII, mensis septembris die secunda) confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 780, f. 109v.)

« *Nobilibus viris Raynaldo et Johanni nepotibus nostris dominis castri Genne heredibus quondam Philippi patris nostri domini ejusdem castri.* Hiis, que fiunt etc. —. Dat. Viterbii, V kal. decembris, anno tertio. »

2401 Viterbii, 18 novembre 1257.

Episcopo Aniciensi inhibet, ne a viduis, quae matrimonium contrahunt, aliquam pecuniam extorquere praesumat. (Reg. 25, a. III, c. 781, f. 110v.)

« .. *episcopo Aniciensi.* Ex parte dilectorum filiorum universitatis civium Aniciensium fuit propositum coram nobis, quod cum contingat aliquas ipsius civitatis viduas matrimonio copulari, tu, non attendens quod ex injuncto tibi officio curam teneris gerere viduarum, occasione hujusmodi aliquando ante contractum matrimonium, interdum vero post contractum ab eisdem viduis pecuniam exigis seu per tuos officiales exigi et extorqueri procuras pro tue arbitrio voluntatis ; et licet felicis recordationis Lucius papa predecessor noster bone memorie.. predecessori tuo per suas litteras duxerit inhibendum, ut a predictis viduis pecuniam aliquam nullatenus hac de causa exigeret aut per aliquos exigi permitteret vel etiam extorqueri, tu tamen, inhibitione hujusmodi vilipensa, ab exactione ac extorsione hujusmodi cessare hactenus non curasti, propter quod earumdem viduarum matrimonia plerumque impediri contingit in grave ipsarum prejudicium et scandalum plurimorum. Quare ex parte predicte universitatis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere prefatis viduis super hoc paterna providentia curaremus. Nolentes igitur matrimonia, que libera esse debent, occasione hujusmodi aliquatenus impediri, ad instar predicti predecessoris nostri fraternitati tue mandamus, quatinus nullam a predictis viduis hac de causa pecuniam de cetero exigas, vel per aliquos alios exigi vel extorqueri permittas contra canonicas sanctiones. Datum Viterbii, XIIII kalendas decembris, anno tertio. »

2402 Viterbe, 8 novembre 1257.

Abbati et conventui Majoris monasterii Turonensis indulget, ut universi priores et monachi ejusdem monasterii ubicumque fuerint gaudeant et utantur privilegiis et immunitatibus, quibus gaudent et utuntur monachi in ipso monasterio commorantes. (Reg. 25, a. III, c. 782[1], f. 110v.)

« .. *abbati et conventui Majoris monasterii Turonensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Laudabilis religio, que in monasterio vestro colitur, sic ab eo mundane dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claus-

tralis abstinentie nexibus religatum observantie puritate fulgeat regularis et voluntatis libitum coartans omnino sub obedientie debito dignam et sedulam exhibeat Domino servitutem. Unde tanquam potiori devotione preminens attolli jamdudum exemptionis privilegio meruit et velut sanctitatis eminentia presignitum, nonnullis diversarum gratiarum titulis honorari. Cum itaque in privilegiis ipsius monasterii contineatur expresse, sicut nos ipsi ex inspectione ipsorum privilegiorum collegimus, ne quisquam archiepiscopus aut episcopus beati Martini Majus monasterium aut ipsius Majoris monasterii monachos, pro ulla causa, ullo in loco, excommunicare presumat, ac universi priores et monachi vestri, sive in ipso monasterio, sive in ipsius prioratibus commorentur et membris, in eodem monasterio, prout asseritis, professionem emittant et ad voluntatem abbatis ipsius monasterii, qui est pro tempore, mittantur ad prioratus et membra eadem, moraturi in eis, ac ab ipso abbate cum ei placuerit ad idem monasterium revocentur, et conveniens sit, ut qui eidem monasterio pari se in illo professione alligant, eadem gaudere debeant libertate, nos, vestris devotis supplicationibus inclinati, ut universi priores et monachi predicti ubicumque fuerint gaudeant et utantur libere privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus et gratiis, quibus gaudent ac utuntur monachi in ipso monasterio commorantes, constitutione seu declaratione felicis recordationis I. pape predecessoris nostri circa exemptos edita vel quibuslibet aliis statutis seu declarationibus factis et promulgatis ab Apostolica Sede ad instantiam quorumcumque, et quibuscumque litteris apostolicis per quoscumque obtentis nequaquam obstantibus, auctoritate vobis presentium de speciali gratia indulgemus. Nos enim interdicti, excommunicationis et suspensionis sententias et processus, si quos in vos et monasterium vestrum vel priores aut monachos predictos seu prioratus et membra vestra contra presentis indulti tenorem, per quoscumque ferri vel haberi contigerit irritos decernimus et inanes. Nulli [etc.] nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, VI idus novembris, anno tertio. »

2403 Viterbe, 28 octobre 1257.

Abbati et conventui Majoris monasterii Turonensis confirmat possessiones, que per quadraginta annos et amplius quiete ac pacifice possederunt. (Reg. 25, a. III, c. 782², f. 111.)

« .. *abbati et conventui Majoris monasterii Turonensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Devotionis vestre merita exigunt et affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam habere noscimini, promeretur, ut votis vestris favorabiliter annuentes, faciamus vobis gratiam specialem. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris devotis supplicationibus inclinati, terras, decimas, possessiones et alia, que per quadraginta annos et amplius vos ac prioratus et membra vestra quiete ac pacifice possedistis, vobis et per vos eidem monasterio ac prioratibus et membris ipsis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, nichilominus statuentes, ut ea omnia vobis et ipsi monasterio ac prioratibus et membris predictis de cetero maneant perpetua firmitate subnixa. Nulli [etc.] nostre confirmationis, et constitutionis etc. Datum Viterbii, V kalendas novembris, anno tertio. »

2404 Viterbe, 9 décembre 1257.

Intuitu P[etri] S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, abbati monasterii de Gengenbach mandat, quatenus Renboldo de Gengenbach capellano Henrici Argentinensis episcopi, rectori ecclesiae de Hasela, jam in canonicum ecclesiae S. Petri Argentinensis recepto sed quadam generali constitutione destituto, de praebenda providere curet. (Reg. 25, a. III, c. 783¹, f. 111.)

« .. *abbati monasterii de Gengenbach Argentinensis diocesis.* Petitio dilecti filii Renboldi de Gengenbach —. Dat. Viterbii, V idus decembris, anno tertio. »

2405 Viterbe, 9 décembre 1257.

Intuitu ejusdem cardinalis, eidem abbati mandat, quatenus Henrico de Phetenlhen capellano Henrici episcopi Argentinensis, rectori ecclesiae de Minrewilre, jam in canonicum ecclesiae S. Thomae Argentinensis recepto, sed quadam generali constitutione destituto, de praebenda providere curet. (Reg. 25, a. III, c. 783², f. 111.)

« *Eidem.* Petitio dilecti filii Henrici de Phetenlhen — ut in alia per totum usque in finem. »

2406 Latran, 4 avril 1256.

Abbatissam et sorores monasterii Sancte Marie Nove de Colazzo juxta Montem Politianum, ordinis Sancti Damiani,

protegendas suscipit earumque possessiones confirmat. (Reg. 25, a. III, c. 784, f. 111; Potthast 16318.

« .. *abbatisse monasterii Sancte Marie Nove de Collaczo juxta Muntem Policianum ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus etc. usque : enervet. Eapropter dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancte Marie Nove de Collazo juxta Montem Policianum, Aretine diocesis, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem monialium inclusarum Sancti Damiani Asisinatarum et formulam vite vestre, a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro, ordini vestro traditam, cum adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea, quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium inpresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum etc. usque : permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, terras et possessiones, quas habetis in locis[1] qui Castellum Vetulum, Lacerlianum et Passarellum vulgariter nuncupantur, vineas quas habetis in territorio Montis Poliziani in locis qui Plebes Antiqua, Canenti, et Terrigingnani communiter appellantur, terras et vineas in eodem territorio in locis Nibiari, Plani Salceti, in asio Collis Todule et Petelli communiter appellatis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit de eodem loco discedere, discedentem vero nullus audeat retinere. Pro consecratione vero altarium vel ecclesie vestre, sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis hec nostra auctoritate recipere a quocumque malueritis catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice obtinente. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen, ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum diocesani episcopi copiam non habetis, si quem episcopum Romane Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones monialium, vasorum et vestium et consecrationes altarium recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque : interdicto. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbatissa etc. usque : eligendam. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas regulares inibi Domino famulantes suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam, tanquam contra Sedis Apostolice indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque : exercere. Preterea, omnes libertates et immunitates, quas monasterio vestro dilectus filius G. Aretinus electus indulsisse dinoscitur, sicut in instrumento inde confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Tenor ipsius instrumenti talis est :

Civitella, 9 août 1253.

« Guillelmus miseratione divina Aretinus electus,
« dilectis in Christo filiabus.. abbatisse et sororibus
« inclusis monasterii Sancte Marie Nove de Collazo,
« ordinis Sancti Damiani, Aretine diocesis, salutem et
« veram in Domino caritatem. Cum vos, divina gratia
« inspirante, monasterium in honore beate Virginis
« Marie construxeritis, ut ibi Domino devote famulantes,
« pro vobis et aliis peccatoribus possitis orare, a
« nobis humiliter postulastis ut monasterium et per-
« sonas ibi Domino servientes intuitu pietatis et pro
« redemptione peccatorum nostrorum a jure episco-
« pali seu alterius conditionis gravamine eximere
« deberemus. Eapropter vestre pie ac humili peti-
« tioni pio concurrentes assensu, prefatum monaste-
« rium et personas illic morantes cum omnibus bonis

1. *Ms.* : loco

« habitis et habendis ab omni jure episcopali et « cujuslibet condictionis obligatione pleno jure libera- « mus et eximimus, nichil aliud nobis et ecclesie « Aretine in eisdem, nisi unam libram cere, que persol- « vatur nobis et successoribus nostris annuatim in « mense augusto, reservantes et cuncta ecclesiastica « sacramenta. In cujus rei testimonium predicta « manu publica scribi jussimus, et nostri pendentis[1], « sigilli munimine roborari. Datum Civitelle, anno « Domini M°. CC°. quinquagesimo tertio, indictione « undecima, V idus augusti, domino Innocentio pa- « pa IIII residente. Testibus presentibus domino Nico- « lao vicario nostro, et Tebaldo de Armaiolo. Ego « Johannes de Ancisa, Apostolice Sedis auctoritate « notarius predictis interfui et de mandato dicti « Domini electi scripsi et publicavi.

« Ad inditium autem hujusmodi percepte a Sede Apostolica libertatis, unam libram cere nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli etc. usque : profutura : salva Sedis Apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica etc. usque : ultioni. Cunctis autem eidem loco etc. usque : inveniant. Amen. Amen. Datum Laterani, per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, II nonas aprilis, indictione XIIII, Incarnationis Dominice, anno M° CC° LVI, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno secundo. »

2407 Viterbe, 13 janvier 1258.

Episcopo Tholosano mandat, quatenus a Sanctio monasterii de Fuxo abbate libera resignatione recepta, eum in ecclesia Carcassonensi recipi faciat in canonicum. (Reg. 25, a. III, c. 785, f. 111v.)

« .. *episcopo Tholosano*. Utilitatem monasterii de Fuxo, ordinis Sancti Augustini, tue diocesis, prout convenit attendentes, tibi damus nostris litteris in mandatis, ut a Sanctio ipsius monasterii abbate libera resignatione recepta, ipsum in ecclesia Carcassonensi ejusdem ordinis, de qua assumptus fuerat in abbatem, recipi facias in canonicum et in fratrem et sincera in Domino caritate tractari. Ut autem commissum tibi negotium in hac parte facilius valeat expediri, mandamus, quatinus dicta ab eodem abbate resignatione recepta, ei de bonis ipsius monasterii cum consensu canonicorum ejusdem provisionem congruam assignare procures et facias eum illius pacifica possessione gaudere. Contradictores etc. Datum Viterbii, idibus januarii, anno quarto. »

2408 Viterbe, 3 novembre 1257.

Abbati et conventui monasterii Casae Dei indulget, ut possint ecclesiarum praelatis, qui, cum eorum ecclesias visitaverint, numerum evectionum et personarum in Lateranensi consilio constitutum excedere praesumpserint, procurationem denegare. (Reg. 25, a. III, c. 786, f. 111v.)

« .. *abbati et conventui monasterii Case Dei, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Claromontensis diocesis*. Exigentibus vestre devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Hinc est quod, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si ecclesiarum prelati numerum evectionum et personarum in Lateranensi concilio constitutum, cum vestras et monasteriorum ac prioratuum vestrorum ecclesias visitaverint, excedere forte presumpserint et ipsi pro evectionibus vel personis, in quibus excesserint eundem numerum, vel aliquis de ipsorum familia occasione alicujus officii aut consuetudinis seu quolibet alio modo, eorum nomine, pecuniam vel aliquid aliud petierint, preter procurationes tantum in victualibus moderatas, liberum sit vobis quod taliter petitur denegare, et si forte propter hoc dicti prelati vel eorum aliquis in ecclesias ipsas vel religiosos aut clericos ibidem morantes aliquam sententiam promulgaverint, ipsam decernimus non tenere. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, III nonas novembris, anno tertio. »

2409 Latran, 22 avril 1257.

Eisdem indulget, ut nullus aliquid contra quandam indulgentiam ab episcopo Claromontensi eis concessam attemptare praesumat. (Reg. 25, a. III, c. 787, f. 111v.)

« *Eisdem*. Cum a nobis petitur quod justum est etc. usque ad : effectum. Sane, presentata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod bone memorie.. Claromontensis episcopus, ecclesiarum tunc constructarum et construendarum in posterum in loco Montis Ferrandi sue diocesis utilitate pensata, ordinationem et dispositionem ipsarum in spiritualibus et temporalibus, de

1 Ms. : pendentes.

consensu capituli sui, vobis pia et provida liberalitate concessit, quod postmodum extitit per Sedem Apostolicam confirmatum, prout in apostolicis et aliis litteris inde confectis et ejusdem episcopi sigillo signatis plenius dicitur contineri. Nos igitur, vestris devotis precibus benignum impertientes assensum, ut nullus in ecclesiis ipsis constructis et etiam construendis contra ordinationem, dispositionem ac confirmationem hujusmodi, vobis invitis, aliquid attemptare presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus; non obstantibus aliquibus litteris ab eadem Sede impetratis, de quibus plenam et expressam fieri oporteat presentibus mentionem, vel etiam impetrandis, in quibus de hujusmodi gratia facta non fuerit mentio specialis. Nulli etc., nostre inhibitionis etc. Datum Laterani, X kalendas maii, anno tertio. »

2410 Viterbe, 22 novembre 1257.

Petro rectori ecclesiae de Comprinhac indulget, ut praeter dictam ecclesiam, aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 25, a. III, c. 788, f. 112.)

« *Petro rectori ecclesie de Comprinhac, Lemoricensis diocesis.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Viterbii, X kal. decembris, anno tertio. »

2411 Latran, 9 mars 1257.

Confirmat concessionem castri Gennae et feudi Joannis Rolandi Philippo de Marano et ejus haeredibus ab abbate Sublacensi quondam factam. (Reg. 25, a. III, c. 789, f. 112.)

« *Nobilibus viris Landulfo et Abbaiamonti militibus Sublacensibus ac Falketane et Anfelise natis quondam Philippi nati Raynaldi Bartholomei neptibus eorum, consanguineis nostris.* Hiis, que per concordiam et compositionem amicabilem peraguntur, consuevit Apostolica Sedes adicere firmitatem, et si quicquam neglectum est vel omissum, quod utile ac necessarium ad rei geste perfectionem existeret, defectum hujusmodi sua precellenti auctoritate supplere, ut sic aliorum acta, que alias efficaciam in se obtinent et vigorem, potiori fulcimento subsistant et perdurent robore firmiori, et quibus ad sui debitum complementum aliquid forte deest reddantur magis per hec valida magisque stabilia perseverent. Sane, cum inter quondam Philippum de Marano proavum nostrum et vestrum, fili L. et A., avum vestrumque, filie Falketane et Anfelisie, proavum et R. ac B. filios ejus ex parte una, et quondam.. abbatem et fratres seu monachos monasterii Sublacensis ex altera, super castris Effide et Pontie gravis questio fuisset exorta, tandem in presentia felicis recordationis Alexandri pape III predecessoris nostri, talis inter eos concordia seu compositio intervenit, videlicet quod idem abbas de auctoritate ipsius predecessoris nostri et assensu capituli seu conventus sui eisdem Philippo et R. ac B. filiis ejus castrum Genne et feudum Johannis Rollandi vel concambium pro eo, si vellent, dedit et concessit tali quidem tenore, quod tunc duo milites de hoc jurati intra spatium duorum mensium sine fraude arbitrarentur, si propter castrum Pontie super predicta castrum Genne ac feudum Johannis Rollandi deberet aliquid addere dictus abbas, et si arbitrarentur aliquid fore addendum, ipse abbas adderet quantum dictaret arbitrium eorumdem; prefati vero Philippus, R. et B. premissa ab eodem monasterio in feudum tenerent, juxta illum tenorem seu modum, secundum quem tenere debuerant castrum Pontie memoratum, retentis et reservatis abbati et fratribus ipsius monasterii ecclesiis, decimationibus, mortuariis et data publica, et guerram et pacem facerent ad mandatum abbatis ejusdem monasterii; abbas autem non auferet eis feuda predicta sine forisfacto et, eo judicato unde deberent perdere ipsi terram, predicta quoque feuda tenerent et eis uterentur pro sua voluntate in vita prefati Philippi communiter vel divisim, et post obitum ejus dicti R. et B. haberent eadem feuda fidelitate prestita monasterio et abbati, et si quocunque tempore ipse Philippus aut prefati R. et B. aliquo casu perderent dicta feuda, abbas ipsius monasterii eos ad recuperanda illa juvaret et recuperata restitueret eisdem; ipsi vero juramentum fidelitatis eidem monasterio exhiberent, prout hec omnia in instrumento publico exinde confecto plenius continentur. Idem autem predecessor compositionem hujusmodi coram se factam auctoritate apostolica confirmavit, sicut in ipsius privilegio cum subscriptionibus cardinalium super hoc facto evidenter apparet. Nos itaque compositionem ipsam et concessionem hujusmodi a predictis abbate et capitulo seu conventu factam, auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, omnem defectum, si quis ex quacunque causa in eisdem compositione et concessione fuit habitus, supplentes de apostolice plenitudine potestatis; ita quod abbati et conventui prefati monasterii, qui sunt vel fuerint pro

tempore, nullatenus liceat compositionem et concessionem easdem revocare, irritare vel reprobare in toto vel in parte, aut venire vel attemptare seu facere aliquid contra illas, et si contra presumpserint, sit omnino irritum, vacuum, et inane. Et cum hujusmodi feudorum ipsorum concessio predictis Philippo, R. et B. filiis ejus facta fuerit, nos eadem auctoritate apostolica interpretamur et ad pleniorem rei certitudinem declaramus eorumdem Raynaldi et Bartholomei heredes ac successores in perpetuum debere in feudis succedere memoratis sicque ipsam concessionem et non aliter accipiendam et intelligendam fore, videlicet ut nulli alii filii vel heredes seu successores ipsius Philippi sibi succederent in premissis, cum in ipsa concessione fuerit expressum, ut superius est narratum, quod post ipsius Philippi obitum dicti R. et B. haberent feuda prefata, scilicet quod alii filii et heredes dicti Philippi a successione horum feudorum excluderentur omnino et non predictorum Raynaldi et Bartholomei filii et heredes. Alios enim filios eundem Phylippum novimus habuisse, nichilominus tamen de plenitudine potestatis statuimus, quod ex tali eorumdem feudorum concessione dictorum Raynaldi et Bartholomei heredes et successores in perpetuum in feudis succedant eisdem. Instrumentum autem predictum et privilegium ipsum cum subscriptionibus cardinalium vera et recta, non cancellata, nec viciata, nec abolita, nec corrupta, neque in aliqua sui parte suspecta attente inspeximus et perlegimus diligenter et eorumdem instrumenti et privilegii tenores ad plenam et efficacem cautelam, perpetuam rei firmitatem et futuram memoriam presentibus de verbo ad verbum duximus inserendos. Ut igitur iidem tenores omnimodam rei seu facti certitudinem faciant sic inserti auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur eandemque vim eundemque vigorem per omnia habeant et retineant, que habent instrumentum et privilegium supradicta et eadem prorsus eis fides adhibeatur, que ipsis instrumento et privilegio adhibetur, ac quandocumque et ubicumque sive in judicio sive alibi fuerint exhibiti et ostensi, stetur eis firmiter in omnibus sicut eisdem staretur instrumento et privilegio, si forent exhibita vel ostensa, ac plenam et firmam fidem per omnia faciant, etiamsi originalia sive ipsa instrumentum et privilegium non exhiberentur nec apparerent nec etiam haberentur, confirmatione suppletione et constitutione nostra in hiis firma semper et stabili permanente. Tenor vero predicti instrumenti talis est :

Subiaco, 30 juin 1176.

« Cum inter dominum Symonem abbatem et Phylippum « et filios ejus de castris Effide et Pontie magna diu « durasset questio, Romana curia mediante, ad talem « devenerunt finem dominus abbas et Philippus et « filii ejus Raynaldus et Bartholomeus. Dominus siquidem abbas dedit et concessit eis in feudum Gennam « et feudum Johannis Rollandi vel cambium pro eo, si « ipsi voluerint, et duo milites jurati de hoc per spatium duorum mensium sine fraude arbitrabuntur, si « propter Pontiam supra Gennam et feudum Johannis « Rollandi aliquid eis dominus abbas addere debeat, et « hec supradicta tenebunt in feudum Philippus, Raynaldus et Bartholomeus secundum illum tenorem, in « quem Pontiam tenere debuerunt. Id est primo ecclesias retinuit sibi dominus abbas, decimationes, mortuaria, datam publicam, quam dominus abbas scribere « faciet cum eo modo et mensura in qua dolus et « immoderantia esse non videatur preter quam in alia « abbatia, et Philippus eam colliget et assignabit eam « domino abbati vel cui ipse preceperit. De ea tamen « data assuetam assisam monete hominum suorum « dabit eis dominus abbas, guerram et pacem ad mandatum domini abbatis facient et dominus abbas non « auferet eis predicta feuda sine forisfacto, et eo judicato unde ipsi debeant terram perdere et unde se « per pugnam defendere non possint, id est de vita, de « membris, de mala captione, de ammissione terre, « sive de recuperatione et acquisitione, et si consilium « suum panderent iidem aliquod istorum incurrere « debeant. Judicatum vero in curia domini abbatis fiet, « et si quandoque de supradictis forisfactis, que sic « distincta sunt, dominus abbas eos appellaverit et « ipsi se per pugnam defendere voluerint, dominus « abbas curiam inde teneat ad usum et consuetudinem « bone et legalis curie. Supradicta siquidem feuda pro « voluntate sua tenebunt et utentur communiter vel « divisim in vita Philippi. Post ejus vero mortem « omnia tenebunt filii Raynaldus et Bartholomeus, « fidelitate facta monasterio et domino abbati. Si vero « quolibet tempore jamdicta feuda aliquo casu Philippus aut filii perdiderint, dominus abbas eos ad « recuperandum adjuvet et recuperata restituat. Fidelitatem autem filii Philippi et ipse Philippus, si domino abbati placuerit, monasterio et domino abbati

« jurare debent. Factum est hoc auctoritate domini « pape Alexandri, et totius capituli Sublacensis ecclesie, « anno Dominice Incarnationis M. C. LXXVI et anno XVII « domini Alexandri pape III, indictione VIIII, mense « junio, die ultima. Ad confirmationem hujus conven- « tionis hii homines vocati sunt testes. Alioctus Cal- « vus, Matheus Acetus. Ego Baro sancte Romane « Ecclesie judex et notarius huic conventioni interfui « et rogatus a domino abbate et a capitulo monasterii « et a Philippo et filiis ejus Raynaldo et Bartholomeo « hoc instrumentum scripsi et signum feci. Tenor « autem prefati privilegii talis est :

Anagni, 11 juillet 1176.

« Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis « filiis nobilibus viris Philippo de Marano et R. et B. « filiis ejus salutem et apostolicam benedictionem. « Cum inter vos et abbatem et fratres Sublacenses « gravis fuisset questio suborta, talem cum eis in « presentia nostra concordiam et compositionem « fecistis, videlicet, quod abbas de auctoritate nostra « et assensu capituli sui vobis Gennam et feudum Jo- « hannis Rollandi vel cambium pro eo, si volueritis, « dedit et concessit, tali quidem tenore, quod duo « milites de hoc jurati, intra spatium duorum men- « sium sine fraude arbitrabuntur si propter Pontiam « super Gennam et feudum Johannis Rolandi aliquid « debeat predictus abbas addere, et si arbitrati fue- « rint aliquid esse addendum, quantum arbitrium « eorum dictaverit addet. Vos vero supradicta a mo- « nasterio suo in feudum tenebitis juxta tenorem « illum, secundum quem Pontiam tenere debuistis, « re[te]ntis et reservatis abbati et fratribus ecclesiis, « decimationibus et mortuariis et data publica, quam « abbas cum eo modo et mensura faciet, in qua dolus « et immoderantia esse non videatur preter quam « in alia abbatia, quam siquidem datam tu, fili Phi- « lippe, et vos, filii R et B., colligetis, et abbati vel « cui preceperit assignabitis, de qua tamen vobis « assuetam assisam monete hominum vestrorum dabit, « et vos guerram et pacem ad mandatum abbatis « predicti monasterii facietis. Abbas autem non aufe- « ret vobis predicta feuda sine forisfacto, et, eo judi- « cato unde vos terram perdere debeatis et unde vos « per pugnam defendere non possitis, id est de vita, de « menbris, de mala captione, de ammissione terre, « sive de recuperatione et acquisitione, et si consi- « lium suum panderitis unde aliquod istorum incur- « rere debeatis, si quando vero de supradictis, que sic « distincta sunt, abbas vos appellaverit et vos per « pugnam defendere volueritis, abbas inde curiam te- « nebit ad usum et consuetudinem bone et legalis « curie. Vos autem prescripta feuda tenebitis et ute- « mini communiter vel divisim et post mortem tuam, « fili Philippe, et vos, filii R. et B., eadem feuda habe- « bitis, prestita fidelitate monasterio et abbati. Sane, « si quolibet tempore jamdicta feuda tu fili Philippe « aut vos, R. et B., aliquo casu perdideritis, abbas « vos ipsa recuperare juvabit et recuperata restituet : « vos vero fidelitatem monasterio jurabitis. Ut autem « hec compositio futuris temporibus inviolabiliter « observetur, eam auctoritate apostolica confirmamus « et presentis scripti patrocinio communimus, sta- « tuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc pagi- « nam nostre confirmationis etc. usque : incursurum. « Ego Ubaldus Ostiensis episcopus subscripsi. Ego Jo- « hannes presbyter cardinalis Sanctorum Johannis et « Pauli tituli Pamachi subscripsi. Ego Albertus presbi- « ter cardinalis tituli Sancti Laurentii in Lucina subs- « cripsi. Ego Boso presbiter cardinalis Sancte Puden- « tiane tituli Pastoris subscripsi. Ego Johannes presbiter « cardinalis tituli Sancti Marci subscripsi. Ego Theodinus « presbiter cardinalis Sancti Vitalis tituli Vestine subs- « cripsi. Ego Manfredus presbiter cardinalis tituli Sancte « Cecilie subscripsi. Ego Petrus presbiter cardinalis « tituli Sancte Susanne subscripsi. Ego Jacinthus dia- « conus cardinalis Sancte Marie in Cosmedin sub- « scripsi. Ego Cinthius diaconus cardinalis Sancti « Adriani subscripsi. Ego Hugo diaconus cardinalis « Sancti Eustachii juxta Templum Agrippe subscripsi. « Ego Laborans diaconus cardinalis Sancte Marie in « Porticu subscripsi. Ego Raynerius diaconus cardi- « nalis sancti Georgii ad Velum Aureum subscripsi. « Datum Anagnie per manum Gratiani sancte Romane « Ecclesie subdiaconi et notarii, V idus julii, indic- « tione VIIII, Incarnationis Dominice anno M. C. « LXXVI, pontificatus vero domini Alexandri pape III. « anno XVII. »

« Nulli etc. [nostre confirmationis, suppletionis, interpretationis, declarationis, constitutionis et decreti etc. Datum Laterani, VII idus martii, anno tertio. »

FIN DE LA TROISIÈME ANNÉE

INCIPIT REGESTUM

DOMINI ALEXANDRI PAPE IIII

PONTIFICATUS SUI ANNO QUARTO

2412 Viterbe, 23 décembre 1257.

Priori S. Johannis in Monte Bononiensis mandat Alexander papa IV ut Guillelmum, rectorem ecclesiae de Saliceto, Bononiensis diocesis, in ecclesia Paduana in canonicum recipi eique de praebenda aliqua provideri faciat. (Reg. 25, f. 115, an. IV, c. 1.)

« .., *priori Sancti Johannis in Monte Bononiensis.* Ad provisionem illorum —. Dat. Viterbii, X kal. januarii, anno quarto. »

2413 Viterbe, 20 décembre 1257.

Omnia a patriarcha Jerosolymitano qui Hugonem, administratorem ecclesiae Sebastiensis, prioratui de Vignareia, Lemovicensis diocesis, in priorem praefecerat, facta confirmat. (Reg. 25, f. 115, an. IV, c. 2.)

« *Hugoni, administratori ecclesie Sebastiensis, capellano nostro.* Meritis tue devotionis inducimur ut, quam digne possumus, tibi libenter gratiam faciamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster.., patriarcha Hierosolymitanus, attendens grata devotionis obsequia que sibi et ecclesie Hierosolimitane et membris ejus oportunis temporibus impendisti, quodque prioratus de Vignareia, Lemovicensis diocesis, per tue diligentie studium poterat feliciter gubernari, te predicto prioratui tunc vacanti et pertinenti ad eandem ecclesiam pleno jure, prioris et capituli ecclesie predicte ad id accedente consensu, prefecit canonice in priorem ac nichilominus omnium ecclesiarum et prioratuum ad eandem ecclesiam Hierosolymitanam spectantium in regno Francie, tibi administrationem commisit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati quod super hoc a patriarcha, priore et capitulo predictis provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XI kal. januarii, anno quarto. »

2414 Viterbe, 30 décembre 1257.

Abbati et conventui monasterii S. Wandregesili, Rothomagensis diocesis, mandat ut magistro Riccardo de Senatis, clerico Bajocensis diocesis, aliquod beneficium ecclesiasticum competens assignent. (Reg. 25, f. 115, an. IV, c. 3).

« .., *abbati et conventui monasterii Sancti Vandregesili, ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis.* Constitutus in presentia —. Dat. Viterbii, III kal. januarii, anno quarto. »

2415 Viterbe, 1er décembre 1257.

Matheo de Florencia, rectori ecclesiae de Dolentan, Lichefeldensis et Conventrensis diocesium, indulget ut una cum praedicta ecclesia, aliud beneficium recipere et retinere valeat. (Reg. 25, f. 115 v°, an. IV, c. 5) (1).

« *Matheo de Florencia, rectori ecclesie de Dolentan, Lichefeldensis et Conventrensis diocesium.* Merita lau-

1. Il n'y a pas de c. 4.

dabilis conversationis —. Dat. Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2416 Viterbe, 13 décembre 1257.

Abbatissam monasterii S. Bartholomei de Falesio, ordinis S. Damiani, Massanensis diocesis, quam illuc Raynaldus de Tocco, poenitentiarius et cappellanus papae de mandato apostolico a monasterio S. Mariae de Massa, utrum monasteriorum liberum et exemptum statuens, transtulerat, confirmat (Reg. 25, f. 115 v°, an. IV, c. 6; Potthast 17110.)

«.., *abbatisse et conventui monasterii Sancti Bartholomei de Falesio, ordinis Sancti Damiani, Massane diocesis.* Cum à nobis —. Dat. Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2417 Viterbe, 18 décembre 1257.

Monasterio S. Petri Montis, Metensis diocesis, concedit ut de beneficio exemptionis, sicut in antea fruatur. (Reg. 25, f. 115 v°, an. IV, c. 7.)

«.., *abbati et conventui monasterii Sancti Petri Montis, ordinis Sancti Augustini, Metensis diocesis.* Cum monasterium vestrum ad jus et proprietatem Romane Ecclesie, ut asseritis, specialiter et inmediate pertineat et gavisi fueritis in personis et rebus usque nunc plenaria libertate et a tempore cujus memoria non existit, ac ad percepte libertatis indicium unum denarium aureum eidem Ecclesie annis singulis aut de quarto in quartum annum Bisantium persolvatis, nos, vestris supplicationibus, inclinati, veris existentibus supradictis ut sicut hactenus, ita et in posterum nullus alius preterquam Romanus pontifex in vos et res vestras habeat potestatem vel jurisdictionem exerceat insuetam, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc., Dat. Viterbii, XV kal. januarii, anno tertio.

2418 Viterbe, 12 décembre 1257.

Archipresbytero et capitulo ecclesiae de Cumis, Mediolanensis diocesis, mandat ut Jacobinum dictum Lazaronum, scholarem Mediolanensem, postquam fuerit clericali caractere insignitus, in canonicum et in fratrem recipiant, eique praebendam, aliquam assignent. (Reg. 25, f. 115 v° an. IV, c. 8.)

«.., *archipresbitero et capitulo ecclesie de Cuman.* (sic) *Mediolanensis* [*diocesis*]. Ascribi cupientibus militie —. Dat. Viterbii, II idus decembris, anno tertio. »

2419 Viterbe, 13 décembre 1257.

Praeposito et capitulo ecclesiae de Cizano, Mediolanensis diocesis, mandat ut praedictum Jacobinum in canonicum recipiant eique praebendam aliquam assignent. (Reg. 25, f. 116, an. IV, c. 9.)

« .., *preposito et capitulo ecclesie de Cizano, Mediolanensis diocesis.* Provideri pauperibus clericis —. Dat. Viterbii, idus decembris, anno tertio. »

2420 21 décembre 1257.

Johanni dicto Ferrario, canonico ecclesiae de Gorgonzola, Mediolanensis diocesis, indulget utduo ecclesiastica beneficia recipere et retinere possit. (Reg. 25, f. 116, an. IV, c. 10.)

« *Johanni dicto Ferrario, canonico ecclesie de Gorgonzola, Mediolanensis diocesis.* Devotionis tue supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut in una civitate vel uno plebanatu duo possis ecclesiastica beneficia, si tibi canonice offerantur, libere recipere et licite retinere, constitutione a felicis recordationis C. papa, predecessore nostro, tunc tituli Sancti Marci presbitero cardinali, in Lombardie partibus Apostolice Sedis legato, super hoc edita non obstante; proviso quod eadem beneficia debitis obsequiis non fraudentur. Nulli nostre concessionis etc. Dat· Viterbii, XII kal. januarii, anno quarto. »

2421 Viterbe, 2 janvier 1258.

Dispensationem a Lemovicensi episcopo Guidoni Malafeyda concessam confirmat. (Reg. 25, f. 116, an. IV, c. 11.)

« *Guidoni Malafeyda, archidiacono Marchie in ecclesia Lemovicensi.* Lecta coram nobis tua petitio continebat quod venerabilis frater noster Lemovicensis episcopus, cui felicis recordationis papa I., predecessor noster, dispensandi cum duobus clericis suis, prout pensatis ipsorum meritis et aliis circumstantiis secundum Deum expedire videret, quod uterque ipsorum, praeter obtenta beneficia curam animarum habentia, posset aliud ecclesiasticum beneficium seu personatum vel dignitatem similem curam habens et libere recipere in provincia Bituricensi, si sibi canonice offeretur et una cum obtentis licite retinere, constitutione non obstante concilii generalis, concessit liberam facultatem tecum qui tunc temporis ecclesiam Sancti Sulpicii et archidiaconatum Marchie in Lemovicensi ecclesia curam animarum habentes annexam ex dispensatione Sedis

Apostolice obtinebas, auctoritate concessionis hujusmodi post ipsius predecessoris obitum dispensavit ut praeter beneficia que obtinebas curam animarum habentia, possis aliud beneficium sive personatum vel dignitatem similem curam habens, libere recipere in Bituricensi provincia, si tibi canonice offeretur, et una cum obtentis licite retinere, constitutione predicta generalis concilii non obstante, tuque postmodum ecclesiam de Roeria, spectantem ad collationem ipsius episcopi in eadem provincia, fuisti canonice, ut asseris assecutus, nos igitur, dicti episcopi supplicationibus inclinati, dispensationem hujusmodi gratam et ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, IIII nonis januarii, anno quarto. »

2422 Viterbe, 9 décembre 1257.

Officiali Tornacensi mandat ut magistrum Gervasium de Brugis, clericum, secundum litteras P., in partibus Alamaniae Apostolicae Sedis legati, in ecclesia Antoniensi, diocesis Cameracensis, recipi faciat in canonicum et in fratrem eique de aliqua praebenda ab abbate Lobiensi provideri. (Reg. 25, f. 116, an. IV, c. 12.)

« .., *officiali Tornacensi*. Sua nobis dilectus filius magister Gervasius de Brugis, clericus, petitione monuit quod olim dilectus filius noster P., Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in partibus Alamanie Apostolice Sedis legatus, super receptione ac provisione sua in aliqua ecclesiarum Cameracensis diocesis.., decano ecclesie Tudinensis, Leodiensis diocesis, suas litteras sub certa forma direxit. Et licet decanus ipse, auctoritate hujusmodi litterarum.., decano et capitulo Antoniensis ecclesie, diocesis Cameracensis, ac etiam.., abbati Lobiensi, duxerit injungendum ut ipsum magistrum G. iidem decanus et capitulum reciperent in canonicum et in fratrem, ac idem abbas ad quem in eadem ecclesia quarumdam prebendarum collatio pertinere dicitur, sibi de prebenda quamprimum ad id se offerret oportunitas, provideret, et nullum tamen est adhuc idem magister de predictis litteris commodum assecutus ; volentes igitur ut eidem magistro hujusmodi gratia fructuosa reddatur, mandamus quatinus, si est ita, in executione provisionis ipsius, per te vel per alium auctoritate nostra procedas juxta earumdem dicti cardinalis continentia litterarum, non obstante constitutione nostra super cassatione receptionum edita in ecclesiis quibuscumque, seu quod felicis recordationis I. papa, predecessor noster, intentionis sue non esse declarans quod auctoritas legatorum in regno Alemannie se ad civitatem vel diocesim Cameracensem extenderet, decreverit irritum et inane quicquid contra declarationem hujusmodi factum esset vel contingeret attemptari. Dat. Viterbii, V idus decembris, anno tertio. »

2423 Viterbe, 22 décembre 1257.

Magistro Galfrido de Derham, rectori ecclesiae Sancti Petri de Andewinder, Lincolniensis diocesis, tria beneficia tenenti, indulget ut aliud possit beneficium recipere. (Reg. 25, f. 116, an. IV, c. 13.)

« *Magistro Galfrido de Derham, rectori ecclesie Sancti Petri de Andewinder, Lincolniensis diocesis.* Volentes tibi, tue devotionis et probitatis obtentu, gratiam facere specialem, tuis supplicationibus inclinati, ut praeter tua ecclesiastica beneficia curam animarum annexam habentia, quorum duo, ut asseris, commendata et unum intitulatum ad presens obtines, possis adhuc unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si similem curam habeat et dignitas vel personatus existat, et si te aliqua ex ipsis resignare contigerit, alia loco illorum que resignaveris, licite recipere, si tibi canonice offerantur et tam illa quam alia reliqua libere insimul retinere, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante, tibi auctoritate presentium indulgemus, proviso quod beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XI kal. januarii, anno quarto. »

2424 Viterbe, 22 décembre 1257.

Galterrido de Gatos, canonico ecclesiae Cicestrensis, indulget ut praeter unicum beneficium ecclesiasticum habens curam animarum annexam, duo alia ecclesiastica beneficia, etiam si similem curam habeant et alterum eorum dignitas vel personatus existat, recipere possit. (Reg. 25, f. 116 v°, an. IV, c. 14.)

« *Galterrido de Gatos, canonico ecclesie Cicestrensis.* Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, XI kal. januarii, anno quarto. »

2425 Viterbe, 5 janvier 1258.

Philippo, sacriste Agathensi, capellano suo indulget ut, praeter sacristiam Agathensem, unicum aliud beneficium curam habens animarum annexam, in Narbonensi provincia recipere valeat. (Reg. 25, f. 116 v°, an. IV, c. 15.)

« *Philippo, sacriste Agathensi, capellano* [*nostro*] (1) Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, nonas januarii, anno quarto. »

2426 Viterbe, 22 décembre 1257.

Thome dicto Kok, rectori ecclesiae de Flaflue, Eboracensis diocesis, indulget ut praeter ecclesiam de Flaflue, curam animarum annexam habentem, duo alia ecclesiastica beneficia, etiam si similem curam habeant et dignitates vel personatus existant, recipere possit. (Reg. 25, f. 116 v°, an. IV, c. 16.)

« *Thome dicto Kok, rectori ecclesie de Flaflue, Eboracensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, XI kal. januarii, anno quarto. »

2427 Viterbe, 2 janvier 1258.

Magistro Willelmo de Syrewude, thesaurario Lincolniensi, indulget ut praeter thesaurariam Lincolniensem et alia ecclesiastica beneficia curam animarum annexam habentia vel sine cura quae obtinet, unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si similem curam habeat et dignitas vel personatus existat, recipere possit, defectu si quis in predictorum beneficiorum receptione vel retentione extiterit, de apostolice plenitudine potestatis suppleto. (Reg. 25, f. 116 v°, an. IV, c. 17.)

« *Magistro Willelmo de Syrewude, thesaurario Lincolniensi.* Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, IIII, nonas januarii, anno quarto. »

2428 Viterbe, 8 janvier 1258.

Decano ecclesiae S. Viti Frisingensis mandat ut episcopum Ratisponensem ad aliquam dignitatem in ecclesia Ratisponensi magistro Leoni, canonico Ratisponensi, conferendam, compellat, secundum litteras eidem episcopo super hoc per I. papam missas. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 18.)

« .., *decano ecclesie Sancti Viti Frisingensis.* Exhibite nobis dilecti —. Dat. Viterbii, VI idus januarii, anno quarto. »

2429 Viterbe, 9 janvier 1258.

Abraham, archiepiscopo Armachano, Hiberniae primati, contrahendi mutuum usque ad summum octingentarum marcarum Sterlingorum, negotiorum Armachanae ecclesiae causa, et obligandi se et successores suos creditoribus usque ad eamdem summam, certis sub conditionibus, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 117, an. IV, c. 19.)

« *Abraham, archiepiscopo Armachano, Ybernie primati.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expediendis tuis et ecclesie Armachane negotiis, subire te oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nostris supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam octingentarum marcarum Sterlingorum et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi te et successores tuos, ecclesiam Armachanam et bona ejus, ac renuntiandi constitutioni de duabus dietis edita in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscunque tenoris in posterum impetrari contigerit, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem, ita tamen quod tu et successores tui teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non persolveritis memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia eadem sit conversa in utilitate ipsius ecclesie, pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis —. Dat. Viterbii, V idus januarii, anno quarto. »

2430 Viterbe, 5 novembre 1257.

Decano ecclesiae Hoyensis, Leodiensis diocesis, ne praepositum, decanum et capitulum Leodienses, super possessionibus et bonis ipsorum injuriis vexatos, permittat contra indulta privilegiorum Apostolicae Sedis ab aliquo indebite molestari, praesentibus post triennium minime valituris. (Reg. 25, f. 117, an. IV, c. 20.)

« .., *decano ecclesie Hoiensis, Leodiensis diocesis.* Quia divinis deputati —. Dat. Viterbii, nonis novembris, anno tertio. »

2431 Viterbe, 22 juin 1257.

Ordinationem a Leodiensi electo pro majore Leodiensi ecclesia facta confirmat. (Reg. 25, f. 117, an. IV, c. 21.)

« .., *preposito.., decano et capitulo majoris ecclesie Leodiensis.* Justis petentium etc. usque : complere. Lecta siquidem nobis vestra petitio continebat quod dilectus filius.., Leodiensis electus, diligenter attendens quod ecclesia vestra, pro eo in divinis offi-

1. Ce dernier mot ne se trouve que dans l'indication donnée au *rubricator*, dans la marge.

ciis tam diurnis quam nocturnis horis, defectum non modicum pateretur quia cotidiane distributiones horarum ipsarum nimis erant tenues et exiles, tandem duxit deliberatione provida ordinandum ut, cedentibus vel decedentibus.., de Viseto.., de Laudenes.., de Verteike ecclesiarum rectoribus, Leodiensis diocesis, in quibus jus patronatus habetis, instituantur in ipsis persone ydonee, quibus de illarum redditibus pro sustentatione sua et supportandis earum oneribus consuetis et debitis, assignentur congrue portiones; residuum vero dictorum reddituum convertatur in augmentum distributionum ipsarum, maxime cum facultates earumdem ecclesiarum adeo excrevissent quod hoc erat merito faciendum, prout in patentibus litteris ipsius electi confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super premissis provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, diocesani et archidiaconi per omnia jure salvo. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, X kal. julii, anno tertio. »

2432 Latran, 4 mai 1257.

Eisdem sententiam arbitralem per Villariensem, Cisterciensis, et Floresiensem, Premonstratensis ordinum abbates, super quibusdam articulis latam confirmat. (Reg. 25, f. 117, an. IV, c. 22; Rodenberg, t. III, n° 455).

« *Eisdem.* Ea que judicio —. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat quod, licet de rebus venalibus civitatis Leodiensis nullus absque consensu vestro possit et debeat ordinare, bone tamen memorie.., Leodiensis episcopus, motu proprio contra justitiam statuit ut de singulis rebus predictis, preter justum pretium quod datur pro eis, certa summa pecunie persolvatur in vestrum prejudicium et gravamen; cumque postmodum, super hoc et diversis aliis articulis, coram bone memorie.., Tusculano episcopo et P., Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, ac R., Sancte Marie in Cosmidin diaconibus cardinalibus, quos felicis recordationis G. papa, predecessor noster, deputavit super premissis partibus auditores, questio diutius agitata fuisset, ac iidem auditores statutum hujusmodi ipsius episcopi Leodiensis revocari mandassent, tandem super reliquis articulis fuit de consensu auditorum ipsorum in dilectos filios.., Villariensem, Cisterciensis, et.., Floresiensem, Premonstratensis ordinum abbates, ac magistrum G. de Lauduno, canonicum Remensem, ab utraque parte sponte ac concorditer tamquam in arbitros compromissum; quorum duo, tertio eorum legitime excusato, sicut ex hujusmodi compromisso habebant, dictum statutum juxta mandatum auditorum ipsorum revocantes, ac rite in hujusmodi negotio procedentes, super aliis predictis equum tulerunt arbitrium inter partes, prout in patentibus litteris eorum confectis exinde plenius dicitur contineri, quod roborari apostolico munimine petivistis. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, arbitrium ipsum sicut est equum et acceptatum ac emologatum (*sic*) a partibus, et hactenus pacifice observatum, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, III nonas maii, anno tertio. »

2433 Viterbe, 7 octobre 1257.

Aliam constitutionem a Leodiensi episcopo factam confirmat. (Reg. 25, f. 117 v°, an. IV, c. 23.)

« *Eisdem.* Cum a nobis petitur etc. usque ad : effectum. Sane sicut lecta nobis vestra petitio continebat, dilectus filius., Leodiensis electus diligenter attendens quod ecclesia vestra pro eo in divinis officiis tam diurnis quam nocturnis horis defectum non modicum pateretur quia cotidiane distributiones horarum ipsarum nimis erant tenues et exiles, duxit deliberatione provida ordinandum ut, cedentibus vel decedentibus.., de Beck,.., de Hedele et.., de Flawaine ecclesiarum rectoribus, Leodiensis diocesis, in quibus jus patronatus habetis, instituantur in ipsis persone ydonee quibus de illarum redditibus pro sustentatione sua et supportandis earum oneribus consuetis et debitis, assignentur congrue portiones, residuum vero dictorum reddituum convertatur in augmentum distributionum ipsarum, maxime cum facultates earumdem ecclesiarum adeo excreverint quod hoc erat merito faciendum, prout in patentibus litteris ipsius electi confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super premissis provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, diocesani et archidiaconi loci per omnia jure salvo. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno tertio. »

2434 Viterbe, 9 juin 1257.

Eisdem, sententiam qua Hugo, Leodiensis episcopus, certos redditus scholastriae ecclesiae eorum scholastico

tribuerat, reliquis in subsidium distributionum quotidianarum deputatis, ab archiepiscopo Coloniensi metropolitano jam confirmatam, confirmat. (Reg. 25, f. 117 v°, an. IV, c. 24.)

« *Eisdem*. Cum a nobis —. Dat. Viterbii, V idus junii, anno tertio. »

2435 Viterbe, 5 janvier 1258

Magistro Ricardo de Cliffordc, rector ecclesiae Slindonensis, Cicestrensis diocesis, indulget ut, praeter ecclesiam de Slindone et alia ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae ad praesens obtinet, unicum aliud beneficium, etiam si similen curam habeat, et, si aliquid ex ipsis resignaverit, aliud loco illius recipere possit. (Reg. 25, f. 117 v°, an. IV, c. 25.)

« *Magistro Ricardo de Clifforde, rectori ecclesie de Slindone, Cicestrensis diocesis*. Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, nonis januarii, anno quarto. »

2436 Viterbe, 5 janvier 1258

Magistro Roberto de Mariscis, archidiacono Exoniensi, indulget ut, praeter archidiaconatum Oxoniae, praebendam de Eylesbur et ecclesiam de Hemingbur curam animarum habentes, quae ad praesens obtinet, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si similem curam habeat, et, si aliquid ex ipsis resignaverit, aliud loco illius recipere possit. (Reg. 25, f. 117 v°, an. IV, c. 26.)

« *Magistro Roberto de Mariscis, archidiacono Exoniensi*. Volentes tibi etc —. Dat. Viterbii, nonis januarii, anno quarto. »

2437 Viterbe, 1er décembre 1257

Decano et capitulo Magdunensibus Bituricensis diocesis, mandat ut, juxta tenorem litterarum ab ipsa Sede Apostolica super hoc mandatarum, quas efficere non curaverant, Bertrandum de Busseria, clericum Bituricensis diocesis, in canonicum et in fratrem recipiant, eique praebendam aliquam assignent. (Reg. 25, f. 117 v°, an. IV, c. 27.)

« .., *decano et capitulo Magdunensibus, Bituricensis diocesis*. Affectionis paterne studium —. Dat. Viterbii, kalendis decembris, anno tertio. »

2438 Viterbe, 1er décembre 1257

Simili modo decano et capitulo ecclesiae S. Austregisili de Castro Bituricensis mandat ut Petrum de Garda, rectorem ecclesiae de Vinolio, Bituricensis diocesis, in canonicum et in fratrem recipiant eique praebendam aliquam assignent. (Reg. 25, f. 118, an. IV, c.28.)

« ..,*decano et capitulo ecclesie Sancti Astirgisili de Castro Bituricensis*. Affectionis paterne studium etc.. usque in finem. »

2439 Viterbe, 22 décembre 1857.

Translationem quorumdam bonorum capitulo Magdeburgensi ab episcopo et capitulo Halberstadensibus post Ludolphi episcopi depositionem factam confirmat. Reg. 25, f. 118, an. IV, c. 29 ; Potthast 17122 ; Rodenberg, t. III, n° 472.

« *Capitulo Magdeburgensi*. Hiis que ab ecclesiarum etc. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, licet felicis recordationis I., papa, predecessor noster, et nos post latam depositionis sententiam in Ludulphum, qui tunc pro episcopo Halberstadensis ecclesie se gerebat, omnes alienationes, infeudationes, locationes et contractus quoslibet per eundem L. de castris, villis, possessionibus et aliis bonis ad ipsam ecclesiam spectantibus in ejusdem ecclesie prejudicium initos sive habitos decernentes irritos et inanes, ea omnia ad jus et proprietatem ipsius ecclesie duxerimus revocanda, nichilominus tamen idem L. comitatum qui Sehusen dicitur et tria castra ad dictam ecclesiam spectantia nobilibus viris Johanni et Ottoni, marchionibus Bramdeburgensibus, receptis ab ipsis tribus milibus marcarum et quadringentis marcis argenti, capituli Halberstadensis ad id non accedente consensu, de facto, cum de jure nequiverit, in feudum dare presumpsit, marcas ipsas in usus proprios convertando. Verum venerabilis frater noster.., Alberstadensis episcopus, et idem capitulum attendentes quod ipsi comitatum et castra eadem de ipsorum nobilium manibus, propter eorum potentiam, eripere non valebant, quanquam iidem nobiles super restitutione comitatus et castrorum ipsorum auctoritate apostolica moniti fuerint diligenter, comitatum et castra predicta in vestra ecclesia transtulerunt, prestitis juramentis et cautionibus hinc inde exhibitis necessariis, receptisque a vobis et vestra ecclesia nomine ipsius Halberstadensis ecclesie duobus aliis castris et quodam annuo redditu necnon et quatuor milibus marcarum et quingentis marcis argenti, quas dicti episcopus et capitulum in solutionem debitorum prefate Halberstadensis ecclesie que absorbebatur[1] in usurarum voragine converterunt. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc provide factum est ratum habentes et gratum id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XI kal. januarii, anno quarto. »

1. Reg. : *absolvebatur*.

2440 Latran, 6 janvier 1257.

Decano et capitulo Lemovicensibus mandat ut Petrum de Pinu, rectorem S. Saturnini, Lemovicensis diocesis, in canonicum recipiant eique de praebenda aliqua provideant. (Reg. 25, f. 118, an. IV, c. 30.)

« .., *decano et capitulo Lemovicensibus.* Dignum est et consonum etc. Hinc est quod pro dilecto filio Petro de Pinu, rectore ecclesie Sancti Saturnini, Lemovicensis diocesis, apud nos de honestate vite ac litterarum scientia commendato, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus ipsum, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, recipiatis in ecclesia vestra in canonicum et in fratrem, ei de prebenda, si qua in ecclesia ipsa in qua collatio prebendarum ad vos pertinere dicitur, vacat ad presens vel quamcito ad id obtulerit se facultas, liberaliter providentes, non obstante partis contradictione minoris nisi aliquid rationabile ab ipsa objectum fuerit et ostensum, aut statuto de certo canonicorum numero juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacunque alia firmitate vallato, vel quod idem rector alias beneficiatus existit seu si vobis pro aliis direxerimus scripta nostra quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, aut statuto quod in ecclesia vestra dicimini juramento firmasse ut neminem, nisi compulsi, in canonicum admittatis, vel siquidem ad receptionem seu provisionem alicujus minime teneamini vobis sit ab eadem Sede indultum, aut qualibet alia ipsius Sedis indulgentia, de qua specialem oporteat in presentibus fieri mentionem et per quam effectus presentium differri valeat vel etiam impediri; preces et mandatum nostrum taliter impleturi quod idem rector assecutum se gaudeat quod intendit et apud nos vestre devotionis sinceritas non immerito digna laudibus habeatur. Dat. Laterani, VIII idus januarii, anno tertio. »

2441 Viterbe, 7 décembre 1257.

Archiepiscopo Magdeburgensi mandat ut Brunoni de Hallis, diocesis Magdeburgensis clericum, de aliquo beneficio cum cura vel sine cura provideat, juxta continentiam litterarum executoriarum quas ipse Bruno ab I[nnocentio] papa impetraverat. (Reg. 25, f. 118, an. IV, c. 31.)

« .., *archiepiscopo Magdeburgensi.* Dilectus filius Bruno —. Dat. Viterbii, VII idus decembris, anno tertio. »

2442 Viterbe, 13 décembre 1257.

Priori et capitulo secularis ecclesiae S. Radegundis Pictavensis mandat ut Johannem dictum Lorva, recipientes in canonicum, ei de aliqua praebenda provideant. (Reg. 25, f. 118, an. IV, c. 32.)

«.., *priori et capitulo secularis ecclesie Beate Radegundis Pictavensis.* Apostolice pietatis provenire etc. Hinc est quod pro dilecto filio Johanne dicto Lorva, paupere clerico, qui, commendatus de conversatione laudabili et honestis moribus, nullum prout asserit beneficium ecclesiasticum est adeptus, universitatem vestram attente rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus dictum clericum pro divina et nostra reverentia in canonicum recipientes et fratrem, de prebenda, si in ecclesia vestra in qua sicut asseritur canonicorum institutio et collatio prebendarum ad vos pertinere dicitur, vacat ad presens vel quamcito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem, dummodo ipse velit ibidem residere personaliter et ad ordines quos onus prebende hujusmodi exiget promoveri, non obstante statuto de certo canonicorum numero juramento vel confirmatione Sedis Apostolice seu quacunque firmitate vallato, aut si vobis pro aliis scripta nostra direximus quibus auctoritate presentium nolumus prejudicium generari, vel si vobis a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem et provisionem alicujus minime teneamini, sive aliqua indulgentia Sedis ejusdem per quam effectus hujusmodi gratia impediri valeat vel differri et de qua seu cujus toto tenore oporteat in nostris litteris fieri mentionem; preces nostras et mandatum in hac parta taliter impleturi, ut exinde digna laudibus apud nos vestra sinceritas habeatur. Dat. Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2443 Viterbe, 12 janvier 1258.

Guidoni, plebano plebis de Asciano, Massanensis diocesis, indulget ut ecclesiam S. Salvatoris de Ponte Pisano, curam animarum habentem, accipere, ac una cum plebanatu plebis de Asciano, cui similis cura imminet, retinere valeat, constitutione concilii non obstante. (Reg. 25, f. 118 v°, an. IV, c. 33.)

« *Guidoni, plebano plebis de Asciano, Massanensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Viterbii, II idus januarii, anno quarto. »

2444 Anagni, 27 octobre 1256.

Centum dies indulgentiae illis qui vere poenitentes et confessi ad ecclesiam S. Petri Casletensis, Morinensis diocesis, in illius festo et per ejus octavas accesserint, concedit. (Reg. 25, f. 118 v°, an. IV, c. 34.)

« .., *praeposito, decano et capitulo ecclesie Beati Petri Casletensis, Morinensis diocesis.* In Sanctorum festivitatibus —. Hinc est quod cum ecclesia vestra in honore Beati Petri apostoli constructa esse dicatur, nos, ipsam digna coli reverentia cupientes, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad eandem ecclesiam in illius festo et per ejus octavas, pura intentione accesserint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Dat. Anagnie, VI kal. novembris, anno secundo. »

2445 Viterbe, 18 janvier 1258.

Translationem quorumdam bonorum ecclesiae Magdeburgensi ab episcopo et capitulo Halberstadensibus factam, receptis a dicta ecclesia duobus castris, centum marcarum redditibus, quatuor millibus marcarum et quingentis marcis argenti, confirmat. (Reg. 25, f. 118 v°, an. IV, c. 38; Potthast 17154.

« .., *episcopo et capitulo Halberstadensibus.* Cum ecclesiarum dampnis —. Dat. Viterbii, XV kal. februarii, anno quarto. »

2446 Viterbe, 18 janvier 1258.

Magistro Laurentio, canonico Metensi, concedit ut omne jus quod ex receptione sua in Metensi ecclesia ad mandatum I[nnocentii] papae acquisiverat, plenum obtineat vigorem, non obstante constitutione contraria, statuens insuper praebendam in eadem ecclesia ei assignandam esse. (Reg. 25, f. 119, an. IV, c. 36.)

« *Magistro Laurentio, scolastico et officiali Treverensi, canonico Metensi.* Ad mandatum felicis recordationis I. pape, predecessoris nostri, olim in Mettensi ecclesia, ut nobis innotuit, receptus fuisti in canonicum et in fratrem. Sed nobis post modum, de fratrum nostrorum consilio, receptiones omnium prebendas expectantium vacaturas ultra quatuor in ecclesiis factas, constitutionis edicto irritantibus generali, tua receptio in predicta ecclesia que non es[t] de hujusmodi quatuor, ut accepimus, est cassata. Verum quia super hoc dignum duximus aliquid circa te specialiter constitui, cum id tue probitatis et utilitatis que per te posse creditur ipsi ecclesie provenire, consideratio mereatur, receptionem tuam in eadem ecclesia de speciali gratia et potestatis nostre plenitudine qua de jure supra jus possumus, ad efficaciam integram juris et roboris pristini, auctoritate presentium reducentes, concedimus atque statuimus omne jus quod ex eadem receptione tibi acquisitum fuerat et poterat provenire, plenum per omnia resumere ac obtinere vigorem, et prebendam, nulli alii de jure debitam, si qua vacat ibidem ad presens, vel quam primo vacare contigerit, tibi competere ac deberi in ecclesia memorata cum plenitudine juris canonici tibi vel alii tuo nomine assignandam, edicto constitutionis et irritationis predicte quod tibi super hiis aliquatenus obesse nolumus, non obstante; decernentes irritum et inane si quid de prebenda vel jure hujusmodi contra hoc, nostra vel quavis auctoritate, contigerit in tuum prejudicium attemptari. Nulli nostre reductionis, concessionis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, XV kal. februarii, anno quarto. »

2447 Viterbe, 18 janvier 1258.

Priori S. Maximini Treverensis mandat ut praedictum magistrum Laurentium in canonicum recipi faciens, ei praebendam aliquam assignet. (Reg. 25, f. 119, an. IV, d. c.)

« .., *priori Sancti Maximini Treverensis, ordinis Sancti Benedicti.* Ad mandatum felicis recordationis I. pape, predecessoris nostri, olim in Metensi ecclesia dilectus filius magister Laurentius, scolasticus et officialis Treverensis, canonicus Metensis, ut nobis innotuit etc. ut in alia, verbis competenter mutatis, usque: attemptari. Quocirca mandamus quatinus dictum magistrum pro canonico sepedicte ecclesie haberi faciens, prebendam nulli alii de jure debitam, si qua vacat in prefata ecclesia vel quamprimum vacare contigerit, juxta premissam formam, auctoritate nostra per te vel per alium assignare procures eidem cum juris plenitudine canonie (*sic*) ac in corporalem possessionem ipsius eundem magistrum vel procuratorem ejus aut alium pro ipso inducas et defendas inductum. Contradictores etc. Non obstante irritatione seu constitutione predicta, vel quod idem magister generalibus litteris pro restituendis familiaribus clericis et capellanis dilecti filii nostri P., Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, cujus ipse capellanus existit, ab Apostolica Sede contra predictam constitutionem obtentis usus est, non tamen cum effectu, in ecclesia sepefacta, seu si aliqui post ipsum recepti, ante ipsum in eadem fuerint restituti ecclesia sive ut restituantur vel recipiantur insistant, aut de novo in canonico ejusdem ecclesie sint admissi. Dat. ut supra. »

2448 Viterbe, 29 décembre 1257.

Sententiam ab Ottobono cardinali in causa inter religiosos monasterii Saxi Vivi, Fuliginatensis quondam diocesis, ex una parte, et bonae memoriae Urbevetanum episcopum, ex altera, vertente latum confirmat, instrumenti inde confecti tenorem inserens. (Reg. 25, f. 119, an. IV. c. 37.)

« .., *abbati et conventui monasterii Saxivivi, Fuliginatensis quondam diocesis*. Ea que judicio etc. usque : communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, cum in causa que inter vos, ex parte una, et bone memorie.., Urbevetanum episcopum, ex altera, super eo quod idem episcopus in monasterium Sancte Crucis, ac Sancti Egidii Urbevetani pertinentem ad idem monasterium, et Sancti Nicolai Heremi Juniani, Urbevetane diocesis, ecclesias ad monasterium vestrum pleno jure spectantia, volens sibi jurisdictionem indebitam usurpare, in.., priorem et monachos ipsius monasterii Sancte Crucis et.., capellanum ipsius ecclesie Sancti Egidii ac in patronos et parrochianos ipsius monasterii Sancte Crucis et ejusdem ecclesie Sancti Egidii, si ad monasterium vel ecclesiam predictam pro divinis accederent audiendis, ac etiam omnes illos qui apud idem monasterium et dictam ecclesiam eligerent sepulturam, ac deferentes ibidem corpora mortuorum et euntes cum eis, et in illos quoque qui priori, monachis et capellano predictis suas darent elemosinas vel aliqua mortuaria pro vivis vel etiam pro defunctis, sive inirent contractum aliquem cum eisdem, aut eis prestarent auxilium vel favorem, seu ad ecclesias accederent eorundem, post appellationem a priore, monachis et cappellanis (1) predictis ad Sedem Apostolicam interjectam, excommunicationis sententiam promulgavit, ac ipsius monasterii et eandem Sancti Egidii ecclesias auctoritate propria ecclesiastico supposuerat interdicto, pro eo quod prior, monachi et capellanus predicti noluerunt coram eodem episcopo stare juri, prout etiam minime (2) tenebantur, cum idem monasterium vestrum, tam in capite quam in membris, ab episcopali jurisdictione penitus sit exemptum, et super eo etiam quod dictus episcopus a priore ipsius ecclesie Sancti Nicolai exigebat quandam quantitatem pecunie vertebatur, felicis recordationis Innocentius papa,predecessor noster, dilectos filios nostros I., Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, primo, et postmodum O., Sancti Adriani, diaconos cardinales, dederit partibus auditores, idem O. cardinalis, cognitis ipsius cause meritis ac nobis fideliter recitatis et juris ordine observato, diffinitivam pro vobis sententiam promulgavit, prout in instrumento publico inde confecto sigillato sigillo ipsius O. cardinalis plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, sententiam ipsius O. cardinalis provide latam, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

1. Il faudrait : *capellano*.
2. Reg. : *minimme*.

Viterbe, 7 décembre 1257.

« Ottobonus, miseratione divina Sancti Adriani diaco-
« nus cardinalis, ad perpetuam rei memoriam. Presidente
« rationis imperio in animo judicantis, sedet in examine
« veritatis pro tribunali justitia, et quasi rex in solio
« judicii rectitudo, cujus dissipatur intuitu proprie
« voluntatis arbitrium et acceptio personarum ; ex
« quo fit ut magni et parvi, pauperes et divites, po-
« tentes et debiles, absentes etiam et presentes equo
« libramine judicentur. Sane, inter venerabilem patrem
« .., episcopum Urbevetanum, ex parte una, et religiosos
« viros.., abbatem et conventum monasterii Saxivivi,
« ex altera, dudum orta materia questionis, beate
« recordationis dominus Innocentius, papa IIII, ques-
« tionem ipsam primo venerabili patri domino Johanni,
« Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali,
« et postmodum, cum idem cardinalis non esset in
« curia, nobis audiendam determinandamque commisit,
« partibus quidem per procuratores ydoneos comparen-
« tibus coram ipso domino cardinali, pro parte dic-
« torum abbatis et conventus libelli oblati fuerunt
« contra dictum episcopum in hac forma. Proponit
« frater Tostus, prior monasterii Sancte Crucis Urbe-
« vetani, procurator.., abbatis et conventus monas-
« terii Saxivivi, nomine predictorum, contra Urbe-
« vetanum episcopum quod idem episcopus, volens
« usurpare jurisdictionem indebitam, in.., priorem et
« conventum monasterii Sancte Crucis, ejusdem loci,
« et in ipsum monasterium et ecclesiam Sancti Egidii
« que immediate et pleno jure pertinent ad dictum
« monasterium Saxivivi, coram se citari fecit priorem
« et capitulum seu conventum dicti monasterii Sancte
« Crucis et capellanum dicte ecclesie Sancti Egidii
« ut fratribus Predicatoribus civitatis predicte res-
« ponderent in eorum petitionibus et querelis, vide-
« licet super eo quod petebant corpus unius defuncti
« quod in suo cimiterio sepelierant pro eo quod, ut di-
« cebant, apud eos elegerat (1) sepulturam, et justitiam
« eis facerent coram se. Predicti vero prior et conventus
« et capellanus Sancti Egidii, cum ab ipsius episcopi
« juridictione essent liberi et immunes, proposuerunt

1. Reg. : *elegerant*.

« coram ipso quod coram eo respondere minime cogebantur, pro eo quod, ut dictum est, ab omni jurisdictione sua essent liberi et immunes, et in possessione existerent et extiterint ab antiquo omnimodo libertatis, et nullo tempore coram Urbevetano episcopo in justitia respondissent, et idem episcopus nullam juridictionem ordinariam seu delegatam habebat in eis, quod offerebant se probaturos coram judice competenti. Sed, predicta exceptione non admissa, idem episcopus, de facto, cum de jure non posset, in predictos priorem et monachos Sancte Crucis et capellanum jam dictum excommunicationis sententiam fulminavit, et ecclesias, videlicet Sanctam Crucem et Sanctum Egidium, ecclesiastico de facto supposuit interdicto; de facto etiam patronos et parrochianos monasterii Sancte Crucis et ecclesie Sancti Egidii, si ad eorum ecclesias accederent ad divina, excommunicationis vinculo innodavit, excommunicavit etiam omnes illos qui ad predictas ecclesias eligerent sepulturas, deferentes et euntes cum eis, ac etiam omnes illos qui eis darent elemosinas, vel mortuaria aliqua pro vivis atque mortuis, et omnes qui, [quo]cumque modo vel actu, contractum aliquem inirent cum eis et eis prestarent auxilium vel favorem, vel in aliquo communicarent eisdem aut accederent ad ecclesias eorundem; et hoc fecit episcopus supradictus post appellationem propter exceptionem hujusmodi non admissam ad Sedem Apostolicam interjectam, pro parte abbatis et aliorum dictorum, cujus episcopi excommunicationis sententia seu sententie auctoritate domini Petri cardinalis, in partibus illis Apostolice Sedis legati, extitit revocata seu revocate. Sed prefatus episcopus dictas sententias, post revocationem hujusmodi et postquam etiam dominus papa questionem hujusmodi commisit vobis, domine cardinalis, innovare temptavit excommunicando predicto modo omnes superius memoratos, faciens diebus singulis, pulsatis campanis et candelis accensis, predictos priorem et monachos, capellanum et omnes alios supradictos excommunicatos publice nuntiari, et quatenus in eo est publice evitari in ejusdem monasterii Saxivivi et ipsorum grave prejudicium et gravamen et scandalum plurimorum, propter quod dicti abbas et conventus dampnum et expensas gravia incurrerunt. Quare petit procurator predictus cum, ut dictum est, edem ecclesie ad ipsos pertineant pleno jure, ac liberi sint et immunes a jurisdictione episcopi memorati, ante omnia indulgeri eisdem alsolutionis beneficium, ad cautelam irritari seu revocari quicquid post appellationem ab eis interjectam per predictum episcopum contra predictos attemptatum est, et eidem episcopo imponi silentium super hujusmodi, ac ei sententialiter inhiberi ne, de cetero, talia vel similia attemptare presumat, cum nullum jus habeat in eosdem vel in ecclesiis (*sic*) eorundem. Petit etiam eundem condempnari ad dampna et expensas inde contingentia, que extimat libras ducentas Senensis monete. Petit etiam eundem condempnari de tanta injuria et excessu; extimat siquidem injuriam ipsam mille libras ejusdem monete, salvo jure etc.

« Item proponit dictus Tostus, procurator monasterii supradicti, quod ipse episcopus mandavit priori ecclesie Sancti Nicolai Heremi Juniani, que ecclesia immediate et pleno jure spectat ad dictum monasterium Saxivivi, quod infra decem dies sibi solverit quadraginta soldos Senensis monete, alioquin condempnaret eum in duplo quantitatis predicte, et ecclesiam supradictam scilicet Sancti Nicolai, supponeret ecclesiastico interdicto, cum nullam sit ei jus talia faciendi. A quo mandato fuit pro parte abbatis et conventus ad Sedem Apostolicam legitime appellatum, pro eo quod ipsi et eorum ecclesie a jurisdictione ipsius episcopi sunt liberi et immunes, et in nullo teneantur eidem, et in possessione extiterent et extiterint ab antiquo omnimode libertatis, et nullo tempore eidem de talibus vel similibus respondissent. Quare cum nullum jus sit sibi talia faciendi, ut dictum est, et ab eo sit legitime appellatum, petit procurator predictus, nomine predictorum, eidem episcopo imponi perpetuum (1) silentium super hoc et eidem sententialiter inhiberi ne de cetero talia vel similia attemptare presumat, cum, ut dictum est, nullum jus habeat hoc in predicta eorum ecclesia faciendis salvo jure etc.

« Tandem super dictis libellis in presentia dicti cardinalis lite legitime contestata, comparuerunt procuratores partium coram nobis et, prestito ab utraque parte juramento de veritate dicenda, factisque positionibus et responsionibus subsecutis, et testibus in causis productis, pars dictorum abbatis conventus, ad fundandam intentionem suam, exhibuit privilegia bone memorie Guillelmi, episcopi Urbevetani, et Riccardi, successoris ejusdem, per cujus Guillelmi privilegium probare nitebatur quod ipse Guillelmus, cum consensu capituli sui, ecclesias de quibus agitur cum earum personis et pertinentiis ab omni jurisdictione episcopali exi-

1. Ce mot a été ajouté en marge.

« merat et remiserat, et concesserat dicto (1) monasterio « Saxivivi omnia jura sibi et episcopatui Urbevetano « competentia in eisdem, et per privilegium dicti Ric- « cardi, quod ipse Riccardus ratificarevat et confir- « maverat quicquid factum fuerat a Guillelmo predicto.

« Secundo : privilegium felicis recordationis domini « Innocentii, pape secundi, per transcriptum de man- « dato et auctoritate recolende memorie Pelagii, Sancte « Lucie de Septasolis (*sic*) diaconi cardinalis, manu publica « redactum in publicam formam et ipsius cardinalis « sigillo munitum, per quod dicebat esse probatum « quod idem Innocentius secundus monasterium pre- « dictum cum omnibus membris suis, et presertim « cum predictis Sancte Crucis et Sanctorum Egidii et « Nicolai ecclesiis ipsarumque personis et pertinentiis, « ab omnibus juribus episcopalibus erat exemptum.

« Tertio : privilegium sanctissimi patris domini Ale- « xandri, pape quarti, quo exemisse ab omni prorsus « episcopali jurisdictione dictum monasterium cum « ecclesiis ad ipsum spectantibus et nominatim cum « supradictis ecclesiis et earum personis et pertinentiis « asserebat, salvo jure diocesanis episcopis, siquid « esset eis a tempore predicti Innocentii secundi citra « in ipsius monasterii ecclesiis acquisituum. Dicebat « preterea se per testes in predictis causis productos « formam privilegii dicti Innocentii secundi et ammis- « sionem ipsius probavisse, quodque ipsum monasterium, « a tempore cujus non erat memoria, prescripserat « easdem ecclesias et jura episcopalia in eisdem.

« Verum pars adversa respondit : primo : contra « concessionem quondam Guillelmi, episcopi Urbe- « vetani, dicens quod ipsa concessio episcopo et epis- « copatui Urbevetano prejudicare non poterat, nec « debebat, utpote conditional[is] et illicita, sicut ex « tenore concessionis ipsius apparebat, et quod Ric- « cardi, successoris ejusdem Guillelmi, ratificatio seu « confirmatio non valebat quia non tenebatur ratificare « seu confirmare non poterat.

« Secundo : quod transcripto exhibito ad probandum « privilegium Innocentii secundi, non erat aliquatenus « danda fides, cum sumpto, nisi originale appareret, « non esset credendum.

« Tertio : quod privilegium domini Alexandri, eo « quod lite pendente fuerat impetratum, nullum ipsi « episcopo prejudicium generabat.

« Quarto : quod per testes, tum quia erant in suis « dictis varii tum propter alias causas, probatio non « fiebat, ex quibus ostendere satagebat quod, non « obstantibus propositis et allegatis a parte monasterii, « erat pro episcopo ferenda sententia, cum per jus « commune liqueret de jure ipsius evidenter.

« Porro ad predicta fuit inter cetera replicatum « quod non illicita nec conditionalis, sed pura et li- « bera extitit predicti Guillelmi concessio, et tam ipsa « concessio quam ratificatio seu confirmatio Riccardi, « successoris ejusdem Guillelmi, firma erat et valida, « et quod privilegium Innocentii secundi sufficienter « probatur per transcriptum de mandato et auctoritate « dicti Pelagii cardinalis, per notarium publicum redac- « tum in formam publicam et ipsius cardinalis sigilli « munimine roboratum, et posito quod ipsius privilegii « per transcriptum illud non fieret plena fides, tamen « transcriptum ipsum tanta auctoritate munitum pre- « sumptionem validam inducebat, quodve privilegium « domini Alexandri, licet pendente lite concessum exti- « terit, firmum erat et validum, cum ex eo quod « cognoverat dictum Innocentium secundum, monas- « terium ipsum, cum ecclesiis, personis et pertinentiis « suis, libertati donasse, dictum privilegium ipsi mo- « nasterio ex certa scientia concessisset, illo dumtaxat « in capellis ejusdem monasterii diocesanis episcopis « jure salvo quod, a tempore predicti Innocentii se- « cundi acquisitum dinosceretur eisdem, prout ex « ipsius privilegii tenore constabat ; quodque per testes, « quorum persone vel dicta non erant aliquo reprobata « nec reprobari poterant, forma privilegii prefati In- « nocentii secundi, et ammissio ipsius privilegii, et « quod dictum monasterium prescripserat supradictas « ecclesias cum personis et juribus earundem, a tempore « cujus non erat memoria, probabantur ; et propter « hoc, non obstantibus propositis, ex parte dicti epis- « copi dicebatur quod pro monasterio erat sententia pro- « ferenda.

« Nos igitur, auditis predictis et aliis que partes « coram nobis proponere voluerunt ac plenius intellectis « factaque super ipsis domino nostro Alexandro pape « relatione fideli, de ipsius domini pape speciali mandato, « quia nobis constitit dictas ecclesias predicto monas- « terio Saxivivi esse pleno jure subjectas, et ipsum « monasterium, cum membris suis et presertim cum « nominatis ecclesiis, ab omni prorsus episcopali « juridictione fore liberum et exemptum, presentibus « Finato de Fuligino, domini pape subdiacono, procu- « ratore abbatis et conventus predicti monasterii « Saxivivi, et Johanne, clerico de Castro Plebis, pro- « curatore Urbevetani episcopi, sententialiter pronun- « tiamus in scriptis processus habitos per Urbevetanum « episcopum in predictas Sancte Crucis et Sanctorum « Egidii et Nicolai ecclesias et personas earum et quas-

1. Ces deux mots dans l'interligne.

« cunque alias, occasione ipsarum, et sententias excom-
« municationis latas in priorem et monachos predicte
« ecclesie Sancte Crucis et in capellanum supradicte
« ecclesie Sancti Egidii et in patronos et parrochianos
« predictarum ecclesiarum Sancte Crucis et Sancti
« Egidii, si ad ipsas accederent ad divina, et in omnes
« illos qui apud premissas ecclesias eligerent sepul-
« turas et qui darent elemosinas vel mortuaria aliqua
« pro vivis aut mortuis priori et capitulo seu capellano
« predictis, et qui contractum aliquem cum ipsis inirent
« aut eis prestarent auxilium vel favorem sive in aliquo
« communicarent eisdem, vel ad ecclesias predictas
« accederent, ac etiam interdicti in ipsos Sancte Crucis
« et Sancti Egidii ecclesias, et quicquid secutum est ex
« ipsis processibus et sententiis vel ob ipsos processus
« et sententias, nullatenus tenuisse, ac ipsi episcopo,
« ne aliquam jurisdictionem exerceat in predictis eccle-
« siis vel in personis seu pertinentiis suis, perpetuum
« imponentes silentium, inhibemus eidem episcopo quod
« de cetero talia vel similia non attemptet. Ab hiis
« autem que petuntur in libello pro expensis, dampnis
« et injuriis, de ipsius domini pape mandato absolvimus
« episcopum memoratum.

« In cujus rei testimonium et memorie future cau-
« telam, hanc sententiam scribi et publicari fecimus per
« Gifredinum de Vezano, notarium nostrum, ac sigilli
« nostri munimine roborari. Lata fuit hec sententia in
« civitate Viterbiensi, in domo ecclesie Sancti Fortunati,
« presentibus venerabilibus patribus domino Willelmo
« Batthoniensi et Wellensi, et domino Opiczone Tri-
« politano episcopis, domino Guala de Vercellis, domini
« pape notario, domino Johanne de Camerano, audi-
« tore litterarum contradictarum domini pape, magistro
« Raynerio de Viterbio, canonico Remensi, domino
« Bonifatio, archidiacono Papiensi, et domino Rolando
« de Lavania, archidiacono Patracensi, domini pape
« capellanis, domino Johanne Leccacorro de Placentia,
« archidiacono Colimbriensi, magistro Arditione de
« Comite, preposito Sancti Laurentii Mediolanensis
« et magistro Berardo, archidiacono Fuliginatensi,
« capellanis predicti domini Ottoboni cardinalis, do-
« mino Pontio, preposito hospitalis Montis Sinici, et
« domino Leonardo de Venetiis, primicerio castellano,
« testibus ad predicta rogatis.

« Ego Gifredinus de Vezano, imperiali auctoritate
« notarius, interfui prolationi predicte sententie, et de
« mandato supradicti domini Ottoboni cardinalis,
« scripsi et publicavi omnia supradicta prolata ab ipso
« domino cardinali coram me et testibus ac in loco
« predictis. Anno a Nativitate Domini M. CC. LVII,
« indictione prima, septimo idus decembris, pontifi-
« catus ejusdem domini Alexandri pape IIII, anno
« tertio, et proprio signo signavi. »

« Nullis nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii
« IIII kal. januarii, anno quarto. »

2449 Viterbe, 29 décembre 1257.

Episcopo Perusino mandat ut excommunicationis et interdicti sententias a praefato Urbevetano episcopo in monasterium S. Crucis et ecclesiam S. Egidii Urbevetani ratione ejusdem causae latas non tenere denuntiet. (Reg. 25, f. 120 v°, an. IV, c. 37 *bis*.)

« .., *episcopo Perusino*. Petitio dilectorum filiorum.., abbatis et conventus monasterii Saxivivi, Fulginatensis quondam diocesis, nobis exhibita continebat quod, cum in causa que inter ipsos, ex parte [una], et bone memorie.., Urbevetanum episcopum, ex altera, super eo quod idem episcopus in monasterium Sancte Crucis et Sancti Egidii Urbevetani pertinens ad idem monasterium Sancte Crucis, et Sancti Nicolai Heremi Juniani, Urbevetane diocesis, ecclesias, ad idem monasterium Saxivivi pleno jure spectantia etc. ut in alia, verbis competenter mutatis usque : continetur. Cum autem nos, eorumdem abbatis et conventus Saxivivi supplicationibus inclinati sententiam ipsius cardinalis provide latam ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica duxerimus confirmandam, mandamus quatenus predictas excommunicationis et interdicti sententias per te vel per alium denunties non tenere. Dat. ut supra. »

2450 Viterbe, 23 janvier 1258.

Johanni de Bamia indulget ut non obstante natalium defectu, personatum vel dignitatem etiam in aliqua ecclesia cathedrali de Hibernia obtinere valeat. (Reg. 25, f. 120 v°, an. IV, c. 38.)

« *Johanni de Bamia, clerico Fernensis diocesis*. In nostra constitutus presentia retulisti quod venerabilis frater noster.., Fernensis episcopus, super defectu natalium quem pateris, de presbitero genitus et soluta, ut ad omnes sacros ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, etiam curam habens animarum, obtinere valeas, tecum auctoritate apostolica, consideratis,

1. C. 37 - 4°.

tue probitatis meritis dispensavit. Quia vero tu, post hujusmodi assecutionem gratie, ut te dignum redderes potiori litterarum scientie ac honeste conversationis et vite studio laudabiliter diceris insudasse, nos propter hoc, ac etiam obtentu venerabilis fratris nostri.., archiepiscopi Armachanensis, qui tibi super premissis laudabile testimonium perhibuit, et te nobis affectuosis precibus commendavit, ejus supplicationibus inclinati, ut personatum vel dignitatem etiam in aliqua ecclesia cathedrali de Ibernia, si tibi alias canonice offeratur, non obstante predicto defectu, obtinere valeas, tecum auctoritate apostolica dispensamus, ita tamen quod si te ad pontificalem dignitatem evocari contingat, illam nequaquam recipias sine mandato Sedis Apostolice speciali. Nulli nostre dispensationis etc. Dat. Viterbii, X kal. februarii, anno quarto. »

2451 Viterbe, 22 décembre 1257.

Engelbertum de Valkenberg in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 120 v°, an. IV, c. 39.)

« *Engelberto de Valkenberg, archidiacono Leodiensi.* Meritis tue probitatis et nobilitatis inducimur ut personam tuam quadam prerogativa gratie prosequentes, eam et oportuno muniamus favore et honore congruo attollamus. Ut igitur eo ferventius nostris et Apostolice Sedis insistas obsequiis, quo amplius per nos te senseris honorari, te de speciali benivolentia in capellanum nostrum duximus admittendum, has tibi litteras in hujus rei testimonium concedentes. Dat. Viterbii XI kal. januarii, anno quarto. »

2452 Viterbe, 23 janvier 1258.

Monasterium S. Bartholomei de Carpeneto, ordinis S. Benedicti, Pennensis diocesis, monasterio Casae Novae, Cisterciensis ordinis, ejusdem diocesis, unit. (Reg. 25, f. 120 v°, an. IV, c. 40.)

«.., *abbati et conventui monasterii Casenovo* (sic), *Cisterciensis ordinis, Pennensis diocesis.* Presignis virtutum ordinis vestri religio, fecunditate refecta virtutum et meritorum conspicua sanctitate, necnon et devotionis sinceritas quam reverenter et sedulo erga nos et Romanam Ecclesiam (1) promerentur ut vos apostolici favoris plenitudine prosequentes, vobis reddamur assidue ad gratiam liberales, et tunc precipue, dum per hujusmodi nostre liberalitatis opus, officii debitum quo circa directionem locorum religiosorum invigilare tenemur, laudabiliter adimplemus. Cum enim, inter nostre sollicitudinis studia, illud cognoscimus esse non minimum ut in locis sub religionis specie divino cultui dedicatis, providentibus nobis, observantia vigeat regularis, et deformata pro tempore reformetur honestas, delectat nos admodum locis ipsis ac personis in eis degentibus felicem statum ac prosperum procurare. Cum igitur in monasterio Sancti Bartholomei de Carpeneto, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis Sancti Benedicti, Pennensis diocesis, plurimum sicut accepimus teneat observantia regularis, nos, tam vestri quam ejusdem Sancti Bartholomei monasteriorum profectibus intendentes, monasterium ipsum Sancti Bartholomei, una cum castris et villis et omnibus bonis mobilibus et immobilibus ac juribus ad illud spectantibus, monasterio vestro de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica perpetuo conn[ect]imus, ipsumque incorporamus Cisterciensi ordini, de illius pulcritudine hujus deformatam speciem reformantes, ita quod utrumque monasterium sit de cetero unum corpus sub tuo, fili abbas, et successorum tuorum regimine, castris, villis et ceteris bonis ejusdem monasterii Sancti Bartholomei in ipsius proprietate remanentibus, gubernandum. Et quia cupimus ut in dicto monasterio Sancti Bartholomei cultui divini nominis intendatur, eadem auctoritate precipimus ut perpetuo serviatur inibi per competentem conventum personarum ipsius Cisterciensis ordinis sub tua, fili abbas, et eorundem successorum obedientia permansurum. Nulli nostre unionis, incorporationis et precepti etc. Dat. Viterbii, X kal. februarii, anno quarto. »

1. Il manque ici un mot tel que *exhibetis*.

2453 Viterbe, 13 janvier 1258.

Priori S. Martini, Johanni dicto Coquo et Bartholomeo dicto « Bayeye », canonicis Nivernensibus, mandat ut de receptione Petri de Mornayo, clerici, in canonicum in ecclesia de Sancergio, Bituricensis diocesis, facta, ejusdem ecclesiae priore absente, veritatem inquirant. (Reg. 25, f. 121, an. IV, c. 41.)

« .., *priori Sancti Martini, Johanni dicto Coquo et Bartholomeo dicto Bayeye, canonicis Nivernensibus.* Dilectus filius .., prior secularis ecclesie de Sancergio, Bituricensis diocesis, sua nobis conquestione monstravit quod, cum ad instantiam Petri de Mornayo, clerici, ipsi priori et capitulo ejusdem ecclesie recipiendi eum in dicta ecclesia in canonicum et in fratrem ac providendi sibi de prebenda sub certa forma per nostras litteras concesserimus facultatem, ac idem prior

ad deliberandum in capitulo quod super hiis deberent facere, prout spectat ad eum, certum terminum prefixisset, eodem priore legitimo impedimento detento nequeunte hujusmodi deliberationi in dicto termino interesse, ipse prior, ad hoc dicto capitulo, alium competentem terminum assignavit, quem major pars dicti capituli preveniens, dicto priore absente, nec etiam expectato, licet vellet causam rationabilem proponere, propter quam dictus P[etrus] in ipsa ecclesia recipi non debebat, eum recepit de facto, cum de jure non posset, in canonicum et in fratrem, in ipsius prioris prejudicium non modicum et gravamen ; propter quod idem prior ad nostram duxit providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicans ut receptionem hujusmodi sic presumptam irritari per discretos aliquos mandaremus. Quocirca mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi etc. usque, observari. Testes etc. usque, perhibere. Quod si non omnes etc. : Dat. Viterbii, idibus januarii, anno quarto. »

2454 Viterbe, 13 décembre 1257.

Dicto priori, officiali et Bartholomeo de Barthe, canonico Nivernensibus, mandat ut de eadem receptione veritatem inquirant. (Reg. 25, f. 121, an. IV, c. 42.)

« .., *priori Sancti Martini.., officiali, et Bartholomeo de Barthe, canonico Nivernensibus.* Ex parte dilecti filii.., prioris secularis ecclesie de Sancergio, Bituricensis diocesis, fuit propositum coram nobis, quod cum olim eidem et capitulo suo recipiendi Petrum, clericum, natum Petri de Mornayo, militis , in ecclesia predicta in canonicum et in fratrum, non obstante statuto de certo canonicorum numero juramento aut confirmatione Sedis Apostolice seu quacunque firmitate alia roborato, per nostras litteras concesserimus facultatem, major pars dicti capituli, ipso inscio nec ex parte ipsorum ejus super hoc requisito assensu, quamquam requiri comode potuisset, aut suum postmodum prestante consensum, imo quam cito ad ejus devenit notitiam reclamante, eundem clericum, non absque juris ejusdem prioris prejudicio et contemptu, in fratrem et canonicum eum receperunt. Quare nobis humiliter supplicavit ut cum collatio prebendarum ipsius ecclesie et canonicorum receptio in eadem ad ipsum et dictum capitulum communiter pertinere noscatur, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi etc. usque, observari. Testes autem etc. Quod si non omnes etc. Dat. Viterbii, idibus decembris, anno tertio. »

2455 Viterbe, 18 janvier 1258

Sententiam ab H., tituli Sanctae Sabinae presbytero cardinali, in causa quae inter Guisonem, praepositum ecclesiae Frislariensis, Maguntinae diocesis, ac Windekyndum de Waldeke, canonicum Padeburnensem super ejusdem Frislariensis ecclesiae praepositura vertebatur, latam confirmat, instrumenti super hoc confecti tenorem praesentibus inserens. (Reg. 25, f. 121, an. IV, c. 43. ; Rodenberg, t. III, nº 473.)

« *Magistro Guisoni, preposito ecclesie Frislariensis, Maguntine diocesis.* Ea que judicio vel concordia etc., communiri. Cum itaque in causa que vertebatur inter te ac Windekyndum de Waldeke, canonicum Padeburnensem, super prepositura Frislariensis, quam uterque vestrum ad se spectare dicebat, post varios processus habitos in eadem, dilectum filium nostrum H., tituli Sancte Sabine presbiterum cardinalem, concesserimus partibus auditorem, idem cardinalis, cognitis cause meritis et juris ordine observato, ac a nobis de pronuntiando et sententiando super hoc speciali mandato recepto, te et partis alterius procuratore presentibus, dixit, pronuntiavit et declaravit sententialiter supradictam preposituram cum juribus et pertinentiis suis ad te pertinere de jure, ac quicquid de illa factum est in persona tua confirmans, et dictum procuratorem ipsius V. (*sic*) nomine ac per eum prefatum W. sententialiter amovens a prepositura jamdicta, sibi super ea duxit perpetuum silentium imponendum, in fructibus perceptis ex ipsa prepositura et in viginti marcis argenti Coloniensis pro expensis a te in lite factis, taxatione prehabita, et juramento secuto, prefatum procuratorem jamdicti W. nomine ac ipsum W. tibi nichilominus condempnando prout in instrumento publico confecto exinde ac ipsius cardinalis signato sigillo plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est, non obstante appellatione ab ipsa sententia ad nos a parte altera interposita, quam reputamus frivolam, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scriptis patrocinio communimus tenorem instrumenti ejusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes qui talis est.

Viterbe, 5 novembre 1257.

« In nomine Domini. Amen. Orta jamdudum inter « dilectos in Christo magistrum Guisonem, Maguntinum, « et Windekindum de Waldeke, Padeburnensem cano- « nicos, super prepositura Frislariensis ecclesie, Magun- « tine diocesis, materia questionis, post varios processus « habitos in eadem, dominus Papa nos fratrem Hugonem, « tituli Sancte Sabine presbiterum cardinalem, in ques- « tione hujusmodi concessit partibus auditorem. Dicto

« itaque magistro G. personaliter, et Gallutio procu-
« ratore dicti Windekindi pro eo comparentibus (1)
« coram nobis, ex parte dicti magistri G. libellus oblatus
« extitit in hunc modum :

Coram vobis venerando patre domino H., tituli « sancte Sabine presbitero cardinali, partibus auditore « concesso, dicit et proponit magister Guiso, prepositus « ecclesie Frislariensis, Maguntine diocesis, Windekin« dum de Waldeke, canonicum Frislariensis ecclesie « predicte diocesis, quod cum dicta prepositura ad « ipsum Guisonem de jure pertineat ex canonica colla« tione sibi facta, et fuerit eidem auctoritate apostolica « adjudicata, prefatus Windekindus preposituram ipsam « nichilominus contra justitiam detinet occupatam, « asserens se jus habere in ea de facto, cum de jure non « habeat. Unde petit per vos, venerande pater, dictam « preposituram cum juribus et pertinentiis suis ac « fructibus medio tempore ex eis perceptis, sententia« liter declarari ad eundem Guisonem pertinere de jure, « et quicquid factum est de ea in persona ipsius, « auctoritate apostolica confirmari et corroborari, et « eundem Windekindum ab eadem prepositura sen« tentialiter amoveri, et super ipsa sibi perpetuum silen« tium imponi, cum nullum jus habeat in eadem, petit « expensas factas et faciendas quas oportuno tempore « declarabit. »

« Lite vero super dicto libello legitime contestata, « prestito a partibus juramento, factis hinc inde posi« tionibus et responsionibus subsecutis, proponens « dictus magister Guiso per confessionnem adversarii « sui plene constare preposituram vacasse predictam « per mortem quondam Eichardi, prepositi Frislariensis « ecclesie supradicte, ac ipsius preposituræ collationem « ad venerabilem patrem.., Maguntinum archiepiscopum « pertinere, ipsumque et predecessores illius in posses« sione conferendi eandem a tempore cujus non extat « memoria, extitisse, ad probandam dictam preposi« turam vacantem per mortem jamdicti G. ab eodem « archiepiscopo sibi canonice fuisse collatam, ipsamque « postmodum per.., decanum Warmaciemsem ejusque « collegas auctoritate apostolica adjudicatam, et super « ea perpetuum dicto Windekendo impositum esse « silentium, litteras archiepiscopi memorati super dicta « collatione confectas ejusque sigillo munitas, et sen« tentiam dictorum judicum eorundem sigillis et ins« criptione testium roboratam exhibuit, et ostendit « asserens predictam sententiam jamdudum prolatam « in rem transisse judicatam, cum nec ab ea fuerit « appellatum nec ab adversa parte propter ejus contu« maciam ex ea potuerit appellari.

« Verum e contra dictus procurator prefati archiepis« copi collationem ex eo non valere dicebat quod excom« municatus erat eo tempore quo dictam preposituram « predicto magistro Guisoni dicitur contulisse, per sen« tentiam a nobis tempore legationis nostre in eundem « archiepiscopum et alios nova recipientes pedagia « prolatum Leodii, anno domini M.CC.LIII. in au« tumpno, et quia dictus magister Guiso plura bene« ficia ecclesiastica curam animarum habentia sine dis« pensatione Sedis Apostolice obtinebat, proponens « nichilominus prefatum V. prefatam preposituram per « litteras bone memorie.., Albanensis episcopi, quondam « in partibus Alamanie Apostolice Sedis legati, super « provisione in dicta Frislariensi ecclesia de personatu « seu dignitate, cum ad id se offerret oportunitas, fa« cienda concessas, eidem dictam preposituram pre« dicte vacationis tempore fuisse canonice assecutum. « Super quibus formatis quibusdam articulis, ad pro« bandum eos predictus procurator se petebat admitti. « Sed ad hoc predictus magister Guiso contrario res« pondebat nos, tamquam de facto proprio, certos esse « nullam in dictum archiepiscopum anno Domini pro« ximo supradicto Leodii, protulisse sententiam, nec « ibidem eo tempore nos fuisse, quod et idem magister « Guiso nitebatur ostendere ex data plurium lit« terarum nostrarum, quas post recessum nostrum de « Leodio per Treverim, Metim et Bisuntium transitum « faciendo, in regressu nostro ad Sedem Apostolicam « duximus concedendas. Subjungens etiam quod ex « mera liberalitate prefati archiepiscopi, non ex litteris « impetratis, prepositura sibi collata fuerat antedicta, « prout ex tenore litterarum ipsius archiepiscopi appa« rebat, ac alia ejus beneficia omnino vacare volebat, « prout essent de jure vacatura, postquam dictam pre« posituram, que ipsius erat ultimum beneficium, paci« fice fuisset adeptus, si eum super hoc obtentu Sedis « Apostolice dispensatio non juvaret. Adjecit quoque « dictus magister Guiso, [quod] per formam litterarum « dicti domini Albanensis ab adversario allegatam de « dicta prepositura que, sicut patet ex confessione dicti « procuratoris, curam habet animarum annexam, de « qua in eisdem litteris mentio facta fuisse non dicitur « ex adverso supradicto W. non potuerat provideri « propter rationes maxime in predicta sententia dic« torum judicum assignatas ; contra quam sententiam « nulla prorsus appellatione suspensam, per quam dicto « W. super dicta prepositura perpetuum silentium erat

1. Le texte du registre porte *competentibus* qui est une erreur manifeste

« impositum que (1) jam in rem transierat judicatam, « locum a prefato procuratore proposita non habebant, « et quod oblati super hiis articuli frustra petebantur « admitti, quorum probationem asserebat non debere « prodesse probanti. Rursus procurator asseruit supra- « dictus dictorum judicum nullam esse sententiam ipso « jure, pro eo quod non dicto libello, lite non contestata, « maxime cum ageretur coram dictis judicibus non de « obtinendo beneficio, sed obtento, dicto W. absente « non per contumaciam, pretermisso juris ordine, prolata « fuerat, et quod appensa sigilla in predicta sententia « non erant judicum eorundem.

« Ad quod predictus magister Guiso taliter respon- « debat quod de libelli oblatione facta coram dictis « judicibus de contumacia partis adverse et quod non « de obtento beneficio actum fuerit, presertim cum « idem magister G. nec sit nec fuerit hactenus corpo- « ralem dicte prepositure pacificam possessionem adep- « tus, necnon et de juris ordine ab eisdem judicibus « observato, tam ex processibus quam ex forma, sen- « tentie ipsorum judicum in judicio exhibitis sub sigillis « eorum evidenter constabat, et quod de sigillis eisdem « ex multorum fidedignorum testium, quos super hiis « juratos recepimus, depositionibus diligenter redactis « in scriptis et partibus publicatis, nobis facta fuerat « plena fides. Nos igitur hiis et aliis auditis que partes « voluerunt proponere coram nobis, et diligenter consi- « deratis, juribus partium plene discussis, diligenti « deliberatione prehabita, recepto de pronuntiando et « sententiando super premissis a domino nostro Summo « Pontifice speciali mandato, habito juris peritorum « consilio, dicti procuratoris articulis tamquam imper- « tin[e]ntibus non admissis, dicimus, pronunciamus « et sententialiter declaramus sepedictam preposituram « cum juribus et pertinentiis suis ad prefatum magis- « trum Guisonem pertinere de jure, et quicquid de ea « factum est in persona ipsius confirmantes, supra- « dictum procuratorem nomine dicti W. et per ipsum « procuratorem prefatum W. ab eadem prepositura sen- « tentialiter amovemus, super ipsa sibi perpetuum « silentium imponentes, in fructibus perceptis ex dicta « prepositura, et in viginti marcis argenti Coloniensis « pro expensis in lite factis taxatis et juratis, dictos « procuratorem et W. per sententiam condempnantes. « In cujus rei testimonium presens publicum instru- « mentum scribi et publicari fecimus per magistrum « Stephanum dictum de Pyre, clericum Bisuntinum, « notarium nostrum, et nostro sigillo muniri. Lata fuit « hec sententia Viterbii apud Fratres Predicatores in « hospitio nostro, anno domini M° CC° LV° II°, die V « exeunte mense novembris, indictione prima, tempore, « domini Alexandri pape IIII, pontificatus ejusdem « anno tertio, presente me subscripto notario, et testibus « infrascriptis, videlicet.., episcopo Kiemensi ; Johanne « preposito de Repin, Havesbergensis diocesis ; Hu- « gone, canonico Treverensi ; Adolfo, canonico Pruvensi, « Treverensis diocesis ; magistris Leone et Wolrico, « canonicis Ratisponensibus ; Henrico, canonico Pata- « viensi ; magistro Alberto, canonico Misnensi, et plu- « ribus aliis. Et ego Stephanus predictus auctoritate « apostolica publicus notarius, qui predictis interfui, « predicta de mandato predicti domini cardinalis « scripsi et in publicam formam redegi et meo signo « signavi. »

« Nulli nostre confirmationis, etc. Dat, Viterbii, XV « kal. februarii, anno quarto. »

1. Reg. : *quem.*

2456 Viterbe, 25 janvier 1258.

Ulrico, archiepiscopo et Odoni, praeposito et procuratori capituli Salzburgensis, contrahendi mutuum usque ad summam quadringentarum marcarum Sterlingorum et se creditoribus usque ad hujusmodi summam obligandi, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 122, an. IV, c. 44.)

« *Ulrico, archiepiscopo, et Odonni, preposito, et procuratori capituli Salzburgensis.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constituti, pro expediendis vestris et ecclesie ac capituli Salzburgensis negotiis pro quibus ad Sedem Apostolicam accessistis, vos subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos vestris supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam quadringentarum marcarum Sterlingorum, et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi, vos et jam dictum capitulum ac successore vestros necnon et bona ecclesie Salzburgensis, ac renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et beneficio restitutionis in integrum necnon et conventioni judicum si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscunque tenoris imposterum impetrari contigerit, auctoritate vobis presentium concedimus facultatem, ita tamen quod vos et predicti capitulum ac successores vestri teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna, expensas, et interesse si in termino a vobis statuendo pecuniam non solveritis memoratam,

sublata ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia eadem in utilitatem vestram et dictorum capituli ac ecclesie sit conversa pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis de quibus in nostris litteris fieri oporteat mentionem, et per quas vos et capitulum nominati super hiis valeatis in aliquo vos tueri. Dat. Viterbii kal. VIII, februarii, anno quarto. »

2457 Viterbe, 21 décembre 1257.

Abraham, Hiberniae primati, contrahendi mutuum usque ad summam quingentarum marcarum Sterlingorum et se creditoribus usque ad hujusmodi summam obligandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 122, an. IV, c. 45.)

« *Abraam, archiepiscopo Armachano, Ybernie primati.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expediendis ecclesie tue negotiis pro quibus etc. ut in alia usque : summam quingentarum marcarum Sterlingorum et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi, te et successores tuos ac ecclesiam Armachanam, necnon renuntandi etc. usque : facultatem ; ita tamen quod tu et successores tui in ecclesia Armachana teneamini etc. usque : pecunia eadem in utilitatem Armachane ecclesie sit conversa pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, non obstantibus etc. usque : per que tu et successores tui ac dicta ecclesia valeatis in aliquo vos tueri. Dat. Viterbii, XII kal. januarii, anno quarto. »

2458 Viterbe, 30 janvier 1258.

Archiepiscopo Corinthiensi mandat ut, juxta I. papae litteras executorias ad Panormitanum archiepiscopum, tunc episcopum, et decanum Olenenses missas super receptione ac provisione Lucidi, clerici, filii Gualterii dicti Abbatis Tiburtini, laïci de Urbe, in aliqua Moreae ecclesiarum, ad ipsius clerici receptionem et provisionem, etiam in aliqua principatus Achaiae ecclesiarum, per se vel per alium procedat. (Reg. 25, f. 122, an. IV, c. 46.)

«.., *archiepiscopo Corinthiensi.* Exposuit nobis dilectus-. Dat. Viterbii, III kal. februarii, anno quarto. »

2459 Viterbe, 4 février 1258.

Monasterium de S. Petri Monte, Metensis diocesis, sub sua protectione suscipit ejusque possessiones et privilegia confirmat. (Reg. 25, f. 122, an. IV, c. 47.)

«.., *abbati ecclesie de Sancti Petri Monte ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus etc. usque : infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et ecclesia de Sancti Petri Monte, Metensis diocesis, que ad jus et proprietatem Sedis Apostolice specialiter pertinet, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione, ad instar felicis recordationis Alexandri, pape, predecessoris nostri, suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in superpelliciis et nigris capis antiquitus in ipsa ecclesia fuerat institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis : in Metensi episcopatu, ecclesiam de Aureio, ecclesiam de Mansia, allodium de Fabris et de Noereio et de Waldonis villa cum capella et omnibus que ibidem habetis ; allodium de Ramisbatio, allodium de Filieris, allodium de Planevilla, allodium de Ars (1), allodium de Lubei, allodium de Meramont, allodium de Mancia cum medietate molendini ipsius allodii et altera medietate molendini de Longo Prato, molendino de Lacorra, molendino de Jamellis, molendino de Ars et omnibus predictorum allodiorum appenditiis ; in eadem quoque civitate Metensi et burgo, de VI theloneum non persolvatis, quemadmodum a quondam Stephano, civitatis ejusdem episcopo, vobis concessum esse dinoscitur. In Treverensi archiepiscopatu, allodium quod vocatur Aqueductus, allodium Frazonis ville et allodium de Buriis. In episcopatu Virdunensi, allodium de Vilers, allodium de Amblanmont, allodium de Rouncurt, allodium de Gundricort, allodium de Rulant, allodium de Vasancurt, allodium de Bu, allodium de Fescamont, et allodium de Vuchecurt, allodium quoque de Roburgis ; molendinum de Cernei et medietatem de Guepan molendino, molendinum de Subriaco castro et capellam sub eodem castro nichilominus confirmamus. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, benedictiones abbatum sine exactione obedientie a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gra-

1. Ces trois mots sont par erreur, répétés dans le texte.

tiam atque communionem Apostolice Sedis habuerit, ut ea gratis et absque pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolice Sedis habentem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, vobis quod postulatur indulgeat. Sane novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere vel extorquere presumat. Ad indicium autem percepte hujusmodi a Romana Ecclesia libertatis, annis singulis denarium aureum, aut in quarto anno, Bizantinum nobis nostrisque successoribus persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare etc. usque: profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate et in predictis capellis diocesanorum episcoporum canonica justitia. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisque persona etc. usque ultioni. Cunctis autem etc. usque: inveniant. Amen. Amen. Dat. Viterbii, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, II nonas februarii, indictione prima, Incarnationis dominice anno M. CC. LVII. pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno quarto. »

2460 Viterbe, 23 décembre 1257.

Magistro Willelmo de Lapomeraye, capellano suo, indulget ut, praeter unicum beneficium ecclesiasticum, curam animarum annexam habens, quod obtinet cujusque proventus octo marcarum sterlingorum valentiam annis singulis vix excedunt, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam similem curam habens, et si aliquod ex eis eum resignare contigerit, aliud loco illius quod resignaverit, licite recipiat. (Reg. 25, f. 122 v°, an. IV, c. 48.)

« *Magistro Willelmo de Lapomeraye, capellano nostro.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Viterbii, X kal. januarii, anno quarto. »

2461 Viterbe, 31 janvier 1258.

In controversia super cantoria Biterrensis ecclesiae inter magistrum Pontium de S. Justo, camerarium ecclesiae Biterrensis, et magistrum Gregorium de S. Laurentio, subdiaconum et capellanum apostolicum vertente, confirmat arbitrium Ricardi, S. Angeli diaconi cardinalis, qui super hoc partibus auditor datus, Pontio canonicatum ecclesiae Narbonensis cum plenitudine juris canonici contulerat, Gregorio autem cantoriam ipsam sententialiter adjudicaverat. (Reg. 25, f. 122 v°, an. IV, c. 49; Potthast 17170.)

« *Magistro Petro de Sancto Justo, camerario Biterrensi.* Ea que judicio —. Dat. Viterbii, II kal. februarii, anno quarto. »

2462 Viterbe, 28 janvier 1258.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Nazarii in Brolio Mediolanensis mandat ut Florium de Famano, canonicum ecclesiae de Olzate Olona, in eorum ecclesia in canonicum et in fratrem recipiant, ac de praebenda liberaliter providere curent, non obstantibus statuto aut litteris contrariis. (Reg. 25, f. 123, an. IV, c. 50[a].)

«.., *preposito et capitulo ecclesie Sancti Nazarii in Brolio Mediolanensis.* Etsi ad provisionem —. Dat. Viterbii, V kal. februarii, anno quarto. »

2463 Viterbe, 28 janvier 1258.

Praeposito et capitulo ecclesiae de Corbeta, Mediolanensis diocesis, mandat ut Guillelmum Lazaronum, canonicum ecclesiae Sancti Nazarii in Brolio Mediolanensis, in canonicum et in fratrem recipiant, ac de praebenda providere curent, non obstantibus statuto aut litteris contrariis. (Reg. 25, f. 123 v°, an. IV, 50[b].)

«.., *preposito et capitulo ecclesie de Corbeta, Mediolonensis diocesis.* Etsi ad provisionem etc. usque in finem ut [in] alia. »

2464 Viterbe, 12 décembre 1257.

Praeposito et capitulo de Dairago, Mediolanensis diocesis, mandat ut praedictum G. Lazaronum, canonicum ecclesiae de Corbeta, Mediolanensis diocesis, in canonicum et in fratrem recipiant ac de praebenda providere curent. (Reg. 25, f. 123 v°, an. IV, c. 50[c].)

«.., *preposito et capitulo* [*de*] *Dairago, Mediolanensis diocesis.* Etsi ad provisionem —. Dat. Viterbii, II idus decembris, anno tertio. »

2465 Viterbe, 15 février 1258.

Stephano Vaini, clerico Claromontensis diocesis tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 123 v°, an. IV, c. 51.)

« *Stephano Vaini, clerico in minoribus ordinibus constituto, Claromontensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, XV kal. martii, anno quarto.»

2466 Viterbe, 31 janvier 1258.

Episcopo, praeposito et capitulo Carpentoracensibus, ad supplicationem R., Sancti Angeli diaconi cardinalis, mandat ut Petrum de Labant, clericum Avinionensis episcopi, rectorem ecclesiae de Rupe Maura, diocesis Avinionensis, recipient in canonicum et in fratrem eique de praebenda providere curent. (Reg. 25, f. 123 v°, an. IV, c. 52.)

«.., *episcopo, .., preposito et capitulo Carpentoracensibus.* Ecclesiarum utilitatibus non. — Dat. Viterbii, II kal. februarii, anno quarto. »

2467 Viterbe, 20 décembre 1257.

Magistro Gregorio de Neapoli, capellano suo, indulget ut fructus et proventus praebendarum quas in Meldensi et Morinensi ecclesiis et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quae obtinet, ea integritate percipere valeat qua illos perciperet si in ecclesiis illis personaliter resideret, distributionibus quotidianis exceptis. (Reg. 25, f. 124 v°, an. IV, c. 53.)

« *Magistro Gregorio de Neapoli, capellano nostro.* Clara tue devotionis —. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue ut fructus et proventus prebendarum quas in Meldensi et Morinensi ecclesiis et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum que cum cura vel sine cura obtines apud Sedem Apostolicam vel in scolis seu in aliquo ex ipsis beneficiis residendo, aut in peregrinatione constitutus vel alicubi infirmitate detentus, seu immorando obsequiis alicujus prelati in cujus ecclesia vel diocesis beneficiatus existis, cum ea integritate percipere valeas, distributionibus cotidiando dumtaxat exceptis, qua illos perciperes si in ecclesiis in quibus ea obtines, personaliter resideres, et quod in eis seu aliquo eorum compelli non possis ad faciendum residentiam personalem, contrariis earumdem ecclesiarum consuetudinibus vel statutis juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis aut quod in aliqua ex eis primam personalem residentiam non fecisti, vel quibuslibet apostolicis litteris aut indulgentiis nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus; proviso quod in eis que curam animarum annexam habent, per ydoneos facias vicarios deserviri. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XIII, kal. januarii, anno quarto. »

2468 Viterbe, 13 février 1258.

Raginaldo presbytero, monacho S. Vincentii Cenomanensis, ordinis Sancti Benedicti, indulget ut, non obstante quod pater suus eum de soluta susceperit, possit in susceptis ministrare ordinibus et ad administrationes, dignitates et etiam abbatiam promoveri (Reg. 25, f. 124, an. IV, c. 54.)

« *Raginaldo presbitero, monacho monasterii Sancti Vindrintii* (sic) *Cenomanensis, ordinis Sancti Benedicti.* De Apostolice Sedis —. Dat. Viterbii, idibus februarii, anno quarto. »

2469 Viterbe, 15 février 1258.

Receptionem magistri Michaelis, poenitentiariae suae scriptoris, in ecclesia Leodiensi collationemque praebendae eidem factam confirmat, dictae collationis instrumentum inseri faciens. (Reg. 25, f. 124, an. IV, c. 55.)

« *Magistro Michaeli penitentiarie nostre scriptori, canonico ecclesie Sancti Martini Leodiensis.* Ut tuis petitionibus benignius annuamus et dilecti filii nostri. H., tituli sancte Sabine presbiteri cardinalis, cujus existis clericus consideratio, et tuorum meritorum exigentia nos inducant. Dudum siquidem ab eodem cardinali tunc Apostolice Sedis legato, ex eadem auctoritate apostolica sibi tradita, dilecto filio.., Leodiensi electo, conferendi tibi canonicatum ecclesie Sancti Martini, in qua idem electus collationem obtinet prebendarum, et faciendi te in canonicum ejusdem ecclesie recipi, per suas litteras facultate concessa, dictus electus te de canonicatu ipso auctoritate concessionis hujusmodi per suum anulum investivit et in eadem ecclesia in canonicum fecit recipi et in fratrem. Postmodum vero in eadem ecclesia, quadam per mortem magistri Henrici Sarcelli, ipsius canonici, prebenda vacante, prefatus cardinalis auctoritate apostolica canonice tibi eam conferre teque de ipsa per suum anulum investire curavit, decernens irritum et inane siquid contra collationem et investituram hujusmodi contingeret attemptari, ac nichilominus eidem sub certa forma inemjungens electo ut dictam prebendam a.., decano et capitulo ipsius ecclesie tibi, prout spectabat ad ipsos, faceret assignari sicut in litteris confectis plenius continetur. Nos itaque, tuis precibus inclinati, quod super hoc factum est ratum habentes et gratum ac decernentes irritum et inane siquid de prebenda ipsa contra hujusmodi collationem et investituram cardinalis ipsius a quoquam extitit attemptatum vel deinceps attemptari contigerit, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est.

Cologne, 21 mars 1253.

« Frater Hugo, miseratione divina tituli Sancte « Sabine presbiter cardinalis, Apostolice Sedis legatus, « dilecto in Christo Michaeli, clerico nostro, canonico « ecclesie Sancti Martini Leodiensis [...][1] in qua idem col- « lationem obtinet prebendarum auctoritate apostolica

1 Bien que rien ne le marque dans le registre, il y a ici une lacune évidente, un bourdon sans doute. Le sens indique que le texte peut être complété ainsi « *salutem in Domino. Cum venerabilis frater noster.., electus Leodiensis, prebendam in ecclesia Sancti Martini Leodiensis* »

« sibi specialiter a nobis in hac parte commissa « contulerit et te per anulum investierit de eadem fa- « ciendo te recipi in ecclesia ipsa in canonicum et in fra- « trem, et magister Henricus Sarcelli, canonicus jam « dicte ecclesie Sancti Martini, nuper viam sit universe « carnis ingressus, nos prebendam in ipsa ecclesia « vacantem per mortem ipsius H. tibi apostolico auc- « toritate, qua fungimur conferimus et te de illa per « nostrum anulum investimus, decernentes eadem, auc- « toritate irritum et inane siquid contra collationem et « investituram hujusmodi contigerit attemptari ac « nichilominus electo Leodiensi litteris presentibus « injungentes ut prebendam eandem a decano et « capitulo ipsius ecclesie tibi, prout ad ipsos pertinet, « faciat assignari. Contradictores etc. In cujus rei « testimonium et munimem has litteras tibi concedimus « sigilli nostri impressione munitas. Actum Colonie, « presentibus magistris Petro de Salin, Lingonensis, « Bernardo de Romano, Brugensis, Guillelmo de Bosseyo, « Sancti Dionisii Leodiensis, et Radulpho Sancti Gau- « gerici Cameracensis ecclesiarum canonicis, sociis et « capellanis nostris, ac pluribus aliis, XII kal. aprilis, « pontificatus domini Innocentii pape IIII, anno de- « cimo. »

« Nulli nostre constitutionis et confirmationis etc... « Dat. Viterbii XIIIII (*sic*). kal. martii, anno quarto. »

2470 Viterbe, 13 février 1258.

Archiepiscopo Tarantasiensi mandat ut abbatem et conventum de Clusa, ordinis S. Benedicti, Taurinensis in possessionem ecclesiam S. Laurentii de Ethone, ordinis S. Augustini, Maurianensis diocesis, inducat. (Reg. 25, f. 124, an. IV, c. 56.)

«.., *archiepiscopo Tarantasiensi*. Solet ex Romani pontificis provisione et providentia provenire ut ipse, qui generalem ecclesiarum omnium curam gerit, de sillis ordinet et disponat, prout ipsarum utilitati et saluti personarum habitantium in eisdem viderit expedire, faciendo regularis de secularibus et de regularibus aliquando seculares, aliquas subjiciendo aliis et plerumque ordinis artioris, et alias ab aliarum subjectione penitus eximendo. Sane considerans, sicut accepimus, felicis recordationis I. papa, predecessor noster, quam sit acceptabile sacrificium Deo Patri ecclesias construere in quibus ipse Dei Filius immoletur et digna laudum preconia jugiter exolvantur, ecclesiam quandam in honore Sancti Salvatoris apud Lavaniam, in terra nativitatis sue a primis fundamentis erexit, pro anime sue remedio ac multorum utilitate pariter et salute, cui contulit prioratum de Calasco, diocesis Januensis, ad monasterium de Clusa, ordinis Sancti Benedicti Taurinensis, spectantem quem quondam Willelmus, abbas ipsius monasterii, de consensu conventus ejusdem dicto predecessori concesserat per eum prefate ecclesie conferendum, promisso sibi ab eo, sicut asseritur, quod predicto ipsorum monasterio de utili concambio responderet, nosque postmodum collationem hujusmodi gratam at ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica duximus confirmandam. Nuper vero considerantes quod ejus cujus in honore successimus debemus et tenemur in hac parte onera supportare, ipsi benefaciendo ecclesie ac eam ejusdem predecessoris intuitu pleni favoris gratia prosequendo, ut nobis coadjuvantibus in eadem serviri laudabiliter Deo possit, prout votivum in ipsius predecessoris desideriis habebatur, prioratum de Cuturno, dicte diocesis Januensis, ad idem spectantem monasterium, ad petitionem dilecti filii nostri O., Sancti Adriani diaconi cardinalis, ac de voluntatis beneplacito dilecti filii D., abbatis ipsius monasterii, una cum eodem prioratu de Calasco contulimus ecclesie supradicte, ab ipsa cum omnibus juribus et pertinentiis suis perpetuo possidendum. Quare dicti abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt ut super hoc indempnitati eorum cavere de benignitate solita curaremus. Nos igitur attendentes quod hujusmodi eorum petitioni eo sit a nobis favorabilius annuendum et ipsorum monasterium sollicitius precavendum dispendiis quo illud specialius Apostolice Sedi subest, ecclesiam Sancti Laurentii de Ethone, ordinis Sancti Augustini, Maurianensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio, sicut dicitur pertinentem, in qua debitis pluribus obligata ipsius persone vitam ducunt quasi penitus dissolutam, in lubricum pedibus suis datis, ipsis et Clusino monasterio ut in ea persone quas inibi duxerunt ordinandas sub ipsorum ordinis observantia commorentur, cum omnibus juribus et pertinentiis suis concessimus, ab eis et eorum monasterio pleno jure in spiritualiter et temporalibus perpetuo possidendam, et si proposuerit venerabilis frater noster.., Maurianensis episcopus, in dicta ecclesia jus aliquod se habere, nos nolentes quod propter hoc prefatis abbati et conventui, quovis unquam tempore, super eadem ecclesia de Ethon inferri molestia vel questionis possit materia suboriri, eidem episcopo et successoribus ejus procurationem dumtaxat ratione visitationis debitam in predicta ecclesia de Ethone duximus reservandam, ita quod ultra illam in ea nullum sibi jus penitus valeant aut debeant

vendicare, sed ea deinceps contenti existant sicque ipsi possessione ejusdem ecclesie de Ethon possint eo jure ac libertate gaudere quibus possident alias ecclesias et prioratus monasterii supradicti. Quocirca mandamus quatinus prefatos abbatem et conventum in dicte ecclesie de Ethone et pertinentiarum ejus corporalem possessionem inducas per te vel per alium et defendas inductos, amoto ab ea quolibet detentore, ad quod invoces, si opus fuerit, auxilium brachii secularis. Contradictores etc. Non obstante aliqua indulgentia Sedis predicte episcopo prefato aut cuicunque alii persone concessa quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras Sedis ejusdem non facientes plenam et expressam de ipsa indulgentia mentionem, seu quavis alia sepedicte Sedis indulgentia per quam nostris litteras non insertam effectus presentium impediri valeat vel differri. Dat. Viterbii, idibus februarii, anno quarto. »

2471 Viterbe, 28 janvier 1258.

Eidem archiepiscopo de eodem. (Reg. 25, f. 124 v°, an. IV, c. 57.)

« .., *archiepiscopo Tarentasiensi.* Solet ex Romani provisione pontificis etc. ut in alia usque perpetuo possidendam, ita quod ipsi deinceps possessiones ejusdem ecclesie possint eo jure ac libertate gaudere quibus possident alias ecclesias que prioratus monasterii supradicti. Quocirca fraternitati tue etc. usque indulgentia Sedis predicte cuicumque persone concessa quod excommunicari etc. usque in finem. Dat. Viterbii, IIII kal. februarii, anno quarto.

2472 Viterbe, 29 janvier 1258.

Monasterio S. Michaelis de Clusa, ordinis S. Benedictis, Turinensis diocesis, ecclesiam S. Laurentii de Ethone, Maurianensis diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis confert. (Reg. 25, f. 124, an. IV, c. 58.)

« .., *abbati et conventui monasterii Sancti Michaelis de Clusa, ordinis Sancti Benedicti, Taurinensis diocesis.* Solet ex Romani pontificis provisione et providentia etc. ut in alia usque: cui contulit prioratum de Calasco, diocesis Januensis, ad vestrum monasterium pertinentem — (1). Nos igitur attendentes quod hujusmodi vestre petitioni eo sit a nobis favorabilius annuendum, et monasterii vestri sollicitius precavendum dispendiis quo illud specialius Apostolice Sedi subest, ecclesiam Sancti Laurentii de Othone, ordinis Sancti Augustini, Maurianensis diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis concedimus a vobis et vestro monasterii pleno jure in spiritualibus et temporalibus perpetuo possidendam, ita quod deinceps possessione ipsius ecclesie possitis eo jure ac libertate gaudere quibus alias ecclesias et prioratus vestri monasterii possidetis. Nulli nostre concessionis etc. — Dat. Viterbii, IIII kal. februarii, anno quarto. »

1. Les parties du texte supprimées ici se retrouvent, *mutatis mutandis*, dans la lettre précédente, c. 56, n° 2470.

2473 Viterbe, 29 janvier 1258.

Ecclesiam S. Laurentii de Ethone, ordinis S. Augustini, Maurianensis diocesis, monasterio Clusino, Taurinensis diocesis, conferens, mandat archiepiscopo Tarentasiensi ut canonicos ejusdem ecclesiae de Othone qui habitum monachalem assumere noluerint, in aliis praedicti ordinis S. Augustini ecclesiis, Viennensis diocesis, collocare studeat. (Reg. 25, f. 124 v°, an. IV, c. 59.)

«.., *archiepiscopo Tarentasiensi.* Sepe fit quod Romanus Pontifex, universarum ecclesiarum sollicitam curam gerens, ob varios earum eventus et causas diversas, ab una recipiat ecclesia quod alteri elargitur, et huic cujus rem donat, alii grati largitione muneris respondeat et accepti. Sane sicut accepimus felicis recordationis I. papa, predecessor noster, ecclesie Sancti Salvatoris quam pro anime sue remedio apud Lavaniam a primis fundamentis erexit, contulit prioratum de Calasco, ad Clusinum monasterium, ordinis Sancti Benedicti, Taurinensis diocesis, pertinentem, quem quondam Willelmus abbas et conventus ejusdem monasterii dicto predecessori concesserant per eum prefate ecclesie conferrendum. Nuper autem nos qui tenemur et debemus predecessoris ipsius incepta pietatis opera consumare, prioratum de Cucurno, diocesi supradicte, ad monasterium spectantem predictum, ad petitionem dilecti filii nostris O. sancti Adriani diaconi cardinalis, et de voluntate ac beneplacito dilecti filii D. abbatis Clusini apud Sedem Apostolicam consistentis, una cum eodem prioratu de Calasco contulimus ecclesie memorate ab ipsa cum omnibus juribus et pertinentur suis in perpetuum possidendum. Nolentes autem quod ex hujusmodi concessione dictorum prioratuum idem ledatur monasterium vel gravetur, sed indempnitati caveatur ipsius, ecclesiam Sancti Laurentis de Ethon, ordinis Sancti Augustini, Maurianensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam, sicut dicitur, nullo medio pertinentem, predictis abbati et conventui ac monasterio Clusino in recompensationem dictorum prioratuum

liberaliter duximus concedendam, ut ipsam eisdem jure ac libertate sub ordinis sui observantia perpetuis possideant temporibus quibus ipsi possident ejusdem monasterii prioratus. Ne igitur canonicis dicte ecclesie de Othone dissolutionis vel vagandi, ex concessione hujusmodi sue ecclesie, materia prebeatur, quin potius illis fiat ad commodum et salutem, mandamus quatinus eos ex predictis canonicis qui noluerint in dicta ecclesia de Octone habitum assumere monachalem, studeas per te vel per alium auctoritate nostra in aliis predicti ordinis Sancti Augustini ecclesiis Viennensis provincie collocare, eis inibi sub ejusdem ordinis observantia et obedientia prelati loci perpetuo moraturis. Contradictores, etc. Dat. Viterbii IIII kal., februarii, anno quarto. »

2474 Viterbe, 12 février 1258.

Episcopo Maurianensi procurationem ratione visitationis debitam in praedicta S. Laurentii de Ethone ecclesia, diocesis Maurianensis, monasterio S. Michaelis Clusini, diocesis Taurinensis, concessa reservat. (Reg. 25, f. 125. an. IV, c. 60ª Bernoulli, *Acta pontificum hilvetica*, t. I, nº 669) (1).

«.., *abbati et conventui monasterii Sancti Michaelis Clusine* (sic) *ordinis Sancti Benedicti, diocesis Taurinensis*. Illa nos monasterium vestrum prosequimur sinceritate favoris et complectimur prerogativa benivolentie specialis ut vestris et ejusdem monasterii commodis promptis desideriis ac pronis affectibus intendentes, que vobis et prefato monasterio perpendimus et cognoscimus profutura libenter ac liberaliter peragamus. Sane felicis recordationis I. papa, predecessor noster, dudum prioratum de Calasco, diocesis Januensis, ad vestrum monasterium pertinentem contulit ecclesie Sancti Salvatoris quam apud Lavaniam a primis fundamentis erexit nosque super prioratum vestrum de Cucurno, dicte diocesis, eidem ecclesie duximus conferendum. Ceterum nolentes ut prioratuum ipsorum collatione vestrum incurrat monasterium detrimentum, vobis et eidem monasterio ecclesiam Sancti Laurentii de Ethone, ordinis Sancti Augustini, diocesis Maurianensis, ad Romanam Ecclesiam nullo, sicut dicitur, medio pertinentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis concessimus in recompensationem prioratuum eorundem, a vobis et eodem monasterio pleno jure in spiritualibus et temporalibus perpetuo possidendam. Set quia forsan proponere posset venerabilis frater noster.., episcopus Maurianensis in ipsa ecclesia jus aliquod se habere, nos tam ejusdem episcopi quam vestris in hac parte volentes occurere dispendiis precavere, dicto episcopo et ejus successoribus in eadem ecclesia, procurationem dumtaxat ratione visitationis debitam duximus reservandam, auctoritate vobis presentinum indulgentes ut prefatis episcopo et successoribus in nullo penitus ultra procurationem hujusmodi teneamini ipsius ecclesie ratione. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii II idus februarii, anno quarto. »

1. Les renvois en note à cet ouvrage seront dans la suite désignés par le seul nom de l'auteur et le numéro du document.

2475 Viterbe, 22 janvier 1258.

Episcopo Ovetensi Johannem Martini, clericum chori ecclesiae Ovetensis, recipiendi in canonicum ejusdem ecclesiae eique providendi de praebenda cum prestimoniis cedentis vel decedentis canonici, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 125, an. IV, c. 57 et 60ᵇ.)

«.., *episcopo Ovetensi*. Tuam volentes honorare — Dat. Viterbii, XI kal. februarii, anno quarto. »

2476 Viterbe, 8 décembre 1257.

Cum Henricus de Phetenshem, capellanus episcopi Argentinensis, rector ecclesiae de Murrewilre in ecclesia Sancti Thomae Argentinensis, canonice receptus fuisset in canonicum et constitutio apostolica inde lata receptiones praebendas expectantium vacaturas factas in ecclesiis, quatuor dumtaxat exceptis, irritas decrevisset, mandat papa abbati monasterii de Gengembach, ad supplicationem P., Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, ut eidem Henrico de praebenda in dicta ecclesia providere procuret, non obstante praefata constitutione. (Reg. 25, f. 125, an. IV, c. 58 et 60ᶜ.)

«.., *abbati monasterii de Gengenbahc, Argentinensis diocesis*. Petitio dilecti filii —. Dat. Viterbii, VI id. decembris, anno tertio. »

2477 Viterbe, 13 février 1258.

Petro de Abilleio, residenti personaliter in ecclesia S. Martini de Precigneio, cujus rector existit, indulget ut proventus praebendae quam in ecclesia Candatensi, Turonensis diocesis, obtinet, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, integre percipere valeat, praesentibus post triennium minime valituris. (Reg. 25, f. 125, an. IV, c. 59 et 60ᵈ.)

« *Petro de Abilleio, rectori ecclesie Sancti Martini de Precigneio, canonico ecclesie Sancti Martini Candatensis, Turonensis diocesis*. Gratando tue devotionis —. Dat. Viterbii, idibus februarii, anno quarto. »

2478 Viterbe, 13 février 1258.

Abbati secularis ecclesiae S. Petri Dauratensis, Lemovicensis diocesis, mandat ut praefato Petro proventus debitos assignet. (Reg. 25, f. 125 v°, an. IV, c. 60ᵉ.)

«.., *abbati secularis ecclesie Sancti Petri Dauratensis, Lemovicensis diocesis.* Dilecti filii Petri de Abilleio —. Dat. ut supra.

2479 Viterbe, 22 janvier 1258.

Episcopo Ovetano conferendi canonicatum suae Ovetensis ecclesiae Johanni Martini, clerico chori ejusdem ecclesiae, eique de praebenda cum praestimoniis providendi, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 125, an. IV, c. 60ᶜ.)

«.., *episcopo Ovetano.* Tuam volentes honorare —. Dat. Viterbii, XI kal. februarii, anno quarto. »

2480 Viterbe, 9 février 1258.

Cum J., archiepiscopus Ragusinae ecclesiae, dictam ecclesiam libere resignavisset, Aleardus in ejusdem ecclesiae archiepiscopum praeficitur. (Reg. 25, f. 125 v°, an. IV, c. 61.)

« *Aleardo, episcopo Ragusino.* Recte tunc ecclesiarum —. Dat. Viterbii V idus februarii, anno quarto. »

2481 Viterbe, 23 janvier 1258.

Reginae Franciae indulget ut per litteras Sedis Apostolicae nullum juri suo, quod sibi ex successione paterna in comitatu Provinciae competit, prejudicum valeat generari. (Reg. 25, f. 125 v°, an. IV, c. 62 ; Rodenberg, t. III, n° 474).

«.., *illustri regine Francorum.* Quanto personam tuam in Domino sinceriori affectione diligimus et specialius proponimus honorare, tanto libentius petitionibus tuis benignum impertimur auditum, et liberalius exauditionis januam aperimus, maxime que justitiam sapiunt et continent equitatem. Meruerunt hoc enim non solum tua, verum etiam progenitorum tuorum magnifica opera, quibus inter ceteros claruerunt, quorum memoria deleri non potest, dum nobis meritorum suorum gratiam reliquerunt in suis, propter quod nos, tuorum parentum fidelem constantiam qua Romane Ecclesie, matri sue, in omnibus ejus oportunitatibus placuere, tuam quoque obsequendi promptitudinem ab eisdem traductam parentibus non immerito recolentes, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut per litteras Sedis Apostolice cujuscunque tenoris obtentas hactenus vel in posternum obtinendas, nullum juri tuo, quod tibi ex successione paterna in comitatu Provincie competit, valeat prejudicium generari. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, X kal. februarii, anno quarto. »

2482 Viterbe, 18 février 1258.

Magistro Nicolao de Wich, ab H. S. Sabinae presbytero cardinali commendato, indulget ut, non obstante defectu natalium quem patitur, de diacono genitus et soluta, in susceptis ministrare ordinibus et in presbyterum promoveri ac beneficium ecclesiasticum obtinere valeat. (Reg. 25, f. 126 an. IV, c. 63.)

« *Magistro Nicolao de Wich, diacono Ossoriensis diocesis.* In nostra constitutus —. Dat. Viterbii, XII kal. martii, anno quarto. »

2483 Viterbe, 22 février 1258.

Decano et custodi ecclesiae S. Leonardi, Argentinensis diocesis, mandat ut ad provisionem praepositi Argentinensis et Conradi clerici, ejusdem praepositi consanguinei, procedat, non obstantibus constitutionibus contrariis. (Reg. 25, f. 126, an. IV, c. 64 ; Rodenberg, t. III, n° 475).

«.., *decano et custodi ecclesie Sancti Leonardi, Argentinensis diocesis.* Ex parte dilectorum filiorum.., prepositi Argentinensis, nati nobilis viri domini de Gevolseke et Conradi, clerici, consanguinei sui, fratris dominorum de Lytemberc, Argentinensis diocesis, fuit propositum coram nobis quod dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus, ipsos obtentu nobilium eorundem qui personaliter in eisdem partibus generalis Ecclesie negotium prosequentes, ad ipsius promotionem personas et bona fideliter exponebant, in suos capellanos admisit. Verum quia postmodum super revocationibus certarum provisionum et receptionum canonicorum prebendas expectantium ultra quaternarium numerum vacaturas a nobis certe constitutiones emanarunt, iidem capellani, ne per constitutiones ipsas eis prejudicium generetur, Apostolice Sedis gratiam implorarunt. Nos autem, obtentu nobilium eorundem, specialem dictis capellanis gratiam facientes, mandamus quatinus ipsos in ecclesiis a quibus sunt per constitutiones ipsas exclusi, ad jus quod ex gratiis sibi factis ratione provisionum seu receptionum hujusmodi competebat, eisdem auctoritate nostra restituentes, ad provisionem eorum, in ipsis ecclesiis per vos vel per alium seu alios constitu-

tionibus predictis nequaquam obstantibus, procedatis juxta formas suis executoribus traditas in premissis, contradictores etc. Dat. Viterbii, VIIII kal. martii, anno quarto. »

2484 Viterbe, 8 février 1258.

Sententiam in causa vertente inter magistrum Conradum de Friburg, rectorem ecclesiae de Wolvenwiller, Constantiensis diocesis et Conradum, clericum, natum quondam C. Snewelin de Friburg, militis, ejusdem diocesis, a magistro Gregorio de Neapoli, capellano apostolico, auditore partibus dato, pro rectore illo promulgatam, et ab H., tituli S. Sabinae presbytero cardinali, qui appellationem ab ipsius clerici curatore inde factam injustam decreverat, confirmatam, rursus confirmat et abbati S. Galli, Constantiensis diocesis, mandat ut sententias executioni debitae demandet. (Reg. 25, f. 126, an. IV, c. 65 ; Bernouilli, n° 670).

«.., *abbati Sancti Galli, Constantiensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti —. Dat. Viterbii, VII idus februarii, anno quarto. »

2485 Viterbe, 19 février 1258.

Abbati monasterii S. Dominici de Silos, ordinis S. Benedicti, Burgensis diocesis, cui usus mitrae a Sede Apostolica concessus erat, indulget, ad Castellae regis supplicationem, ut ipse et successores sui annulo uti libere valeant. (Reg. 25, f. 126, an. IV, c. 66ᵃ.)

« .., *abbati monasterii Sancti Dominici de Silos, ordinis Sancti Benedicti, Burgensis diocesis.* Ad ecclesiastici decoris —. Dat. Viterbii, XI kal. martii, anno quarto. »

2486 Viterbe, 6 mars 1258

Rogero dicto Marmurm, capellano suo, rectori ecclesiae de Kirkeby Ferreris, Eboracensis diocesis, indulget ut, praeter ecclesiam illam curam animarum habentem quam obtinet, adhuc duo alia ecclesiastica beneficia, etiam si similem curam haberent et eorum alterum dignitas vel personatus existeret, recipere et retinere valeat. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 66ᵇ.)

« *Rogero dicto Marmurm, capellano nostro, rectori ecclesie de Kirkeby Ferreris, Eboracensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, II nonas martii, anno quarto. »

2487 Viterbe, 6 mars 1258.

Magistro Henrico de Hauecle, rectori ecclesiae de Wrotham, Norwicensis diocesis, indulget ut praeter ecclesiam illam curam animarum habentem quam obtinet. adhuc duo alia ecclesiastica beneficia, etiam si similem curam haberent et eorum alterum dignitas vel personatus existeret, recipere et retinere valeat. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 67.)

« *Magistro Henrico de Hauecle, rectori ecclesie de Wrotham, Norvicensis diocesis.* Volentes tibi tue etc. usque in finem de verbo ad verbum. »

2488 Viterbe, 27 février 1258.

Priori et conventui monasterii de Lenton, Cluniacensis ordinis, Eboracensis diocesis, cum propter vehementiam frigoris non possint, hiemali praecipue tempore, discopertis capitibus sine magno personarum periculo divinis officiis interesse, concedit ut pilleis congruentibus ordini eorum, necessitatis tempore in monasterio utantur. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 68.)

«.., *priori et conventui monasterii de Lenton, Cluniacensis ordinis, Eboracensis diocesis.* Virtutum merita quibus —. Dat. Viterbii, III kal. martii, anno quarto. »

2489 Viterbe, 27 février 1258.

Infrascriptis idem concedit. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 69.)

«.., *priori et conventui monasterii Sancte Frisiwide* (1) *Exonie, ordinis Sancti Augustini, Linco[l]niensis diocesis.* Virtutum merita quibus vacare dicimini etc. ut in alia de verbo ad verbum usque in finem. »

2490 Viterbe, 27 février 1258.

Infrascriptis idem concedit. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 70.)

«.., *abbati et conventui monasterii Sancti Benedicti de Ulmo, ordinis Sancti Benedicti, Norvicensis diocesis* Virtutum merita quibus vacare dicimini etc. ut in alia de verbo ad verbum usque in finem. »

2491 Viterbe, 27 février 1258.

Infrascriptis idem concedit. (Reg. 25, f. 126 v°, an IV, c. 71.)

«.., *priori et conventui monasterii Sancti Neuti, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis.* Virtutum merita quibus etc. ut in alia usque in finem. »

1. La note mise en marge porte : *Sancte Fridelwide* (c'est Sainte Frideswide, à Oxford).

2492 Viterbe, 7 mars 1258.

Abbati de Belloloco, ordinis S. Benedicti, Turonensis diocesis, mandat ut priorem et canonicos ecclesiae de Castellione super Indriam moneat et ad proventus alicujus praebendae ipsius ecclesiae secundum consuetudinem Guillelmo de Pelevezino, rectori ecclesiae de Strata, assignandos inducat. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 72.)

« .., *abbati de Belloloco, ordinis Sancti Benedicti, Turonensis diocesis.* Cum sicut petitio dilecti filii. Guillelmi de Pelevezino, rectoris ecclesie de Strata, Bituricensis diocesis, nobis exhibita continebat, in ecclesia de Castellione super Indriam, ejusdem diocesis, cujus existit canonicus, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine sit obtentum ut canonici ipsius ecclesie de Castellione, si in matutinalibus boris aut in missa majori, seu in vesperis diebus singulis interfuerint in eadem, pro residentibus habeantur et proventus prebendarum suarum percipiant ac si continue in predicta ecclesia in horis omnibus interessent, mandamus quatinus, si est ita et idem G. in predicta ecclesia de Castellione alicui predictarum horarum singulis diebus interfuerit juxta ejusdem ecclesie consuetudinem approbatam, dilectos filios..., priorem et canonicos ejusdem ecclesie le Castellione, quod eidem G. proventus prebende sue ipsius ecclesie secundum hujusmodi consuetudinem assignare procurent moneas attentius et inducas et ad id, si necesse fuerit per consuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Dat Viterbii, nonis martii, anno quarto. »

2493 Viterbe, 27 février 1258.

Abbati et conventui monasterii Abbendonensis, ordinis Sancti Benedicti, Saresbiriensis diocesis, cum non possent commode, propter vehementiam frigoris, descopertis capitibus divinis officiis interesse, concedit facultatem deferendi, necessitatis tempore, pilleos in ipso monasterio ordini congruentes. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 73.)

« .., *abbati et conventui monasterii Abbedonensis, ordinis Sancti Benedicti. Saresbiriensis diocesis.* Ut vacare libere. — Dat. Viterbii, III kal. martii, anno quarto. »

2494 Viterbe, 5 mars 1258.

Abbati, S. Martialis et magistro Petro de Benevento, canonico, Lemovicensi mandat ut in causa inter decanum ecclesiae S. Aredii, Lemovicensis diocesis, et Petrum de Pinu, rectorem ecclesiae S. Saturnini ejusdem diocesis, super canonicatu predictae ecclesiae S. Aredii vertente, testes infra trium mensium spatium examinet secundum interrogatoria ipsis a magistro Dalfinato, capellano apostolico, auditore partibus dato, transmissa. (Reg. 25, f. 126 v°, an. IV, c. 74.)

« .., *abbati Sancti Martialis et magistro Petro de Benevento, canonico Lemovicensi.* Cum causam que vertitur inter.., decanum ecclesie Sancti Aredii, Lemovicensis diocesis, et Petrum de Pinu, rectorem ecclesie Sancte Saturnini, ejusdem diocesis, super canonicatu predicte ecclesie Sancti Aredii, nos dilecto filio magistro Dalfinato, capellano nostro, duxerimus committendam, quia lite coram eo legitime contestata, per ea que fuerunt hinc inde proposita coram ipso non plene instrui potuit causa ipsa, ne pro defectu probationum jus alterutrius partis valeat deperire, de utriusque partis assensu mandamus quatinus testes quos pars ipsius decani coram vobis duxerit producendos, cum pars alia nihil per testes probare intendat, per vos vel alios neutri parti suspectos, in locis in quibus videritis expedire, prudenter recipere et eos super prefati decani articulis, secundum interrogatoria que, una cum ipsis articulis, vobis idem auditor sub sigillo suo transmittit inclusa, diligenter infra trium mensium spatium a tempore receptionis presentium examinare curetis, recepta prius a dicto decano de solvendis viginti quinque libris Turonensium rectori predicto, si in dictorum articulorum probatione defecerit vel illorum qui ad cause sufficerent victoriam prenotate fidejussoria cautione, faciendo etiam ante eundem decanum per juramentum suum ipsius rectoris positionibus respondere, quas similiter idem auditor, una cum dictis articulis et interrogatoriis, vobis transmittit inclusas, depositiones eorum et responsiones nobis sub sigillis vestris fideliter transmissuri, prefixo partibus termino peremptorio competenti quo per se vel procuratores ydoneos apostolico se conspectui representent, justam super premissis, auctore Domino, sententiam recepture. Testes autem etc. Dat. Viterbii, III nonas martii, anno quarto. »

2495 Viterbe, 1er octobre 1257.

Magistro Nicolao Reatino jus canonicatus quod in ecclesia Reatina acquisiverat et quod inde a quadam constitutione irritatum fuerat, restituit. (Reg. 25, f. 127, an. IV. c. 75.)

« .., *magistro Nicolao Reatino, scriptori nostro, capellano dilecti filii nostri H., tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis.* Petitio tua nobis —. Dat. Viterbii, kalendis octobris, anno tertio. »

2496 Viterbe, 7 mars 1258.

Aymerico Roderii de villa S. Juniani, clerico Lemovicensis diocesis, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 127, an. IV, c. 76.)

« *Aymerico Roderii de villa Sancti Juniani, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, nonis martii, anno quarto. »

2497 Viterbe, 5 février 1258.

Johanni Pelagii, rectori ecclesiae S. Laurentii de Penna, ad supplicationem episcopi Auriensis, dispensat ut, praeter ecclesiam S. Laurentii de Penna, Auriensis diocesis, curam animarum habentem, possit unicum beneficium ecclesiasticum personatum vel dignitatem, etiam si similem curam habeat, retinere, non obstante sacri concilii constitutione, « et illa quam bone memorie J., Sabinensis episcopus, tunc in Hispanie partibus Apostolice Sedis legatus, contra obtinentes plura beneficia ecclesiastica dicitur edidisse. » (Reg. 25, f.124, an. IV, c. 77.)

« *Johanni Pelagii, rectori ecclesie Sancti Laurentii de Pema* (*sic*), *Auriensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Viterbii, nonis februarii, anno quarto. »

2498 Latran, 11 mai 1257.

Magistro Jordano, subdiacono et notario suo, cui abbas et conventus monasterii S. Mariae de Gloria Anagnini, molendinum dictum de Janitelle, in tenimento castri Aquae Putridae, spectans ad Romanam Ecclesiam et quod ex dono Gregorii papae IX habebant, licentia prius obtenta vendiderant, hanc donationem confirmat. (Reg. 25, f. 127, c. 78, an. V, Potthast 16841.)

« *Magistro Jordano, subdiacono et notario nostro.* Supplicantibus olim dilectis filiis.., abbate et conventu monasterii Sancte Marie de Gloria Anagnini, felicis recordationis Innocentio, pape IIII predecessori nostro, ut, cum ipsi terras, possessiones, arnarium, domos et molendinum spectantia ad ecclesiam Sancti Johannis in Pedemonte, castri Sarmineti, Terracinensis diocesis, ad ipsum monasterium cum omnibus juribus et pertinentiis suis spectantem, ac terras et possessiones hospitalis ipsius ecclesie, quod ibi esse consueverat, et quoddam aliud molendinum quod dicitur de Janitelle, in tenimento castri Aque Putride, spectans olim ad Romanam Ecclesiam, ex dono felicis recordationis Gregorii, pape VIIII, predecessoris nostri, haberent, commutandi hujusmodi terras, possessiones, arnarium, domos et molendina in alias terras vel possessiones utiliores eidem monasterio, vel vendendi predicta omnia, ita quod eorum pretium in utilitatem ipsius monasterii converteretur, licentiam concedere curaret eisdem, dictus Innocentius predecessor nobis tunc in minori officio constitutis, suis sub certa forma dedit litteris in mandatis ut ipsis hujusmodi licentiam apostolica concederemus auctoritate, si expedire utilitati ejusdem monasterii videremus. Nos autem, inquisitione ac deliberatione super hiis habita diligenti, quia liquido cognovimus utilitati ipsius monasterii plurimum expedire, ad requisi[ti]onem et instantiam predictorum abbatis et conventus, auctoritate nobis super hoc per predictas litteras tradita, tribuimus et concessimus licentiam eisdem abbati et conventui commutandi predicta omnia in alias terras vel possessiones utiliores eidem monasterio, vel vendendi ea tibi pro certa pecunie quantitate cum alius vel alii non invenirentur, sollempnitate premissa que in talibus exigitur, qui tantum pretium pro premissis omnibus vellent dare, ita quod hujusmodi pretium in utilitate monasterii converteretur ejusdem. Memorati vero abbas et conventus, hujusmodi a nobis obtenta licentia, prefatum molendinum quod dicitur de Janitelle et quod in tenimento predicti castri Aque Putride, spectans olim ad Romanam Ecclesiam ex dono predicti Gregorii predecessoris habebant prout superius est expressum, cum ceteris premissis, tibi tuisque heredibus pro certa quantitate pecunie vendiderunt, sicut in instrumento publico confecto exinde plenius perspeximus contineri. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, venditionem hujusmodi ratam habentes et gratam, ac supplentes omnem defectum, si quis ex quacumque occasione vel causa in illa extitit, de apostolice plenitudine potestatis, eam de fratrum nostrorum consilio et assensu, auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripture patrocinio communimus, ita quod tu et iidem heredes predictum molendinum de Janitelle pro quo prefatum monasterium nullum rocce predicti castri vel ipsi Romane Ecclesie faciebat servitium nec in aliquo tenebatur, cum ea libertate perpetuo habeatis, teneatis et possideatis cum qua illud habebat, tenebat et possidebat monasterium memoratum. Nulli nostre confirmationis et suppletionis etc. Dat, Laterani per manum magistri Rolandi, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, V kal. maii, indictione XV, Incarnationis dominice anno M° CC° LVII° pontificatus vero donni (*sic*) Alexandri pape IIII. anno tertio. »

2499 Viterbe, 18 mars 1258.

Abbatissae et conventui de Gattajola, ordinis S. Damiani, Lucanae diocesis, sententias a Gualterotto, canonico Lucano, et, appellatione remota, ab episcopo Praenestino latas, qui secundum litteras apostolicas plebano de Birbinaria prius directas super provisione de aliquo monasterio vel loco Lucanae diocesis Lucano episcopo non subjecto, deformato et de facili non valente in suo reformari ordine, monasterium de Fiscecło, ordinis Vallis Umbrosae eis adjudicaverant, approbat et concessionem ejusdem abbatiae ipsis factam confirmat. (Reg. 25, f. 127 v° - 129 v°, an. IV, c. 79 ; Potthast. 17217.)

« .., *abbatisse et conventui monasterii de Guataiola, ordinis Sancti Damiani, Lucane diocesis.* Ea que judicio —. Dat. Viterbii, XV kal. aprilis, anno quarto. »

2500 Viterbe, 22 septembre 1257.

Episcopo Tripolitano pro suis et ecclesiae Tripolitanae negotiis expediendis, contrahendi mutuum, se et successores suos obligandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 129 v°, an. IV, c. 80.)

« .., *episcopo Tripolitano.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro tuis et ecclesie Tripolitane negotiis expediendis, pro quibus ad Sedem Apostolicam accessisti, magna te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam decem milium Bizantiorum aureorum Sarracenatorum de Accon ad pondus Acconense, et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi, te et successores tuos ac ecclesiam Tripolitanam et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscumque tenoris in posterum impetrari contigerit, auctoritate presentium tibi concedimus facultatem, ita tamen quod tu et successores tui teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non persolveritis memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia eadem in utilitatem tuam et predicte ecclesie sit conversa, pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, non obstantibus aliquibus privilegiis seu indulgentiis de quibus in nostris litteris fieri oporteat mentionem et per que tu et successores tui valeatis in aliquo vos tueri. Dat. Viterbii, X kal. octobris, anno tertio. »

2501 Viterbe, 23 octobre 1257.

Acconensi et Fesulano episcopis mandat ut contra episcopum Tripolitanum, si de quadam summa mercatoribus Florentinis debita non satisfecerit, excommunicationis sententiam ferant, et post duos menses, eum ab administratione spiritualium et temporalium suspendant. (Reg. 25, f. 129 v°, an. IV, c. 81.)

«.., *Acconensi et.., Fesulano episcopis.* Significavit nobis dilectus filius Jacob Giberti, civis et mercator Florentinus, quod ipse suo ac Raynerii, Ballindotis, Calcanii, Bonacursi et Bene de Cetera (?) ac ceterorum sociorum suorum, civium et mercatorum Florentinorum, nomine venerabili fratri nostro.., episcopo Tripolitano apud Sedem Apostolicam constituto, renuntianti constitutioni de duabus dietis edita in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, necnon et conventioni judicum, ac omnibus litteris et indulgentiis a Sede Apostolica impetratis ac etiam impetrandis, sex millia Bizantiorum aureorum Saracenatorum [de] Accon ad pondus Acconense, habenti de mutuo contrahendo per nostras litteras facultatem, apud Sedem eandem pro expediendis suis et ecclesie Tripolitane negotiis mutuavit, certis sibi loco et termino persolvenda, prout in instrumento publico exinde confecto plenius continetur. Ideoque fraternitati vestre mandamus quatinus, si predicti episcopus et successores ejus in statutis loco et termino, juxta instrumenti predicti tenorem, ita quod nulla alia probatio vel certitudo super hujusmodi debito exigatur, mercatoribus ipsis, quibus, pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujusscunque privilegii vel indulgentie de quibus plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem, probandi necessitatem incumbere nolumus quod pecunia ipsa in utilitatem ipsius episcopi et ecclesie Tripolitane sit conversa, de pecunia non satisfecerint memorata, vos vel alter vestrum ex tunc in dictum episcopum vel successores ejus qui pro tempore fuerint, per vos vel alios seu alium, excommunicationis ferentes sententiam, tandiu ipsum episcopum vel successores, ejus qui pro tempore fuerint, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuntietis, et faciatis ab aliis per loca omnia in quibus expedire videritis nuntiari, et ab omnibus artius evitari donec predictis mercatoribus de prefata pecunia cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, fuerit satisfactum. Si vero predictus episcopus vel successores ejus in hujusmodi sententiis per duos menses permanserint, ab administratione spiritualium, et temporalium suspendatis eosdem, prefigentes ipsi

episcopo vel ejus successoribus terminum peremptorium competentem quo personaliter nostro se conspectui representent, penam debitam pro meritis recepturi. Contradictores etc. Non obstante constitutione predicta, seu si eidem episcopo a dicta Sede indultum existat vel forte ipsi, aut ejus successoribus contigerit indulgeri quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, aut quod ad solutionem aliquorum debitorum minime teneantur nisi ea legitime probatum fuerit in utilitatem dictorum episcopi et ecclesie redundasse, per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, seu qualibet indulgentia seu litteris a Sede impetratis eadem de quarum toto tenore de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem, et per quas idem episcopus vel successores ejus super hiis in aliquo valeant se tueri. Dat. Viterbii, X kal. novembris, anno tertio. »

2502 Viterbe, 21 novembre 1257.

Nobilibus viris Zachariae, Nicolao et Bibulo, fratribus, civibus Brudinensibus, omnia bona Ayroldi de Ripalta et domum quae dicitur Margariti, in Brundusio existentem, ad domanium curiae spectantem, concedit. (Reg. 25, f. 129 v°, an. IV, c. 82; Rodenberg, t. III n° 469.)

« *Nobilibus viris Zacharie, Nicolao et Bibulo, fratribus, natis quondam Sergii de Bibulo, civibus Brudunensibus.* Consuevit Sedes Apostolica—. Gerentes igitur erga vos paterne compassionis viscera, quorum pater pro puritate fidei et Ecclesia Romana fidelitate servanda morte turpissima extitit condempnatus, et qui in bonis estis plurima dampna perpessi, ac volentes vos ex hoc favore prosequi gratie specialis, omnia bona mobilia et immobilia Ayroldi de Ripalta, ipsius Ecclesie infidelis, qui civitatem Brundusini prodidit in manibus Manfredi quondam principis Tarentini, et dictum patrem vestrum et alios probos viros ipsius civitatis interfici procuravit, necnon domum que dicitur Margariti in Brundusio existentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ad domanium curie spectantem, vobis vestrisque heredibus in perpetuum concedimus de gratia speciali. Nulli nostre concessionis etc. Dat Viterbii, XI kal. decembris, anno tertio. »

2503 Viterbe, 9 avril 1258.

Donationem ecclesiae S. Beraci, quae Kelberig appellatur, Mindensis diocesis, ab archiepiscopo Armachano abbati et conventui monasterii S. Mariae de Gloria Anagnini, reparandarum domuum causa factam confirmat « reservata tamen perpetuo vicario deservituro ibidem de ipsius proventibus congrua portione de qua congrue sustentari valeat et episcopalia jura et alia etiam onera supportare ». (Reg. 25, f. 130, an. IV, c. 83; Potthast. 17228.)

« .., *abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Gloria Anagnini, Florensis ordinis.* Venerabilis frater noster —. Dat. Viterbii, V idus aprilis, anno quarto. »

2504 Viterbe, 9 avril 1258.

Archiepiscopo et archidiacono Cassellensibus mandat ut praefatos abbatem et conventum in dictae S. Beraci ecclesiae corporalem possessionem inducant, invocato, si necesse fuerit, brachii saecularis auxilio. (Reg. 25, f. 130,, an. IV, c. 83; Potthast. 17229.)

« .., *archiepiscopo et archidiacono Cassellensibus, capellano nostro.* Venerabilis frater noster —. Dat. ut supra.»

2505 Viterbe, 10 avril 1258.

Generali, priori et fratribus heremitis ordinis S. Augustini, ad precem R[iccardi], S. Angeli diaconi cardinalis, ejusdem ordinis patroni, monasterium S. Bartholomei de Gestinga, ordinis S. Benedicti, Grossetanae diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo pertinens mediante, cum omnibus juribus, possessionibus et pertinentiis confert. (Reg. 25, f. 130, an. IV, c. 84a.)

« .., *generali, priori et fratribus heremitis ordinis Sancti Augustini.* Sic ordo vester —. Dat. Viterbii, IIII idus augusti, anno quarto. »

2506 Viterbe, 10 avril 1258.

Praedicto Riccardo, S. Angeli diacono cardinali, mandat ut eosdem generalem, priorem et fratres heremitas ordinis S. Augustini, in praefati monasterii possessionem inducat « amoto ab eodem monasterio Berengario, monacho Sancti Antimi, qui illud detinere dicitur occupatum, et qualibet alio detentore », invocato, si necesse fuerit, brachii secularis auxilio. (Reg. 25, f. 130, an. IV, c. 84b Potthast. 17232.)

« *R., Sancti Angeli diacono cardinali.* Sic ordo fratrum —. Dat. ut supra. »

2507 Viterbe, 5 avril 1258.

Concessionem grangiae de Pruneio prope S. Johannem de Bonavalle, Trecensis diocesis, Guillelmo Nicolai de Trecis, clerico, a Willelmo, abbate monasterii S. Petri de Cella Trecensis factam confirmat, ejusdem concessionis tenorem inserens. (Reg. 25, f. 130, an. IV, c. 85.)

« *Guillelmo Nicolai de Trecis, clerico.* Cum a nobis petitur etc. usque ad : effectum. Hinc est quod cum, sicut tua nobis exhibita petitio continebat, dilectus filius Willelmus, abbas monasterii beati Petri de Cella Trecensis, ordinis Sancti Benedicti, attendens grata et accepta servitia que in Romana curia et alibi etiam dicto monasterio impendisti, tibi, in recompensationem servitiorum ipsorum, quandam grangiam que dicitur de Pruneio, prope Sanctum Johannem de Bonavalle, Trecensis diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, sub certa pensione a te annis singulis monasterio reddenda predicto, duxerit, quoad vixeris, concedendam, prout in litteris abbatis ejusdem super hoc confectis plenius dicitur contineri, nos tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem abbate factum est in hac parte ratum et gratum habentes, ac supplentes defectum, si quis in hoc fuit ex eo quod conventus dicti monasterii non intervenit assensus, de nostre plenitudine potestatis illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum presentibus inseri facientes qui talis est :

Viterbe, 16 février 1258.

« Universis presentes litteras inspecturis, frater « Willelmus, humilis abbas monasterii Sancti Petri de « Cella Trecensis, salutem in Domino. Noveritis quod « nos prudenter attendentes et considerantes grata « et fidelia servitia sive obsequia que dilectus in Christo « noster Guillelmus Nicolai de Trecis, clericus, nobis « et ecclesie nostre in Romana curia impendit et alibi « utiliter impendere poterit et tenetur quodque per « ipsum et suos nobis et ecclesie nostre grata poterunt « commoda pervenire, in recompensationem dictorum « servitiorum jam impensorum, cum alias nulla sit eidem « remuneratio impensa, nostro et ecclesie nostre nomine, « eidem G. presenti et recipienti, damus et concedimus « pura et irrevocabili datione facta inter vivos, quoad « vixerit, ad firmam, grangiam nostram de Pruneio « prope Sanctum Johannem de Bonavalle, Trecensis « diocesis, cum omnibus terris, pratis, vineis, censibus, « steraminibus, pertinentiis et appenditiis ipsius, prout « quondam Hugo de Longavilla predictam grangiam « tenuit et possedit, ab eodem Guillelmo tenendam « et possidendam quamdiu vixerit, sine contradictione « aliqua, pacifice et quiete. De quibus grangia et aliis « prenominatis eundem Guillelmum presentialiter nostro « et ecclesie nostre nomine investimus, promittentes « in verbo veritatis et bona fide quod contra dationem « et concessionem hujusmodi per nos vel per alios nullatenus veniemus, renunciantes in hoc facto, nostro et « ecclesie nostre nomine, omni exceptioni doli et « fraudis, omni consuetudini et statuto fori, privilegio, « beneficio in integrum restitutionis, constitutionis de « duabus dietis concilii generalis, omnibus apostolicis « litteris, indulgentiis et gratiis cujuscunque tenoris « existant, concessis et concedendis in predictis preju- « dicium generantibus, ac omnibus exceptionibus tam « juris quam facti, et consuetudinibus cujuslibet patrie « que nobis et ecclesie nostre possent in hoc facto pro- « desse, et predicto Guillelmo nocere. Veneretur (1) au- « tem dictus Guillelmus predictam grangiam sibi datam « quoad vixerit ad firmam in tali statu vel meliori « quo nunc est tenere, ac nobis et successoribus nostris « in signum dationis facte eidem, quoad vixerit, quo- « libet anno dare et persolvere quadraginta libras « Turonensium, videlicet in nundinis Barii apud « Barrium, infra rectum pagamentum viginti libras, et « in nundinis Sancti Johannis apud Trecas, alias vi- « ginti libras supradicte monete, salvis nichilominus « nobis et ecclesie nostre pactis et conditionibus in « quibus idem Guillelmus nobis per alias litteras rema- « net obligatus. Post decessum autem ipsius Guillelmi, « grangia et alia predicta, cum omni melioratione et « acquisitis infra parrochiam Sancti Johannis predicti « de censiva seu territorio ecclesie nostre moventibus, « ad nostram ecclesiam libere revertantur, salvis eidem « Guillelmo et suis heredibus aliis quibuscunque bonis « mobilibus que in dicta grangia habuerit, de quibus, « ipso vivente, suam poterit facere voluntatem, preter « quam de certis mobilibus que post mortem ipsius ad « ecclesiam reverti debent, prout in supradictis aliis « litteris quas ab ipso habemus plenius declaratur. In « quorom omnium testimonium et munimen presentes « litteras eidem Guillelmo dedimus, nostri sigilli mu- « nimine roboratas. Dat. Viterbii anno domini M.CC. « LVIII, mense februarii, die XVI intrante ».

« Nulli nostre suppletionis et confirmationis etc. « Dat. Viterbii, nonis aprilis, anno quarto. »

2508 Viterbe, 5 avril 1258.

Archipresbytero Trecensi mandat ut praefatum Guillelmum Nicolai de Trecis in dictae grangiae de Pruneio possessionem inducat, invocato, si necesse fuerit, brachii saecularis auxilio. (Reg. 25, f. 130 v°, an. IV, c. 85[b]) (2).

« .., *archipresbitero Trecensi.* Cum sicut exhibita nobis dilecti filii Guillermi Nicolai de Trecis, clerici,

1. *Sic*, sans doute pour *teneatur*.
2. Ou, d'après une numérotation moderne, 86.

petitio continebat, dilectus filius Willelmus, abbas monasterii beati Petri de Cella Trecensis, ordinis Sancti Benedicti, attendens grata et accepta servitia que idem Guillermus n Romana curia et alibi etiam dicto monasterio impendit, sibi in recompensationem servitiorum ipsorum quandam grangiam que dicitur de Pruneio, prope Sanctum Johannem de Bonavalle, Trecensis diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, sub certa pensione etc. ut in alia, verbis competenter mutatis, usque : potestatis, illud per nostras duximus litteras confirmandum. Quocirca mandamus quatinus per te vel per alium inducas dictum Guillermum in possessionem dicte grangie, jurium et pertinentiarum ejus et tuearis inductum. Contradictores etc. invocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Dat. ut supra. »

2509 Viterbe, 9 février 1258.

Cum Guillelmus, S. Eustachii diaconus cardinalis, abbati monasterii Neritonensis, ordinis S. Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, a monachis et canonicis saecularibus secundum consuetudinem electo, regno Siciliae tunc interdicto generali supposito, abbatiam dicti monasterii prius libere resignatam contulisset, omnia ab ipso Guillelmo facta, tenorem litterarum suarum inserens, confirmat. (Reg. 25, f. 130 v°, an. IV, c. 86.)

«.., *abbati monasterii Neritonensis, ordinis Sancti Benedicti.* Justis petentium etc —. Dat. Viterbii, V idus februarii, anno quarto. »

2510 Viterbe, 27 mars 1258.

Matrimonium inter Placentiam, reginam Cypri, et Balianum, natum Johannis de Arsuro, contractum, nullum esse ad ejusdem reginae petitionem declarat. (Reg. 25, f. 131, an. IV, c. 87.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Presidente rationis imperio — libramine judicentur (1). Sane causa matrimonii que vertebatur inter carissimam in Christo filiam nostram Placentiam, illustrem reginam Cypri, et dilectum filium nobilem virum Balianum, natum dilecti filii nobilis viri Johannis domini de Arzoto (*sic*), venerabilibus fratribus nostris.., archiepiscopo Nicosiensi, et.., episcopo, Famagustano ab Apostolica Sed commissa, predicta regina coram eis, oblato libello, petiit matrimonium quod inter ipsam et dictum Balianum fuerat de facto contractum, cum de jure contrahi non posset, ex eo quod clare memorie.., rex Cypri, maritus ipsius regine, dicto Baliano tertia consanguinitatis linea conjunctus extiterat, et quicquid ex eo vel ob id secutum fuerat irritum et inane decerni, super quo lite legitime contestata et prestito a partibus calumpnie juramento, factisque hinc inde positionibus et responsionibus ad easdem et super quibusdam articulis receptis testibus, tandem venerabiles fratres nostri.., Tyrensis et.., Cesariensis archiepiscopi, quibus postmodum causam ipsam commisimus, eam ad ipsius Sedis remiserunt examen, prefixo eisdem partibus certo temino peremptorio quo se, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis causam hujusmodi contingentibus, apostolico conspectui presentarent. Procuratoribus itaque partium earundem in nostre presentia constitutis, et super processibus coram predictis judicibus habitis, diutius litigantibus coram venerabili fratre nostro.., episcopo Penestrino, quem in causa ipsa dedimus auditorem, procuratores ejusdem regine ipsius nomine coram eodem auditore petierunt procedi ad diffinitivam sententiam secundum libellum et processus habitos coram judicibus supradictis, procuratoribus ipsius Baliani respondentibus petita fieri non debere pro eo quod regina et Balianus predicti prestiterant juramentum quod contraherent ad invicem matrimonium, dispensatione super affinitate que inter eos est infra unius anni spatium ab eadem Sede obtenta, ante cujus impetrationem inter ipsos matrimonium intervenit, et quod ad petitionem regine et Baliani predictorum super hoc per felicis recordationis Innocentium papam, prodecessorem nostrum, fuerat dispensatum, per quod impedimentum affinitatis hujusmodi tollebatur. Sed per procuratores ejusdem regine fuit propositum ex adverso quod ipsa, ante obtentam dispensationem hujusmodi, ab ipsius Baliani cohabitatione discesserat et, postquam eadem dispensatio ad ipsius pervenit notitiam, quod eundem Balianum pro viro suo habere nolebat pluries fuerat publice protestata, et quod dispensationem predictam nullatenus acceptabat. Adjecerunt etiam procuratores regine predicte quod dictum juramentum non simpliciter sed sub conditione prestitum fuerat, videlicet quod eadem regina cum eodem Baliano matrimonium contraheret, si dilecto filio nobili viro.., principi Anthiocheno, fratri regine predicte, placeret, qui nunquam super hoc consensit, immo in continua contradictione perstitit et persistit ; quod que dicta dispensatio non

1. Ce préambule est le même que celui qui se trouve dans la lettre du Cardinal Ottoboni, du 7 décembre 1257, publiée plus haut, n° 2440, sauf les mots *parvi* et *magni* qui sont intervertis.

fuerat obtenta secundum tenorem prestiti juramenti, nec eos ar[c]tabat in sic contracto inter eos de facto matrimonio remanere, sed ipsos proprie voluntatis arbitrio relinquebat.

Nos igitur, hiis et aliis que coram eodem episcopo Penestrino a partibus ipsis fuere proposite, per eum nobis et fratribus nostris diligenter relatis, de fratrum ipsorum consilio sententialiter diffinimus hujusmodi contractum inter reginam et Balianum predictos habitum matrimonium non fuisse, vel hujusmodi matrimonium nullum esse, quicquid ex eo vel ob ipsum secutum est irritantes seu irritum nuntiantes. Et quia predictus Balianus, occasione predicti contractus, regnum Cypri et alia bona regine occupavit ejusdem, prefatam reginam plene ad regnum ipsum suo et carissimi in Christo filii nostri Hugonis, illustris regis Cypri, pupilli, nati sui nomine, et ad alia bona sua omnia mobilia et immobilia restituendum decernimus, predictos procuratores ejusdem Baliani ejus nomine ac ipsum per eos ad restitutionem predictorum nichilominus compescendo. Postquam autem sepedicta regina ad predicta omnia plene ac integre fuerit restituta, et pacificam eorum possessionem habuerit, si prefatus Balianus proponere voluerit eam ratione juramenti hujusmodi fore compellendam ad contrahendum matrimonium cum eodem et hoc in judicio voluerit prosequi, exhibebimus ei super hoc, auctore Domino, justitie complementum. Nulli nostre sententie et diffinitionis. etc. Dat. Viterbii, III kal. martii, anno quarto. »

2511 Viterbe, 3 avril 1258.

Fratribus Hospitalis S. Antonii Viennensis inhibet ne de cetero nullum insufficientis litteraturae virum aut illegitime natum in magistrum eligere praesumant. (Reg. 25, f. 131, v°, an. IV, c. 88.)

« *Fratribus Hospitalis Sancti Antonii Viennensis.* Pietatis opera que frequentantur in Hospitali vestro et ordine nos inducunt ut, que ad ipsorum decorem et vestrarum mentium pacem redundare perspicimus, sollicite procuremus. Cum itaque, sicut accepimus.., magister vester qui vobis pr[e]est pro tempore, vestram et infirmorum quorum frequens multitudo ad Hospitale ipsum confluit, curam habere noscatur, et propter hoc dignum et decens existat ut vos, ad quos ipsius magistri electio pertinere dicitur, de tali persona vobis providere curetis, que tanto congruat oneri et honori, nos, ne per alicujus astutiam vel potentiam aliter possit accidere, salubre remedium adhibere volentes, vobis auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quotiens dictum Hospitale magistro vacare contigerit, nullum insufficientis litterature virum aut illegitime natum de cetero in vestrum magistrum eligere et vobis preponere presumatis, sine speciali mandato Sedis Apostolice faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem. Nulli nostre inhibitionis etc. Dat. Viterbii, III nonas aprilis, anno quarto. »

2512 Viterbe, 9 avril 1258.

Abbati monasterii S. Isidori Legionensis, ordinis S. Augustini, indulget ut, quotiens infra monasterii sui ambitum in festivis sollempnitatibus se missarum sollepmnia celebrare contigerit, sandaliis uti valeat. (Reg. 25, f. 131 v°, an. IV, c. 89.)

« .., *abbati monasterii Sancti Isidori Legionensis, ordinis Sancti Augustini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinenti*[*s*]. Pensatis persone tue —. Dat. Viterbii, V idus aprilis, anno quarto. »

2513 Viterbe, 5 avril 1258.

Rogero de Riticurt, rectori ecclesiae de Brantestone indulget ut, praeter ecclesiam de Brantestone, quam obtinet, et medietatem ecclesiae de Minstertone Lincolniensis diocesis, sibi a loci diocesano commendatam, unicum aliud beneficium ecclesiasticum curam habens animarum annexam, recipere et retinere valeat. (Reg. 25, f. 131 v°, an. IV, c. 90.)

« *Rogero de Riticurt, rectori ecclesie de Brantestone, Lincolniensis diocesis.* Meritis tue probitatis —. Dat. Viterbii, nonis aprilis, anno quarto. »

2514 Viterbe, 23 février 1258.

Magistro Bernardo de Olerda, capellano suo, committit ut redditus et proventus duorum beneficiorum ecclesiasticorum, etiam curam habentium animarum, in civitate vel diocesi Barchinonensi vacantium, per triennium recipiat, in solutionem debitorum ecclesiae Barchinonensis, guerris et aliis justis causis gravatae, convertendos. (Reg. 25, f. 13t v°, an. IV, c. 91.)

« *Magistro Bernardo de Olerda, capellano nostro, canonico Barchinonensi.* Ex parte venerabilis —. Dat. Viterbii, kalendis martii, anno quarto. »

2515 Viterbe, 3 avril 1258.

Sententiam diffinitivam ab H., tituli S. Sabinae presbytero cardinali, latam in causa inter magistrum Wil-

lelmum de Altavilla, rectorem ecclesiae S. Petri de Norhantone, Lincolniensis diocesis, ex una parte, et Gilbertum de Milheriis, rectorem ecclesiae de Merstone, ejusdem diocesis, ex altera, vertente confirmat, tenorem instrumenti facti inserens. (Reg. 25, f. 132, an. IV, c. 92.)

« *Magistro Willelmo de Altavilla, rectori ecclesie Sancti Petri de Norhantone, Lincolniensis diocesis.* Ea que judicio vel concordia etc. usque : communiri. In causa siquidem que inter te et Gilbertum de Milheriis, rectorem ecclesie de Merstone, Lincolniensis diocesis, super ecclesia Sancti Petri de Norhantone vertitur, primo venerabilem fratrem nostrum M., archiepiscopum Bracherensem, tunc priorem Wimaranensem, ac postmodum dilectum filium magistrum Leonardum, cantorem Messanensem, capellanum nostrum dedimus partibus auditores. Cumque pars altera, sufficienti conficto gravamine, a jamdicto cantore ad nostram audientiam appellasset, et nos tam appellationem hujusmodi quam predictam causam dilecto filio nostro H., tituli Sancte Sabine presbitero cardinali, commiserimus audiendam, idem cardinalis meritis ipsius appellationis legitime cognitis et plene discussis, pronuntiavit fuisse male pro parte altera appellatum, ac demum cognitis ejusdem cause meritis et juris ordine observato ac a nobis licentiam pronuntiandi recepta, te quoque et procuratore supradicti Gilberti presentibus, de peritorum consilio, diffinitivam pro te sententiam promulgavit, ac eundem procuratorem nomine ipsius Gilberti, tam pro fructibus medio tempore de dicta ecclesia Sancti Petri tibi subtractis, quam pro expensis in lite factis, taxatione premissa et juramento a te super hoc prestito, in certa summa pecunie tibi sententialiter condempnavit, prout In publico instrumento confecto exinde ac sigillo cardinalis memorati signato plenius continetur.

Et licet idem procurator ab hujusmodi sententia et condempnatione ad nostram duxerit audientiam appellandum, appellationem tamen suam, cum potuerit infra terminum sibi ab eodem cardinali prefixum, prosequi non curavit. Quare petebas a nobis ut sententiam et condempnationem easdem apostolico curaremus munimine roborare; nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, sententiam et condempnationem predictas ratas et firmas habentes, eas, non obstante appellatione prefata, auctoritate Apostolica confirmamus ut presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ac verbum presentibus fecimus annotari qui talis est :

Viterbe, 16 mars 1258.

« In nomine Domini, Amen. Dudum inter magistros « Willelmum de Altavilla, canonicum Cicestrensem, « et Gilbertus de Milheriis, clericum, super ecclesia « Sancti Petri de Norhantone, Lincolniensis diocesis, « quam eorum uterque ad se spectare dicebat, materia « questionis exorta, dominus papa magistrum Martinum « Hispanum, capellanum suum, tunc priorem Wimaranensem, nunc archiepiscopum Bracharensem, super « hoc concessit partibus auditorem ; coram quo predicto « Willelmo personaliter et prefato Gilberto per Bernardum de Pinu, procuratorem suum, comparentibus « in judicio, libellus hinc inde oblatus extitit et receptus « quorum tenor talis est.

« Coram vobis magistro Martino, domini pape capel« lano, partibus auditore concesso, proponit magister « Willelmus de Altavilla, rector seu persona ecclesie « Sancti Petri de Norhantone, Lincolniensis diocesis, « contra.. procuratorem magistri Gilberti de Milheriis, « nomine ejusdem magistri Gilberti, quod cum ipse « magister Willelmus eandem ecclesiam Sancti Petri « cum pertinentiis suis auctoritate apostolica fuerit « canonice assecutus et in possessionem, vel quasi ejus« dem ecclesie eadem auctoritate inductus fuerit cor« poralem, dictus magister Gilbertus eandem ecclesiam « cum hujusmodi pertinentiis contra justitiam violenter « occupavit seu occupari fecit, seu occupationem de « ipsa nomine suo factam, ratam habuit, et eam de« tinet taliter occupatam, licet nullum jus habeat in « eadem, in ipsius magistri Willermi non modicum pre« judicium et gravamen, Quare petit eundem Gilbertum « ab eadem ecclesia removeri et ipsam ecclesiam cum « pertinentiis suis sibi sententialiter adjudicari, et « se in possessionem ejusdem, vel quasi, induci vel « reduci, et inductum vel reductum defendi. Petit « etiam proventus ejusdem ecclesie quos idem Gil« bertus de ea medio tempore percepit, sibi restitui « ab eodem, quos extimat usque ad summam centum « marcarum argenti. Et super premissis seu singulis « premissorum petit eundem Gilbertum sibi senten« tialiter condempnari. Predicta etiam petit cum ex« pensis factis et faciendis in lite, quas tempore sententie « declarabit, juris beneficio sibi in omnibus semper « salvo, protestans quod non adstringit se ad probandum « omnia predicta, sed offert se probaturum quod sibi « de jure sufficiat de predictis.

« Coram vobis magistro Martino, domini pape ca« pellano partibus auditore concesso, proponit magister « Bernardus de Pinu, clericus, nomine magistri Gilberti

« de Milheriis, clerici.., illustris regis Anglie, cujus « procurator existit, quod, cum dictus Gilbertus ad « ecclesiam Sancti Petri de Norhantone, liberam et « vacantem, a veris patronis ipsius ecclesie Lincolni- « ensi episcopo, loci diocesano, fuisset canonice presen- « tatus, ac idem episcopus jam ad inquisitionem pro- « cessisset, prout moris est in partibus Anglie, vene- « rabilis pater.., Cantuariensis archiepiscopus, qui « nullam super hoc potestatem habebat, dicens se ean- « dem ecclesiam de facto, cum de jure non posset, ma- « gistro Guillelmo de Altavilla contulisse, decano de Nor- « hantone, Lincolniensis diocesis mandavit, ut eundem « magistrum Willelmum in possessionem induceret « ecclesie supradicte, cujus occasione, idem episcopus « institutionem distulit predicti magistri Gilberti, « propter que et ne idem decanus prefatum magistrum « Willelmum in possessionem induceret dicte ecclesie « ad quam predictus magister Gilbertus fuerat canonice « presentatus, cum idem W. nullum jus haberet in « ipsa, ex parte ejusdem magistri Gilberti fuit in scriptis « ad Sedem Apostolicam appellatum, et apostoli ins- « tanter petiti. Quare petit dictus procurator appella- « tionem ipsam pronuntiari legitimam, et cassari « seu cassum et irritum nuntiari quicquid post appella- « tionem hujusmodi extitit attemptatum.

« Item petit predictum magistrum Gilbertum seu « se, nomine ipsius, ad curam et regimem ipsius ecclesie « per vos, domine magister Martine, admitti et institui « in personam seu rectorem ipsius et super eadem pre- « dicto magistro Willelmo perpetuum silentium imponi « cum nullum jus habeat in eadem. Petit expensas in « lite factas et protestatur faciendas; hec petit salvo « jure addendi vel minuendi etc.

« Lite igitur super dictis libellis legitime contestata, « juratoque de veritate dicenda, factis positionibus et « responsionibus ad easdem, testibus, litteris et instru- « mentis in Anglia coram certis examinatoribus a « Sede Apostolica deputatis productis et ad curiam Ro- « manam fideliter remissis, eisque per magistrum Leo- « nardum, cantorem Messanensem, domini pape capel- « lanum, partibus propter absentiam predicti magistri « Martini auditorem concessum dicto Willelmo per- « sonaliter et Galluchio, procuratori sepedicti Gilberti, « publicatis, predictus Galluchius a publicatione hujus- « modi asserens se gravatum, ad dominum papam « appellavit; super qua appellatione et negotio princi- « pali idem dominus papa nos fratrem Hugonem, tituli « Sancte Sabine presbiterum cardinalem, concessit « partibus auditorem.

« Nos vero, meritis appellationis hujusmodi cognitis « et plene discussis, pronuntiavimus male appellatum « et bone pronuntiatum fuisse et esse procedendum « coram nobis, quibus et principale negotium commis- « sum extiterat, in ipso negotio principali. Factis itaque « rubricis a partibus et eis per examinatorem communiter « electum fideliter examinatis, earumque aliarum par- « tium probationibus, juribus et allegationibus visis, « auditis et diligenter inspectis, auditis et intellectis « omnibus que partes coram nobis proponere voluerunt, « habito peritorum consilio, juris ordine in omnibus « observato, recepto de pronuntiando super premissis « mandato a domino nostro summo pontifice speciali, « quia per ea que probata sunt in judicio constitit « nobis intentionem predicti Willelmi plene fundatam « et collationem de dicta ecclesia canonice sibi factam, « nec aliquid efficax pro altera parte fuisse probatum, « die sabbati ante ramos Palmarum assignata peremp- « torie ad diffinitivam sententiam audiendam predictis « W. pro se, et Galluchio pro memorato Gilberto compa- « rentibus coram nobis, eundem Galluchium, procura- « torem prefati Gilberti, ipsius nomine, ac ipsum Gil- « bertum, ad restitutionem ecclesie supradicte, jurium « et pertinentiarum ipsius predicto Willelmo faciendam, « sententialiter condempnamus, et ipsum Gilbertum « ab eadem ecclesia, juribus et pertinentiis suis amove- « mus et decernimus amovendum, ac ipsam ecclesiam « cum juribus et ejus pertinentiis per diffinitivam sen- « tentiam Willelmo adjudicamus eidem, prefato Gil- « berto super ea et ejus juribus et pertinentiis perpetuum « silentium imponentes ac sepedictum Willelmum ab « ipsius Gilberti super hoc impetitione sententialiter « absolventes. Insuper et Galluchium, procuratorem « ipsius Gilberti ejusdem ecclesie nomine, ac ipsum « Gilbertum in ducentis et septuaginta marcis argenti « pro fructibus dicte ecclesie predicto Willelmo sub- « tractis, secundum extimationem temporis et valorem « fructuum in judicio probatum, et in centum marcis « argenti nomine expensarum in lite factarum, taxa- « tione premissa juramentoque ipsius W., subsecuto, « eidem Willelmo sententialiter condempnamus.

« In cujus rei testimonium hoc presens publicum ins- « trumentum per magistrum Stephanum dictum de « Pyre, clericum Bisuntinum, notarium nostrum, scribi « et publicari fecimus et nostro sigillo muniri. Lata « fuit hec sententia per dictum dominum cardinalem « sedentem in domo fratrum Predicatorum Viterbiensium, « in qua dictus dominus cardinalis morabatur. Pre- « sentibus magistro Willelmo et Galluchio predictis et « hiis testibus : magistro Johanne de Capua, notario « domini pape; magistris Berardo de Neapoli, Petro

« Lemovicensi, capellanis domini pape ; magistro Petro « de Sansone ; magistro Johanne de Marno, canonico Bi- « suntino,.. priore Sancti Albani Basiliensis, Cluniacensis « ordinis ; fratre, Trojano procuratore fratrum Predi- « catorum in curia Romana et pluribus aliis. Anno « domini M. CC. LVIII ; mense martii, die XVI intrante, « indictione prima. Tempore domini Alexandri pape « IIII, pontificatus ejusdem anno quarto.

« Et ego Stephanus predictus auctoritate apostolica « publicus notarius, qui predictis interfui, predicto de « mandato sepedicti domini cardinalis scripsi et in « publicam formam redegi ac meo signo signavi ».

« Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, « III. nonas aprilis, anno quarto. »

2516 Viterbe, 3 avril 1258.

Archiepiscopo Cantuariensi, ut praefatas sententiam et condempnationem executioni mandare procuret, invocato, si necesse fuerit, brachii secularis auxilio. (Reg. 25, f. 132 v°, an. IV, c. 92.)

« .., *archiepiscopo Cantuariensi.* In causa que —. Dat. ut supra. »

2517 Viterbe, 20 mars 1258.

Nobilis mulieris Clarae de Polenta personam et bona sub sua protectione suscipit, confirmans specialiter res quas in Lunensi diocesi ipsa ex concessione a G[regorio] papa, Guidoni avo ejus facta, tenebat. (Reg. 25, f. 132, an. IV, c. 93 ; Rodenberg t. III, n° 476.)

« *Nobili mulieri Clare, nate quondam Jeremie de Polenta, Ravennatis diocesis.* Cum a nobis —. Ea propter, dilecta in Christo filia, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, prestante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem fundum Burgandentum, Frassenetum, Casacutulam et res alias in Lunensi diocesi constitutas, quas, ut asseris, felicis recordationis G. papa, predecessor noster, progenitoribus quondam Guidonis de Polenta, avi tui, intuitu devotionis quam ad Romanam habebant Ecclesiam, dinoscitur concessisse, quasque felicis recordationis I. papa III, predecessor noster, dicto Guidoni cujus tu et Guido Rizutus ac Guido de Polenta fratres, consobrini tui, estis heredes, sub annuo censu duodecim solidorum Lucensium, confirmaviit, pro ea portione qua te contingunt, sicut illam juste ac pacifice possides, sub parte dicti census pro rata hujusmodi portionis, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus ; non obstante quod dicti consobrini tui, veritate tacita (1) nulla de te mentione facta, sibi supradicta omnia ex integro confirmari, ut dicitur, per Sedem Apostolicam procurarunt, aut aliis quibuscumque litteris super hiis per veri suppressionem a Sede obtentis (2) eadem. Nulli nostre protectionis et confirmationis etc. Dat. Viterbii, XIII kal. aprilis, anno quarto. »

2519 Viterbe, 13 avril 1258.

Regi Franciae indulget ut elemosinae quas facit et faciet in futurum cedant loco restitutionis bonorum ad quam posset teneri. (Reg. 25, f. 133, an. IV, c. 94 ; Potthast. 17237.)

« *Illustri regi Francie.* Cum in te salutem hominis utriusque totis desideriis affectemus, nos volentes conscientie tue super restitutione bonorum, si qua ad te ex progenitorum tuorum successione vel alias pervenisse noscuntur, facienda forsitan hiis quorum sunt, licet, sicut asseris, nescias ad restitutionem aliquam bonorum hujusmodi aliquibus te teneri, paterna diligentia providere, magnitudini tue ut elemosine quas tua regalis magnificentia facit et faciet in futurum, cedant loco restitutionis predictorum bonorum, auctoritate presentium indulgemus. Verumtamen scire te volumus quod, si tibi constiterit te teneri ad restitutionem bonorum talium et personas, quibus eorum restitutio fieri debeat, ad tuam notitiam pervenire contingat, te ipsis bona eadem restituere nichilominus oportebit. Nulli nostre concessionis —. Dat. Viterbii, idibus aprilis, anno quarto.

2520 Viterbe, 12 avril 1258.

Eidem regi Franciae indulget ut liceat ei bona, quae ad eum diversis modis pervenisse noscuntur et cum personae quibus eorum restitutio fieri debeat, inveniri non possint, restituenda non sunt, pauperibus in eleemosynam erogare, ac de eis quae taliter erogaverit, liberationem et absolutionem plenarium consequatur. (Reg. 25, f. 133, an. IV, c. 95 ; Potthast 17233.)

« *Eidem.* Sic ille Lucifer —. Dat. Viterbii III idus aprilis, anno quarto. »

1. Reg. *tacite.*
2. Reg. *obfentis.*

2521 Viterbe, 11 avril 1258.

Praecentori Senonensi et cantori Andegavensi mandat ut omnia quae in ecclesiis regni Franciae ad Ecclesiam Romanam immediate pertinentibus et quarum rex Franciae patronus existit, reformanda noverint, reforment. (Reg. 25, f. 133, an. IV, c. 96.)

« .., *precentori Senonensi et.., cantori Andegavensi*. Licet singule orbis —. Hinc est quod nos circa statum beati. Martini Turonensis et aliarum ecclesiarum regni Francie, que ad nos et predictam Ecclesiam Romanam immediate pertinent et in quibus carissimus in Christo filius noster.., Francie rex illustris, jus optinet patronatus, paterna sollertia intendentes ac volentes eorum spiritualibus et temporalibus comodis apostolica diligentia providere, mandamus quatinus ad easdem ecclesias personaliter accedentes, et habentes pro oculis solum Deum, impendatis hac vice in eis visitationis officium, vice nostra corrigentes et reformantes in illis, tam in capite quam in membris, que correctione et reformatione tam circa divina officia quam alia noveritis indigere. Contradictores etc. Non obstante si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet prefate Sedis indulgentia per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Dat. Viterbii, III idus aprilis, anno quarto.»

2522 Viterbe, 13 avril 1258.

Priori fratrum Praedicatorum Parisiensi concedit facultatem assumendi pro negotio fidei contra hereticos eorumque fautores, receptatores et defensores in regno. Franciae exequendo, duobus fratribus non sufficientibus, quatuor alios fratres ad hoc idoneos. (Reg. 25, f. 133 v°, an. IV, c. 97; Potthast 17236.)

« .., *priori fratrum Predicatorum Parisiensi*. Meminimus olim tibi —. Dat. Viterbii, idibus aprilis, anno quarto. »

2523 Viterbe, 9 avril 1255.

Infrascriptis indulget ut ad solutionem debitorum quae procuratores eorum absque mandato et in ecclesiarum dispendio contraherunt, minime teneantur. (Reg. 25, f. 133 v°, an. IV, c. 98.)

«*Universis archiepiscopis et episcopis et abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, necnon capitulis et conventibus per regnum Francie constitutis.* Ad universas orbis ecclesias, ex officii debito, intente cogitationis extendentes aciem et undique per orbem, pro salubri earum statu, apostolice diligenties tudium diffundentes, circa ecclesias precipue ac monasteria et alia loca religiosa regni Francie nostre considerationis retorquemus intuitum et pro ipsorum conservatione potioris nimirum vigilantie operam adhibemus, omni sollicitudine procurantes ut tam in spiritualibus quam temporalibus laudabilia continue, auctore Domino, suscipiant incrementa. Sane quia intelleximus quod nonnulli procuratores vestri, quos ad Sedem Apostolicam, pro vestris et ecclesiarum vestrarum negotiis, destinatis, interdum absque mandato vestro, quandoque contra mandatum et inhibitionem eis a vobis factam super hoc specialiter et expresse, nonnunquam etiam ultra summam contentam in litteris eis a vobis super mutuo contrahendo concessis, mutuum contrahere in vestrum et ecclesiarum vestrarum dispendium non verentur, vos et easdem ecclesias earumque bona propter hoc creditoribus obligando, nos, volentes oportuno vobis in hac parte remedio providere, vobis universis et singulis, ut ad solutionem hujusmodi debitorum, que taliter contrahi forte contigerit, etiamsi in instrumentis super hiis conficiendis expresse contineatur quod mutuate pecunie in utilitatem ecclesiarum vestrarum verse sint, minime teneamini, nec ad id a quoquam compelli possitis, auctoritate presentium indulgemus, decernentes ex nunc omnes processus omnesque sententias, si quos hac occasione contra vos, vel vestrum aliquem vel aliquos, vestrasque ecclesias haberi vel ferri contigerit, irritos penitus et inanes. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, V idus aprilis, anno quarto. »

2524 Viterbe, 13 avril 1258.

Archiepiscopo Rothomagensi, ut discordiam inter quosdam ex praelatis Franciae et nonnullos barones ejusdem regni exortam sedare studeat. (Reg. 25, f. 133 v°, an. IV, c. 99.)

« .., *archiepiscopo Rothomagensi*. De providentia et maturitate tua obtinentes certitudinem pleniorem, vitare non possumus, quin te sepius, in grandium negotiorum et aliorum que frequenter in illis emergunt partibus, commissione gravemus, firma credulitate tenentes quod ea que tibi committimus, prospere ac salubriter tue circumspectionis studio dirigantur. Sane illa singularis dilectio quam ad famosum regnum Francie

ejusque prelatos ac proceros gerimus, sic nos circa ea que ipsius regni profectum, ac eorundem prelatorum et procerum honorem respiciunt, reddit jugi meditatione vigiles et indefessa sollicitudine sic intentos, ut nec torpeamus in hiis alicujus negligentie sompno, nec quantecunque attentionis studio fatigemur, quin immo inter alia que nobis consideranda imminent, et cogitatione circa hec versemur sedula et quo diligentius pensamus in eis eo accendamur ferventius erga ipsa, maximo namque desiderio predictorum prelatorum et procerum quietem appetimus, omnique salubrem et prosperum regni prefati statum affectione zelamur; et licet ad diversa et ardua ex apostolatus officio variis profundisque cogitationibus intendamus assidue, istorum tamen considerationi eo attentius imminemus quo affectu majori angimur circa illa pro quibus etiam a pensatione subducimur aliorum.

Verum quia intelleximus quod, instigante humani generis inimico, gravis inter quosdam ex ipsis prelatis ex parte una, et nonnullos barones ejusdem regni, ex altera, quod dolentes referimus, discordia est exorta, cum et dicti prelati quedam indebita et injusta petere ab ipsis baronibus, iidemque barones predictis prelatis super quampluribus articulis valde molesti et injuriosi esse dicantur, nos toto mentis cupientes affectu ut dissidii fomes extinguatur in eis, scandali tollatur occasio ac omnis discordie materia penitus extirpetur, quatenus dilectionis et pacis contenti nexibus, in se ipsis suavem et salubrem pacis fructum in propriis degustent commodis, et ad alios ipsius dulcedinem effundant laudabiliter per exemplum, habito super hiis fratrum nostrorum cum multa deliberatione consilio, volumus et fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus illos prelatos, qui hujusmodi controversiam cum predictis baronibus habere noscuntur, ad aliquem communem locum, ubi melius tibi videbitur expedire, auctoritate nostra convocare, certumque ipsis diem quo personaliter in eodem loco conveniant assignare procures, requirens ex parte nostra carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Francie, pacis et justitie zelatorem, ut omnibus illis baronibus, quos hujusmodi contingit negotium, districte precipiat ut similiter ad predictum locum eodem die personaliter studeant convenire. Postquam vero tam prelati quam barones predicti ad locum convenerint quem ad hoc duxeris deputandum, tu, in cujus labiis infusam esse credimus celitus gratiam, ut scias necessarium proferre sermonem tempore oportuno et qui ex dono celesti nosti specialiter discordiarum eradicare zizania[m] et serere semen pacis, mutuisque offensionibus provocatos congruis exhortationibus et inductionibus salubribus complacare, tractes inter eos de pace ac concordia diligenter, omnem ad hoc, ut amicabilis inter eos compositio intercedat, efficacem opem et operam adhibendo, ita quod per tue diligentie studium, gratia cooperante divina, prout depulsis odiis objectisque rancoribus, pate[a]ntur eorum mentes, concilientur corda, serenentur pectora, et voluntates unanimiter socientur, tuque crescas exinde meritis apud Deum, penes nos gratia, et apud homines clara fama.

Si vero, quod absit, pax inter eos, tua mediante sollicitudine non poterit provenire, nos sperantes ac etiam intendentes quod ex tua circa prelatos, et regia erga barones ipsos coertione, discordantia eorundem prelatorum et baronum corda necessitate laudabili reconcilientur et reducantur ad pacem, volumus ut prelatos ipsos, quod ab omnibus que injuste ac indebite a predictis baronibus eos petere tibi constiterit, omnino desistant, auctoritate nostra, remoto cujuslibet appellationis impedimento, compellens, non obstante si ipsis vel ipsorum alicui a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, quodque extra suas dioceses aut alia certa loca evocari non possint per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, regem requiras eundem ut predictos barones ab omnibus eorundem prelatorum vexationibus, injuriis et molestiis, quantum ad eum pertinet, tradita sibi a Domino potestate compescat, ita quod, spiritualis et temporalis potestate gladii partium motus illicitos et indebitos coercente, pax et concordia inter eos, auctore Domino, necessario reformetur. Taliter igitur preceptum et mandatum super hoc apostolicum studeas adimplere, ut de prompta possis devotione non immerito commendari. Dat. Viterbii, idibus aprilis, anno quarto. »

2525 Viterbe, 28 mars 1258.

Episcopo Tornacensi, ne defendat quominus bigami et viduarum mariti, clericalem deferentes tonsuram, statutis villae Brugensis subjaceant oneribusque contribuant. (Reg. 25, f. 134, an. IV, c. 100; Rodenberg, t. III, n° 477.)

« .., *episcopo Tornacensi*. Ex parte dilectorum filiorum scabinorum et universitatis ville Brugensis, tue diocesis, fuit propositum coram nobis quod nonnulli

bigami et viduarum mariti, clericalem deferentes tonsuram, illius pretextu statuti[s] patrie subjacere, ac in talliis, collectis et aliis oneribus dicte ville, sicut ceteri ejusdem laïci, contribuere indebite contradicunt, in eorum prejudicium et gravamen. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, tales quominus eisdem statutis subjaceant et in premissis talliis, collectis et oneribus contribuant, ut tenentur, aliquatenus non defendas. Dat. Viterbii, V kal. aprilis, anno quarto. »

2526 Viterbe, 22 avril 1258.

Matheo, domino de Montemirabili, Suessionensis diocesis, et Isabellae, uxori ejus, ad precem regis Franciae indulget ut, non obstante consanguinitate, possint in contracto matrimonio licite remanere. (Reg. 25, f. 139, an. IV, c. 101.)

« *Nobili viro Matheo, domino de Montemirabili, Suessionensis diocesis, et nobili mulieri Isabelle, uxori ejus.* Ad hoc Deus —. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod, licet per verba de presenti legitime ad invicem in facie Ecclesie matrimonium contraxeritis, carnali copula subsecuta, processu tamen temporis ab aliquibus didicistis quod quondam M. uxor tua, fili M., tibi, filia Y., quarta consanguinitatis linea attinebat. Quamvis igitur conjugalem copulam in quarto affinitatis gradu sacri concilii constitutio interdicat, inducti tamen precibus carissimi in Christo filii nostri.., regis Francorum illustris, nobis pro vobis super hoc supplicantis, auctoritate vobis presentium concedimus dispensando ut, impedimento hujusmodi non obstante, possitis in sic contracto matrimonio licite remanere. Nulli nostre concessionis et dispensationis etc. Dat. Viterbii, X kal. maii, anno quarto. »

2527 Viterbe, 20 avril 1258.

Johanni de Montibus collationem ecclesiae de Braina, sibi a magistro Thoma de Avesnis, officiale Cameracensi, factam confirmat. (Reg. 25, f. 134, an. IV, c. 102 r.)

« *Johanni de Montibus, presbitero, rectori ecclesie de Braina, diocesis Cameracensis.* Cum a nobis —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod tu, nostras super provisione tua de aliquo ecclesiastico beneficio competenti, cum cura vel sine cura, in civitate vel diocesi Cameracensi, sub certa forma ad venerabilem fratrem nostrum.., episcopum Cameracensem litteras impetrasti, et dilectus filius magister Thomas de Avesnis, officialis Cameracensis, cui prefatus episcopus commisit in hujusmodi negotio vices suas, ecclesiam de Braina, ejusdem diocesis, tunc vacantem, canonice tibi contulit auctoritate hujusmodi litterarum, ad cujus titulum venerabilis frater noster episcopus Tusculanus, de speciali mandato nostro, te in diaconum et presbiterum ordinavit. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod per eundem officialem super hoc provide factum est, ratum habentes et firmum, id auctoritate apostolica confirmamus, et per scripta presentium communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XII kal. maii, anno quarto. »

2528 Viterbe, 20 avril 1258.

Decano Noviomensi mandat ut praedictum Johannem de Montibus, rectorem ecclesiae de Braina, in corporalem ejusdem ecclesiae possessionem, amoto quolibet illicito detentore, inducat. (Reg. 25, f. 134 v°, an. IV, c. 102 r.)

« .., *decano Noviomensi.* Sua nobis dilectus —. Dat. Viterbii, ut supra. »

2529 Viterbe, 11 décembre 1257.

Decano S. Andreae Frisingensis mandat ut in statum debitum legitime revocare procuret quicquid in magistri Leonis, canonici ecclesiae Ratisponensis pro suis et ejusdem ecclesiae negotiis ad Sedem Apostolicam venientis, praejudicium invenerit attemptatum. (Reg. 25, f. 134 v°, an. IV, c. 103.)

« .., *decano ecclesie Sancti Andree Frisingensis.* Dilecti filii magistri —. Dat. Viterbii, III idus decembris, anno tertio. »

2530 Viterbe, 22 avril 1258.

Cancellario Parisiensi mandat ut ad provisionem decem pauperum clericorum transmarinorum, Parisius insistentium, secundum litteras apostolicas procedat, non obstantibus indulgentiis a nonnullis Praemonstratensis et Cluniacensis ordinum ac Majoriis Monasterii Turonensis abbatibus et conventibus invocatis. (Reg. 25, f. 134 v°, an. IV, c. 104; Denifle et Chatelain *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. I, p. 372, n° 324.)

« .., *cancellario Parisiensi.* Felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, et nos etiam tibi litteras apostolicas sub certa forma pro dilectis filiis decem pauperibus clericis transmarinis, dicimur pluries direxisse, ut eis Parisius insistentibus scolasticis disciplinis ac totidem aliis illarum partium, cum

essent Parisius, ab aliquibus monasteriis vel ecclesiis regni Francie, unicuique ipsorum videlicet in decem libris Parisiensium, annis singulis, provideri et provisionem hujusmodi eis apud Parisius faceres assignari. Quia vero nonnulli Premonstratensis et Cluniacensis ordinum ac Majoris Monasterii Turonensis abbates et conventus et membrorum ipsorum persone, dicentes sibi esse ab Apostolica Sede indultum quod ad provisionem alicujus compelli non possint per litteras apostolicas que plenam et expressam de dictis ordinibus et monasteriis ipsorum ac de indultis hujusmodi de verbo ad verbum non fecerint mentionem, super exhibenda eis provisione hujusmodi ipsis imposita, se, propter hoc, reddunt inflexibiles et molestos, pro parte dictorum clericorum ad nostram providentiam habitus est recursus. Cum itaque pietas apostolica, intenta potissime consolationi pauperum, quod de predictis incepit clericis relinquere non debeat imperfectum, nos, devotis eorum precibus inclinati, mandamus quatinus, non obstantibus predictis vel quibuscumque aliis indulgentiis cujuscunque tenoris existant, ad provisionem ipsorum per te vel alium procedas juxta traditam tibi formam. Dat. Viterbii, X kal. maii, anno quarto. »

2531 Viterbe, 11 avril 1258.

Episcopo capitulo Ovetensibus, quibus I[nnocentius] papa et ipse super receptione et provisione decem clericorum in eorum ecclesia litteras direxerant indulget ut quinque ex eisdem clericis recipientes in canonicos et in fratres eisque providentes, ad receptionem et provisionem aliquorum compelli non possint per litteras apostolicas impetratas per quas non sit jus alicui acquisitum, vel etiam impetrandas cujuscumque tenoris existant « nisi eedem littere impetrande de indulto hujusmodi ejusque tenore et receptorum numero plenam et expressam fecerint mentionem, decernentes nichilominus irritum et inane si secus super premissis per quemcumque contigerit attemptari. Ita tamen quod dilectis filiis magistro Petro magistro scolarum Lucensi, capellano nostro, Garsie Garsie, magistro Roderico et Johanni Martini et Fernando Didaci, clericis chori ecclesie vestre pro quibus in eadem ecclesia direximus scripta nostra, quosque in predicto numero computari volumus, nisi eis aliud rationabile quid obsistat, nullum prejudicium generetur. » (Reg. 25, f. 134 v°, an. IV, c. 105.)

«.., *episcopo et capitulo Ovetensibus.* Ex serie vestre —. Dat. Viterbii, III idus aprilis, anno quarto. »

2532 Viterbe, 7 mars 1258.

Abbati S. Galli, Constantiensis diocesis, ne abbati de Loco Heremitarum, ordinis S. Benedicti, ejusdem diocesis, in reformatione monasterii Augiensis, Burchardi abbatis criminibus desolati, ab Apostolica Sede delegato impedimentum sit, quin imo ei auxilium largiatur. (Reg. 25, f. 134 v°, an. IV, c. 106; Bernoulli, n° 671.

« .., *abbati Sancti Galli, ordinis Sancti Benedicti, Constantiensis diocesis.* Audita desolatione monasterii —. Dat. Viterbii, nonis martii, anno quarto. »

2533 Latran, 5 février 1256.

Archipresbytero et capitulo Majoris ecclesiae Civitatis Castellanae, pro communitate et unitate inter eos observandis, ruralem ecclesiam S. Sixti, diocesis Civitatis Castellanae ad monasterium S. Helyae, ordinis S. Benedicti, Nepesinae diocesis spectantem, cum terris et possessionibus ejus in loco dicto Portellis, versus Civitatem Castellanam, ad usum communis mensae concedit. (Reg. 25, f. 135, an. IV, c. 107.)

« .., *archipresbitero et capitulo Majoris ecclesie Civitatis Castellane.* Ex parte vestra —. Dat. Laterani, nonis februarii, anno secundo. »

2534 Viterbe, 16 mai 1258.

Cum Landonem, ipsius papae nepotem et capellanum, episcopus Tornacensis in canonicum et in fratrem per procuratorem in ecclesia Tornacensi recepisset, quod ab eodem episcopo factum est confirmat. (Reg. 25, f. 135, an. IV, c. 108.)

« *Landoni, nato nobilis viri Petri Tolomei de Lodoxio, militis Anagnini, nepoti et capellano nostro, canonico Tornacensi.* Justis petentium etc. usque : complere. Ex tenore siquidem litterarum venerabilis fratris nostri.., episcopi Tornacensis, nobis directarum accepimus quod idem episcopus procuratorem tuum, nomine tuo, in Tornacensi ecclesia in qua prebendarum collatio ad ipsum spectat, fecit, ad preces et mandatum nostrum, ab ejusdem ecclesie decano et capitulo recipi in canonicum et in fratrem. Nos itaque tuis devotis supplicationibus inclinati, quod factum est in hac parte ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, defectum, si quis in hoc fuit, supplentes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli nostre confirmationis et suppletionis etc. — Dat Viterbii, VI kal. maii, anno quarto.

2535 Viterbe, 12 mars 1258.

Priori et conventui monasterii de Swinesheved, ordinis S. Augustini, Lincolniensis diocesis, ad onera commodius supportanda, ecclesiam Omnium Sanctorum

de Laxtone, Lincolniensis diocesis, in qua jus patronatus habent cujusque proventus quadraginta solidorum Sterlingorum summam annis singulis non excedunt, cum omnibus juribus et pertinentiis concedit, indulgens ut « cedente vel decedente ipsius ecclesie rectore, ipsius possessionem diocesani vel archidiaconi loci aut cujuslibet alterius assensu minime requisito, auctoritate propria ingredi libere valeatis, assignata vicario qui pro tempore in ipsa servierit, de ipsius ecclesie proventibus, portione unde valeat congruam sustentationem habere ac episcopalia archidiaconalia et cetera ipsius ecclesie onera supportare. » (Reg. 25, f. 135, an. IV, c. 109[a].)

« .., *priori et conventui monasterii de Finnelheved, ordinis Sancti Augustini, Lincolniensis diocesis* (1). Injuncti officii sollicitudo —. Dat. Viterbii, IIII idus martii, anno quarto. »

2536 Viterbe, 12 mars 1258.

Abbati monasterii de Evesham, Wigorniensis diocesis, mandat ut eosdem priorem et conventum in dictae ecclesiae Omnium Sanctorum de Laxtone possessionem, cedente vel decedente ejusdem rectore, inducat. (Reg. 25, f. 135, an. IV. c. 109[b].)

«.., *abbati monasterii de Evesham, Vigor[n]iensis diocesis* (2) Injuncti officii sollicitudo —. Dat. Viterbii ut supra. »

2537 Viterbe, 22 décembre 1257.

Abbati et conventui monasterii de Fontanis Albis, Cisterciensis ordinis, Turonensis diocesis, indulget ut de terris monasterii excolendis, de quibus tamen aliquis decimas non percepit, nullus decimas exigere praesumat. (Reg. 25, f. 135, an. IV, c. 110.)

«.., *abbati et conventui monasterii de Fontanis Albis, Cisterciensis ordinis, Turonensis diocesis.* Speciali gratia et —. Hinc est quod nos, intuitu sincerissime devotionis vestre ac obtentu dilecti filii nostri I., tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, qui, tanquam vestri ordinis promotor assiduus, necessitates vestri monasterii nobis reverenter exposuit et super illis nostre provisionis auxilium imploravit, vobis auctoritate presentium indulgemus ut, de terris cultis et incultis ad monasterium ipsum spectantibus, quas nunc aliis conceditis vel concedetis in posterum excolendas, de quibus tamen adhuc aliquis decimas non percepit, nullus a vobis seu cultoribus terrarum ipsarum aut quibuscumque aliis decimas exigere vel extorquere presumat. Nos enim nichilominus irritum ex nunc decernimus et inane quicquid contra tenorem indulgentie hujusmodi fuerit attemptatum. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, XI kal. januarii, anno quarto. »

1. La rubrique porte, par erreur : « : *priori et conventui monasterii de Feintuishened, ordinis Sancti Augustini, Limovicensis diocesis.* »
2. La rubrique porte : « *monasterii de Evlham, Vigoriensis diocesis.* »

2538 Viterbe, 26 avril 1258.

Abbatissae et conventui monasterii monialium inclusarum S. Angeli Æsculani, ordinis S. Damiani, concedit ut a quoquam conveniri per litteras Apostolicae Sedis vel legatorum aut delegatorum ejus non possint, nisi eaedem litterae ipsius Sedis de hac indulgentia et ordine earum expressam fecerint mentionem. (Reg. 25, f. 135 v°, an. IV, c. 111 ; Potthast 17250.)

«.., *abbatisse et conventui monasterii monialium inclusarum Sancti Angeli Esculani, ordinis Sancti Damiani.* Celestia querentibus terrenis —. Dat. Viterbii, VI kal. maii, anno quarto. »

2539 Viterbe, 13 avril 1258.

Abbati monasterii de Astino mandat ut Lanfranchino, clerico, nato Boltrachi de Advocatis, locum et beneficium a Detesalvo de Advocatis, clerico ecclesiae S. Mariae de Ruman., Pergamensis diocesis libere resignata, conferat, eumque in ipsorum possessionem inducat « Non obstante si aliqui litterarum Apostolice Sedis vel legatorum ipsius, auctoritate aut proprio motu capituli, in eadem ecclesia in clericos sunt recepti vel ut recipiantur insistant, quibus quoad assecutionem aliorum beneficiorum nullum volumus praejudicium generari. » (Reg. 25, f. 135 v°, an. IV, c. 112.)

« .., *abbati monasterii de Astino, Pergamensis diocesis.* Cum sicut accepimus —. Dat. Viterbii, idibus aprelis (*sic*), anno quarto. »

2540 Viterbe, 9 mars 1258.

Magistro Radulfo de Cropper, rectori ecclesiae S. Andreae de Hystona, capellano I., tituli S. Laurentii in Lucina, presbyteri cardinalis, dispensat ut praeter beneficia ecclesiastica, curam animarum habentia, quae obtinet, alia beneficia, cum cura vel sine cura, usque ad valorem annuum centum marcarum Sterlingorum recipere valeat. (Reg. 25, f. 135 v°, an. IV, c. 113.)

« *Magistro Radulfo de Cropper, rectori ecclesie Beati Andree de Hystona, Elicensis diocesis.* Meritis laudabilis conversationis —. Dat. Viterbii, VII idus maii, anno quarto. »

2541 Viterbe, 11 mai 1258.

Intimantibus abbatissa et conventu S. Mariae Novae de Collazo Montispulsani, ordinis S. Damiani, Aretinae diocesis, quod constructio monasterii alicujus in territorio castri Montispulsani, secundum litteras Gregoriae, abbatissae monasterii Grossetani, a Sede Apostolica concessas, magnum ipsis generaret praejudicium, mandat plebano de Clanzano, Clusinae diocesis, ne permittat ut monasterium aliquarum religiosarum in territorio dicti monasterii S. Mariae Novae aedificetur. (Reg. 25, f. 135 v°, an. IV, c. 114 ; Potthast 17267.)

« .., *plebano de Clanzano, Clusine diocesis.* Ex parte dilectarum —. Dat. Viterbii, V idus maii, anno quarto. »

2542 Viterbe, 9 avril 1258.

Infrascriptum in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 135 v°, an. IV, c. 115.)

« *Raynerio Ghiberti de Florentia, de Glastonia et de Stockeleie ecclesiarum rectori, Lincolniensis et Eboracensis diocesium.* Meritis tue probitatis —. Dat. Viterbii, VI idus aprilis, anno quarto. »

2543 Viterbe, 13 février 1258.

Magistro Ade, capellano A., archiepiscopi Armachani, dispensat ut, praeter ecclesiam de Drumbo et vicariam perpetuam ecclesiae de Bangor, Dunensis diocesis, quas curam animarum habentes obtinet et quarum proventus valorem annuum duodecim marcarum Sterlingorum non excedunt, unicum aliud beneficium, etiam cum simili cura, recipere possit. (Reg. 25, f. 135 an. IV, c. 116.)

« *Magistro Ade, presbitero, rectori ecclesie de Drumbo, Dunensis diocesis.* Vite laudabilis et —. Dat. Viterbii, idibus februarii, anno quarto. »

2544 Viterbe, 23 février 1258.

Episcopo et capitulo Palentinis mandat ut Bernardum Roderici, clericum chori eorum ecclesiae, recipiant in portionarium et in fratrem, eique de aliqua portione providere curent. (Reg. 25, f. 136, an. IV, c. 117.)

«.., *episcopo et capitulo Palentinis.* Credentes vos illa —. Non obstante statuto de certo et portionariorum numero juramento, confirmatione predicte Sedis aut alia firmitate vallato, sive si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicum generari, seu si vobis communiter vel divisim a prefatae sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneamini per litteras Sedis ipsius plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, seu quod statuisse dicimini ut nullus in predicta ecclesia in portionarium et fratrem recipi valeat, nisi prius portio vacaverit in eadem, aut qualibet alia dicte Sedis indulgentia per quam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri —. Dat. Viterbii, idibus februarii, anno quarto. »

2545 Viterbe, 25 avril 1258.

Episcopum Tricaricensem, ad veritatem inquirendam de facto Ratisponensis episcopi, ad Ratisponensem civitatem mittit. (Reg. 25, f. 136, an. IV, c. 118 Rodenberg, t. III, n° 479.

« .., *episcopo Tricaricensi.* Post multa enormia cordis nostri gravissime pungitiva que procuratores Ratisponensis capituli de venerabili fratre nostro.., episcopo Ratisponensi, nobis olim pluries retulerunt, eo tandem in nostra et fratrum nostrorum presentia constituto, fuit propositum quod episcopus ipse de vitio nefandissimo, propter quod ira Dei venit in filios diffidentie, infectus existat et graviter diffamatus. Cum autem detestatio vitii hujusmodi non solum auditu set etiam horribilis cogitatu et odor bone fame quo specialiter redolere debet episcopus, nos compellant plenam obtinere de hac notitiam et scientiam manifestam, mandamus quatinus ad Ratisponensem civitatem et diocesim te personaliter conferens et hoc denuntians eidem episcopo, tu, super vitio ipso a testibus fidedignis earundem civitatis et diocesis ac aliis quos videris expedire et per quos id melius sciri possit, cujuslibet diffugii et appellationis impedimento cessante, veritatem diligenter inquiras. Si vero prefatus episcopus testes quos contra eum duxeris admittendos voluerit reprobare, tu illos, qui pro parte sua super reprobatione hujusmodi producti fuerint, infra duos menses computandos a tempore quo testes supradictos ibidem receperis, necnon alios quos pars ejusdem capitali super reprobatione testium ipsius episcopi infra duos alios menses illis immediate proximos producere voluerit, prudenter recipere ac diligenter examinare procures. Que autem inveneris super negotio memorato et dicta omnium testium productorum fideliter in scriptis redacta tu nobis personaliter studeas presentare. Testes autem qui etc. : usque perhibere. Ceterum, ne dicti sceleris veritatem, pretextu occasionum quibus digne obviare possumus, occultari contingat, volumus ut omnes illos qui tibi ad testificandum super eo necessairi

vel utiles videbuntur, si forsitan per episcopum ipsum a tempore quo pro parte dicti capituli fuit ab eo ad Sedem Apostolicam appellatum, excommunicati fuerint hactenus vel pendente negotio fuerint in futurum, ita propter hoc per te vel per alium nostra vice absolvas, quod de notoriis excessibus, pro quibus hujusmodi excommunicatione tenentur astricti, prius satisfaciant competenter et super dubiis de parendo juri prestent ydoneam cautionem. Dat. Viterbii, V kal. maii, anno quarto. »

2546 Latran, 21 décembre 1255.

Ad petitionem abbatissae et conventus S. Salvatoris de Passiniano, Camerinensis diocesis, inhibet ne quisquam in castro S. Severini vel ejus territorio, cujuscumque professionis vel ordinis, locum, domum aut monasterium construere, facere vel eligere aud aedificare praesumat. (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 119.)

« .., *abbatisse et conventui monasterii Sancti Salvatoris pauperum inclusarum de Passiniano prope castrum Sancti Severini, ordinis Sancti Damiani, Camerinensis diocesis.* Sincera quam ad —. Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno secundo. »

2547 Viterbe, 10 mai 1258.

Abbati et conventui S. Medardi Suessionensis indulget ut, occasione statuti Innocentii IV de jurisdictione ab ordinariis in exemptis exercenda, nullum eorum libertatibus et immunitatibus praejudicium generetur. (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 119.)

«.., *abbati et conventui monasterii Saneti Medardi Suessionensis, ordinis Sancti Benedicti.* Cum felicis recordationis Innocentius quartus, predecessor noster, olim duxerit statuendum ut exempti, quantacumque gaudeant libertate, nichilominus tamen ratione delicti seu contractus aut rei, de qua contra eos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri et illi quoad hec suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere, nosque postmodum statutum hujusmodi, de fratrum nostrorum consilio, decreverimus observandum, vos dubitantes ne per statutum ipsum libertatibus et immunitatibus vobis et monasterio vestro per privilegia et indulgentias a Sede Apostolica concessis prejudicari debeat, nobis humiliter supplicastis ut providere super hoc indempnitati vestre paterna sollicitudine curaremus. Quia vero ejusdem monasterii sacra religio sic vos apud nos dignos favore constituit, ut nobis votivum consistat vos ab omnibus per que vobis possent provenire dispendia, immunes libenti animo preservare, auctoritate vobis presentium indulgemus ut, occasione statuti hujusmodi, nullum eisdem libertatibus et immunitatibus in posterum prejudicium generetur. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, VI idus maii, anno quarto. »

2548 Viterbe, 11 mai 1258.

Abbati Ursicampi, Noviomensis diocesis, ne praedictos abbatem et conventum S. Medardi Suessionensis contra indulta privilegiorum Sedis apostolicae molestari permittat. (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 121.)

« .., *abbati monasterii Ursicampi, Cisterciensis ordinis, Novioniensis diocesis.* Sub religionis habitu —. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii.., abbas et conventus monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ordinis Sancti Benedicti, a nonnullis qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, super bonis suis multipliciter molestentur, nos volentes eorumdem abbatis et conventus providere quieti et molestatorum ipsorum malitiis obviare, mandamus quatinus predictis abbati et conventui, oportuni presidio favoris assistens, non permittas eos in personis vel bonis suis contra indulta privilegiorum Sedis Apostolice ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Dat. Viterbii, V idus maii, anno quarto. »

2549 Viterbe, 27 avril 1258.

Episcopo Meldensi mandat ut magistro Johanni de Stampis, canonico Meldensi, clerico magistri Adinulfi, capellani apostolici, canonici Parisiensis, in ecclesia Meldensi dimidiam tantum praebendam adepto, praebendam integrare studeat : « Non obstantibus aliquibus litteris super aliorum provisionibus a Sede Apostolica impetratis cujuscumque tenoris existant per quas non sit plenum jus alicui acquisitum. » (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 122.)

« .., *episcopo Meldensi.* Cum sicut accepimus —. Dat. Viterbii, V kal. maii, anno quarto. »

2550 Viterbe, 15 mai 1258.

Eidem episcopo faciendi recipi duos clericos in Meldensi ecclesia in canonicos et providendi eorum utrique de praebenda, facultatem concedit cum clausula speciali praedictum Johannem de Stampis necnon Johannem de Sarmineto, ipsius papae nepotem, tangente. (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 123.)

« *Eidem.* Personam tuam honorare volentes et per honorem tibi exhibitum etiam aliis providere, faciendi recipi duos clericos tibi obsequentes in Meldensi ecclesia, in qua prebendarum collatio ad te pertinere dinoscitur, in canonicos et in fratres, et providendi eorum utrique de prebenda prout expedire videris si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, necnon et con radictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus contraria ipsius ecclesie consuetudine, vel statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel alia firmitate vallatis, seu litteris apostolicis impetratis hactenus sub quacunque forma verborum, dummodo per eas non [sit] plenum jus alicui acquisitum vel etiam impetrandis, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, consuetudine vel statuto hujusmodi postmodum suo nichilominus robore duraturis, ita tamen quod dimidia prebenda quam dilectus filius magister Johannes de Stampis, canonicus Meldensis, in eodem ecclesia obtinet, sibi juxta mandati nostri tenorem super hoc tibi directi, priusquam provideatur ipsis duobus clericis, integretur. Volumus autem ut dilectus filius Johannes de Sarmineto, canonicus Parisiensis, nepos noster, super cujus receptione ac provisione in eadem ecclesia tibi scripta nostra dirigimus, in assecutione prebende prefatis magistro et clericis preferatur. Dat. Viterbii, idibus maii, anno quarto. »

2551 Viterbe, 15 mai 1258.

Guillelmo, dicto Pietoso, familiari suo, domanium Ecclesiae Romanae in castro Stimiliani, Sabinensis diocesis, quamdiu vixerit, ad instar Innocentii papae IV concedit, concessionemque ad filios ejus legitimos extendit. (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 124; Potthast 17274.)

« *Guillelmo dicto Pietoso, familiari nostro, quondam ostiario felicis recordationis I. pape, predecessoris nostri.* Sicut petitio tua —. Dat. Viterbii, idibus maii, anno quarto. »

2552 Viterbe, 29 avril 1258.

Abbati de Amelungesbrune, Hildesemensis diocesis, ad episcopi, decani et capituli ecclesiae Hildesemensis, onere debitorum et guerra per duodecim annos in partibus illis durante gravatae, petitionem mandat ut proventus praepositurae et thesaurariae S. Mauricii Hildesemensis tunc vacantium, per quinquennium recipiens, eos in solutionem praedictorum debitorum convertat. (Reg. 25, f. 136 v°, an. IV, c. 125.)

« .., *abbati monasterii de Amelongesbrune, Cisterciensis ordinis, Hildesemensis diocesis.* Cum ex injuncto —. Dat. Viterbii, III kal. maii, anno quarto. »

2553 Viterbe, 26 avril 1258.

Episcopo Argentinensi concedit ut Johannem clericum, nepotem suum, qui in Argentinensi ecclesia receptus erat in canonicum et in fratrem, et per constitutionem contra receptos ultra quaternarium numerum exclusus erat, ad jus ex receptione competens restituere possit et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, cohibere. (Reg. 25, f. 137, an. IV, c. 126.)

« .., *episcopo Argentinensi.* Ex tenore tue —. Dat. Viterbii, V kal. maii, anno quarto.

2554 Viterbe, 9 avril 1258.

Omnibus Christi fidelibus qui vere poenitentes et confessi ad ecclesiam S. Salvatoris in Monte, Cumanae diocesis, in singulis diebus dominicis mensis maii accesserint, quadraginta dies de injuncta poenitentia relaxat. (Reg. 25, f. 137, an. IV, c. 127.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perempnis gloria —. Dat. Viterbii, V idus aprilis, anno quarto. »

2555 Viterbe, 29 avril 1258.

Balduino de Atrebato, clerico, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 137, an. IV, c. 128.)

« *Balduino de Atrebato, clerico in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, III kal. maii, anno quarto. »

2556 Viterbe, 10 mai 1258.

Magistro Petro de Pomo, canonico S. Stephani in Brolio Mediolanensis, Parisius commoranti mandat ut archiepiscopum Senonensem ad quamdam pecuniae summam Angelo, filio quondam Jacobo Scarsi juvenis, civis Romani, restituendam compellat. (Reg. 25, f. 137 an. IV, c. 129.)

« *Magistro Petro de Pomo, canonico ecclesie Sancti Stephani in Brolio Mediolanensis, Parisius commoranti.* Significavit nobis dilectus filius Angelus, filius quondem Jacobi Scarsi juvenis, civis Romani, quod licet ipse bone memorie.., archipiscopo Senonensi renun-

tianti constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, quandam mutuavit pecunie quantitatem, certis sibi loco et termino persolvendam, prout in litteris inde confectis, ipsius archiepiscopi sigillo signatis plenius dicitur contineri, nondum tamen est eidem ipsa, quamquam terminus solutionis effluxerit, satisfactum; propter quod dampna gravia et expensas se asserit incurrisse. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, venerabilem fratrem nostrum.., archiepiscopum Senonensem prefati archiepiscopi successorem, ut de dicta quantitate pecunie cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, dicto A. vel procuratori suo ejus nomine satisfaciat ut tenetur, monitione premissa, auctoritate nostra appellatione remota, previa ratione compellas. Non obstante constitutione predicta seu si ei a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici, aut extra vel ultra certum locum ad judicium evocari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Si vero in dictum successorem excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias occasione hujusmodi duxeris promulgandas et idem eas per unum mensem animo sustinuerit indurato, extunc eum excommunicatum, suspensum vel interdictum ubi et quando expedire videris, sollempniter ac publice per te vel alium usque ad satisfactionem condignam studeas nuntiare, et tanquam excommunicatum facias ab omnibus artius evitari. Dat. Viterbii, VI idus maii, anno quarto. »

2557 Viterbe, 21 avril 1258.

Episcopo Tricaricensi mandat ut, inquisitione ad praepositi et capituli Ratisponensium contra Ratisponensem episcopum facta, utramque partem ad comparandum post duos menses coram ipso papa sententiam recepturam citet. (Reg. 25, f. 137 v°, an. IV, c. 130; Rodenberg, t. III, N° 478.)

«.., *episcopo Tricaricensi.* Cum ad clamosam —. Dat. Viterbii, XI kal. maii, anno quarto. »

2558 Viterbe, 17 mai 1258.

Abbati et conventui monasterii S. Petri Gandensis, ordinis S. Benedicti, Tornacensis diocesis, in regione frigida et maris vicinitate reumatica constitutis, indulget ut, propter hoc omnibus diebus dominicis et festivis, in divinis officiis in monasterio ipso pileis uti possint. (Reg. 25, f. 137, an. IV, c. 131; Potthast 17276.)

«.., *abbati et conventui monasterii Sancti Petri Gandensis, ordinis Sancti Benedicti, Tornacensis diocesis.* Ex parte vestra —. Dat. Viterbii, XVI kal. junii, anno quarto. »

2559 Viterbe, 13 avril 1258.

Petro dicto Bono, sacristae Sistaricensi, H., tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis capellano, ad episcopi et capituli Sistaricensium supplicationem, dispensat ut sacristiam Sistaricensem cum beneficiis curam animarum habentibus retinere possit. (Reg. 25, f. 137 v°, an. IV, c. 132.)

« *Petro dicto Bono, sacriste Sistaricensi.* Volentes tibi venerabilis —. Dat. Viterbii, idibus aprilis, anno quarto. »

2560 Viterbe, 21 mai 1258.

Praeposito ecclesiae de Crema mandat ut locum et beneficium a Bonapace, clerico ecclesiae S. Mariae de Ruman., Pergamensis diocesis, libere resignata, Leonardo, clerico, nato nobilis viri Plevani de Tertio ejusdem diocesis conferat. (Reg. 25, f. 137 v°, an. IV, c. 133.)

«.., *preposito ecclesie de Crema, Placentine diocesis.* De dilecto filio —. Non obstantibus si in ecclesia ipsa de mandato Sedis Apostolice seu legatorum ejus aliqui sint recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus quoad alia loca et beneficia ipsius ecclesie nolumus prejudicium generari, aut quod idem Leonardus patitur in etate defectum, sive aliqua indulgentia venerabili fratri nostro.., episcopo Pergamensi, aut aliquibus aliis sub quocumque tenore concessa per qua effectus hujusmodi gratie valeat impediri. Dat. Viterbii, XII kal. junii, anno quarto. »

2561 Viterbe, 23 mai 1258.

Abbatissam et conventum monasterii S. Mariae de Falesio, Massanae diocesis, sub sua protectione suscipit omnesque eorum possessiones et bona, jura ac privilegia confirmat. (Reg. 25, f. 137 v°, an. IV, c. 134; Potthast 17285.)

«.., *abbatisse monasterii Sancte Marie de Falesio ejusque sororibus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus etc. usque: enervet. Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancte Marie de Falesio, Massane diocesis, in quo divino estis obsequio man-

cipate, quod ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere dinoscitur, sub beati Petri et nostre protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus.

In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et Beati Benedicti regulam atque institutionem monialium inclusarum Sancti Damiani Asisinatis, et formulam vite vestre a felicis recordationis G. papa, predecessore nostro, ordini vestro traditam cum adhuc esset in minori officio constitutus, in monasterio vestro institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Preterea quascunque possessiones quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum largitione etc. usque: permaneant.

In quibus hec propriis duximus exprimendi vocabulis: locum ipsum ad quem monasterium Sancti Bartholomei de Falesio, ejusdem diocesis, de nostro speciali mandato nuper translatum est, cum omnibus pertinentiis suis; tertiam partem castri Plumbini cum omnibus pertinentiis suis, redditus quos habetis in porta et statera ejusdem castri; terras, possessiones, decimas frumenti et vini, stagnum, salinas Foce (?) et tertiam partem cujusdam insule in mari site que vocatur Cervulus, que habetis in territorio dicti castri; ecclesiam Sancti Laurentii castri prefati cum capella Sancti Antimi, dependente ab ipsa cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis suis; medietatem castri Campilie cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis suis; decimas frumenti et vini, ac domos que habetis ibidem; jus quod habetis in ecclesia Sancti Blasii castri ejusdem, terras, possessiones, annuos redditus denariorum et frumenti, ac molendina cum aquarum decursibus, et omnibus pertinentiis eorundem que in eodem castro et ejus territorio obtinetis; medietatem castri quod Cumulum appellatur, cum omnibus que ad medietatem ipsam spectare noscuntur; curtem de Bellare cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Antimi cum pertinentiis suis; campum de Silice ac campum de Scolta, necnon de Rivopalmeri et de Aquaviva et de Callopul. fundos; novem mansos quos habetis in loco qui dicitur Fesulanus cum pertinentiis eorundem; tertiam partem castri quod appellatur Gualdum cum omnibus que ad partem ipsam pertinere noscuntur; Sancti Martini juxta mare, Sancti Martini de Casalippi, Sancti Apolinaris de Mungano, Sancti Stephani de Poio, Sancti Justi de Castagneto, Sancti Michaelis de Montese, Sancti Christophori de Posello, Sancte Perpetue et de Valletetin. ecclesias cum omnibus pertinentiis earundem; decimas, terras, possessiones, redditus denariorum et frumenti que habetis in castro quod nominatur Vignale; decimas, terras et possessiones quas habetis in castro quod Sanctus Laurentius appellatur.

Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum a diocesano suscipietis episcopo siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem Apostolice Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Que omnia eidem monasterio Sancti Bartholomei, antequam monialium inclusarum Sancti Damiani Asisinati instituta susciperet, competebat.

Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum, post factam in monasterio vestro professionem, sit fas de eodum loco discedere, discedentem vero nullus audeat retinere. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesie vestre, sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis episcopus diocesanus vobis impendat, alioquin liceat (1) vobis hec nostra auctoritate recipere a quocunque malueritis catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolice obtinente. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit interim, omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum prejudicium generetur (2). (Quod si Sedes diocesani episcopi forte vacaverit interim, omnia ecclesiastica etc. usque: generetur). Quia vero interdum diocesani episcopi copiam non habetis, si quem episcopum Romane Sedis, ut diximus etc. usque: valeatis.

Cum autem generale interdictum terre etc. usque: interdicto. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbatissa etc. usque: eligendam. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel

1. Reg. : *leceat*.

2. Le mot *va - cat* écrit au-dessus de cette phrase, de *quod à generetur* indique dans le registre une erreur du copiste qui, on le voit, a transcrit une seconde fois cette même phrase sous forme abrégée.

personas regulares inibi Domino famulantes, suspensionis, excommunicationis et interdicti sententiam promulgaverint, ipsam, tamquam contra Apostolice Sedis indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque: exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio predicto concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica libertatis percepte libram unam cere nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum etc. usque: profuture, salva Sedis Apostolice auctoritate. Si qua igitur etc. usque: ultioni. Cunctis autem etc. usque: inveniant. Amen. Amen. Dat. Viterbii per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, X kal. junii, indictione prima, Incarnationis Dominice anno M.°CC°.LVIII°, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno quarto. »

2562 Viterbe, 9 mai 1258.

Episcopatum S. Myri archiepiscopatui Cretensi conjungit. (Reg. 25, f. 138, an. IV, c. 135.)

« .., *archiepiscopo Cretensi.* In eminenti apostolice —. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, redditus archiepiscopatus tui sint adeo tenues et exiles, quod triginta marcarum Sterlingorum valentiam annis singulis vix excedunt, tuque ac predecessores tui episcopatum Sancti Myri, confinem ipsi archiepiscopatui, tenueritis a tempore quo Cretensis insula extitit acquisita, sintque ipsorum archiepiscopatus et episcopatus propter confinitatem hujusmodi termini sic confusi quod discerni nequeant per testes vel alia documenta, nos, premissa et tenuitatem tuorum reddituum, de quibus comode substentari non potes, sollicite attendentes, dictum episcopatum tibi et per te, ipsi archiepiscopatui de consilio fratrum nostrorum concedimus, ipsos ad invicem uniendo auctoritate presentium, statuentes, ut idem episcopatus de cetero sub archiepiscopi Cretensis cura et regimine consistens, per eum debeat gubernari. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, VII idus maii, anno quarto. »

2563 Viterbe, 11 novembre 1257.

Praeposito, decano et capitulo Augustensibus recipiendi magistrum Henricum, canonicum Estatensem (?), in eorum ecclesia in canonicum et in fratrem, eique de praebenda aliqua providendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 138, an. IV, c. 136.)

« .., *preposito.., decano et capitulo Augustensibus.* Devotionis vestre precibus —. Dat. Viterbii, III idus novembris, anno tertio. »

2564 Viterbe, 4 mai 1258.

Episcopo Palentino mandat ut ad provisionem Petri Guterii, canonici Ovetensis, cui archidiaconatum de Malyaco dimittere oportuerat, secundum litteras I. papae procedat. (Reg. 25, f. 138 v°, an. IV, c. 137.)

« .., *episcopo Palentino.* Sua nobis Petrus —. Dat. Viterbii, IIII nonas maii, anno quarto. »

2565 Viterbe, 6 mai 1258.

Heliae de Cogotiaco indulget ut, praeter ecclesiam de Syey, Xanctonensis diocesis, quam obtinet, curam animarum habentem, unicum aliud ecclesiasticum beneficium, sive dignitas vel personatus existat, etiam similem curam habens, recipere possit. (Reg. 25, f. 138 v°, an. IV, c. 138.)

« *Helie de Cogotiaco, rectori ecclesie de Syey, Xanctonensis diocesis.* Cum de litterarum —. Dat. Viterbii, II nonas maii, anno quarto. »

2566 Viterbe, 30 avril 1258.

Episcopo Saresbiriensi archidiaconatum Dorseciae in ecclesia Saresbyriensi magistro Simoni de Bridiportu, canonico, alioquin cuicumque alii conferendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 138 v°, an. IV, c. 139.)

« .., *episcopo Saresbyriensi.* Fraternitati tue volentes gratiam facere specialem, tibi tuisque successoribus ut archidiaconatum Dorsecie in ecclesia Saresbiriensi, ad tuam, ut dicitur, collationem spectantem, quem dilectus filius magister Jordanus, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarius et notarius, auctoritate Apostolice Sedis obtinet, postquam idem magister Jordanus prebendam in eadem Saresbyriensi ecclesia fuerit assecutus, de cujus proventibus secundum communem extimationem patrie perveniant ad eundem magistrum Jordanum, centum et quinquaginta marcos bonorum novorum et legalium Sterlingorum aut amplius annuatim, ita

quod preter portiones vicariorum et ministrorum qui esse consueverunt, et preter omnia jura et onera episcopalia, archiepiscopalia, archidiaconalia et ad decanum spectantia, et alia universa debita et consueta hujusmodi, centum et quinquaginta marcos integras et absque diminutione ac absque omni onere idem magister Jordanus habeat et percipiat de eadem, et ipsius prebende possessionem plene libere ac pacifice habuerit ac ejus fructus, redditus et proventus integraliter et pacifice absque omni lite, controversia, et molestia percipiet de eadem, quam utique prebendam tu dictique successores ei vel procuratori suo ejus nomine conferre, ac ipsum vel procuratorem ejus ipsius nomine ad eam admittere teneamini, et idem recipere taliter teneatur, dilecto filio magistro Simoni de Bridiportu, canonico Saresbiriensi, si ipse tunc eundem archidiaconatum recipere voluerit, alioquin cuicunque alii persone idonee conferre libere valeatis, plenam auctoritate presentium de consensu et voluntate ipsius magistri Jordani concedimus facultatem. Non obstante si aliqui super provisione sua in regno Anglie generaliter vel in ipsa ecclesia specialiter Apostolice Sedis vel legatorum ipsius sub quacunque forma litteras impetrarunt, quibus quoad assecutionem aliorum personatuum vel dignitatum nullum volumus prejudicium generari. Nos enim ex nunc irritum et inane decernimus si secus de predictis prebenda vel archidiaconatu apostolica vel quavis alia auctoritate per quemcunque contigerit attemptari. Dat. Viterbii, II kal. maii, anno quarto. »

2567 Viterbe, 7 mai 1258.

Episcopo Cremonensi absolvendi clericos et laicos ejus diocesis ab excommunicationis sententia quam adhaerendo Frederico imperatori et fautoribus suis incurrerant, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 138 v°, an. IV, c.140.)

«.., *episcopo Cremonensi*. Cum sicut, te intimante, accepimus, nonnulli clerici et laici tue civitatis et diocesis absolvi cupiant ab excommunicationis sententia quam olim incurrerunt, licet inviti, coacti videlicet per vim et metum qui cadere poterant in constantem adherendo, participando et favendo quondam Frederico, dudum imperatori Romanorum, Uberto Pelavicino et fautoribus eorumdem, nos tuis supplicationibus inclinati, absolvendi eos ab hujusmodi excommunicationis sententia, juxta formam Ecclesie, ac dispensandi cum eisdem clericis super irregularitate quam sic legati celebrando excommunicatis, non tamen in contemptum clavium contraxerunt, recepta prius ab eis sufficienti et ydonea cautione quod de cetero similia non presument, fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. Viterbii, nonis maii, anno quarto. »

2568 Viterbe, 30 mai 1258.

Episcopo Brixiensi mandat ut Bamboldo canonico, qui dudum in ecclesia Brixiensi, auctoritate litterarum O., S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, tunc in illis partibus Apostolicae Sedis legati, ad sacerdotalem praebendam receptus fuerat in canonicum et in fratrem, et cujus receptio a constitutione apostolica cassata in pristinum statum suscitata fuerat, de sacerdotali praebenda vacante provideat. (Reg. 25, f. 139, an. IV, c. 141.)

« .., *episcopo Brixiensi*. Sicut dilectus filius —. Dat. Viterbii, III kal. junii, anno quarto. »

2569 Viterbe, 29 mai 1258.

Raynerio Ghiberti, Florentinae diocesis, indulget ut, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum annexam habentia quae obtinet, unicum aliud beneficium, etiam similem curam habens, recipere possit. (Reg. 25, f. 139, an. IV, c. 142.)

« *Raynerio Ghiberti, plebano ecclesie Sancti Johannis in..., Florentine diocesis, capellano nostro, germano dilecti filii Jacobi Ghiberti, civis et mercatoris Florentini, familiaris nostri*. Volentes tibi gratiam —. Dat. Viterbii, IIII kal. junii, anno quarto. »

2570 Viterbe, 30 mai 1258.

Episcopo Zagabriensi facultatem construendi ecclesiam Zagabriensem, quae in loco minus apto constructa minatur ruinam, in loco magis ydoneo et accomodo concedit. (Reg. 25, f. 139, an. IV, c. 143, Potthast 17289, sub die IV kal. junii.)

« .., *episcopo Zagabriensi*. Ex tue devotionis —. Dat. Viterbii, III kal. junii, anno quarto. »

2571 Viterbe, 20 mai 1258.

Johanni de Brienone, clerico Senonensis diocesis, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 139, an. IV, c. 144.)

« *Johanni de Brienone, clerico Senonensis diocesis*. Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, XIII kal. junii, anno quarto. »

2572 Viterbe, 28 juin 1258.

Ordinationem factam ab Hugone, S. Sabinae presbytero cardinali, in quaestione inter priorem ecclesiae de Placentia, Pictavensis diocesis, ex una parte, et Johannem, archidiaconum Thoarcensem, ex altera, ratione cujusdam pensionis vertente, confirmat, ejusdem ordinationis tenorem praesentibus inscrens. (Reg. 25, f. 139, an. IV, c. 145.)

«.., *priori ecclesie de Placentia, ordinis Sancti Augustini, Pictavensis diocesis.* Ea que judicio etc. usque: communiri. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod inter te ac dilectum filium magistrum Johannem, archidiaconum Thoarcensem in ecclesia Pictavensi, capellanum dilecti filii nostri H., tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis, super quadam annua pensione quam idem archidiaconus in tua obtinebat ecclesia, orta materia questionis, tandem idem cardinalis cujus ordinationi tu et ipse archidiaconus, super hoc, juramento prestito, vos totaliter submittere, et in quem compromittere curavistis, a nobis licentia et speciali mandato viva voce receptis, inter vos componendi, ordinandi et precipiendi, secundum sue discretionis arbitrium, de utriusque vestrum consensu ordinavit et precepit ut tu et ecclesia eadem a prestatione pensionis predicte sitis de cetero liberi et immunes, quodque prefatus archidiaconus de proventibus ipsius ecclesie certis percipiat terminis quandam pecunie quantitatem, prout in istrumento publico confecto exinde ac ipsorum cardinalis et archidiaconi ac tuo signato sigillo plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est ratum habentes et firmum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus.

Tenorem instrumenti ejusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes qui talis est. :

Viterbe, 20 mai 1258.

« Nos frater Hugo, miseratione divina tituli Sancte « Sabine presbiter cardinalis, notum facimus uni« versis presentes litteras inspecturis quod, orta nuper « in dilectos in Christo priorem ecclesie de Placentia, « ordinis Sancti Augustini, Pictavensis diocesis, et « magistrum Johannem, archidiaconum Thoarcensem, « capellanum nostrum, super annua pensione viginti « liberarum Turonensium, quam idem archidiaconus « in eadem ecclesia obtinebat, materia questionis, « tandem partes ipse super questione ipsa et eam contin« gentibus ordinationi nostre se totaliter supponentes, « in nos, alto et basso tenore presentium juramento « prestito, compromittere curaverunt. Nos autem, « a domino nostro summo pontifice recepta licentia « et speciali mandato oretenus nobis facto componendi, « ordinandi et precipiendi inter jamdictas partes se« cundum nostre libitum voluntatis, de consensu par« tium earundem ordinamus et precipimus ut dictus « prior et ecclesia sua a pensione predicta de cetero « sint liberi et immunes, et quod dictus archidiaconus « habeat et percipiat de proventibus ipsius ecclesie de « Placentia sexaginta libras bonorum et legalium Turo« nensium, semel solvendas ab eodem priore seu alio « qui pro tempore fuerit in eadem dicto archidiacono « vel ejus procuratori, in terminis infrascriptis videlicet: « decem libras Viterbii in presenti, ac apud Placentiam « vigintiquinque libras ejusdem monete in Natali Do« mini, et alias vigintiquinque in octavis Resurrec« tionis Dominice proximo venturis, sub debito pres« titi juramenti et sub pena suspensionis quam eundem « priorem, si negligens vel in mora solutionis hujusmodi « faciende fuerit, incurrere volumus ipso facto, nisi « per eundem archidiaconum vel procuratorem suum « solutionis ejusdem termini fuerint prorogati. Hanc « autem ordinationem nostram partes predicte unani« miter acceptantes, omnia et singula et in ipsa contenta « promiserunt sub prestito juramento se fideliter et « firmiter servaturos. In cujus vei testimonium et me« morie future cautelam, presentes litteras scribi et « publicari fecimus per magistrum Stephanum dictum « de Pire, clericum Bisuntinum, notarium nostrum, ac « nostri et predictarum partium sigillorum munimine « roborari. Acta sunt hec Viterbii apud fratres Pre« dicatores in hospitio nostro, anno domini M°CC.°LVIII, « indictione prima, XII die exeunte mense maii; tem« pore domini Alexandri pape IIII, pontificatus ejus« dem anno quarto, presente me subcripto notario et « testibus infrascriptis, videlicet : magistro Nicolao « Beraudi, canonico Dauracensi, Lemovicensis diocesis; « magistro Raymundo de Vileta, rectore ecclesie de « Rivo Martini, Xantonensis diocesis; Thadeo, Odone, « scriptoribus Penitentiarie domini pape, et pluribus « aliis.

« Et ego Stephanus predictus auctoritate apostolica « publicus notarius qui predictis omnibus interfui, « predicta de mandato dicti domini cardinalis scripsi « et in publicam formam redegi ac meo signo signavi.

« Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, « IIII, kal. junii, anno quarto. »

2573 Viterbe, 2 juin 1258.

Guillelmo, rectori ecclesiae de Wandorio, Pictavensis diocesis, indulget ut archipresbyteratum et capiceriatum ecclesiae B. Mariae de Mirabello, cum ecclesia de Wandorio retinere possit. (Reg. 25, f. 139 v°, an. IV, c. 146.)

«*Guillelmo, rectori ecclesie de Wandorio, Pictavensis diocesis.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod bone memorie.., episcopus Pictavensis, tenuitatem reddituum archipresbiteratus et capiceriatus ecclesie Beate Marie de Mirabello, quorum unus alteri est annexus, diligenter attendens, eos ecclesie tue de Wandero (*sic*) tam apostolica quam auctoritate ordinaria duxit perpetuo annectendos, tibique jam dictos archipresbiteratum et capiceriatum contulit, a te una cum eadem ecclesia de Wandorio retinendos, prout in litteris ipsius episcopi confectis exinde suoque sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut eosdem archipresbiteratum et capiceriatum et ecclesiam de Wandorio, premissis veris existentibus, valeas insimul licite retinere, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, IIII nonas junii, anno quarto. »

2574 Viterbe, 6 juin 1258.

Ecclesiam S. Georgii de Surrento «ad Hortum ad Cavam», quam Petrus Filangerius, capellanus suus, rector ejusdem ecclesiae perpetuo eis concesserat, sororibus ordinis S. Damiani in Surrenti civitate morantibus de novo donat in perpetuum. (Reg. 25, f. 139 v°, an. IV, c. 147.)

« *Philippe, abbatisse et sororibus ejus, morantibus in civitate Surrenti, ordinis Sancti Damiani.* Ex serie vestre —. Dat. Viterbii, VIII idus junii, anno quarto. »

2575 Viterbe, 10 juin 1258.

Bellindotem, canonicum Florentinum, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 139 v°, an. IV, c. 148.)

« *Clarissimo Bellindoti, canonico Florentino.* Meritis tue probitatis —. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno quarto. »

2576 Viterbe, 3 mai 1258.

Thome de Combornio, rectori ecclesiae de Asiano, Pictavensis diocesis, abbatis Majoris Monasterii Turonensis camerario, indulget ut, ipsius abbatis obsequiis insistendo tamquam suus domesticus commensalis, possit usque ad quinquennium in ecclesia sua de Asiano per idoneum vicarium deservire, et interim ipsius ecclesiae percipere cum integritate proventus necnon ad faciendum in ea personalem residentiam et ad suscipiendum interim superiores ordines a quoquam nequeat coerceri. (Reg. 25, f. 139 v°, an. IV, c. 149.)

« *Thome de Combornio, rectori ecclesie de Asiano, Pictavensis diocesis.* Meritis tue devotionis —. Dat. Viterbii, V nonas maii, anno quarto. »

2577 Viterbe, 10 juin 1258.

Hugoni Lemoyne dispensat ut praeter de Tyring et de Hallingebire ecclesias, Lincolniensis et Londoniensis diocesium, curam animarum habentes, quas ad praesens sine dispensatione apostolica obtinet, possit adhuc unicum aliud ecclesiasticum beneficium etiam similem curam habens, recipere. (Reg. 25, f. 140, an. IV, c. 150.)

« *Hugoni Lemoyne, rectori ecclesie de Tyring , Lincolniensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno quarto. »

2578 Viterbe, 10 juin 1258.

Roberto de Novo Mercato, rectori ecclesiae de Arkeleia, Eboracensis diocesis, dispensat ut praeter duo ecclesiastica beneficia quae ad praesens ex dispensatione apostolica obtinet, duo alia ecclesiastica beneficia curam animarum habentia, etiam si dignitates vel personatus existant, recipere possit. (Reg. 25, f. 140, an. IV, c. 151.)

« *Roberto de Novo Mercato, rectori ecclesie de Arkeleia, Eboracensis diocesis.* Volentes tibi etc. —. Dat. ut in alia. »

2579 Viterbe, 6 novembre 1257.

Submissionem monasterii S. Mariae insulae Usticae in Mari, Panormitanae diocesis, monasterio Casemarii, Verulanae diocesis, confirmat, prioris et fratrum dicti Sanctae Mariae de Ustica litterarum tenorem praesentibus inserens. (Reg. 25, f. 140, an. IV, c. 152.)

« .., *abbati et conventui monasterii Casemarii, Cisterciensis ordinis, Verulane diocesis.* Cum a nobis petitur etc. usque: ad effectum. Sane presentata nobis ex parte vestra petitio continebat quod dilecti filii.., prior et fratres Sancte Marie Insule Ustice in Mari, Panormitane diocesis, qui nullius ordinis observantie astricti fuerant, cupientes sub observantia vestri ordinis perpetuo Domino famulari, se et dictum locum cum omnibus juribus et pertinentiis eorundem vobis et monas-

terio vestro libere ac concorditer submiserunt, se juramenti vinculo astrigentes quod hoc perpetuis futuris temporibus observarent, prout in patentibus litteris inde confectis plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem priore et fratribus provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est[1]:

17 avril 1257

« In nomine Domini amen. Hoc est exemptum quarundam litterarum prioris et fratrum Sancte Marie « de Ustica, Panormitane diocesis.

Ustica, 9 janvier 1257

« In nomine Domini Amen. Anno incarnationis ejus « M°CC°LVII°, nono die januarii, XV indictione, nos « frater Thomasius prior; Mauritius, Petrus Ranaldus, « Robertus et Ventura, monachi; Johannes Carusii, « Johannes de Lavangno, Martinus, Albertus, Balduinus, Nicolaus, Lombardus, Johannes Grecus, « Symon Paganus, Jacobus, Nicolaus Messanensis, « Oggerus, Matheus et Blasius, conversi Sancte Marie « de insula Ustice, Panormitane diocesis, presenti « scripto fatemur et notum fieri omnibus volumus tam « presentibus quam futuris quod, attendentes monasterium nostrum in spiritualibus et temporalibus esse « collapsum et deteriorari cotidie, cupientes et sperantes illud per Cisterciensem ordinem, Deo propitio, « in melius reformari, divina inspiratione preventi, « et habitis super hoc de communi spontanea voluntate omnium nostrum tractatu et deliberatione plenaria, nulla vi, dolo vel metu intervenientibus, donamus, subicimus et unimus nos et posteros nostros « ac dictum monasterium nostrum Sancte Marie de « Ustica cum ecclesia nostra Sancte Marie de Capo « Grosso, et omnibus aliis locis monasterio predicto « subjectis, et cum omnibus juribus, dignitatibus et « quibuslibet rebus ad idem monasterium quolibet modo « spectantibus, venerabili monasterio Casemarii, Verulane diocesis, et de predictis donatione, supposisitione, subjectione et unione per pannos quibus « altare nostrum cooperiebatur corporalem investituram, traditionem et assignationem facimus « dompno Petro, monacho ejusdem monasterii « Casemarii, nomine et pro parte monasterii supradicti. Ad hec autem firmiter observanda juramus omnes et singuli coram altare et reliquiis « Sanctorum que erant ibi, et damus osculum pacis « monacho supradicto nomine juramenti quod regulam « Cisterciensis ordinis et predictas donationem, suppositionem, unionem, subjectionem, investituram, traditionem et assignationem servabimus et in nullo « contra ea vel eorum aliquod aliquo jure seu tempore « veniemus, jure, siquod in monasterio nostro vel aliis « locis ad eum pertinentibus prelatis competit, reservato.

« Insuper etiam omnes unanimiter ordinamus et « constituimus procuratores nostros et monasterii « nostri carissimos fratres nostros Venturam, monachum, « et Paganum, conversum, ad eundum personaliter « ad predictum monasterium Casemarii, ut de predictis « donatione, suppositione, subjectione et unione monasterii nostri predicti et omnium rerum ad ipsum « spectantium pro parte omnium nostrum, reverendo « patri et domino.., venerabili abbati Casemarii, « investituram, traditionem et assignationem nostro « nomine et pro parte nostra, iterum faciant, ut prenominatus dominus abbas et successores ejus in perpetuum disponant et ordinent de monasterio nostro « prefato Sancte Marie de insula Ustice, et omnibus « locis et rebus ad illud spectantibus, sicut fit modo de « monasterio Sancti Dominici de Sora. Damus autem dictis « procuratoribus auctoritatem et speciale mandatum ut, si « de beneplacito et mandato prenominati domini abbatis « Casemarii fuerit, simul vel sigillatim, ut melius et « oportunius poterunt, agant in sacrosancta Romana « curia quicquid veri et legitimi procuratores agere « possunt et debent. Ad hec, si necesse fuerit, alios « etiam procuratores sibi substituant, ut dominus « papa predicta omnia confirmare dignetur, promittentes nos ratum habituros et firmum quicquid « dicti procuratores vel substituti ab eis de premissis « omnibus duxerint faciendum.

« Volumus autem et petimus ut, si domino abbati « Casemarii expedire videbitur, quod in predicto monasterio Ustice recipiantur et habeantur novitii, « ut monasterium ipsum nullo tempore personarum « indigentiam patiatur. Item petimus ut fratribus qui « sunt modo in ipso monasterio remanere dum vixerint permittatur, et quod tribuantur vite necessaria, « sicut eis promissum est, mulieribus oblatis monasterii antedicti. Supplicamus autem sanctissimo patri « domino pape Alexandro ut hanc piam subjectionem, « traditionem, donationem et unionem dignetur miseri-

1. On lit en marge du registre « *require infra hanc eandem cum clausula : supplentes, in capitulo* CCXXIIII. » En effet, sous le cap. indiqué, on trouve le même acte avec la clause indiquée (n° 2667)

« corditer confirmare; item sancto (*sic*) generali capitulo « Cisterciensis ordinis, ut predicta omnia ratificet et « acceptet.

« Acta sunt hec in monasterio nostro, anno, mense, die « et indictione pretitulatis. Ad quorum omnium cer- « titudinem comprobandam et perpetuam firmitatem, « presens scriptum fieri et appensione sigilli nostri « quosupra, prioris Thomasii, fecimus roborari.

« Ego frater Thomasius, prior, subscribo et confirmo. « Ego frater Maritius (*sic*) subscribo et confirmo. Ego « frater Petrus subscribo et confirmo. Ego frater Rai- « naldus subscribo et confirmo. Ego frater Robertus « subscribo et confirmo. Ego frater Ventura subscribo « et confirmo. Ad litteras istas adscultandas (1), le- « gendas et audiendas, hii testes rogati fuerunt : domini « Jacob Bonumtempus, Johannes Melor, canonici « Sancti Andrea de Ver[ulis], Andreas et Fac (2), scri- « niarii publici.

« Et ego Salagrinus, imperialis aule judex et scri- « niarius, sicut inveni in litteris predictis prioris et « conventus Sancte Marie de Ustica, eorum sigillo « munitis, sic de verbo ad verbum, nil addens vel mi- « nuens preter litteram forte vel sillabam quod intel- « lectum mutaret, fideliter scripsi et mei nominis sig- « num feci. Anno domini M.CC°.LVII°, indictione « XV, mense aprelis, die XVII, pontificatus domini « Alexandri pape IIII anno tertio. »

« Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, « VIII idus novembris, anno tertio. »

2580 Viterbe, 9 mai 1258.

Guillelmo, abbati monasterii Aquicentensis, Atrebatensis diocesis, successoribusque suis benedicendi altare, conferendi minores ordines etc. facultatem tam in monasterio suo quam extra concedit. (Reg. 25, f. 140 v°, an. IV, c. 153.)

Guillelmo, abbati monasterii Aquicentensis, ordinis Sancte Benedicti, Atrebatensis diocesis. Ad ecclesiastici decoris augmentum reperta sunt insignia dignitatum que Sedis Apostolica congrua in singulos benignitate distribuit, et devotis filiis, prout dignum judicat, obtinenda concedit. Cum itaque, sicut accepimus, usus mitre ac annuli tibi et successoribus tuis a Sede predicta de speciali gratia sit concessus nec : non et benedicendi altaris et sacerdotis ornamenta, et conferendi monachis tuis minores ordines, ac etiam utendi in missarum sollempniis tunica, dalmatica, cirothecis et sandaliis, necnon et dandi benedictionem sollempnem in monasterio tuo dumtaxat in hujusmodi sollempniis, ac matutinalibus et vespertinis officiis, dummodo diocesanus episcopus presens tunc temporis in ipso monasterio non existat, sit nichilominus concessa facultas, nos hujusmodi gratiam, obtentu dilecti filii nostri P., Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, nobis super hoc supplicantis, adhuc ampliare volentes, ut premissis omnibus, tam in ipso monasterio quam extra, in locis in quibus tibi ex indulto predicte Sedis usus mitre et anuli est concessus, tu ac successores tui, juxta predictum modum, uti libere valeatis tibi et eisdem successoribus auctoritate presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, VII idus maii, anno quarto.

1. Reg. : *adscultando*.
2. *Sic*. De même dans le cap. 224 (n° 2667). Peut-être faut-il lire *Jac[obus]* .

2581 Viterbe, 9 mai 1258.

Abbati et conventui praedicti monasterii Aquicintensis, indulget ut ad provisionem alicujus in pensionibus seu personatibus vel beneficiis ecclesiasticis minime teneantur, et quod de beneficiis vel personatibus ad collationem eorum spectantibus, seu grangiis aut domibus eorum nulli valeat provideri per litteras Sedis Apostolicae vel legatorum ipsius impetratas, per quas non sit jus alicui acquisitum, vel etiam impetrandas, nisi Sedis ejusdem litterae impetrandae de indulto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem. (Reg. 25, f. 140 v°, an. IV, c. 154.)

«.., *abbati et conventui monasterii Aquicintensis, ordinis Sancti Benedicti, Atrebatensis diocesis.* Inducunt nos vestre —. Dat. ut in alia. »

2582 Viterbe, 3 mai 1258.

Eisdem indulget ut curtes et grangias eorum locare seu dare ad firmam possint, praesentibus post decennium minime valituris. (Reg. 25, f. 141, an. IV, c. 155.)

« .., *abbati et conventui monasterii Aquicintensis, ordinis Sancti Benedicti, Atrebatensis diocesis.* Devotionis vestre precibus inclinati, ut curtes et grangias vestras cum bonis earundem locare seu dare ad firmam aliis, sive clerici fuerint sive laïci, cum quibus vestri monasterii conditionem possitis facere meliorem, sub ea libertate ac immunitate qua possidetis easdem, valeatis, vobis auctoritate presentium indulgemus ; ita tamen quod hujusmodi locatio seu firma ad feudum vel alienationem nullatenus extendatur ; presentibus post decennium minime valituris. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, V nonas maii, anno quarto. »

2583 Viterbe, 13 mai 1258.

Praeposito Ambianensi, loco conservatorum monasterii Aquicintensis subrogato, mandat ut ad hujus monasterii conservationem procedat. (Reg. 25, f. 141, an. IV, c. 156.)

« .., *preposito Ambianensi.* Sicut dilecti filii.., abbas et conventus monasterii Aquicintensis, ordinis Sancti Benedicti, Atrebatensis diocesis, nobis exponere curaverunt.., Sancti Auberti et,.., Sancti Sepulcri monaseriorum abbates, ac.., prior Sancti Auberti Cameracensis sunt eis contra raptorum, predonum et malefectorum (*sic*) audatiam ac etiam super privilegiis eisdem ab Apostolica Sede concessis conservatores a Sede deputata (*sic*) predicta, verum quia iidem abbas et conventus Aquicintenses, prout asserunt, conservatorum ipsorum copiam interdum habere non possunt, nobis humiliter supplicarunt ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque te loco dictorum conservatorum in hujusmodi conservationis negotio subrogantes, mandamus quatinus predictis abbati et conventui, oportuni presidio favoris assistens, ad conservationem ipsorum procedas juxta directarum ad abbates et priorem predictos ipsius Sedis continentiam litterarum. Dat Viterbii, III idus maii, anno quarto.

2584 Viterbe, 18 avril 1258.

Causam inter Hugonem et Bertrandum super nominatione abbatis monasterii Issiodorensis vertentem episcopo Aniciensi audiendam committit. (Reg. 25, f. 141, an. IV, c. 157.)

« .., *episcopo Aniciensi.* Dilectus filius Hugo, abbas monasterii Issiodorensis, ordinis Sancti Benedicti, nobis significare curavit quod cum venerabilis frater noster.., Claromontensis episcopus, loci diocesanus, Bertrandum, quondam abbatem dicti monasterii, suis culpiis exgentibus, ab ipsius regimine sententialiter amovisset, priore et conventu ipsius monasterii non curantibus sibi providere de abbate infra tempus a canonibus diffinitum, licet pluries ad hoc per eundem episcopum moniti fuerint et diligenter inducti, dictus episcopus eundem Hugonem, prout spectabat ad eum, prefecit in abbatem monasterii memorati. Cum autem, occasione premissorum, ab eisdem episcopo Hugone et Bertrando diverse littere ad diversos judices a Sede Apostolica, sicut accepimus, sint obtente et non speretur quod causa hujusmodi possit tum propter diversitatem litterarum ipsarum et processus varios habitos per easdem, tum propter potentiam ipsius Bertrandi in illis partibus terminari, mandamus quatinus faciens tibi predictas litteras et processus per eos habitos exhiberi, detentores ad exhibitionem ipsorum, monitis premissis, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compellendo, vocatis qui fuerint evocandi, audias causam et eam infra quinque mensium spatium judicio vel, si de ipsorum voluntate processerit, concordia terminare procures, faciens quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Testes etc. usque : perhibere.

Allioquin extunc ipsam instructam vel non instructam ad Apostolice Sedis remittas examen, prefixo partibus termino unius mensis et dimidii, dictos quinque menses immediate sequentis, quo per se vel procuratores ydoneos cum omnibus actis et munimentis causam hujusmodi contingentibus peremptorie compareant coram nobis, facture ac recepture super hoc quod dictaverit ordo juris. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. Viterbii, XIIII kal. maii, anno quarto. »

2585 Viterbe, 18 mai 1258.

Wolfardo, presbytero, qui de soluto et de soluta genitus, natalium defectum litterarum scientia et honestis moribus redemerat indulget ut defectus ille ei quoad dignitatem episcopalem et spiritualia omnia non obsit. (Reg. 25, f. 141, an. IV, c. 158.)

« *Wolfardo, presbitero, fratri Hospitalis Sancte Marie Theutonicorum.* Insertus olive plerumque —. Dat. Viterbii, XV kal. junii, anno quarto. »

2586 Viterbe, 12 juin 1258.

Primicerio ecclesiae S. Mariae de Venetiis mandat ut capitulum ecclesiae Paduanae, quod decimam de tredecim mansis terrae Paduanae a priore et conventu monasterii S. Mariae de Virginibus de Venetiis, ordinis S. Marci Mantuani, emptionis titulo acquisitis, contra tenorem indulgentiae Sedis Apostolicae per violentiam exigit, ad desistendum ab exactione illa et molestatione qualibet compellat, omnes litteras super hoc a Sede eadem impetratas et processus per eas habitos cassans et irritans. (Reg. 25, f. 141, an. IV, c. 159.)

« .., *primicerio ecclesie Sancti Marci de Venetiis.* Sua nobis dilecti —. Dat. Viterbii, II idus junii, anno quarto. »

2587 Viterbe, 5 juin 1258.

Johanni de Andevera indulget ut, praeter de Woggewelle et de Chale ecclesias, Exoniensis et Wintoniensis diocesium, curam animarum habentes, unicum aliud

beneficium, etiam si personatus sit vel dignitas et similis cura ei immeneat, et si aliquam ex praedictis ecclesiis se resignare contigerit, aliud beneficium cum simili cura recipere valeat. (Reg. 25, f. 141 v°, an. IV, c. 160.[a])

« *Johanni de Andevera, rectori ecclesie de Waggewelle, Exoniensis diocesis.* Volentes tibi facere —. Dat. Viterbii, nonis junii, anno quarto. »

2588 Viterbe, 10 juin 1258.

Priori S. Nicolai Exoniensis mandat ut a praefato Johanne de Andevera libera ecclesiae de Woggewelle, Exoniensis diocesis, quam cum ecclesia de Chale etiam curam animarum habente absque dispensatione Sedis Apostolicae retinuerat, resignatione recepta, satisfacto eidem ecclesiae de fructibus medio tempore perceptis, et poenitentia salutari imposita, eidem Johanni dictam ecclesiam de Woggewelle sic resignatam assignet. (Reg. 25, f. 142 v°, an. IV, c. 160.[b])

« ... *priori Sancti Nicolai Exoniensis.* Ex parte dilecti —. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno quarto. »

2589 Viterbe, 13 juin 1258.

Dicto Johanni de Andevera dispensat ut, postquam ecclesia de Woggewelle ei fuerit juxta praecedentium litterarum tenorem per priorem S. Nicolai Exoniensis collata, eam et praefatam ecclesiam de Chale, insimul retinere, ac praeter ipsas unicum aliud beneficium, etiam si dignitas vel personatus existat et curam animarum habeat, recipere possit. (Reg. 25, f. 141 v°, an. IV, c. 160[c].)

Johanni de Andevera, rectori ecclesie de Chale, Wintoniensis diocesis. Etsi propter ambitiones —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno quarto. »

2590 Viterbe, 12 juin 1258.

Episcopo Constantiensi mandat ut ecclesiam de Collinchon, diocesis Constantiensis, libere a Bernerio rectore ejusdem ecclesiae resignatam, Waltero, rectori scolarum in Augia Majori, ejusdem diocesis, recepto in ecclesiae de Convingensi in canonicum et in fratrem, conferat. (Reg. 25, f. 141 v°, an. IV, c. 161 ; Bernouilli, n° 675.)

« ..., *episcopo Constantiensi.* Ex parte dilecti. — Dat. Viterbii, II idus junii, anno quarto. »

2591 Viterbe, 29 mai 1258.

Raynerio Ghiberti, canonico Florentino, indulget ut, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum annexam habentia quae obtinet, unicum aliud beneficium, etiam similem curam habens, recipere possit, defectu in ordinibus et aetate nequaquam obstante. (Reg. 25, f. 142, an. IV, c. 162.)

« *Raynerio Ghiberti, canonico Florentino, capellano nostro.* Ex parte dilecti —. Dat. Viterbii, III kal. junii, anno quarto. »

2592 Viterbe, 5 juin 1258.

Edwardo de Porcestria indulget ut, praeter de Midelton Albemare et de Staunton, ecclesias, Exoniensis et Wellensis diocesium, curam animarum habentes, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si sit personatus vel dignitas et similis cura ei immineat et si aliquam ex praedictis ecclesiis eum resignare contigerit, aliud beneficium cum simili cura recipere valeat. (Reg. 25, f. 141, an. IV, c. 163[a].)

« *Edwardo de Porcestria, rectori ecclesie de Middelton Albemare, Exoniensis diocesis.* Volentes tibi etc. —. Dat. Viterbii, nonis junii, anno quarto. »

2593 Viterbe, 10 juin 1258.

Priori Christi ecclesiae de Twenham, Wintoniensis diocesis, mandat ut a praedicto Edwardo de Porcestria, rectore, libera ecclesiae de Midelton Albemare, Exoniensis diocesis, quam cum ecclesia de Staunton., etiam curam animarum habente, absque dispensatione Sedis Apostolicae retinuerat, resignatione recepta, satisfacto eidem ecclesiae de fructibus medio tempore perceptis et poenitentia salutari imposita, eidem Edwardo dictam ecclesiam de Midelton Albemare libere resignatam assignet. (Reg. 25, f. 142, an. IV, c. 163[b].)

« .., *priori Christi ecclesie de Twenham, Wintoniensis diocesis.* Ex parte dilecti —. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno quarto. »

2594 Viterbe, 13 juin 1258.

Praedicto Edwardo dispensat ut, postquam ecclesia de Midelton Albemare ei fuerit juxta praecedentium litterarum tenorem, per priorem Christi ecclesiae de Twenham, Wintoniensis diocesis, collata, eam et praefatam ecclesiam de Staunton, insimul retinere, ac praeter ipsas unicum aliud beneficium, etiam si dignitas vel personatus existat et curam animarum habeat, recipere possit. (Reg. 25, f. 142, an. IV, c. 63[c].)

« *Edwardo de Porcestria, rector ecclesie de Stanton., Wellensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno quarto. »

2595 Viterbe, 19 janvier 1258.

Omnia a Raynaldo de Tocco, poenitentiario et capellano suo facta, qui B., abbatissae, Goldae, Aginae et quibusdam aliis monialibus monasterii S. Mariae de Massa, ordinis S. Damiani, se transferendi cum omnibus possessionibus et bonis quae monasterio ipsi dederant, ad monasterium S. Bartholomaei de Falesio, ejusdem ordinis, Massanensis diocesis, licentiam concesserat, et qui dictam abbatissam a regimine ipsius monasterii de Massa absolvens, in abbatissam dicti monasterii de Falesio praefecerat, statuens ut idem monasterium S. Bartholomei quod dicto monasterio S. Marie de Massa contulerat et dictum monasterium S. Marie per se consistant, et utrumque monasteriorum ipsorum cum omnibus bonis suis sit liberum nec alterum eorum alteri in aliquo subjectum, confirmat, tenorem litterarum ipsarum dicti Raynaldi, datarum Viterbii, nonis decembris, pontificatus anno tertio, indictione prima, inserens. (Reg. 25, f. 142 v°, an. IV, c. 164.)

« B., *abbatisse et conventui monasterii Sancti Bartholomei de Falesio, ordinis Sancti Damiani, Massanensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Cum a nobis —. Dat. Viterbii, XIIII kal. februarii, anno quarto. »

2596 Viterbe, 5 juin 1258.

Wimundo rectori indulget ut, praeter de Minterne et de Werewelle ecclesias, Saresbiriensis et Wintoniensis diocesium, curam animarum habentes, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si sit personatus vel dignitas et similis ei cura immineat, et si aliquam ex praedictis ecclesiis eum resignare contigerit, aliud beneficium cum simili cura recipere possit. (Reg. 25, f. 142 V°, an. IV, c. 165ª.)

« *Wimundo, rectori ecclesie de Minterne, Saresbiriensis diocesis.* Volentes tibi facere —. Dat. Viterbii, nonis junii, anno quarto. »

2597 Viterbe, 10 juin 1258.

Decano ecclesiae Saresbiriensis, ut praefatum Wimundum, qui dictam ecclesiam de Werewelle una cum ecclesia de Minterne prius obtenta, absque Sedis Apostolicae dispensatione retinuerat, in ejusdem ecclesiae de Minterne, resignatione et satisfactione prius factis, inducat. (Reg. 25, f. 143, an. IV, c. 165ᵇ.)

« .., *decano ecclesie Saresbiriensis.* Ex parte dilecti —. Dat. Viterbii, IIII idus junii, anno quarto. »

2598 Viterbe, 13 juin 1258.

Dicto Wimundo, ut praeter dictas ecclesias de Werewelle et de Minterne, unicum aliud beneficium, etiam si dignitas vel personatus existat, recipere possit indulget. (Reg. 25. 25, f. 143, an. IV, c. 165ᶜ.)

« *Wirmundo* (sic), *rectori ecclesie de Werewelle, Wintoniensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno quarto. »

2599 Viterbe, 3 juin 1258.

Abbati et conventui monasterii Karrofensis, Pictavensis diocesis, ut novalium decimas percipere possint indulget. (Reg. 25, f. 143, an. IV, c. 166.)

« .., *abbati et conventui monasterii Karrofensis, ordinis Sancti Benedicti, Pictavensis diocesis.* Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, vobis et membris vestris auctoritate presentium indulgemus ut in illis parrochiis in quibus veteres decimas juste percipitis, pro ea portione qua veteres vos contingunt, novalium quoque decimas juxta declarationem et statutum que super hiis olim edidimus, libere percipere valeatis. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, III nonas junii, anno quarto. »

2600 Viterbe, 20 juin 1258.

Infrascriptis indulget ut de terris quas excolunt nulli decimas reddere teneantur. (Reg. 25, f. 143, an. IV, c. 167.)

« .., *abbati et conventui monasterii Vindocinensis, ordinis Sancti Benedicti, Carnotensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Vestris devotis precibus benignum impertientes assensum, ut de terris ad monasterium vestrum spectantibus, reddactis noviter vel redigendis in posterum ad culturam, quas propriis manibus ac sumptibus excolitis, de quibus adhuc aliquis decimas non percepit, nulli decimas reddere teneamini, auctoritate vobis presentium indulgemus; auctoritate predicta districtius inhibentes ne quis de terris ipsis a vobis decimas exigere vel extorque represumat. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XII kal. julii, anno quarto. »

2601 Viterbe, 24 juin 1258.

De Marola et de Campagnola monasteriis, Regine diocesis, communem constitutionem observandam concedit. (Reg. 25, f. 143, an. IV, c. 168.)

« .., *de Marola et Campagnola monasterioum abbati et conventui, ordinis Sancti Augustini, Regine diocesis.* Habetur in desideriis nostris potissimum ut

pacis comodo subditi jocundentur et hii precipue quos in unum divina traxit caritas et amor conjunxit fraternus, ad quam ipsis prestandam et inrefragabiliter conservandam tanto majoribus insistimus conatibus et studiosius laboramus, quanto per eam, sine qua tranquillus et securus status hominis vix habetur et quies, major subsequitur corporum et lucrum grandius provenit animarum.

Ut igitur corde et animo nostro concinatis hympnum laudis et glorie Redemptori, et unanimiter sub umbraculo caritatis et quietis silentio acceptum et dignum Deo sacrificium offeratis, quedam statuimus salutaria et honesta a vobis et in vestris monasterii perpetuis temporibus observanda, unde quia equum arbitramur conveniens et salubre ut vos, qui de duabus domibus unum corpus spiritu et habitu facti estis, sicut et rei communione, sic et nominis convenientia gaudeatis, in primis duximus statuendum ut is, qui monasteriorum vestrorum de Marola et de Campagnola de cetero erit abbas, denominetur a nomine monasterii utriusque, ut videlicet abbas de Marola et de Campagnola vel e converso communiter appelletur. Et cum visitatio et reformatio vobis utilis expediens et necessaria dinoscatur, volumus et mandamus ut, singulis tribus annis, omnes ad visitatorum capitulum debeatis et teneamini convenire, ita quod in primo triennio in uno monasteriorum ipsorum, in secundo vero in altero monasterio, et sic deinceps hujusmodi capitulum. celebretur. Vestro vero cedente vel decedente abbate, conveniatis omnes et singuli de conventibus monasteriorum eorundem, una vice apud unum ex ipsis monasteriis, et alia vice apud aliud, de futuris abbatis substitutione pariter tractaturi. Et ne visitatorum copia vobis desit aut aliqua circa ipsos eligendos et ordinandos scintilla discordie valeat suboriri, diffinitoribus provincialis capituli fratrum Predicatorum provincie Lombardie dirigimus scripta nostra, ut deinceps, quolibet triennio, in eorum provinciali capitulo, eligant auctoritate apostolica tres visitatores ordinis sui, fratres ejusdem provincie, viros providos et discretos, qui de Marola cum monasterio Columbarii, Mutinensis diocesis, et de Campagnola monasteria, de tertio in tertium annum visitantes, corrigant auctoritate predicta ibidem, tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis officio noverint indigere.

In omnibus autem visitatorum capitulis singulis trienniis, ut dictum est, in ipsis monasteriis celebrandis, abbas uti motu proprio, nullo penitus suadente, omnique causa et excusatione cessantibus, sigillum suum ad pedes visitatorum resignare ac deponere teneatur, qui illo recepto, cujuslibet appellationis, difficultatis et impedimenti submoto dispendio, si eis videbitur expedire, dictum abbatem ab amministratione monasteriorum predictorum amoveant et absolvant, concessa conventibus ipsorum eligendi sibi abbatem alium, juxta formam expressam libera facultate. Si vero dictus abbas, juxta visitatorum ipsorum judicium laudabiliter ministravit eisque ipsum adhuc haberi utilem et necessarium eisdem monasteriis videatur, poterunt iidem visitatores dicto abbati sigillum reddere resignatum administraturo libere sicut prius. Nullum tamen volumus eidem ordini vel provinciali capitulo Predicatorum ipsorum, occasione visitationis hujusmodi, visitandi alias corrigendi vel emendandi in predictis monasteriis aut aliquod aliud jus acquiri, sed tantum valeat et duret hujusmodi visitationis officium quantum summo pontifici placuerit et non ultra. Ceterum si, quod absit, infra ipsum triennium in aliquo monasteriorum ipsorum alicujus dissentionis vel scandali contigerit materia suboviri, visitatores ipsi sepedictorum monasteriorum, abbate vel prioribus seu conventibus requisitis, in corrigendo et emendando adhibeant et impendant salutare consilium et auxilium oportunum. Predictorum quoque visitatorum correctioni et reformationi universi et singuli absque rebellione qualibet obediatis reverenter et humiliter pareatis, nullique vestrum liceat, nullusque presumat ipsorum ordinationibus repugnare, salva tamen tibi tuisque successoribus, fili abbas, in omnibus aliis administrandi et exercendi officium vestrum libera facultate.

Ad hec volumus ut eorundem monasteriorum priores, semper in anno tertio, abbati suo resignent sigilla, qui, eis receptis, circa ipsos priores juxta modum et formam ordinet et procedat secundum quod per visitatores predictos ordinari et fieri statuimus circa ipsum. Possit insuper dictus abbas ex juxta et rationabili causa eosdem priores a suis administrationibus amovere, sex tamen fratrum conventus monasterii a quo amovendus fuerit ipse prior, electorum ab eodem conventu, consilio requisito. Caveat autem abbas ne ad amotionem priorum nimia facilitate aut odio vel rancore seu semite alicujus pravitatis vel malignitatis procedat, quoniam per visitatores super inquiri contra eum volumus diligenter, et ipsum si secus egerit, castigari graviter et puniri. Nulli nostre constitutionis etc. Dat. Viterbii VIII, kal. julii, anno quarto. »

2602 Viterbe, 24 juin 1258.

Diffinitoribus capituli provincialis fratrum Praedicatorum in Lombardia mandat ut quolibet triennio in eorum provinciali capitulo eligant tres visitatores, eorum ordinis fratres eorumque provinciae,qui praedictos de Marola, cum monasterio Columbarii, Mutinensis diocesis, et de Campagnola monasteria, de tertio in tertium annum visitantes, corrigant et reforment quae corrigenda et reformanda noverint. (Reg. 25, f. 143 v°, an. IV, c. 168b.)

« *Diffinitoribus capituli provincialis fratrum Predicatorum in Lombardia.* Inter alias sollicitudines —. Nullum autem volumus vobis aut ordini vel provinciali capitulo vestro, occasione visitationis hujusmodi, visitandi alias corrigendi vel emendandi, aut aliquod aliud in predictis monasteriis jus acquiri, sed tantum valeat et duret hujusmodi visitationis officium quantum summo pontifici placuerit et non ultra. Dat. ut supra. »

2603 Viterbe, 27 juin 1258.

Alberto, lectori fratrum Praedicatorum Coloniensium mandat ut canoniam et praebendam quas Lambertus de Wintere, canonicus ecclesiae Buriensis, Coloniensis diocesis, libere resignare intendit, Hermanno clerico, nato Danielis de Bachein, militis, familiaris archiepiscopi Coloniensis, assignet. (Reg. 25, f. 144, an. IV, c. 169; Potthast 17323.)

« *Fratri Alberto, lectori fratrum Predicatorum Coloniensium.* Significante nobis venerabili —. .Dat. Viterbii, V kal. julii, anno quarto. »

2604 Viterbe, 3 juillet 1258.

Eczelini de Romano, tanquam, haeretici ab ecclesiastica unitate praecisi, et Alberici, germani ejus, tanquam fautoris hereticorum vinculo excommunicationis astricti, omnes servos et ancillas cum ejusdem conditionis filiis et nepotibus qui redierunt vel redibunt ad Ecclesiae unitatem, tradit plenariae libertati et eos liberos esse decernit : « ita quod ipsi peculia sua libere valeant retinere et ea libertate gaudere qua gauderent si liberi nati essent. » (Reg. 25, f. 144, an. IV, c. 170a ; Potthast 17331.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Quia homines natura —. Dat. Viterbii, V non. julii, anno quarto. »

2605 Viterbe, 3 juillet 1258.

Vicentino et Tervisino episcopis mandat ut libertos suprascriptos manuteneant ac in libertate defendant, invocato, si necesse fuerit, brachii secularis auxilio. (Reg. 25, f. 144, an. IV, c. 170b. Potthast 17332, sub die IV nonas julii ; Rodenberg, t. III, n° 48.)

« .., *Vicentino et* .., *Tervisino episcopis.* Quia homnies vel *etc.* —. Dat. ut supra. »

2606 Viterbe, 13 juin 1258.

Johanni presbytero indulget ut capellam S. Petri de Moro, curam animarum habentem, et canonicatum et praebendam quos in plebe de Sarzan, diocesis Terdonensis, obtinet retinere possit, non obstante constitutione a Celestino papa, tunc tituli S.Marci presbytero cardinali et in partibus illis Apostolicae Sedis legato, contra obtinentes plura ecclesiastica beneficia in una civitate vel uno plebanatu edicta, vel alia qualibet contraria. (Reg. 25, f. 144, an. IV, c. 171.)

« *Johanni presbitero, rectori capelle Sancti Petri de Moro, Terdonensis diocesis.* Devotionis tue merita —. Dat. Viterbii, idibus junii, anno quarto. »

2607 Viterbe, le 20 juin 1258.

Cantori ecclesiae S. Ursini Bituricensis mandat ut quicquid in praejudicium Stephani Mic, rectoris ecclesiae S. Portiani, Claromontensis diocesis, pro ejusdem ecclesiae negotiis ad Sedem Apostolicam venientis, invenerit attemptatum, in statum debitum revocet. (Reg. 25, f. 144 v°, an. IV, c. 172.)

« .., *cantori ecclesie Sancti Ursini Bituricensis.* Dilecti filii Stephani —. Dat. Viterbii, XII kal. julii, anno quarto. »

2608 Viterbe, 6 juillet 1258.

Pisanis qui de guerris inter eos et Januenses exortis in Sedem Apostolicam compromiserant, mandat ut illis Januensibus et eorum subjectis pacem firmam de cetero ubique servent, ab omni molestia tam in terra quam in mari desistent, secure in societatibus, mercimoniis et aliis utantur cum eisdem, pacem voce praeconis infra triduum proclamari facientes ; mandat insuper ut, hujus concordiae causa, procuratores ad alios Pisanos in partibus ultramarinis habitantes missi, coram legato apostolico in civitate Acconensi compareant. (Reg. 25, f. 144 v°, an. IV, c. 173a ; Potthast 17333 ; Rodenberg, t. III, n° 482.)

« *Potestati, capitaneo, consilio et populo Pisanis.* Inter alia que —. Ad hec precipimus et mandamus quod nullum stolium, armamentum seu navalem exercitum galearum, navium seu quorumcumque lignorum, ultra mare mittatis, litteras quoque nostras quas Januensibus, Pisanis et Venetis commorantibus in ultramarinis partibus destinamus una cum vestris litteris predicta continentibus celeriter destinetis eisdem. Dat. Viterbii, II nonas julii, anno quarto. »

2609 Viterbe, 6 juillet 1258.

Januensibus idem significat. (Reg. 25, f. 145, an. IV, c. 713[b]; Potthast 17333.)

« *Potestati, capitaneo, consilio et populo Januensibus.* Inter alia que — usque in finem. »

2610 Viterbe, 6 juillet 1258.

Infrascriptis, ut pacem et concordiam inter se inviolabiliter observent. (Reg. 25, f. 145, an. IV, c. 173[c].)

« *Consilibus, bajulis, capitaneis et admiralis Venetorum, Pisanorum et Januensium ac Venetis, Pisanis et Januensibus in ultra marinis partibus et alibi constitutis* Inter alia que — etc. usque in finem. »

2611 Viterbe, 6 juillet 1258.

Infrascriptis nuntiat a Pisanis et Januensibus de dissentione super villa S. Giliae, Calaritane diocesis, compromissum fuisse, eisque mandat ut ad terram ipsam personaliter accedentes, Pisanis, a quibus dicta villa obsidetur, et Januensibus pro ipsius defensione ibidem morantibus remotis exinde infra dies octo, juxta dicti compromissi tenorem, tenutam dictae villae recipiant. (Reg. 25, f. 145, c. 173[d], an. IV; Potthast 17335; Delaville Le Roulx, t. II, nº 2897.)

« *P., Hospitalis Sancti Johannis, et P. Domus militie Templi Hierosolymitani fratribus, nuntiis nostris in Sardinia.* Olim inter dilectos —. Dat. ut in alia. »

2612 Viterbe, 7 juillet 1258.

Infrascriptis qui ipsum de praecedenti dissentione in arbitrum elegerant, mandat ut in medietate mensis septembris proximo venturi coram se compareant per sufficientes et idoneos responsales, recepturi super quaestione dictae villae quod ordo exegerit rationis. (Reg. 25, f. 145, an. IV, c. 173[e]; Pottahst 17336.)

« *Potestatibus, capitaneis, consiliis, communibus Pisanorum et Januensium.* Olim inter vos —. Dat. Viterbii nonis julii, anno quarto. »

2613 Viterbe, 27 avril 1258.

Ivoni, abbati monasterii Cluniacensis, qui pro hujus monasterii expediendis negotiis ad Sedem Apostolicam accesserat, facultatem contrahendi mutuum usque ad summam mille et octingentarum et quadraginta librarum Turonensium, et obligandi monasterii bona concedit. (Reg. 25, f. 145 vº, an. IV, c. 174.)

« *Ivoni, abbati monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis.* Cum sicut in —. Dat. Viterbii, V kal. maii, anno quarto. »

2614 Viterbe, 4 juillet 1258.

Archipresbytero de S. Juniano, Lemovicensis diocesis, mandat ut Guillelmum de Juncheriis, clericum Claromontensis diocesis, in possessionem prioratus de Cairols ei ab abbate monasterii Aureliacensis, ordiniis S. Benedicti, collati inducat. (Reg. 25, f. 145 vº, an. IV, c. 175.)

«.., *archipresbytero de Sancto Juniano, Lemovicensis diocesis.* Significavit nobis dilectus —. Dat. Viterbii, IIII nonas julii, anno quarto. »

2615 Viterbe, 1[er] juillet 1258.

Infrascriptum in capellanum suum recipit. (Reg. 25, f. 145 vº, an. IV, c. 176.)

« *Magistro Nicolao de Ponte Arce, canonico Lexoviensi.* Volentes tibi tue —. Dat. Viterbii, kal. julii, anno quarto. »

2616 Viterbe, 7 juillet 1258.

Magistro Johanni, capellano suo, indulget ut, praeter praebendam curam animarum habentem, quam in Bewerlatensi ecclesia, Eboracensis diocesis, tenet, possit adhuc unicum aliud beneficium etiam si sit personatus vel dignitas et similis ei cura immineat, recipere. (Reg. 25, f. 145 vº, an. IV, c. 177.)

« *Magistro Johanni dicto Grifo, subdiacono et capellano nostro, canonico ecclesie Bewerlatensis, Eboracensis diocesis.* Volentes persone tue —, dispensationis gratia quam tibi ad instantiam dilecti filii nostri J. tituli, Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, super duobus ecclesiasticis beneficiis similem curam habentibus insimul retinendis alias fecisse dinoscitur, in suo nichilominus robore duratura. Dat. Viterbii, nonis julii, anno quarto. »

2617 Viterbe, 25 juin 1258.

Abbati monasterii Aureliacensis, Claromontensis diocesis, mandat ut Raymundo Fabri, subdiacono, de aliquo beneficio competenti, cum cura vel sine cura, in eadem diocesi provideat. (Reg. 25, f. 145 vº, an. IV, c. 178.)

« .., *abbati monasterii Aureliacensis, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Constitutus in presentia —. Dat. Viterbii, VII kal. julii, anno quarto . »

2618 Viterbe, 11 juillet 1258.

Bellindoti, canonico Fesulano praebendam in ecclesia Fesulana per mortem Martini archipresbyteri vacantem, ei a priore S. Bartholomaei de Fighino, Fesulane diocesis, collatam confirmat. (Reg. 25, f. 145 vº, an. IV, c. 179.)

« *Clarissimo Bellindoti, canonico Fesulano, capellano nostro.* Provenit ex devotionis —. Dat. Viterbii, V idus julii, anno quarto. »

2619 Viterbe, 7 juin 1258.

Magistro Petro Vigerii indulget ut archipresbyteratum ruralem de Arverto, diocesis Xanctonensis, recipere et una cum duobus beneficiis curam animarum habentibus quae in eadem diocesi obtinet, retinere possit. (Reg. 25, f. 146, an. IV, c. 180[a].)

« *Magistro Petro Vigerii, canonico Xanctonensi.* Petitio tua nobis —. Dat. Viterbii, VII idus junii, anno quarto. »

2620 Viterbe, 28 janvier 1258.

Eidem, obtentu episcopi Tusculani cujus capellanus existit, indulget ut, libere resignans alterum duorum beneficiorum curam animarum habentium quae obtinet, unicum aliud beneficium etiam similem curam habens recipere et cum reliquo retinere possit. (Reg. 25, f. 146, an. IV, c. 180[b].)

« *Eidem.* Obtentu venerabilis fratris —. Dat. Viterbii, V kal. februarii, anno quarto. »

2621 Viterbe, 11 juin 1258.

Pontio de Mauritania indulget ut, praeter ecclesiam S. Maximi, Xanctonensis diocesis, curam animarum habentem, cujus rector est, unicum aliud beneficium etiam si sit personatus vel dignitas et similis cura ei immineat, recipere possit. (Reg. 25, f. 146, an. IV, c. 181.)

« *Pontio de Mauritania, canonico Xanctonensi, rectori ecclesie Sancti Maximi, Xanctonensis diocesis, nepoti venerabilis fratris nostri.., episcopi Xanctonensis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno quarto. »

2622 Viterbe, 11 juin 1258.

Pontio de Ponte indulget ut, praeter ecclesiam de Cigoniis, Xanctonensis diocesis curam animarum habentem, cujus rector est, unicum aliud beneficium etiam si sit personatus vel dignitas et similis ei cura immineat, recipere possit. (Reg. 25, f. 146, an. IV, c. 182.)

« *Pontio de Ponte, canonico Xanctonensi, rectori ecclesie de Cigoniis, Xanctonensis diocesis, nepoti venerabilis fratris nostri.., episcopi Xanctonensis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno quarto. »

2623 Viterbe, 11 juin 1258.

Pontio, episcopo Xanctonensi indulget ut, quotiens eum abesse pro ecclesiastica libertate tuenda, vel infirmari contigerit, liceat ei suam diocesim per aliquos viros idoneos visitare ac procurationes visitationis ei debitas a locis recipere visitatis, ac si ea personnaliter visitaret, praesentibus post triennium minime valituris. (Reg. 26, f, 146, an IV, c. 183.[a])

« *Pontio, episcopo Xanctonensi.* Tue devotionis precibus —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno quarto. »

2624 Viterbe, 11 juin 1258

Eidem episcopo dispensandi cum duobus clericis suis idonéis quod eorum uterque possit duo beneficia ecclesiastica, etsi curam habeant animarum et ei canonice offerantur, recipere ac retinere, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 145, an. IV, c. 183[b].)

« *Eidem episcopo.* Tuam volentes honorare —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno quarto. »

2625 Viterbe, 9 novembre 1257.

Sententiam diffinitivam pro Giberto, canonico Wratislaviensi, clerico Ottoboni, S. Adriani diaconi cardinalis, latam ab Octaviano S. Mariae in Via Lata diacono cardinali, auditore ab Apostolica Sede deputato in causa vertente inter dictum Gibertum et Ratiborium, clericum, qui pro canonico ecclesiae Wratislaviensis se gesserat, super praebenda quam magister Coffinus, quondam ipsius ecclesiae canonicus obtinuerat, confirmat, appellationem a parte altera interpositam frivolam decernens et instrumentorum, tenorem inserens. (Reg. 25, f. 146 v° — 147 v°, an. IV, c. 184 ; Pottahst 17065.)

«*Giberto, canonico Wratislaviensi, nato Petri Bertrami, civis Parmensis.* Ea que judicio —. Dat. Viterbii, V idus novembris, anno tertio. »

2626 Viterbe, 16 mai 1258.

Infrascriptis dispensat ut in contracto matrimonio licite remanere possint, tertio et quarto consanguinitatis gradibus non obstantibus. (Reg. 25, f. 147 v°, an. IV, c. 185.)

« *Roberto de Leboteler de Meldona, layco, et Dionisie de Langenton, filie Nicolai de Aneston, uxori ejus, Londoniensis diocesis.* Cum summus pontifex —. Dat. Viterbii, XVII kal. junii, anno quarto. »

2627 Viterbe, 13 juillet 1258.

Cancellario ecclesiae Saresbiriensis, obtentu regis Angliae, mandat ut Alberto subdiacono et capellano apostolico, cancellario Mediolanensi, de beneficiis ecclesiasticis usque ad valorem annuum quinquaginta marcarum Sterlingorum secundum communem extimationem patriae provideat, juxta sententiam a J., tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali, arbitratore in causa vertente inter dictum cancellarium et dictum capellanum super quadam praebenda ecclesiae Saresbiriensis latam et litteris apostolicis confirmatam et ampliatam. (Reg. 25, f. 147 v°, an. IV, c. 186.)

« .., *cancellario ecclesie Saresbiriensis*. Dilectus filius Albertus —. Non obstante quod tu eidem capellano, de Symondelberg et de Digniton ecclesias, Saresbiriensis diocesis, contulisti auctoritate hujusmodi litterarum, cum collatio hujusmodi aliquem non sit sortita effectum, aliis optinentibus ecclesias supradictas —. Dat. Viterbii, III idus julii, anno quarto. »

2628 Viterbe, 11 juin 1258.

Priori de Vulturio mandat ut locum et praebendam libere a Guidone Longo, nepote C. papae, canonico ecclesiae de Abiate « Guazano », Mediolanensis diocesis, resignatos, Guidoni de Castellione, clerico ejusdem diocesis et ejusdem C. papae nepoti, assignet non obstantibus litteris Mediolanensi episcopo a Sede Apostolica concessis. (Reg. 25, f. 147 v°, an. IV, c. 187.)

« .., *priori de Vulturio, Mediolanensis diocesis*. Cum sicut dilectus —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno quarto. »

2629 Viterbe, 11 juin 1258.

Religiosis monasterii loci S. Edwardi mandat ut Nicolao de Rumescya, rectori ecclesiae de Funtemel, Saresbiriensis diocesis, ecclesias de Lengham et de Stokes, Londoniensis et Wintoniensis diocesium, curam animarum habentes, quas absque dispensatione Sedis Apostolice prius retinuerat, libere ab eo resignatas et satisfacto de fructibus medio tempore perceptis, poenitentia salutari imposita, assignent necnon dispensent ut, praeter dictas ecclesias, aliud beneficium ecclesiasticum, personatum vel dignitatem etiam similem curam habens, recipere possit. (Reg. 25, f. 148, an. IV, c. 188.)

« .., *abbati et priori monasterii loci Sancti Edwardi, Cisterciensis ordinis, Wintoniensis diocesis*. Dilectus filius Nicolaus —. Dat. Viterbii, III idus junii, anno quarto. »

2630 Viterbe, 14 juillet 1258.

Cantori ecclesiae Bajocensis mandat ut Guillelmo de « Finguario », clerico Constantiensis diocesis, de aliquo ecclesiastico beneficio ad abbatis et conventus monasterii Montisburgi, ordinis S. Benedicti ejusdem diocesis, collationem spectante provideat, si dicti abbas et conventus eidem clerico neglexerint providere secundum litteras ad eis directas. (Reg. 25, f. 148, an. IV, c. 189.)

« .., *cantori ecclesie Bajocensi*. Guillelmus de Fingnario —. Dat. Viterbii, II idus julii, anno quarto. »

2631 Viterbe, 14 juillet 1258.

In eumdem modum mandat decano ecclesiae S. Germani Autissiodorensis Parisiensis ut magistro Riccardo de Sepvauz, clerico, de beneficio ad abbatis et conventus monasterii S. Wandregesilii, ordinis S. Benedicti, Rothomagensis diocesis, collationem spectante, provideat. (Reg. 25, f. 148, an. IV, c. 190.)

« .., *decano ecclesie Sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis*. Dilectus filius magister — ut in alia de verbo ad verbum usque in finem. »

2632 Viterbe, 20 juin 1258.

Magistro Johanni de Ferrariis dispensationem retinendi ecclesiam de Pereio cum archipresbyteratu de Arduno concessam confirmat. (Reg. 25, f. 148, an. IV, c. 191.)

« *Magistro Johanni de Ferrariis, archipresbitero de Arduno, Pictavensis diocesis*. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod dilectus filius magister Johannes de Sancto Germano, subdiaconus et notarius noster, ecclesie de Pereio a Petro dicto Virebeu, quondam rectore ipsius, Pictavensis diocesis, auctoritate nostra sibi super hoc oraculo vive vocis concessa, libera resignatione recepta, dictam ecclesiam eadem auctoritate tibi contulit teque per quendam librum de ipsa presentialiter investivit, tibi auctoritate predicta concedens ut eandem ecclesiam cum archipresbiteratu de Arduno, quem ante resignationem factam a te de ecclesia de Praailles, ejusdem diocesis, in manibus notarii supradicti una cum eadem ecclesia de Praailles ex dispensatione apostolica obtinebas, valeas licite retinere, non obstante concilii generalis prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur tuis devotis precibus inclinati, quod ab eodem notario super hoc factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, proviso quod archipresbiteratus et ecclesia de Pereio predicti debitis non fraudentur obsequiis et

animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XII kal. julii, anno quarto. »

2633 Viterbe, 9 juin 1258.

Abbati et conventui monasterii S. Martini Trecensis mandat ut Coloniensem archiepiscopum ad quamdam pecuniae summam Angelo, nato Jacobi Scarsi, civis Romani, debitam persolvendam compellant. (Reg. 25, f. 148 v°, an. IV, c. 192.)

« .., *abbati et priori monasterii Sancti Martini Trecensis.* Significavit nobis dilectus filius Angelus, natus quondam Jacobi Scarsi juvenis, civis Romanus, quod cum dictus Jacobus cujus idem Angelus heres existit, bone memorie.., Coloniensem archiepiscopum, super quibusdam pecuniarum summis in quibus dictus archiepiscopus nomine Coloniensis ecclesie dicto Jacobo tenebatur, coram quondam.., abbate monasterii Sancti Martini Trecensis, predecessore tuo, fili abbas, auctoritate apostolica traxisset in causam, tandem inter dictum Jacobum et magistrum Ulricum, canonicum ecclesie Sanctorum Apostolorum Coloniensis, procuratorem ipsius archiepiscopi, ejus nomine, a quo habebat ad componendum speciale mandatum coram eodem abbate, ipsius consensu et auctoritate ad hoc intervenientibus, quodam super hiis amicabilis compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Sed eodem archiepiscopo, nulla de dictis pecuniis ab ipso satisfactione impensa, viam universe carnis ingresso, venerabilis frater noster.., Coloniensis archiepiscopus compositionem ipsam renuens observare, predicto Angelo de hujusmodi pecuniarum summis satisfacere non curavit. Quare dictus Angelus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna, sollicitudine curaremus. Nolentes itaque predicto Angelo deesse in sua justitia in qua sumus omnibus debitores, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus dictum archiepiscopum ex parte nostra per vos vel alios moneatis attentius et inducere procuretis ut eidem Angelo vel procuratori suo ejus nomine, de predictis pecuniarum summis juxta ejusdem compositionis tenorem, infra duorum mensium spatium post monitionem hujusmodi, cum justis et moderatis expensis et congrua restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, plenam satisfactionem exhibere procuret. Alioquin in ipsum extunc excommunicationis sententiam proferentes, eum usque ad satisfactionem condignam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nuntietis et faciatis ab aliis per omnia loca in quibus expedire videritis nuntiari, significando tunc sibi quod,ex quo ex communicatus existit, eo ipso ab administratione spiritualium et temporalium est suspensus. Non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis prefato archiepiscopo ab Apostolica Sede sub quacumque forma verborum concessis de quibus vel quruam tenore plenam et expressam in nostris litteris oporteat fieri mentionem, aut per quas non expressas presentibus impediri posset hujusmodi mandati nostri executio vel differri, seu aliis quibuslibet litteris a Sede Apostolica hactenus sub quacunque forma in favorem predicti archiepiscopi impetratis vel in posterum impetrandis, nisi eedem impetrande plenam et expressam fecerint de presentibus mentionem, sive si eidem archiepiscopo vel quibuscunque personis aliis a predicto Sede sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint aut citari per litteras dicte Sedis que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quod vobis a dicta Sede dicitur esse indultum ut de causis que vobis per ipsius Sedis litteras committuntur cognoscere minine teneamini, nisi de indulgentia ipsa en eis facta fuerit mentio specialis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Quod si non ambo etc. Dat. Viterbii, II idus julii, anno quarto. »

2634 Viterbe, 11 juillet 1258.

Religiosis Heremitis S. Jacobi de Saveno juxta Circulum civitatis Bononiensis concedit ut privilegiis et indulgentiis ipsis a Sede Apostolica concessis uti et gaudere possint, non obstante constitutione episcopi et capituli Bononiensium. (Reg. 25, f. 148 v°, an IV, c. 193.)

«.., *priori et conventui fratrum Heremitarum ecclesie Sancti Jacobi de Saveno juxta Circulum civitatis Bononiensis, ordinis Sancti Augustini.* Intelleximus quod dudum venerabilis frater noster.., episcopus Bononiensis et Bononiensis ecclesie capitulum, ante unionem factam de vobis cum aliis vestri ordinis fratribus, non prius edificandi ecclesiam vestram licentiam vobis concedere voluerunt quam vos, quod fratres ipsius ecclesie priorem quem eligent sibi pro tempore, ipsi episcopo et suis successoribus presentabunt pro confirmationis munere obtinendo, et quod idem episcopus ac successores ejus corrigere ac visitare priorem ac fratres ejusdem ecclesie qui pro tempore fuerint et punire pro sue voluntatis libito valeant, necnon et quedam

alia eodem episcopo pro se et pro capitulo stipulante, sibi firmiter promisis[se]tis, et adjecis[se]tis promissioni hujusmodi quod contra premissa vel eorum aliquod nullas litteras seu indulgentias impetraretis a Sede Apostolica, nec uteremini etiam impetratis, renuntiantes nichilominus quibuscunque litteris et indulgentiis apostolicis impetratis per quas vobis in premissis posset aliquod suffragium provenire. Verum quia postmodum specialibus indulgentiis et privilegiis Sedes eadem vos munivit, nos, attendentes quod ordini vestro non congruebant premissa, vestris supplicationibus inclinati, auctoritata vobis presentium indulgemus ut, premissis nequaquam obstantibus, uti et gaudere possitis privilegiis et indulgentiis vobis ab apostolica Sede concessis et in posterum concedendis. ¦ Nulli etc. nostre concessionis —. Dat. Viterbii, V idus juli, anno quarto. »

2635 Viterbe, 23 juillet 1258.

Roberto de Suwithelend. dispensat ut praeter ecclesiam de Nonsole, Lincolniensis diocesis, curam animarum habentem, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, similem curam habens, etiam si dignitas vel personatus existat, recipere possit. (Reg. 21, f. 148 v°, an. IV, c. 194.)

« *Roberto de Suwithelend., rectori ecclesie de Nonsole, Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, X kal. augusti, anno quarto. »

2636 Viterbe, 23 juillet 1258.

Magistro Aymerico, canonico Saresbiriensi, indulget ut, praeter ecclesiam de Westhildeslei, Saresbiriensis diocesis, curam animarum habentem, unicum aliud beneficium ecclesiasticum similem curam habens, etiam si dignitas vel personatus existat, retinere, et, si ecclesiam et beneficium ipsa eum resignare contigerit, duo alia beneficia etiam cum cura animarum annexa, recipere possit. (Reg. 25, f. 149, an. IV, c. 195.)

« *Magistro Aymerico, canonico Saresbiriensi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, X kal. augusti, anno quarto. »

2637 Viterbe, 18 juillet 1258.

Priori de Sieura, Nemausensis diocesis, mandat ut secundum litteras I. papae, ad provisionem magistri Petri dicti Civada, juris civilis professoris, capellani episcopi Tusculani, de aliquo beneficio ecclesiastico Narbonensis provinciae procedat. (Reg. 25, f. 149, an. IV, c. 196.)

« .., *priori de Sieura, Nemansensis diocesis.* Dilectus filius magister —. Nolumus autem quod ex hoc, dilecto filio magistro Gregorio de Sancto Laurentio, medico et capellano nostro, precentori Biterrensi, cui in civitate ac provincia Narbonensibus, de personatu vel dignitate seu alio ecclesiastico beneficio provideri mandavimus, prejudicium aliquod generetur, quin eidem magistro P[etro] in assecutione hujusmodi personatus vel dignitatis seu beneficii preferatur. — Dat. Viterbii, XV kal. augusti, anno quarto. »

2638 Viterbe, 23 juillet 1258.

Riccardo rectori dispensat ut, praeter ecclesiam de Lidesulne, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam similem curam animarum habens, etsi dignitas vel personatus existat, recipere possit. (Reg. 25, f. 149, an. IV, c. 197.)

« *Riccardo, rectori ecclesie de Lidesulne, Wintoniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, X kal. augusti, anno quarto. »

2639 Viterbe, 7 juillet 1258.

Magistro Heliae Vigerii indulget ut in loco ecclesiae de Cornuelia, Nannetensis diocesis, libere ab eo resignatae, aliud ecclesiasticum beneficium cum cura, juxta formam dispensationis ei prius a Sede Apostolica concessae, recipere et cum ecclesia de Thalamone, Xanctonensis diocesis, retinere valeat. (Reg. 25, f. 149, an. IV, c. 198.)

« *Magistro Heliæ Vigerii, rectori ecclesie de Thalamone, Xanctonensis diocesis.* Ex parte tua —. Dat. Viterbi, nonis julii, anno quarto. »

2640 Viterbe, 9 juillet 1258.

Magistro Petro Vigerii, canonico Xanctonensi, indulget ut archipresbyteratum ruralem de Archiaco, diocesis Xanctonensis, quem sine speciale mandato apostolico recipere noluerat, libere recipere et una cum duobus ecclesiasticis beneficiis curam animarum habentibus ei in eadem diocesi concessis, retinere possit. (Reg. 25, f. 149, an. IV, c. 199.)

« *Magistro Petro Vigerii, canonico Xanctonensis.* Petitio tua nobis —. Dat. Viterbii, VII idus julii, anno quarto. »

2641 Viterbe, 8 août 1258.

Episcopo et capitulo Salamantinis mandat ut Simonem Petri, clericum, in canonicum et in fratrem recipiant, eique de praebenda, provideant, secundum litteras olim ab Apostolica Sede eis directas. (Reg. 25, f. 149 v°, an. IV, c. 200.)

« .., *episcopo et capitulo Salamantinis.* Dilectus filius Simon —. Dat. Viterbii, VI idus augusti, anno quarto. »

2642 Viterbe, 3 août 1258.

Magistro Petro Ugerii, canonico Xanctonensi, juris civilis professori, indulget ut si ruralem archipresbyteratum de Archiaco vel alteram duarum ecclesiarum quas in diocesi Xanctonensi obtinet, resignet, aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si dignitas vel personatus existat et similem curam animarum habeat, loco beneficii resignati recipere possit. (Reg. 25, f. 149 v°, an. IV, c. 201.)

« *Magistro Petro Ugerii, canonico Xanctonensi, juris civilis professori, capellano.., episcopi Tusculani.* Adjutos morum et —. Dat. Viterbii, III nonas augustii, anno quarto. »

2643 Viterbe, 19 février 1258.

Henrico dicto Maschat, clerico Lemovicensis diocesis, officium tabellionatus concedit. (Reg. 25, f. 149 v°, an. IV, c. 202.)

« *Henrico dicto Maschat, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, XI kal. martii, anno quarto. »

2644 Viterbe, 3 août 1258.

Priorissam et conventum monasterii S. Jacobi de Ripolis, Florentinae diocesis, ordinis S. Augustini, instituta fratrum Praedicatorum servantes, de novo ordini Praedicatorum unit, statuta Innocentii papae et H., tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis, qui dictum monasterium magistro et priori provinciali ejusdem ordinis in Tuscia commiserant, confirmans, et statuens ut eisdem libertatibus et immunitatibus gaudeant. (Reg. 25, f. 149 v°, an. IV, c. 203a; Potthast 17357.)

« .., *priorisse et conventui monasterii Sancti Jacobi de Ripolis, Florentine diocesis, ordinis Sancti Augustini, instituta fratrum Predicatorum servantibus.* Apostolice Sedis benignitas —. Nulli nostre unionis, confirmationis et concessionis etc. Dat. Viterbii, III nonas augusti, anno quarto. »

2645 Viterbe, 3 août 1258.

Magistro et priori provinciali Tuscie, ordinis fratrum Praedicatorum, suprascripta notificat, eisque mandat ut dicti monasterii S. Jacobi de Ripolis curam suscipiant. (Reg. 25, f. 150, an. IV, c. 203b; Potthast 17358.)

« .., *magistro et.., priori provinciali Tuscie, ordinis fratrum Predicatorum.* Apostolice Sedis etc. —. Dat. ut supra. »

2646 Viterbe, 9 août 1258.

Decano et capitulo ecclesiae S. Agripani Aniciensis mandat ut Durandum Vincentii, clericum Aniciensem, in canonicum et in fratrem recipiant eique de praebenda provideant, juxta priorum ad eos directarum continentiam litterarum. (Reg. 25, f. 150, an. IV, c. 204.)

« .., *decano et capitulo Sancti Agripani Aniciensis.* Ut super receptione —. Dat. Viterbii, V idus augusti anno quarto. »

2647 Viterbe, 19 juin 1258.

Religiosis monasterii Cerasiensis, Bajocensis diocesis, ut prioratum de Marsseio usibus mensae ipsorum applicare possint concedit. (Reg. 25, f. 50, an. IV, c. 285.)

«.., *abbati et conventui monasterii Cerasiensis, ordinis Sancti Benedicti, Bajocensis diocesis.* Religionis favor sub qua virtutum Domino deservitis, et devotionis vestra merita nos inducunt ut vos illa prosequamur gratia que vobis et monasterio vestro dinoscitur oportuna. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod monasterium Cerasiense tanto premitur onere debitorum quod, ad exonerationem ipsius, redditus et proventus mense vestre usui deputatos qui dicuntur nimis tenues et exiles, expendere vos oportet, propter quod plerumque necessariorum defectus, sicut accepimus, sustinetis. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere super hoc de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos igitur vestris inducti precibus, volentes vobis et monasterio vestro in hac parte oportuno remedio providere, ut prioratum vestrum de Marsseio in quo consuevit per duos monachos dumtaxat vestri monasterii deserviri, usibus dicte mense applicare possitis, sine juris prejudicio alieni, auctoritate vobis presentium concedimus facultatem. Non obstante quavis Apostolice Sedis indulgentia per quam hujusmodi nostre concessionis effectus differri possit vel etiam impediri. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XIII kal. julii, anno quarto. »

2648 Viterbe, 31 juillet 1258.

Monasterium S. Eustachii de Clavaro, Januensis diocesis, sub A. Sedis protectione suscipit omniaque ejus privilegia et bona confirmat. (Reg. 25, f. 150 v°, an. VI, c. 206.)

« .., *abbatisse monasterii Sancti Eustachi de Clavaro, ejusque sororibus tam presentibus quam futuris, religiosam vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam etc. usque : enervet. Ea propter, dilecte in Christo filie vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Eustachii de Clavaro, Januensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipate, de speciali gratia Sedis Apostolice ab omni jurisdictione potestate ac dominio tam archiepiscopi Januensis qui, pro tempore fuerit, quam cujuslibet alterius prelati seu ecclesiastice persone totaliter ex certa scientia eximentes, illud in jus et proprietatem beati Petri et predicte Sedis assumimus et presentis scripti patrocinio communimus.

In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundem Deum et Beati Benedicti regulam atque institutionem monialium inclusarum Sancti Damiani Asisinatis et formulam vite vestre a felicis recordationis Gregorio papa, predecessore nostro, ordini vestro traditam cum adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Preterea quascunque possessiones etc. usque : permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis ; unam petiam terre sitam juxta burgum Clavari ; domos quas habetis in villa que vocatur Levi ; terras quas habetis in territorio ville ipsius, domos et terras quas habetis in territorio plebis de Lavania ; terras quas habetis in territorio Clavari in locis qui ad Valles et Rivaria nuncupantur ; terras quas habetis in villa que vocatur Decalasco in loco qui dicitur Donegatum (?) ; terras sitas in territorio ville de Sancta Julia ; petiam unam terre sitam in territorio Sancti Salvatoris in loco qui vocatur Ad costam ; terras sitas in territorio ville Sancti Petri de Clavaro ; terras sitas in territoriis villarum que Reverton, Maxena et Breranata vulgariter nominantur ; terras quas habetis in territorio de Sigestro cum pratis, vineis, terris, nemoribus,usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Liceat quoque vobis personas liberas etc. usque : retinere. Prohibemus insuper ut nulli etc. usque : retinere.

Pro consecrationibus vero altarium etc. usque : generetur. Quia vero interdum diocesani episcopi copiam non habetis etc. valeatis. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque : interdicto. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbatissa etc. usque : eligendum. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas regulares inibi Domino famulantes, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolice indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque : exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a venerabili fratre nostro.., Januensi archiepiscopo, monasterio vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a quibuslibet Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus quoque ut nulli omnino hominum etc. usque : profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate.

Ad indicium autem quod idem monasterium specialiter Beati Petri juris existit, unam libram cere nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur etc. usque : ultioni. Cunctis autem etc. usque : inveniant. Amen. Amen. Dat. Viterbii per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, II kal. augusti, indictione prima, Incarnationis Dominic eanno M°.CC°.LVIII°, pontificatus vero donni (*sic*) Alexandri pape IIII, anno quarto.»

2649 Viterbe, 12 avril 1258.

Episcopo Aurelianensi mandat ut Dionisium de Traviciaco, clericum, in ecclesia S. Verani de Jargolio, Aurelianensis diocesis, in canonicum et in fratrem recipiat, juxta priorum ad eum directarum continentiam litterarum. (Reg. 25, f. 150 v°, an. IV, c. 207.)

«. ., *episcopo Aurelianensi.* Ut super receptionem —. Dat. Viterbii, II idus aprilis, anno quarto. »

2650 Viterbe, 13 juin 1257.

Decano ecclesiae Lincolniensis mandat ut contra Johannem dictum Walram, canonicum Wellensem, qui Eliensis ecclesiae sibi custodiendae commissae bona dextruxerat, ejusque complices excommunicationis sententiam pronuntiet. (Reg. 25, f. 150 v°, an. IV, c. 208.)

« .., *decano ecclesie Lincolniensis.* Sua nobis, venerabilis frater noster.., Elyensis episcopus, petitione montravit quod carisimus in Christo filius noster.., rex Anglie illustris, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis regni Anglie regia liberalitate concessit ut, cum aliquam ex ecclesiis ipssi

vacare contigerit, ille cui ejus custodia commissa fuerit ab illo ad quem hujusmodi custodia ecclesia ipsa vacante pertinet, non capiat de terra, ipsius ecclesie nisi rationabiles exitus et consuetudines ac rationabilia servitia, et hec absque hominum et rerum ipsius ecclesie destructione ac guasto. Venerabiles quoque fratres nostri. Bonifatius, Cantuariensis archiepiscopus etc.., Londoniensis.., Lincolniensis, ac alii episcopi ejusdem regni induti pontificatibus, candelis accensis, de voluntate ipsius regis et baronum regni ejusdem et in ipsorum presentia, in omnes illos qui fecerent contra concessionem hujusmodi, excommunicationis sententiam auctoritate ordinaria, exigente justitia, promulgarunt prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri, idque felicis recordationis I. papa, predecessor noster, postmodum confirmavit.

Verum Johannes, dictus Walram, canonicus Wellensis, cui fuit nuper custodia Eliensis ecclesie tunc vacantis commissa, ac familiares et complices ejus, clerici et laici ad custodiam dicte ecclesie deputati, bona ipsius ecclesie ac hominum suorum contra concessionem hujusmodi pro sue voluntatis libito destruxerunt, in animarum suarum periculum et ejusdem ecclesie non modicum detrimentum, propter quod Johannes ac familiares ac complices predicti hujusmodi excommunicationis sententiam incurrerunt, nec curant ecclesie ac ..., episcopo Eliensibus predictis de dampnis et injuriis, que hujusmodi occasione predicte ecclesie intulerunt, satisfactionem aliquam exhibere. Quare prefatus episcopus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi et eidem ecclesie super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, si tibi constiterit ita esse, Johannem ac familiares, et complices predictos, nisi, a te moniti diligenter, infra competentem terminum a te prefigendum eisdem, de dampnis et injuriis hujusmodi episcopo et ecclesie predictis satisfactionem plenariam duxerint impendendam, usque ad satisfactionem condignam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nunties et ab aliis per omnia loca in quibus expedire videri facias, et ab omnibus artius evitari. Contradictores etc. Dat. Viterbii, idibus junii, anno quarto. »

2651 Viterbe, 12 juillet 1258.

Lanfrancum de Cocco, canonicum Curiensem, quondam scriptorem suum, Mediolanensis diocesis, qui quandam summam argenti fratribus Tiburtio et Pontio, ordinis fratrum Praedicatorum, nuntiis archiepiscopi Strigoniensis apud Sedem Apostolicam, per quemdam servientem fratris Arburdi, penitentiarii papae, furtive subtrahi procuravit, et qui citatus pluries in audientia publica, coram camerario comparere non curavit, propter hunc gravitatis excessum et quod alias, de falsitate in litteris apostolicis tempore Innocentii, papae praedecessoris, commissa erat admodum infamatus, per magistrum Jordanum, S. Romanae Ecclesiae vicecancellarium et notarium, privari fecit officio scriptoriae, sed quia id non reputat sufficiens ad vindictam, eum universis beneficiis ecclesiasticis, locis ac praebendis et jure praesentium auctoritate perpetuo privat. (Reg. 25, f. 151, an. IV, c. 209; Potthast 17343; Bernouilli, n° 675.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum Lanfrancus de —. Dat. Viterbii, V idus julii, anno quarto. »

2652 Viterbe, 17 août, 1258.

Priori basilicae Ad Sancta Sanctorum de Urbe mandat ut de litteris apostolicis quarum auctoritate Romana mulier, se filiam naturalem Rogerii de Laterano asserens, legitimationem obtinuit, veritatem inquirat. (Reg. 25, f. 151, an. IV, c. 210.)

« .., *priori basilice Ad Sancta Sanctorum de Urbe.* Dilectus filius Rogerius de Laterano, laicus, nobis humiliter supplicavit, ut cum Romana mulier que se filiam ejus asserit naturalem, apostolicas super legitimatione sua, ut in bonis ipsius Rogerii succedere valeat, eo id penitus ignorante, litteras impetravit, providere in hac parte sibi ne, pretextu illarum, in predictis bonis, aliquod sibi eadem mulier jus valeat vendicare, de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur, ipsius supplicationibus inclinati, mandamus quatinus eandem mulierem efficaciter moneas et diligenter inducas ut hujusmodi coram te litteras exhibere procuret, quibus exhibitis, si eadem mulier legitime probare nequiverit quod ipse littere de ipsius Rogerii conscientia et mandato fuerint impetrate, vel si eas exhibere noluerit, tu, auctoritate nostra, prefato Rogerio disponendi et ordinandi libere de bonis predictis, hujusmodi litteris nequequam obstantibus, juxta sue beneplacitum voluntatis liberam tribuas facultatem. Contradictores etc Dat. Viterbii, XVI kal. septembris, anno quarto. »

2653 Viterbe, 29 avril 1258.

Archiepiscopo Senonensi mandat ut de quadam pecuniae summa a Jacobo Scarsi bonae memoriae archiepiscopo Senonensi praedecessori suo mutuata, eidem Jacobo satisfactionem impendat. (Reg. 25, f. 151, an. IV, c. 211.)

« .., *archiepiscopo Senonensi*, Ad ea que digna sunt fieri, tua sinceritas nobis rogantibus debet prompta et facilius inveniri ut ex hoc, oportunis temporibus, tuis desideriis liberius annuamus. Sane dilectus filius Angelus, natus quondam Jacobi Scarsi juvenis, civis Romani, nobis et Ecclesie Romane devotus, exposuit coram nobis quod licet ipse bone memorie.., archiepiscopo Senonensi, predecessori tuo, pro quibusdam suis et Ecclesie Senonensis negotiis expediendis, quandam mutuarit, pecunie quantitatem, certis sibi loco et termino persolvendam, prout in litteris patentibus confectis exinde plenius dicitur contineri, nondum tamen est ei de pecunia hujusmodi, quamquam terminus solutionis effluxerit, satisfactum. Propter quod ipse dampna gravia et expensas non modicas se asserit incurrisse. Cum itaque nos circa dictum civem, pro sue devotionis meritis, affectum geramus benivolentie specialis, fraternitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, mandantes quatenus provide considerans quod tu dicto predecessori sic in onere sicut in honore succedis, de prefata pecunia eidem civi, prout te viva voce rogasse meminimus, sine difficultate aliqua plenariam satisfactionem impendas, ita quod ipso de hujusmodi nostris precibus et mandato fructum optatum gaudente consequi, nos tibi exinde speciales gratias referamus. Dat. Viterbii, III kal. maii, anno quarto. »

2654 Viterbe, 23 août 1258.

Abbati monasterii Arabona, Cisterciensis ordinis, Theatinae dioecesis, mandat ut monasterium Sanctae Mariae de Monte Balneoli, ordinis S. Benedicti, Andrensis dioecesis, eidem Cisterciensi ordini incorporet. (Reg. 25, f. 151 v°, an. IV, c. 212.)

«.., *abbati monasterii Arabona, Cisterciensis ordinis, Theatine diocesis.* Nuper accessimus ex insinuatione dilectorum filiorum.., abbatis et conventus monasterii Sancte Marie de Monte Balneoli, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Andrensis diocesis, quod cum monasterium ipsum, priusquam ad ecclesiam Sancte Marie de Stirpeto Baroli, Tranensis diocesis, ad monasterium ipsum pleno jure spectantem, in qua jam dicti abbas et conventus morantur ad presens, ex persecutione tyrampnica quondam Frederici, olim imperatoris Romanorum, inimici Ecclesie transferretur, spiritualium et temporalium ubertate vigeret, occasione translationis hujusmodi, temporis etiam procellosi alias faciente malitia in utrisque, adeo nunc deformatum existit quod, nisi sub regula et institutione salubri Cisterciensis ordinis, cui tam in capite quam in membris iidem incorporari desiderant, celeris ei provisionis remedio precurratur, vix ad plenum perfectumque regularis observantie cultum reduci ac reparari poterit vel decorem Quare prefati abbas et conventus supplicabant humiliter sibi super hoc et ipsi monasterio per Sedem Apostolicam provideri. Attendentes igitur quod monasterium ipsum, cum membris et pertinentiis suis immediate ad Apostolicam Sedem spectat, et propter hoc ad reformationem et reparationem ipsius sollicitudine volentes assurgere potiori, devotis eorundem.., abbatis et conventus precibus inclinati, precipiendo mandamus quatinus personaliter ad locum ipsum accedens, dictum monasterium cum omnibus membris suis eidem Cisterciensium ordini auctoritate nostra, sicut moris est, incorporare procures ipsumque monasterium in filiam tuam et monasterii tui recipias ; ita quod abbatia ut nunc monasterium ipsum perpetuo habeatur, ibique conventum secundum statuta ordinis Cisterciensis ejusdem instituas, ipsos et quaslibet personas Deo famulantes ibidem sub norma et professione Cisterciensis ordinis fratrum degere de cetero faciens, reformando eosdem, observatis hactenus in ordine ipso consuetudinibus, et salubribus ipsius instruendo pariter institutis. Contradictores etc. — Dat. Viterbii, X, kal. septembris, anno quarto. »

2655 Viterbe, 13 février 1258.

Abbati Praemonstratensi ejusque coabbatibus et conventibus universis Praemonstratensis ordinis ad instar felicis recordationis Innocentii papae IV indulget ut a nullo alio quam a patribus abbatibus et visitatoribus ejusdem ordinis visitari possint aut corrigi. (Reg. 25, f. 151 v°, an. IV, c. 213.)

«.., *abbati Premonstratensi ejusque coabbatibus et conventibus universis Premonstratensis ordinis.* Pro divini honore nominis, cujus laudibus solita diligentia deservitis, id digne vobis ab Apostolica Sede conceditur per quod vestra religio decoris augmentum et status tranquilli materiam consequatur. Cum itaque Premonstratensis ecclesia, que capud (*sic*) est totius vestri ordinis, postquam ipse, prout asseritis, extitit institutus, a tribus primis abbatibus et annuis visitatoribus, omnes vero alie ecclesie ipsius ordinis, semper a Premonstratensibus et patribus abbatibus ac visitatoribus et aliis de ordine ipso destinatis ab ipsis, et a nullo alio, nisi de mandato Sedis Apostolice, visitate fuerint vel correcte, ac in privilegio eidem ordini ab eadem Sede

concesso habeatur expresse ut, si quid in personis et ecclesiis ipsius fuerit corrigendum, ad audientiam Premonstratensis capituli referatur, ut ibi, prout justitie et honestati congrueret, emendetur, nos devotionis vestre precibus annuentes, ut predicte Premonstratensis et alie ecclesie sicut olim, sic et imposterum a predictis abbatibus ac visitatoribus et aliis de ordine sepedicto dumtaxat, et a nullo alio, sine mandato Sedis predicte plenam faciente de hac indulgentia mentionem, visitari possint aut corrigi, ad instar felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, vobis auctoritate apostolica indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, idibus februarii, anno quarto. »

2656 Viterbe, 5 juin 1257.

Infrascriptis mandat ut ecclesiam de Bellagarda, Nemausensis diocesis, cedente vel decedente priore, ecclesiae de Brozano reintegrare curent. (Reg. 25, f. 151 v°, an. IV. c. 214.)

« .., *sacriste secularis ecclesie Baniolensis, et.., priori de Turre Ayvie, ordinis Sancti Augustini, Forojuliensis et Aquensis diocesium.* Sua nobis dilectus filius Pontius, dictus Guido, canonicus ecclesie Nemausensis, ordinis Sancti Augustini. prior ecclesie de Brozano, petitione monstravit quod, licet ecclesia ipsa de Brozano et ecclesia de Bellagarda, Nemausensis diocesis, per solum priorem, canonicum ipsius Nemausensis ecclesie ad quam predicte ecclesie de Brozano et de Bellagardia pertinent aliquando consueverint gubernari, tamen venerabilis frater noster.., episcopus,.., prepositus et capitulum dicte Nemausensis ecclesie, easdem de Brozano et de Bellagarda ecclesias separarunt pro sue libito voluntatis. Quare dictus Pontius nobis humiliter supplicavit ut, cum redditus ipsius ecclesie de Brozano sint adeo tenues et exiles quod idem non potest ex eis commode sustentari, providere sibi et eidem ecclesie super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, predicte ecclesie de Bellagarda, priore cedente vel decedente, eam dicte ecclesie de Brozano per vos vel per alios reintegrare curetis, ita quod per unum gubernentur priorem, prout fieri, consuevit. Non obstantibus aliquibus indulgentiis — valeat vel differri. Contradictores —. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane quicquid contra presentis mandati nostri tenorem super hoc contingat attemptari. Quod si non ambo etc. Dat. Viterbii, nonis junii, anno tertio. »

2657 Viterbe, 8 juillet 1257.

Officiali Parisiensi et magistro Johanni de Brisinteio, canonico Meldensi, mandat ut quosdam praelatos et nobiles regni Franciae ad redditus magistro de Tarento, civi Romano, debitos persolvendos compellant. (Reg. 25, f. 152, an. IV, c. 215.)

« .., *officiali Parisiensi et magistro Johanni de Brisinteio, canonico Meldensi, Parisius commoranti.* Dilecto filio Magistro de Tarento, cive Romano, accepimus conquerente quod venerabilis frater noster.., archiepiscopus Remensis,.., abbas Sancti Eligii Noviomensis, ..,abbas monasterii Sancte Marie Suessionensis eorumque conventus, nobilis vir Matheus, dominus Montis Montaciaci (?) et quidam alii abbates, abbatisse, conventus et nobiles Suessionensis, Noviomensis et Parisiensis civitatum et diocesium, de quibusdam possessionibus et redditibus annuis in quibus tenentur eidem, sibi satisfacere indebite contradicunt. Nolentes igitur eundem civem, quem propter sue probitatis merita favore benivolo prosequimur, suis juribus defraudari, discretioni vestre mandamus quatinus, si est ita, prefatos archiepiscopum, abbates, abbatissas, conventus et nobiles ut dicto civi, vel procuratori suo ejus nomine, de pensionibus et redditibus ipsis debitam satisfactionem impendant, monitione premissa, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra mediante justitia compellatis, non obstante si alicui persone vel collegio per Sedem Apostolicam sit indultum quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint nisi de indulto hujusmodi expressa mentio in nostris litteris habeatur. Quod si non ambo etc. Dat. Viterbii, VIII idus julii, anno tertio. »

2658 Viterbe, 4 juillet 1258.

Priori et capitulo secularis ecclesiae S. Sepulcri de Novo Vico, Bituricensis diocesis, iterato mandat ut Bartholomeum de Rupe, clericum, in canonicum admittant eique de praebenda provideant, juxta prioris mandati tenorem. (Reg. 25, f. 152, an. IV, c. 216.)

«.., *priori et capitulo secularis ecclesie Sancti Sepulcri de Novo Vico, Bituricensis diocesis.* Bartholomeus de Rupe —. Dat. Viterbii, IIII nonas julii, anno quarto. »

2659 Latran, 13 février 1257.

Eisdem mandat ut dictum Bartholomaeum de Rupe in canonicum et in fratrem recipiant, eique de praebenda provideant. (Reg. 25, f. 152, an. IV, c. 217.)[1]

1. La date montre que cette lettre est celle à laquelle il est fait allusion dans la précédente.

« *Eisdem* Pro dilecto filio. — Dat. Laterani, idibus februarii anno tertio. »

2660 Viterbe, 26 août 1258.

Archiepiscopo Upsalensi concedit, attendens quod pro varietate personarum et regionum poenae sunt provide variandae, ut Willelmi, episcopi Sabinensis, tunc in partibus Suetiae legati Sedis Apostolicae, statutum quo decretum sit « ut quicumque sacerdos vel clericus concubinam haberet publice vel occulte sententiam excommunicationis incurreret » in sua civitate, diocesi et provincia revocet, si absolvi dicti presbyteri et clerici petierint. (Reg. 25, f. 152, an. IV, c. 218 ; Potthast 17367.)

« .., *archiepiscopo Upsallensi*. Tua nobis fraternitas —. Dat. Viterbii, VII kal. septembris, anno quarto. »

2661 Viterbe, 12 septembre 1258.

Infrascriptis indulget ut praelatis ac nuntiis et legatis Apostolicae Sedis contra tenorem indultorum eorum ordini concessorum nullam pecuniae summam exhibere teneantur. (Reg. 25, f. 152 v°, an. IV, c. 219a.)

« .., *de Waverle diversorum monasteriorum abbatibus et conventibus Cisterciensis ordinis in Anglia*. Amena flore virtutum et venusta operum sanctitate sacra religio Cisterciensis ordinis esse dignoscitur, propter quod apud Deum et homines honore ac laudibus dignissima reputatur. Cum itaque ordo vester in Anglia sit ipsius religionis membrum inclitum et angelice conversationis titulis insignitum, consurgit in nobis affectio ut, quando ipsum aliqua vexatione turbari percipimus, sibi de condigni favoris auxilio succurramus. Sane lecta coram nobis vestra petitio continebat quod, cum frequenter contingat ecclesiarum prelatos ac nuntios et legatos Apostolice Sedis generales ab ea litteras impetrare ad archiepiscopos, episcopos ac Cisterciensis et aliorum ordinum abbates exemptos et non exemptos, ut sibi de securo conductu et aliis necessariis in eundo et redeundo debeat provideri, iidem prelati ac nuntii seu legati, hujusmodi litteris abutentes, earum pretextu a vobis et monachis vestris certam summam pecunie contra indulta eidem ordini vestro a dicta Sede concessa, exigere et extorquere presumunt, in vos et illos de vestris collegiis (*sic*), qui se super hoc opponunt eisdem, suspensionis aut excommunicationis et vestra monasteria interdicti sententias promulgando, quamquam prelatis, nuntiis et legatis predictis, cum ad vos perveniunt parati sitis de necessariis sine carnium esu, juxta provisionem a predicta Sede super hoc in ordine vestro editam, et hactenus observatam liberaliter providere. Quare pro parte vestra humiliter petebatur a nobis ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestre quieti consulere, ac tante abusioni obviare volentes, ut occasione litterarum hujusmodi non teneamini eisdem prelatis, nuntiis et legatis contra tenorem indultorum ipsorum aliquam pecuniam exhibere, dummodo ipsis de predictis necessariis, absque carnibus, juxta prefatam provisionem providere curetis, auctoritate vobis presentium indulgemus, decernentes quod hujusmodi sententie, si de cetero in vos aut aliquem vestrum, seu monasteria vestra propter premissa promulgate fuerint, ex nunc sint irrite et inanes. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, II idus septembris, anno quarto. »

2662 Viterbe, 17 septembre 1258.

Eisdem indulget ut ad exhibendam decimam de ipsorum proventibus regi Angliae minime teneantur. (Reg. 25, f. 122 v°, an. IV, c. 219b.)

« *Eisdem*. Patris imitantes officium pia studentis exequi desideria filiorum, libenter in hiis vota vestra perficimus per que vobis status proveniat affectatus. Transmissa siquidem nobis vestra petitio continebat, quod, licet nos ad supplicem instantiam dilecti filii nostri I., tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, a qualibet prestatione seu contributione decime quam de proventibus ecclesiasticis carissimo in Christo filio nostro.., illustri regi Anglie in regno suo et locis sibi subjectis, usque ad certum tempus concessimus, vos et ordinem vestrum de speciali gratia duxerimus eximendos nonnulli tamen electores[1] ipsius decime, pretextu litterarum nostrarum in quibus continetur quod eam ab exemptis et non exemptis monasteriis atque locis colligant, vos et vestra monasteria super hoc multipliciter inquietant. Quare humiliter pro vestra parte petebatur a nobis ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque obtentu sacre religionis vestre, cui pro divini honore nominis debetur favor gratie specialis, vestris supplicationibus annuentes, vobis auctoritate presentium indulgemus ut, per hujusmodi seu quascunque alias litteras vel indulgentias, sub quacunque forma vel expressione verborum eidem regi vel quibuscumque aliis ab Apostolica Sede concessas

1. *Sic*. Il faudrait *collectores* ou *exactores*.

vel concedendas, etiam si contineatur in eis quod Sedis ejusdem concessio vel mandatum in eisdem litteris contentum non obstante aliqua ipsius Sedis indulgentia debeat adimpleri, ad exhibendam dictam decimam de vestris proventibus vel contribuendum in ipsa minime teneamini, nec ad ea compelli possitis, nisi hujusmodi littere vel indulgentie apostolice impetrande de ordine vestro et hac indulgentia plenam et expressam fecerint mentionem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XV kal. octobris, anno quarto. »

2663 Viterbe, 7 août 1258.

Johanni, rectori ecclesiae S. Christophori extra muros civitatis Leodiensis et filiabus beghinis habitantibus in parrochia ipsius ecclesiae indulget ut extra civitatem Leodiensem trahi non possint in causam per litteras Sedis Apostolicae vel legatorum ipsius, nisi litterae Sedis ejusdem de indulgentia hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem, praesentibus post quinquennium minime valituris. (Reg. 25, f. 152 v°, an. IV, c. 220.)

« *Johanni, rectori ecclesie Sancti Christofori extra muros civitatis Leodiensis, et dilectis in Christo filiabus bechinis* (1) *habitantibus in parrochia ipsius ecclesie.* Desideriis vestris in —. Dat. Viterbii, VII idus augusti, anno quarto.»

2664 Viterbe, 17 mai 1258.

Ordinis Florensis institutiones confirmat nonnullasque indulgentias ei concedit. (Reg. 25, f. 153, an. IV, c. 221.)

« .., *abbati Floris et universis ejusdem ordinis abbatibus, tam presentibus quam futuris, canonice substituendis in futurum.* Attendentes quomodo vos —. Ea propter dilectissimi in Domino filii, quia vos elegit Dominus in hereditatem sibi et a longe de alto respexit, sacre nimirum religionis vestre opinione tanquam odore agri pleni cui benedixit Dominus, provocati, religiosis postulationibus vestris, ad instar felicis recordationis Gregorii pape, predecessoris nostri, benignum prout decet impertimur assensum et regulares institutiones vestras auctoritate apostolica confirmantes, concedimus et indulgemus vobis ut monasteria que ab ecclesia Florensi et filiabus ejus fundata sunt vel de cetero per derivationem aut institutionem fuerint propagata, recipere nequeant alterius ordinis instituta. Deinde ut ordo monasticus secundum Deum et Beati Benedicti regulam atque institutionem Florensium fratrum in eisdem monasteriis institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Paci denique et tranquillitati vestre, quantum nobis gratia divina concedit prospicere cupientes, apostolica vobis auctoritate concedimus et indulgemus ut abbates vestri ordinis, qui aliquo crimine fama publica respersi aut publice convicti, a patribus abbatibus secundum formam ordinis commoniti, sue prolationi sponte cedere noluerint ad Sedem Apostolicam appellandi facultatem non habeant aut suum reatum per personas aliquas defendendi. Sancimus preterea ut si episcopi tertio cum humilitate et devotione, sicut convenit, requisiti, substitutos abbates benedicere forte renuerint, eisdem abbatibus liceat novitios proprios benedicere, et alia que ad illud officium pertinent exercere, donec ipsi episcopi duritiam suam recogitent et abbates benedictos benedicere non recusent. Sane, si episcopi ab abbatibus aliquid preter obedientiam debitam, contra libertatem ordinis a predecessoribus nostris et nobis indultam, expetierint, liberum sit eisdem abbatibus auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista ordo ipse qui hactenus liber extitit, perpetue servitutis laqueo vinciatur. Quod si episcopi aliquam propter hoc in personas vel ecclesias vestras sententiam promulgaverint, eandem sententiam tamquam contra Apostolice Sedis indulta prolatam, irritam fore sancimus.

Decernimus ergo ut nulli hominum aliquando liceat hiis que in hac pagina ex auctoritate Apostolorum principis a nobis constituta, confirmata et concessa sunt, ausu temerario contraire ac nostre hujus sanctionis vigorem aliqua presumptione infringere. Si quis autem hoc attemptare presumserit, et culpam suam satisfactione congrua contempserit emendare, divine animadversionis judicio se noverit subjacere. Cunctis autem ista servantibus sit gratia et pax a Deo et Domino nostro Jhesu Christo quatenus et hic fructum pie devotionis ac actionis bone percipiant, et apud suppremum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Dat. Viterbii per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, XV kal. maii, indictione I, Incarnationis dominice anno M° CC° LVIII°, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno quarto.»

2665 Viterbe, 5 septembre 1258.

Willelmo de Asneriis, capellano suo, indulget ut possit decanatum Lexoviensem cum ecclesia sua S. Aidoeni de Morenvilla, Lexoviensis diocesis, etiam curam ani-

1. L'adresse mise en marge : et la rubrique donnent la forme *bechinis*, le texte : *beghine*.

marum habente, licite simul habere, ac praeter haec unicum adhuc beneficium, etiam si dignitas vel personatus existat et similem curam habeat, recipere et retinere, et si eadem beneficia resignaret, loco ipsorum alia similia beneficia recipere et habere. (Reg. 25, f. 153, an. IV, c. 222.)

« *Willelmo de Asneriis, capellano nostro, decano Lexoviensi.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Viterbii, nonis septembris, anno quarto. »

2666 Viterbe, 31 août 1258.

Magistro Rogerio de Scytone indulget ut, praeter ecclesiam de Wika Hamonis, Lincolniensis diocesis, duo alia ecclesiastica beneficia, etiam si curam animarum habeant, possit recipere et retinere et si aliquod ex illis resignaret, liceat ei aliud loco illus quod resignaverit recipere. (Reg. 25, f. 153, an. IV, c. 223.)

« *Magistro Rogerio de Scytone, rectori ecclesie de Wika Hamonis, Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, II kal. septembris, anno quarto. »

2667 Viterbe, 6 novembre 1257.

Submissionem monasterii S. Mariae insulae Usticae in Mari, Panormitanae diocesis, monasterio Casemarii, Verulanae diocesis, confirmat, ut in praecedenti, littera (1), cum clausula speciali. (Reg. 25, f. 153 v°, an. IV, c. 224.)

«. ., *abbati et conventui monasterii Casemarii, Cisterciensis ordinis, Verulanae diocesis.* Cum a nobis (2) —. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati quod super hoc ab eisdem priore et fratribus factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes defectum, si quis ex quacunque causa extitit in premissis, de apostolice plenitudine potestatis, ac statuentes ut dicta ecclesia et persone inibi commorantes, cum omnibus juribus et pertinentiis suis que in presentiarum juste ac pacifice possident et in futuris temporibus, dante Domino, poterunt adipisci, vobis et monasterio vestro subsint, decernentes nichilominus irritum et inane si quod contra premissa vel aliquod premissorum a quoquam contigerit attemptari. Tenorem litterarum ipsarum etc. — Dat. Viterbii, VII idus novembris, anno tertio. »

1. Cap. 152, n° 2579
2. Pour les passages supprimés ici, voir le n° 2579

2668 Viterbe, 13 avril 1258.

Praeposito ecclesiae S. Audomari, Morinensis diocesis, mandat ut magistrum Arditionem de Comite recipiat in canonicum eique de praebenda aliqua provideat. (Reg. 25, f. 154, an. IV, c. 225.)

« .., *preposito ecclesie Sancti Audomari, Morinensis diocesis.* Dilectus filius magister Arditio de Comite, subdiaconus noster, prepositus Sancti Laurentii Mediolanensis, capellanus dilecti filii nostri O., Sancti Adriani diaconi cardinalis, nobis exposuit quod dilectus filius.., prepositus ecclesie Furnensis, capellanus noster, Morinensis diocesis, ad quem collatio prebendarum in ipsa ecclesia pertinet, eidem magistro, auctoritate litterarum felicis recordationis I., pape predecessoris nostri, canonicatum ipsius ecclesie cum plenitudine juris canonici contulit, ipsumque de dicto canonicatu per suum pileum investivit, dictusque predecessor quod super hoc ab eodem preposito Furnensi factum extitit confirmavit. Verum idem magister Arditio, dubitans ne per constitutionem nostram per quam receptiones prebendas expectantium vacaturas factas in ecclesiis, quatuor dumtaxat exceptis, decrevimus irritas et inanes, ab eadem ecclesia sit exclusus, nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque jus quod sibi ex hujusmodi collatione et investitura canonicatus in dicta ecclesia competebat, constitutione non obstante predicta, in statum pristinum suscitantes ac nolentes [quod] per constitutionem nostram super collatione et investitura hujusmodi jure canonicatus, et assecutione prebende in dicta ecclesia eidem magistro prejudicium aliquod generetur, decernentes quoque prefato magistro ex collatione et investitura, predictis in ecclesia memorata, constitutione non obstante predicta, prebendam competere ac deberi, mandamus quatinus, si est ita, eundem magistrum facias recipi in dicta ecclesia in canonicum et in fratrem eique de prebenda nulli alii de jure debita, siqua in prelibata ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, per te vel per alium providere procures. Contradictores etc. Nolumus tamen per hoc dilecto filio magistro Abaiamonti, consanguineo nostro, pro quo in eadem ecclesia direximus scripta nostra, et quem [in] prebende assecutione eidem magistro et omnibus aliis in ecclesia ipsa receptis preferri volumus, aliquod prejudicium generari. Dat. Viterbii, idibus aprilis, anno quarto. »

2669 Viterbe, 25 septembre 1258.

Episcopo Tusculano mandat ut, idonea cautione recepta, Alelmum, Ambianensem episcopum, ab omnibus sententiis in eum per quoscumque judices ordinarios, vel etiam Sedis Apostolicae aut legatorum ejus delegatos, executores seu etiam conservatores, forsitan promulgatis, ac etiam sententiis canonum absolvat. (Reg. 25, f. 154, an. IV, c. 226.)

« .., *episcopo Tusculano*. Licet venerabilis frater —. Dat. Viterbii, VII kal. octobris, anno quarto. »

2670 Viterbe, 6 septembre 1258.

Episcopo Ambianensi indulget ut ad receptionem seu provisionem alicujus in praebendis vel beneficiis ecclesiasticis ad ejus collationem spectantibus, necnon et pensionibus compelli non possit, neque per alium de ipsis alicui provideri valeat per litteras apostolicas a Sede Apostolica seu legatis ejusdem impetratas (1) dummodo non sit per eas jus alicui acquisitum, aut de coetero impetrandas absque ipsius Sedis speciali mandato faciente plenam de hac indulgentia mentionem. (Reg. 25, f. 154 v°, an. IV, c. 227.)

«.., *episcopo Ambianensi*. Promerente tue devotionis —. Dat. Viterbii, VIII idus septembris, anno quarto. »

2671 Viterbe, 28 septembre 1258.

Eidem, ad instar I[nnocentii] papae, praedecessoris, indulget ut nullus delegatus ab ipso vel subdelegatus possit in personam ejus suspensionis vel interdicti aut excommunicationis sententiam promulgare absque speciali Apostolicae Sedis mandato faciente de indulgentia illa mentionem. (Reg. 25, f. 145 v°, an. IV, c. 228.)

« *Eidem*. Etsi libenter petentibus —. Dat. Viterbii, IIII kal. octobris, anno quarto. »

2672 Viterbe, 15 mars 1258.

R., archidiacono de Rebeye, Conventrensis diocesis, indulget ut, praeter archidiaconatum de Rebeye et alia ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, unicum aliud beneficium, etiam si similem curam habeat et sit personatus vel dignitas, et si eum praedictum archidiaconatum vel aliquod ex aliis beneficiis suis resignare contigerit, aliud beneficium, personatum, vel dignitatem loco illius quod resignaverit recipere et retinere possit. (Reg. 25, f. 154 v°, an. IV, c. 229.)

« R., *archidiacono de Rebeye, Conventrensis diocesis*. Meritis tue probitatis —. Dat. Viterbii, idibus martii, anno quarto. »

1. Ce mot manque dans le texte.

2673 Viterbe, 31 août 1258.

Infrascriptis concedit ut ecclesiam S. Pauli sitam in suburbio civitatis Cantuariensis in qua jus patronatus habent, cujusque proventus valentiam quindecim marcorum Sterlingorum annis singulis non excedunt, cedente vel decedente ipsius rectore, suis usibus applicare et ejus possessionem retinere possint, proviso tamen quod capellano in eadem ecclesia Domino perpetuo servituro, competens de ipsius proventibus portio assignetur. (Reg. 25, f. 154 v°, c. 230ª ; Potthast 17310.)

« .., *abbati et conventui monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti*. Sedis Apostolice gratia —. Dat. Viterbii, II kal. septembris, anno quarto. »

2674 Viterbe, 3 août 1258.

Abbati et priori S. Edmundi Norwicensis mandat ut abbatem et conventum monasterii S. Augustini Cantuariensis supradictos in possessionem dictae ecclesiae S. Pauli, cedente vel decedente rectore ipsius, inducant. (Reg. 25, f. 154 v°, an. IV, c. 230ᵇ.)

« .., *abbati et.., priori Sancti Edmundi Norwicensis*. Sedis Apostolice gratia —. Dat. ut supra. »

2675 Viterbe, 4 octobre 1258.

Abbati de S. Agatha mandat ut ecclesiam de Leysingby, Karleolensis diocesis, a magistro Galfrido de S. Agatha, rectore ecclesiae de Houcton, Dunelmensis diocesis, capellano O., S. Adriani diaconi cardinalis, qui duas praedictas ecclesias absque dispensatione Sedis Apostolicae retinuerat, libere resignatam eidem magistro, satisfactione de fructibus medio tempore perceptis poenitentiaque salutari impositis, assignent eique auctoritate apostolica dispensent ut dictas ecclesias possit insimul libere retinere ac, eo ipsarum alteram resignante, possit loco illius quam resignaverit, aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si dignitas vel personatus existat et similis ei cura immineat, recipere. (Reg. 25, f. 155, an IV, c. 231.)

«.., *abbati e Sancta Agatha, Eboracensis diocesis*. Dilectus filius magister —. Dat. Viterbii, IIII nonas octobris, anno quarto. »

2676 Viterbe, 6 juillet 1258.

Religiosis monasterii S. Egidii, Nemausensis diocesis, indulget ut ad solutionem debitorum pro quibus Petrus dictus de Castris, prior prioratus de Seura, contra litterarum apostolicarum auctoritatem monasterium ipsorum obligaverat, minime teneantur. (Reg. 25, f. 155, an. IV, c. 232.)

« .., *abbati et conventui monasterii Sancti Egidii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio, pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Nemausensis diocesis.* Petitio vestra nobis exhibita continebat quod olim inter te, fili abbas, ex parte una, et Petrum dictum de Castris, priorem prioratus de Seura et quosdem alios monachos monasterii vestri sibi adherentes, ex altera, super diversis articulis orto materia questionis, tandem dilectus filius noster H., tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis a nobis super hoc partibus datus auditor, cujus ordinationi partes ipse se totaliter submiserunt, de observanda ipsius ordinatione prestito ab eisdem partibus juramento, inter alia ordinavit, ac ipsi Petro inhibuit, sub debito prestiti juramenti, et de nostro speciali mandato precepit ne predictus Petrus monasterium ipsum aut ejus membra, eodem prioratu dumtaxat excepto, in aliquibus summis pecunie obligaret, idemque cardinalis, si dictus prior secus faceret, decreverit irritum et inane. Verum idem Petrus hujusmodi juramenti religione neglecta, quarundam litterarum nostrarum auctoritate, in quibus de inhibitione, juramento et decreto hujusmodi nulla mentio habebatur, predictum monasterium in quibusdam pecuniarum summis quibusdam creditoribus obligavit. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis et eidem monasterio super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ut hujusmodi debita de bonis dicti prioratus dumtaxat solvi debeant, premissis veris existentibus, decernentes, auctoritate vobis presentium indulgemus ut ad solutionem predictorum debitorum minime teneamini nec ad id compelli possitis per litteras Sedis Apostolice impetratas vel etiam impetrandas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, II nonas julii, anno quarto. »

2677 Viterbe, 4 octobre 1258.

Ministro provinciali in Aragonia ordinis fratrum Minorum iterato mandat ut, nonobstantibus indulgentiis ab ipsis invocatis, abbatissae et conventui monasterii S. Antonii extra muros Barchinonensis, ordinis S. Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, aliquot fratres concedat qui illis spiritualia subministrent. (Reg. 25, f. 155, an. IV, c. 233 ; Potthast 17386.)

« .., *ministro provinciali in Aragonia ordinis fratrum Minorum.* Sub certa forma —. Dat. Viterbii, IIII nonas octobris, anno quarto. »

2678 Viterbe, 9 septembre 1258.

Attestatur quod castrum Acuti, Anagninae diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ad ecclesiam Anagninam pertinet. (Reg. 25, f. 155 v°, an. IV, c. 234.)

« *Ad perpetuum rei memoriam.* Ex assumpto apostolatus officio ad universas prospicientes ecclesias, in eo precipue debemus vigilantis sollicitudinis adhibere studium circa eas ut, cum Dei adjutorio, ipsas in salubri statu regamus —. Sane inter alias ecclesias Anagninam, nostre quidem nutricem adolescentie ac magistram, affectu nimirum diligimus speciali, et dulcedinis uberum ejus memores, merito vehementer accendimur ut ipsius honorem et commodum attentius procuremus. Ibi enim bases sumpsimus nostri status, ibi nostre provectionis exordia pullularunt, ipsa profectibus nostris dedit initium, ipsa ut mater nostram suis beneficiis pueritiam educavit et ad salutaria(1) documentis ecclesiasticis erudivit, illi nos et in annis teneris et per incrementa firmioris etatis sedulum impendimus famulatum, et, ab illius procedentes gremio, potiorum ministeriorum subivimus onera, de quibus postmodum in sublimius honores nos rapuere precelsi. Quare convenit ut pro ejus indempnitate propensius et instantius vigilemus. Quia igitur in ipsa ecclesia, cujus canonicus fuimus, diu continuam residentiam fecimus et in suis obsequiis longa decurrimus tempora et explevimus plures annos, plene utique novimus jura ejus, munimenta super ipsius pertinentiis manifesta sunt nobis, et de suis rationibus plenariam certitudinem obtinemus, sicut qui vidimus et pertractavimus et qui circa hec plurimum extitimus studiosi, certificati nichilominus ex dictis sinceris et puris assertionibus antiquorum.

Unde quia veraciter et pro certo scimus et tamquam de re omnino notoria et evidentissima patulo constat nobis quod castrum Acuti, Anagnine diocesis, jam dudum ab eadem ecclesia quondam Ildicio, judici, civi Anagnino et ejus successoribus vel heredibus seu posteris usque in tertiam generationem sub certo tenore locatum, ad ecclesiam ipsam pleno jure pertinet, et sui juris et proprietatis existit, ac ad eam temporale sive seculare ipsius castri dominium omnisque illius jurisdictio plene spectat, nos, ne de hoc ambigi possit in posterum, nec(2) super eodem castro calumpniam aut molestiam aliquo tempore predicta ecclesia patiatur, dicimus, asseveramus et firmiter attestamur quod prefatum castrum Acuti, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ejusque proprietas, dominium et jurisdictio integre,

1. Reg. : *salutaitaria* (?)
2. Reg. : *nove.*

ut premissum est, ad ecclesiam pertinet memoratam, et ad firmam et plenam hujus rei certitudinem ac ad efficacem cautelam perpetuamque memoriam, presentes testimoniales quidem super hiis litteras eidem ecclesie de apostolica providentia exhibemus. Statuimus itaque auctoritate apostolica ut hec littere vim et robur ac vigorem et valorem legitimarum et sufficientium probationum, seu legitimorum et efficatium documentorum per omnia prorsus obtineant, ita quod de hac re, tam in judicio quam extra judicium, etiam si nulla alia instrumenta seu documenta super hoc apparuerint, solis eisdem litteris firmiter absque ulla dubitatione credatur, ipseque cunctis de hoc omnimodam certitudinem tribuant, et faciant plenam fidem. Nulli nostre asseverationis, attestationis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, V idus septembris, anno quarto. »

2679 Viterbe, 8 septembre 1258.

Omnibus fratres novi Hospitalis de Misericordia Pisani adjuvantibus septimam partem injunctae pœnitentiœ relaxat (Reg. 25, f. 155 v°, an. IV, c. 235.)

« *Universis Christi fidelibus.* Si juxta sententiam—. Cum igitur dilecti filii.., magister et fratres novi Hospitalis de Misericordia Pisani, quod pape Alexandri dicitur, ad hoc totis viribus elaborent ut undique confluentium egenorum pariter et egrorum necessitatibus se exponant, universitatem vestram monemus et hortamur in Domino ac in remissionem vobis injungimus peccatorum quatinus, ut cooperatores sitis operum pietatis etc. usque : beneficia prestiterint, annuatim septimam partem injuncte penitentie relaxamus, auctoritate apostolica statuentes ut hiis qui eorum fraternitatem assumpserint, si ecclesie ad quas pertinent etc. sicut in forma ipsa continetur de verbo ad verbum usque : resistit. Dat. Viterbii, VI idus septembris, anno quarto. »

2680 Viterbe, 6 octobre 1258.

Archidiacono Dunelmensi mandat ut ecclesiam de Cliftone, Karleolensis diocesis, curam animarum habentem, a Johanne de Thychemers, diacono Lincolniensis diocesis, qui eam absque Sedis Apostolicae dispensatione receperat, libere resignatam, eidem diacono, satisfactione de fructibus medio tempore perceptis poenitentiaque impositis, si de idoneitate sua constiterit, de novo assignet, dispensando ut, non obstante defectu natalium, possit in susceptis ministrare ordinibus, promoveri ad sacerdotium, et dictam ecclesiam licite retinere. (Reg. 25, f. 155 v°, an. IV, c. 236.)

«.., *archidiacono Dunelmensi.* Dilectus filius Johannes—. Dat. Viterbii. II nonas octobris, anno quarto. »

2681 Viterbe, 23 juillet 1257.

Episcopo Aurelianensi et decano ac capitulo S. Lifardi Magdunensis, Aurelianensis diocesis, mandat ut Johannem dictum Polain, clericum ejusdem diocesis, qui electi Vulterrani, tam in Tuscia quam alibi, in Ecclesiae Romanae negociis pluribus annis obsequiis fideliter institerat in canonicum et in fratrem recipiant eique stallam in choro et locum in capitulo cum plenitudine juris canonici assignent, praecipiendo eidem episcopo ut dicto Johanni aliquam praebendam conferat. (Reg. 25, f. 156, an. IV, c. 237.)

«.., *episcopo Aurelianensi et.., decano et capitulo Sancti Lifardi Maudunensis* (sic), *Aurelianensis diocesis.* Per laudabilis conversationis —. Dat. Viterbii, X kal. augusti, anno tertio. »

2682 Viterbe, 7 septembre 1258.

Archiepiscopo Remensi faciendi recipi in ecclesia Remensi duos clericos quos ad hoc idoneos esse cognoverit in canonicos et in fratres, ac providendi eorum utrique de praebenda, necnon contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione posposita, compescendi, concedit facultatem. (Reg. 25, f. 156, an. IV, c. 238.)

« .., *archiepiscopo Remensi.* Tuam volentes honorare —. Dat. Viterbii, VII idus septembris, anno quarto. »

2683 Viterbe, 27 avril 1258.

Electo Toletano mandat ut Arnaldo de Devesa, clerico S. Felicis Gerundensis, quamdam in ecclesia Conchensi praebendam vacantem conferat. (Reg. 25, f. 156, an. IV, c. 239.)

«.., *electo Toletano.* Circa dilectum filium Arnaldum de Devesa, pauperem clericum secularis ecclesie Sancti Felicis Gerundensis, obtentu dilecti filii fratris Raymundi de Pennaforti, penitentiarii et capellani nostri, pro eo digne gerimus paterne benignitatis affectum quia de honestis vita et moribus ac scientia plurimum commendatur. Sane idem clericus exposuit coram nobis quod in ecclesia Conchensi prebendam quam quondam Lupus Petri canonicus ipsius, in ea optinuit de facto et de jure tanto tempore jam vacavit, ut illius collatio secundum statuta Lateranensis concilii sit ad nos legi-

time devoluta. Cum itaque supradictus capellanus per affectuosas litteras apostolicam pro dicti clerico gratiam duxerit implorandam, nos in eodem clerico personam ipsius capellani honorare volentes, discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus prebendam eandem, siquod de ipsius vacatione proponitur veritate fulcitur, prefato clerico auctoritate nostra per te vel per alium conferas, et eum in corporalem possessionem illius inducas et defendas inductum, ac ipsum ad illam facias in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, dummodo velit ibidem residere personaliter et ad ordines quos onus prebende hujusmodi exiget promoveri Non obstante quod idem A. quoddam beneficium ecclesiasticum sine cura animarum est adeptus, cujus redditus duarum marcharum argenti valorem annuum computatis omnibus non excedunt, aut si pro aliis —. Dat. Viterbii, V kal. maii, anno quarto. »

2684 Viterbe, 23 juillet 1258.

Camaldulensis ordinis Heremum ac monasteria, prioratus, hospitalia et alia loca ei subjecta specialiter in jus et proprietatem B. Petri suscipit, ac praecipit et sancit, ne cuiquam omnino personae, clerico vel monacho cujuscunque ordinis aut dignitatis seu laïco, congregationes illas et loca illa quae praedicti Heremi ordinem et disciplinam susceperunt, ab ejus ullo modo subjectione et unitate dividere liceat, statuens insuper ut omnia monasteria etc. a priore generali regentur, Romano tantum pontifici subjiciantur et ab omni alia jurisdictione eximentur; privilegia et exemptiones nonnulla concedit, omnesque libertates et consuetudines confirmat. (Reg 25, f. 156 v° — 157 v°, an. IV, c. 240; Potthast 17352.)

« .., *priori Camaldulensi ac universis abbatibus, prioribus et abbatissis eorumque fratribus et sororibus Camaldulensis ordinis, tam presentibus quam futuris regni professis in perpetuum.* Officii nostri nos —. Dat. Viterbii per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii et notarii, X kal. augusti, indictione I, Incarnationis dominice anno M.CC.LVIII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno quarto. »

2685 Viterbe, 9 septembre 1258.

Permutationem quam Nicolaus de Dinanto, canonicus ecclesiae S. Petri Insulensis, Tornacensis diocesis, et Johannes de Brugis, diaconus ecclesiae de Melle, Cameracensis diocesis, facere intendebant, fieri mandat. (Reg. 25, f. 158, an. IV, c. 241.)

«.., *Tornacensi et.., Cameracensi episcopis* Ex parte dilectorum filiorum Nicolai de Dinanto, canonici ecclesie Sancti Petri Insulensis, Tornacensis diocesis, et Johannis de Brugis, diaconi persone ecclesie de Melle, Cameracensis diocesis, fuit propositum coram nobis, quod dictus Nicolaus prebendam sacerdotalem quam obtinet in eadem ecclesia Insulensi, et idem Johannes altare ipsius ecclesie de Melle, quod personatus vulganter nuncupatur, intendunt ad invicem permutare. Quare nobis humiliter supplicarunt ut fieri permutationem hujusmodi per discretos aliquos mandaremus. Nos itaque volentes vobis, diocesanis eorum, in hac parte deferre, ipsorum Nicolai et Johannis inducti precibus, fraternitati vestre mandamus quatinus tu, Tornacensis, ab eodem N. dicte prebende, tuque, Cameracensis episcopi, personatus hujusmodi ab eodem J. libera resignatione recepta, tu, Tornacensis, prebendam ipsam eidem Johanni, parato in eadem ecclesia Insulensi, sicut asserit personaliter residere, ac in presbiterum se facere proximis statutis temporibus promoveri, et tu, Cameracensis episcopi, personatum eundem dicto Nicolao per vos vel alios conferre curetis, si saluti animarum ipsorum et utilitati earundem ecclesiarum videbitis expedire, facientes ipsos recipi ad predicta in ecclesis supradictis. Contradictores etc. Non obstante si aliquibus —. Dat. Viterbii, V idus septembris, anno quarto.»

2686 Viterbe, 1er juillet 1258.

Priori S. Spiritus Regini mandat ut, capitulo ecclesiae vel majori parte concordante, tribuat Guillelmo, episcopo Regino, licentiam permutandi quasdam possessiones ad episcopatum suum spectantes, in territorio de « Bangno », ejusdem diocesis, cum quibusdam aliis possessionibus quas magister Bartholomaeus, canonicus ecclesiae S. Prosperi Regini, per suam industriam in quibusdam aliis locis ejusdem diocesis acquisiverat. (Reg. 25, f. 158, an. IV, c. 242.)

« .., *priori Sancti Spiritus Regini.* Ex parte venerabilis —. Dat. Viterbii, kalendis julii, anno quarto. »

2687 Viterbe, 4 octobre 1258.

Elye de Hereford, clerico Lincolniensis diocesis, indulget ut praeter duo ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quarum unum intitulatum et aliud commendatum habet, quorumque proventus duodecim marcarum summam annis singulis secundum communem extimationem patriae non excedunt, possit adhuc duo alia beneficia, etiamsi eorum alterum dignitas aut personatus existat et similis ei cura immineat, recipere,

et si unum vel duo ex illis ei resignare contigerit, liceat ei totidem alia recipere ac cum reliquis retinere. (Reg. 25, f. 158, an. IV, c. 243.)

« *Elye de Hereford, clerico Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Viterbii, IIII nonas octobris, anno quarto. »

2688 Viterbe, 4 octobre 1258.

Radulfo Lof, clerico Saresbiriensis diocesis, simili modo indulget ut, praeter duo ecclesiastica beneficia curam animarum habentia, quorum unum intitulatum et aliud commendatum habet, quorumque proventus duodecim marcarum Sterlingorum summam annis singulis non excedunt, possit adhuc duo alia beneficia recipere etc... ut supra. (Reg. 25, f. 158, an. IV, c. 244.)

« *Radulfo Lof, clerico Saresbiriensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas — etc. usque in finem. »

2689 Anagni, 23 novembre 1258.

Priori et conventui Eliensibus, propter vehementiam frigoris, concedit ut pileis ordini eorum congruentibus, necessitatis tempore, in monasterio uti possint. (Reg. 25, f. 158, an. IV, c. 245.)

« .., *priori et conventui Eliensibus, ordinis Sancti Benedicti,* Virtutum merita quibus —. Dat. Anagnie, VIIII kal. decembris, anno quarto. »

2690 Anagni, 19 novembre 1258.

R., abbati monasterii S. Augustini, Cantuariensis diocesis, cum ei sit indultum ut ostiaratus et lectoratus ordines suis possit subditis impertiri, indulget ut monachos ei subditos ad acolitatus ordinem promovere valeat, locis et temporibus oportunis. (Reg. 25, f. 158 v°, an. IV, c. 246.)

« *R., abbati monasterii S. Augustini Cantuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Speciali prosequi tuam —. Dat. Anagnie, XIII kal. decembris, anno quarto. »

2691 Viterbe, 4 octobre 1258.

Episcopo Petragoricensi mandat ut, non obstante capituli ecclesie oppositione, Ramnulphum archipresbyterum de Veteri Marilio, Lemovicensis diocesis, in Petragoricensi ecclesia recipi eique de proventibus debitis provideri faciat. (Reg. 25, f. 158 v°, an. IV, c. 247.)

« .., *episcopo Petragoricensi.* Significavit nobis Ramnulphus, archipresbiter de Veteri Marolio, rector ecclesie de Subterranea, Lemovicensis diocesis, quod olim felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, tibi faciendi recipi in Petragoricensi ecclesia dictum R. in canonicum et in fratrem, et providendi sibi de proventibus ipsius ecclesie, sicut unum ex aliis canonicis ipsius ecclesie, si tibi et majori parti ejusdem capituli placeret, necnon et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstante partis contradictione minoris, liberam sub certa forma concessit per suas litteras facultatem, vel si predecessor ipse in eadem ecclesia pro aliis direxerat scripta sua, aut quod dictus R. alias beneficiatus existit, vel si personis ejusdem ecclesie foret ab Apostolica Sede indultum quod ad receptionem alicujus minime tenerentur, seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possent per litteras dicti Sedis, nisi plena et expressa in eis de indulto hujusmodi mentio haberetur. Verum cum a te capitulo ecclesie supradicte ut eundem R. reciperent, fuissent plures termini assignati, ex parte ipsorum responsum extitit quod prefatum R. nullatemus reciperent, nisi superveniret coactio quam evitare non possent, licet contra personam ipsius nichil duxerint proponendum; propter quod dictus R. de gratia ipsa nullum adhuc comodum reportavit. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus, veris existentibus supradictis, ipsum in eadem ecclesia recipi in canonicum et in fratrem, et de proventibus ipsius ecclesie sicut uni ex aliis ejusdem ecclesie canonicis, ei per te vel per alium facias provideri. Non obstante si pro aliis in eadem ecclesia direximus scripta nostra quibus nullum auctoritate presentium prejudicium generari (1), vel si eidem capitulo a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus per litteras dicte Sedis minime teneantur, vel quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Sedis ejusdem aut qualibet indulgentia ipsius Sedis generali vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium quomodolibet impediri valeat vel differri, aut quod idem. R. alias beneficiatus existit. Contradictores etc. Dat. Viterbii, IIII nonas octobris, anno quarto. »

1. Il manque ici un mot tel que : *volumus*.

2692 Anagni, 11 novembre 1258.

Magistro Johanni dicto Blundo, perpetuo vicario ecclesiae S. Nicolai Roffensis, ad I., tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, supplicationem indulget ut, cum redditus vicariae dictae ecclesiae centum solidorum Sterlingorum valentiam annis singulis vix excedant, de quibus juxta personae statum ac morem patriae non valet commode sustentari, unicum aliud beneficium cum cura vel sine cura recipere, et una cum praedicta vicaria retinere possit. (Reg. 25, f. 158 v°, an. IV, c. 248.)

« *Magistro Johanni dicto Blundo, subdiacono nostro, perpetuo vicario ecclesie Sancti Nicolai Roffensis.* Ampla divino munere. — Dat. Anagnie, III idus novembris, anno quarto. »

2693 Anagni, 26 novembre 1258.

Episcopo Metensi mandat ut ad Tetrici, canonici ecclesiae de Hombarc, provisionem procedat. (Reg. 25, f. 158 v°, an. IV, c. 249.)

« .., *episcopo Metensi.* Sua nobis dilectus filius Tetricus, canonicus ecclesie de Hombarc, clericus tuus, petitione monstravit quod, licet olim dilectus filius noster P., Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in Alamanie partibus Apostolice Sedis legatus, Guettico, canonico ecclesie Sancti Theobaldi Metensis, suis dedisset sub certa forma litteris in mandatis ut eidem T. in provincia Treverensi de aliquo ecclesiastico beneficio competenti, cum cura vel sine cura, si tunc vacaret vel quancito se offerret oportunitas, provideret, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, et idem executor auctoritate hujusmodi litterarum ecclesiam Sancti Britii, Treverensis diocesis, sibi contulerit, quia tamen compertum extitit quod prius fuerat alii de illa provisum, nullum ex hujusmodi gratia commodum extitit assecutus, super quo duxit ad Apostolice Sedis providentiam recurrendum. Nos autem, nolentes quod idem clericus ejusdem gratie frustretur effectu, mandamus quatinus, si est ita, collatione non obstante predicta seu quod ecclesiam de Rodalbe, Metensis diocesis, non tamen dictarum auctoritate litterarum postmodum est adeptus, procedas ad provisionem ipsius per te vel per alium juxta litterarum continentiam earundem. Dat. Anagnie, VI kal. decembris, anno quarto. »

2694 Anagni, 3 décembre 1258.

Decano S. Petri Insulensis, Tornacensis diocesis mandat ut Bernardum de Balliolo, clericum Morinensis diocesis, in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Morinensis, quae de mandato apostolico non sit super alterius provisione gravata, cathedrali tamen excepta, in canonicum et in fratrem recipi eique de praebenda provideri faciat. (Reg. 25, f. 159, an. IV, c. 250.)

« .., *decano ecclesie Sancti Petri Insulensis, Tornacensis diocesis.* Benignitatem Sedis Apostolice —. Dat. Anagnie, III nonas decembris, anno quarto. »

2695 Viterbe, 11 avril 1258.

Episcopo Senensi exercendi officii sui debitum in canonicos Senenses, non obstante eorum statuto, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 159, an. IV, c. 251.)

«.., *episcopo Senensi*(1). Cum sicut nobis significare curasti, inter alia que dilectus filius noster O., Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, de mandato nostro in ecclesia Senensi statuit et confirmari obtinuit per Sedem Apostolicam, habeatur quod ejusdem ecclesie capitulum in singulos de ipso capitulo et eorum familiares, pro manifestis offensis, nisi secundo tertiove moniti ab eisdem reatum suum congrua satisfactione correxerint, possint excommunicationis sententiam promulgare, quia statutum hujusmodi per quod, sicut asseris, jurisdictioni episcopali non modicum derogatur, in tuum redundat prejudicium et gravamen, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de benignitate solita curaremus. Verum quia nostre intentionis non extitit nec existit dicto capitulo novum acquiri vel antiquum augeri jus per statutum predictum in dispendium tui juris, exercendi officii tui debitum in canonicos Senenses et subditos tuos quolibet statuto prefato nequaquam obstante, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. Viterbii, III, idus aprilis, anno quarto. »

2696 Anagni, 1er décembre 1258.

Philippo, regis Franciae filio, facultatem matrimonium cum Elisabeth, regis Aragonum nata, contrahendi concedit. (Reg. 25, f. 159, an. IV, c. 252.)

« *Dilecto filio nobili viro Philippo, nato carissimi in Christo filii.., illustris regis Francie.* Attenta Sedis Apostolice circumspectio etc. —. Cum itaque, sicut acce-

1. La rubrique porte, par erreur : *Senonensi.*

pimus dilecta in Christo nobilis mulier Elisabeth, nata carissimi in Christo filii nostri.., illustris regis Aragonum, tibi linea consanguinitatis attineat, illa tertio ex uno latere a stipite, et te quarto gradu ex altera differente, nos attendentes devotionem qua semper tui et predicte Elisabeth progenitores erga Sedem Apostolicam claruerunt, ac sperantes quod ex te ac predicta E., si fueritis matrimonialiter copulati, recipere auctore Domino poterit mater Ecclesia filios benedictionis et gaudii, filios factis et fama pollentes ac filios etiam oportuni auxilii et favoris, tuis et ipsius E. supplicationibus inclinati, tibi et eidem E. ut, impedimento hujusmodi non obstante, copulari ad invicem matrimonialiter valeatis, auctoritate presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, kalendis decembris, anno quarto. »

2697 Viterbe, 9 octobre 1258.

Abbati Pruliacensi, ordinis Cisterciensis, Senonensis diocesis, guardiano Fratrum Minorum Parisiensium et praeposito S. Audomari, Morinensis diocesis, mandat ut de statu monasterii S. Remigii Remensis, ordinis S. Benedicti, ac prioratuum et membrorum ejus, necnon Oddonis abbatis ipsius coenobii et omnium personarum habitantium in eisdem de plano inquirant, et quod invenerint sub sigillis suis fideliter transmittant. (Reg. 25, f. 159, an. IV, c. 253; Pottahst 17387.)

«.., *abbati Pruliacensi, ordinis Cisterciensis, Senonensis diocesis,.., guardiano fratrum Minorum Parisiensium et.., preposito Sancti Audomari, Morinensis diocesis.* Dudum quibusdam monachis —. Dat. Viterbii, VII idus octobris, anno quarto. »

2698 Anagni, 4 décembre 1258.

Decano S. Salvatoris Metensis mandat ut episcopo Metensi absolutionem super excommunicationis sententia, occasione quorumdam debitorum lata, impendat. (Reg. 25, f. 149 v°, an. IV, c. 254; Rodenberg, t. III, n° 481.)

« .., *decano Sancti Salvatoris Metensis.* Cum venerabilis frater noster.., episcopus Metensis, occasione debitorum in quibus tenetur nonnullis mercatoribus Senensibus, sententia excommunicationis apostolica fuerit auctoritate ligatus, et tandem inter eum et dictos mercatores, mediante dilecto filio nostro H., tituli Sancte Sabine presbitero cardinali, sub certa forma extiterit ordinatum, discretioni tue, de assensu et voluntate procuratorum mercatorum eorumdem, per apostolica scripta mandamus quatinus eidem episcopo super eadem sententia beneficium absolutionis impendas Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto. »

2699 Anagni, 22 novembre 1258

Rogero, abbati monasterii S. Augustini Cantuariensis concedit ut de caetero capellanus ipsius re et nomine censeatur. (Reg. 25, f. 149 v°, an. IV, c. 254.)

« *Rogero, abbati monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Scientia, mores et —. Dat. Anagnie, X kal. decembris, anno quarto. »

2700 Anagni, 22 novembre 1258.

Magistro Radulfo de Freningeham, clerico Cantuariensis diocesis, indulget ut, praeter duo ecclesiastica beneficia curam animarum habentia, quorum unum intitulatum et aliud commendatum habet, quorumque proventus duodecim marcharum argenti summam annis singulis secundum communem extimationem patriae non excedunt, possit adhuc duo alia beneficia, etiam si eorum alterum dignitas aut personatus existat et similis ei cura immineat, recipere, et si unum vel duo ex illis eum resignare contigerit, liceat ei totidem alia cum hujusmodi cura loco illorum qnae resignaverit recipere et cum reliquis retinere. (Reg. 25, f. 159 v°, an. IV, c. 256.)

« *Magistro Radulfo de Freningeham, clerico Cantuariensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat Anagnie, X kal. decembris, anno quarto. »

2701 Viterbe, 14 juillet 1258.

Hospitale S. Mariae in Saxia de Urbe sub sua protectione suscipit omnesque ejus possessiones ac bona quorum plurima nominatim exhibet, jura et privilegia confirmat. (Reg. 25, f. 149 v° - 150 v°, an. IV, c. 257; Pottahst 17345.)

« .., *magistro Hospitalis Sancte Marie in Xaxia* (sic) *de Urbe, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.* Inter opera pietatis —. Dat. Viterbii per manum magistri Jordani, domini pape subdiaconi et notarii, II idus julii, indictione I^a, Incarnationis Dominice anno M. CCLVIII, pontificatus vero donni (*sic*) Alexandri pape IIII anno quarto. »

2702 Viterbe, 10 octobre 1258.

Nicolao de Turre, familiari regis Angliae, indulget ut episcopalem dignitatem, si eum ad illam canonice vocari contigerit, recipere et retinere valeat, defectu natalium quem patitur, de soluto genitus et soluta, non obstante. (Reg. 25, f. 160 v°, an. IV, c. 258.)

« *Nicolao de Turri, clerico, familiari carissimi in Christo filii nostri.., illustris regis Anglie* Ex parte tua —. Dat. Viterbii, VI idus octobris, anno quarto. »

2703 Anagni, 13 décembre 1258.

Capitulo et clero Parmensium civitatis et diocesis indulget ut ad solutionem quorumdam subsidiorum nullatenus teneantur. (Reg. 25, f. 160 v°, an. IV, c. 259.)

« *Capitulo et universo clero Parmensium civitatis et diocesis.* Gerentes vos tanquam speciales filios in intimis cordis nostri, patientibus vobis non compati non possumus et vestris afflictionibus non compungi. Hinc est quod vobis in temporalibus a dierum afflictis malitia graviter et atritis (1) paterno condolentes affectu, devotionis vestre precibus inclinati, ad instar felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, ut ad solutionem vicesime in Terre Sancte subsidium deputate vel medietatis proventuum dignitatum, personatuum seu prebendarum vel beneficiorum ecclesiasticorum a clericis ea obtinentibus, qui in ecclesiis suis per sex menses adminus personaliter non resident, in imperii Romanie subsidium exibendae, nullatenus teneamini pro preterito tempore vel futuro nec compelli ad id nostra vel quavis auctoritate ab aliquo valeatis, neque in vos vel ex vobis aliqua possit a quoquam quacunque auctoritate interdicti, suspensionis vel excommunicationis sententia, occasione hujusmodi promulgari, auctoritate, vobis presentium indulgemus, sententias ecclesiasticas, siquas ob hoc vos vel aliqui vestrum incurrerunt, penitus relaxantes, ac dispensantes vobiscum super irregularitatis macula, siquam exinde forsitan contraxistis. Nulli nostre concessionis, relaxationis et dispensationis etc. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quarto. »

2704 Anagni, 10 décembre 1258.

Andreae, priori monasterii S. Svithini Wintoniensis, ordinis S. Benedicti, cui ut ad omnes administrationes et dignitates ejus ordinis assumi et mitra, annulo, sandaliis et baculo pastorali uti possit per Sedem Apostolicam dispensatum erat, indulget ut episcopalem dignitatem, si eum ad illam canonice vocari contigerit, recipere valeat, non obstante defectu natalium quem patitur, de clerico in minoribus ordinibus constituto et soluta genitus. (Reg. 25, f. 161, an. IV, c. 260.)

« *Andree, priori monasterii Sancti Svithini Wintoniensis, ordinis Sancti Benedicti.* Cum sicut ex —. Dat. Anagnie, IIII idus decembris, anno quarto. »

1. Reg. : *acricis*.

2705 Anagni, 4 décembre 1258.

Religiosis monasterii S. Germani de Pratis Parisiensis indulget ut, ratione delicti seu contractus vel rei de qua contra ipsos vel monasterium ipsorum agetur, coram locorum ordinariis conveniri nullatenus valeant. (Reg. 25, f. 161, an. IV, c. 261.)

« .., *abbati et conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Ex fidei puritate ac integritate devotionis quam ad nos et Romanam habetis Ecclesiam noscimini promereri ut vestris et monasterii vestri utilitatibus liberaliter nos donemus. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat quod, licet felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, duxerit statuendum ut exempti, quantacunque gaudeant libertate, ratione delicti sive contractus seu rei de qua agitur contra ipsos, rite possint coram locorum ordinariis conveniri et illi, quoad hec in ipsos jurisdictionem, prout est justum et canonicum, exercere, vobisque postmodum, ad instar predecessoris predicti duxerimus indulgendum ut libertatibus et immunitatibus vobis et monasterio vestro per privilegia et indulgentias ab Apostolica Sede concessis, per hujusmodi predicti predecessoris constitutionem non posset nec deberet in aliquo derogari, nichilominus tamen per constitutionem a nobis novissime editam qua eadem predecessoris nostri constitutio inconcusse servari mandatur non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis apostolicis contra eam postmodum impetratis, estis quoad ipsius predecessoris nostri constitutionis observantiam in statum priorem reducti· Quare nobis humiliter supplicastis ut vobis super hoc apostolice provisionis remedio subvenire de benignitate solita dignaremur. Nos itaque considerantes attentius quot et quantis malignantium periculis et perversorum insidiis expositi sitis, pro eo quod estis exempti, vestris precibus inclinati, vobis auctoritate presentium indulgemus ut, ratione delicti seu contractus vel rei de qua contra vos vel monasterium vestrum agetur, per que forum regulariter quis sortitur, coram locorum ordinariis vel eorum vices gerentibus, pretextu constitutionis nostre novissime aut quovis alio modo vel etiam occasione privilegiorum et indulgentiarum eis a Sede concessorum predicta vel concedendorum in posterum, que de hac indulgentia non fecerint mentionem, conveniri nullatenus valeatis. Nulli nostre concessionis, etc. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto

2706 Anagni, 3 décembre 1258.

Eisdem concedit ut viros et mulieres qui se monasterio obtulerunt, defendere per se quoad bona per eosdem oblata possint, constitutione apostolica contraria non obstante. (Reg. 25, f. 161, an. IV, c. 262.)

« *Eisdem.* Sic per devotionis —. Sane nobis significare curastis quod nonnulli viri et mulieres, pro sua salute, animarum suarum remedio ac intuitu pietatis, obtulerunt vestro monasterio se et sua, in suis tamen domibus usufructu dumtaxat bonorum ipsorum retento ad certum tempus vel quoad vixerint moraturi. Verum cum nos duxerimus statuendum ut nulli oblati monasteriis vel domibus religiosorum exemptis, nec hii qui eis etiam censum solvunt, propter oblationem vel census solutionem hujusmodi a suis ordinariis intelligantur exempti, neque per ipsos religiosos aut per conservatores eis a Sede Apostolica deputatos, vel privilegiorum suorum pretextu, possint aut debeant etiam defensari, quin iidem ordinarii libere valeant animadvertere pro suis excessibus in eosdem et eos pena debita castigare, nobis humiliter supplicastis ut vobis in hac parte specialem gratiam facere, ne pretextu constitutionis ipsius monasterium vestrum incurrat detrimentum gravius, de benignitate solita curaremus. Nos itaque vestris precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut hujusmodi oblatos monasterio vestro defendere per vos et conservatores vestros quoad bona per ipsos vestro monasterio sic oblata, libere valeatis, eis quantum ad bona predicta pro tutela et defensione vestra decetero permansuris, constitutione non obstante predicta. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, III nonas decembris, anno quarto.

2707 Anagni, 4 décembre 1258.

Abbati ejusdem monasterii dispensandi super observatione statutorum a Gregorio papa editorum facultatem concedit. (Reg. 25, f. 161 v°, an. IV, c. 263.)

«.., *abbati ejusdem monasterii.* Habemur tue devotionis--. Cum igitur, sicut nobis significare curasti, in statutis felicis recordationis Gregorii pape, predecessoris nostri, super statu monasteriorum ordinis Sancti Benedicti editis, sint nonnulla sic gravia quod vix possint per monachos dicti ordinis observari, nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc tuis monachis salubriter de pietate solita curaremus. Nos igitur, tuis precibus favorabiliter annuentes, dispensandi cum monachis subditis tuis super observatione statutorum ipsorum, que de substantia ordinis non existant, ac impendendi eis qui fuerint eadem statuta transgressi penitentiam salutarem, dummodo alias per eos Beati Benedicti regula laudabiliter observetur, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto. »

2708 Anagni, 4 décembre 1258.

Eidem abbati commutandi poenas monachis suis eisque quasdam dispensationes dandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 161 v°, an. IV, c. 265.)

« *Eidem abbati.* Hiis que tibi placida et tuis subditis profutura novimus libenter apostolici favoris gratiam impertimur. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus benignius annuentes, commutandi penas, si tamen graves non sint, monachis tuis, si commiserint taliter vel committant vel sustinere debeant penas adjectas in Apostolice Sedis statutis, ac dispensandi cum eis super observatione statutorum ipsorum que de substantia ordinis non existunt, necnon super irregularitatibus siquas inde contraxerint, liberam tibi, dummodo alias per eos Beati Benedicti regula laudabiliter observetur, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem. Nulli nostre concessionis etc. Dat ut supra. »

2709 Anagni, 2 décembre 1258.

S. Felicis Bononiensis et S. Petri de Perusio monasteriorum abbatibus mandat ut abbates, abbatissas, priores et conventus, fratres et sorores Camaldulensis ordinis in personis vel bonis suis contra indulta privilegiorum Sedis Apostolicae ab aliquibus indebite molestari non permittant. (Reg. 25, f. 161 v°, an. IV, c. 265 ; Potthast 17424.)

« .., *Sancti Felicis Bononiensis et,.., Sancti Petri de Perusio monasteriorum abbatibus.* Sub religionis habitu —. Dat. Anagnie, IIII nonas decembris, anno quarto. »

2710 Anagni, 11 décembre 1258.

Magistro et fratribus hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe indulget ut de blado, vino, lectis, pannis et animalibus quae fideles eis ad usus pauperum hospitalis eorum in ultima voluntate relinquunt, nulli teneantur canonicam portionem seu justitiam exhibere, omnes sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti in eos hac occasione latas, irritas decernens. (Reg. 25, f. 162 v°, an. IV, c. 266.)

« .., *magistro et fratribus hospitalis Sancti Spiritus de Saxia de Urbe*. Sollicitudinem vestram circa —. Dat. Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2711 Anagni, 3 décembre 1258.

Abbati monasterii S. Germani de Pratis Parisiensis indulget ut interdicti vel suspensionis sententias ipso facto vel jure nequaquam incurrat, constitutionis occasione cujusquam aut sententiae vel mandati quae de se specialem non fecerint mentionem. (Reg. 25, f. 161 v°, an. IV, c. 267.)

« *G., abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis*. Meretur tue devotionis—. Sane felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, considerans quod episcopis et eorum superioribus periculosum nimium existebat, propter executionem pontificalis officii quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrerent sententiam ipso facto, duxit provide statuendum ut episcopi et alii superiores prelati, nullius constitutionis occasione, sententie vel mandati, predictam incurrant sententiam ipso jure, nisi in ipsis de episcopis et superioribus eorundem expressa mentio habeatur. Cum itaque nobis humiliter supplicasti ut constitutionis ipsius beneficii te gaudere comodo et utilitatis ejus participem de benignitate solita faceremus, nos constitutionis ipsius beneficium ad personam tuam, non absque quadam honoris prerogativa, volentes extendi, auctoritate tibi presentium indulgemus ut hujusmodi sententias ipso facto vel jure nequaquam incurras, constitutionis occasione cujusquam aut sententie vel mandati que de te specialem non fecerint mentionem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, III nonas decembris, anno quarto .»

2712 Anagni, 4 décembre 1258.

Inhibet ut nullus homo terras et possessiones quas ad censum annuum vel in feudum a praedicti monasterii religiosis detinet, sine eorumdem religiosorum assensu alienare praesumat. (Reg. 25, f. 161 v°, an. IV, c. 268.)

« .., *abbati et conventui predicti monasterii*. Debet ex apostolice —. Sane nobis exhibita ex parte vestra petitio continebat quod nonnulli homines terras et possessiones a vobis ad censum annuum vel in feudum detinentes, vestra non obtenta licentia, in alios transferunt atque vendunt. Quare petivistis per nos vestri monasterii super hoc indempnitatibus precaveri. Nos igitur, vestris precibus inclinati, districte auctoritate presentium inhibemus ut nulli vendere vel emere aut in aliam personam transferre terras vel possessiones hujusmodi, aut jus quod in eis habetis, seu aliquo alio modo alienare presumant sine vestra lintia (*sic*) et assensu, sed vobis primo ipsa teneantur detemtores auferre, retempturis ea si vobis placuerit, pro pretio quo aliis vendere possent illa. Nolumus tamen quod per inhibitionem hujusmodi apostolicis indulgentiis juri alicui vel consuetudini approbate ac prescripte in aliquo derogetur. Nulli nostre inhibitionis etc. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto. »

2713 Anagni, 11 décembre 1258.

Magistro Gilberto de Raunigham indulget ut, praeter ecclesiam de Santhune Dunham, curam animarum habentem, quam intitulatam obtinet, ecclesiam de Lacthune Malemeyns, Lincolniensis diocesis, quae ei a Lincolniensi episcopo ad tempus commendata fuerat, recipere et retinere possit ; duarum ecclesiarum proventus ad viginti marcarum summam annis singulis aestimantur. (Reg. 25, f. 162, an. IV, c. 269.)

« *Magistro Gilberto de Raunigham, rectori ecclesie de Santhune Dunham, Norwicensis diocesis*. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2714 Anagni, 4 décembre 1258.

Religiosis monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis indulget quod coram episcopo, officiali vel canonico Parisiensi conveniri nequeant per litteras Sedis Apostolicae specialem non facientes mentionem. (Reg. 25, f. 162, an. IV, c. 270.)

«.., *abbati et conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis*. Ut vestre consulamus —. Sane nobis significare curastis quod nonnunquam contingit vos coram venerabili fratre nostro.., Parisiensi episcopo, aut ejus officiali sive canonicis Parisiensibus auctoritate litterarum Sedis Apostolice et legatorum ipsius etiam conveniri. Unde cum vos, a jurisdictione ipsorum prorsus exempti per indulgentias et privilegia dicte Sedis, timeatis ne, occasione juridictionis hujusmodi delegate iidem tamquam vestris libertatibus invidentes, sibi contra vos ordinariam jurisdictionem usurpent aut vobis gravamina inferant vel molestias, hac de causa provideri vobis et dicto monasterio in hac parte a nobis benignius petivistis. Nos

itaque, postulationi vestre favorabiliter annuentes, quod per litteras Sedis ejusdem aut legatorum ipsius impetratas, per quas nondum citati fuistis aut etiam impetrandas, conveniri coram predictis episcopo, officiali vel canonicis nequeatis, nisi dicte Sedis littere impetrande de indulto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto. »

2715 Anagni, 5 décembre 1258.

Quaedam privilegia praedicti monasterii religiosis concessa ad ecclesias ipsis pleno jure subjectas extendit. (Reg. 25, f. 162, an. IV, c. 271.)

« *Eisdem.* Meritis vestre devotionis —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod in privilegiis vobis et monasterio vestro concessis a Sede Apostolica per predecessores nostros Romanos pontifices est preceptum ut crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum et quecunque vobis ex pontificali sunt ministerio necessaria, a nullo catholico episcopo vobis vestrisque successoribus denegentur. Verum quia in hujusmodi precepto de ecclesis pleno vobis jure subjectis specialis mentio non habetur, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate presentium ad ecclesias hujusmodi preceptum extendimus supradictum. Nulli nostre extensionis etc. Dat. Anagnie, nonis decembris, anno quarto. »

2716 Anagni, 3 décembre 1258.

Eisdem indulget ut ad exhibitionem privilegiorum et indulgentiarum quibus ipsos Sedes Apostolica communivit, compelli non possint. (Reg. 25, f. 162, an. IV, c. 272.)

« *Eisdem.* Hiis que vobis —. Cum igitur, sicut nobis significare curastis, nonnunquam contingat vos et priores ac monachos prioratuum ad vestrum monasterium pleno jure spectantium, tam auctoritate ordinaria quam etiam delegata super diversis questionibus conveniri, et ex variis causis requiri, ut ostendatis privilegia et indulgentias quibus vos Sedes Apostolica communivit, ac ex ostentione ipsorum grave vobis immineat detrimentum, subveniri vobis super hoc provisione apostolica cum instantia petivistis. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut in causis hujusmodi, quacunque auctoritate agantur, ad exhibitionem privilegiorum vel indulgentiarum ipsorum compelli non possitis inviti, quamdiu parati fueritis in vestro monasterio judici et adversario coram aliquibus bonis viris facere sine fraude, tam de bulla quam de capitulis indulgentiarum et privilegiorum ipsorum necessariis et articulo super quo causam agi contigerit, plenam fidem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, III nonas decembris, anno quarto. »

2717 Anagni, 4 décembre 1258.

Eisdem indulget ut ad provisionem alicujus singularis personae, universitatis vel collegii in ecclesiasticis beneficiis vel pensionibus compelli nequeant. (Reg. 25, f. 162 v°, an. IV, c. 273.)

« *Eisdem.* Ut apostolici favoris presidio monasterii vestri status tranquillior et quietior habeatur, auctoritate vobis presentium indulgemus ut ad provisionem alicujus singularis persone, universitatis vel collegii in ecclesiasticis beneficiis vel pensionibus compelli per impetratas litteras apostolicas nequeatis, nisi forsan jam sit per eas earum impetratoribus jus quesitum vel etiam impetrandas que de presenti indulgentia et vestro monasterio plenam et expressam non fecerint mentionem. Nos enim provisiones hujusmodi, si quas fieri contigerit contra indulti nostri tenorem, ex nunc irritas decernimus et inanes, presentibus post septennium minime valituris. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto. »

2718 Anagni, 4 décembre 1258.

G., praedicti monasterii abbati indulget ut nullus delegatus Sedis Apostolicae, nisi sit cardinalis, in personam suam excommunicationis sententiam promulgare possit. (Reg. 25, f. 162 v°, an. IV, c. 274.)

« *G., abbati monasterii ejusdem.* Hiis apostolicus favor —. Hinc est quod nos, volentes tue providere quieti, ut quo quietius eo liberius intendere obsequiis Dei possis, auctoritate tibi presentium indulgemus ut nullus delegatus, subdelegatus, conservator vel etiam executor auctoritate litterarum Sedis Apostolice vel ipsius Sedis legatus, nisi sit Romane Ecclesie cardinalis, in personam tuam excommunicationis valeat sententiam promulgare, nisi forsan dicte Sedis littere de hac indul-

gentia specialem fecerint mentionem, presentibus post septennium minime valituris. Nulli nostre concessionis etc. Dat ut in alia. »

2719 Anagni, 12 décembre 1258.

Abbati et conventui monasterii praedicti indulget ut in quibusdam causis coram aliquibus archiepiscopi Senonensis suffraganeis respondere non teneantur. (Reg. 25, f. 162 v°, an. IV, c. 275.)

« .., *abbati et conventui monasterii predicti.* Vestris precavere dispendiis et occurrere gravaminibus cupientes, vobis auctoritate presentium indulgemus ut venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Senonensi, in causis que pro ipso contra vos aliquibus suis suffraganeis vel immediate sibi subjectis auctoritate Sedis Apostolice vel legatorum ipsius de cetero committentur, non teneamini coram eis aliquatenus respondere. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II idus decembris, anno quarto. »

2720 Viterbe, 8 septembre 1258.

Abbati monasterii S. Augustini Cantuariensis mandat ut magistro Johanni de Camezano, litterarum apostolicarum auditori, in provincia Cantuariensi juxta ordinationem ab I., tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali factam, de uno vel pluribus beneficiis ecclesiasticis provideat. (Reg. 25, f. 162 v°, an. IV, c. 276.)

«.., *abbati monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Dudum inter te ac dilectos filios conventum monasterii tui, ex una parte, et magistrum Johannem de Camezano, capellanum nostrum et litterarum nostrarum contradictarum auditorem, ex altera, super ecclesia de Lenham, Cantuariensis diocesis, materia questionis exorta, felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, dilecto filio magistro Johanni de Sancto Germano, notario nostro, tunc subdiacono et capellano suo, duxit causam hujusmodi commitendam, quo mediante inter partes hujusmodi amicabilis compositio seu ordinatio intervenit, videlicet quod, tamdiu eidem auditori decem et octo marcarum annuam certis loco et termino tu ac dicti conventus solvere teneremini pensionem, donec sibi de ecclesia vel ecclesiasticis beneficiis uno vel pluribus, quinquaginta marcarum annui valoris ad minus, foret in provincia Cantuariensi provisum, et quod magister Hugo de Mortuo Mari, officialis Cantuariensis, executor super provisione facienda ipsi auditori, in dicta provincia a predecessore deputatus eodem super provisione hujusmodi, tibi committeret vices suas.

Cumque inter te ac dictos conventum, ex parte una, et predictum auditorem, ex altera, occasione provisionis hujusmodi, questio suborta fuisset, nos in ea dilectum filium nostrum I., tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiterum cardinalem, dedimus partibus auditorem. Idem vero cardinalis in quem magistri Radulfus de Fromoigh. et Ricardus de Herst, procuratores tui et ejusdem conventus, habentes a te ac ipso conventu, in questione hujusmodi, ad agendum et defendendum speciale et in omnibus causis tuis et dicti conventus ad componendum, paciscendum et transigendum, generale mandata, et predictus auditor tamquam in arbitrum arbitratorem, ordinatorem et amicabilem compositorem super omnibus causis, questionibus, litibus, controversis et querelis inter te ac dictos conventum et eundem auditorem motis et que possent moveri occasione predicta, de alto et basso compromittere curarevunt, super hiis ejus sententie, diffinitioni, provisioni, ordinationi, statuto arbitrio, beneplacito et voluntati se voluntarie submittentes, prout in litteris inde confectis et ipsius cardinalis ac dictorum auditoris et magistrorum sigillis signatis plenius continetur. Cui etiam questionem hujusmodi per ordinationem, provisionem, compositionem et diffinitionem ac aliis modis, prout ei visum f[uerit] (1), terminandi et super eadem questione ordinandi et faciendi prout libito voluntatis, ac supplendi defectum, siquis erat, in mandatis predictorum procuratorum, specialem contulimus potestatem, mandatorum h[ujusmodi] (2)... supleto defectu et questionis premisse meritis summarie intellectis ; et cognito quod in premissa ordinatione ipsius notarii continetur quod dictus officialis tibi super provisione ipsi auditori facienda committeret vices suas, quamvis predictus officialis id ante predicti predecessoris obitum non duxerit adimplendum, de speciali mandato nostro super hoc sententiavit, diffinivit, ordinavit, statuit, precepit, et amicabiliter componendo voluit et mandavit ac de eodem mandato et speciali auctoritate nostra providit inter alia quod supradicti auditoris provisio tibi per nostras litteras committatur, prout in instrumento publico inde confecto sigillato sigillo ipsius cardinalis plenius continetur. Cum autem nos, tuis et dicti conventus ac ipsius auditoris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem car-

1. Effacé.
2. Effacé, le mot suivant manque, également effacé.

dinali factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica duxerimus confirmandum, mandamus quatinus eidem auditori in predicta provincia de uno vel pluribus ecclesiasticis beneficiis, etiam si curam habeant animarum, secundum communem extimationem annui valoris quinquaginta marcarum ad minus, si vacant ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, juxta hujusmodi ordinationem predicti cardinalis, per te vel per alium providere procures, faciens eum vel procuratorem suum ejus nomine in ecclesiis in quibus ei duxeris providendum, si collegiate fuerint, recipi in canonicum et in fratrem. Non obstante statuto de certo canonicorum numero juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacunque alia firmitate vallato vel si est aliquibus ab eadem Sede indultum quod ad receptionem seu provisionem alicujus minime teneantur quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis ad collationem seu presentationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia dicte Sedis de cujus toto tenore oporteat in nostris litteris quantumcumque plena et expressa mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, aut quod idem auditor plura ecclesiastica beneficia etiam curam habentia animarum in diversis ecclesiis est adeptus. Contradictores etc. Dat. Viterbii, VI idus septembris, annoquarto. »

2721 Anagni, 4 décembre 1258.

Religiosis monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis facultalem de jure ipsorum probandi per testes vel alias probationes legitimas contra servos ad aliorum dominium se transferentes, duelli consuetudine non obstante, concedit. (Reg. 25, f. 163, an. IV, c. 277.)

« .., *abbati et conventui monasterii Sancti Germani, de Pratis Parisiensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Non est ab—. Sane exhibita nobis vestra petitio continebat quod nonnunquam monasterii vestri servi, qui homines, de corpore vulgariter appellantur, vestram declinantes juridictionem et se ad aliorum dominium transferentes, vobis servitia et obsequia debita denegant exhibere, nisi probaveritis per duellum ipsos existere servos vestros. Verum, cum hujusmodi duelli probationes sacris sint canonibus interdicte, nos vestris supplicationibus inclinati, docendi et probandi de jure vestro contra servos et homines supradictos per testes vel alias probationes legitimas, duelli consuetudine non obstante, liberam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quarto. »

2722 Anagni, 5 décembre 1258.

Privilegium religiosis ecclesiarum villae S. Germani concessum ad ejusdem villae clericos extendit. (Reg. 25, f. 163, an. IV, c. 278.)

« *Eisdem.* Inducunt nos vestre —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod in privilegiis vestris vobis et monasterio vestro ab Apostolica Sede concessis per predecessores nostros Romanos pontifices est expresse prohibitum ut nulli liceat abbatem, monachos, presbyteros seu clericos ecclesiarum ville Sancti Germani interdicere vel excommunicare aut ad synodum evocare. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, inhibitionem hujusmodi auctoritate presentium ad clericos ville ipsius extendimus, nisi premissa circa eos ab aliquo legitime sint prescripta, cum eadem villa, prout asseritis, ab episcopali jurisdictione per eadem privilegia sit exempta. Nulli nostre inhibitionis etc. Dat. Anagnie, nonis decembris, anno quarto.»

2723 Anagni, 5 décembre 1258.

Abbati S. Germani de Pratis Parisiensis utendi dalmatica et tunica, dandi benedictionem sollempnem etc. facultatem concedit. (Reg. 25, f. 163, an. IV, c. 279.)

« .., *abbati monasterii predicti.* Ut ex sincere devotionis affectu quem ad nos et Romanam Ecclesiam habere dinosceris, favorem tibi apostolicum sentias accrevisse, utendi dalmatica et tunica in missarum sollempniis et dandi benedictionem sollempnem super populum, more pontificum et conferendi minores ordines monachis et clericis tuis in monasterio tuo et ecclesiis eidem monasterio pleno jure subjectis dumtaxat, tibi et successoribus tuis auctoritate presentium concedimus facultatem, dummodo tibi et eisdem successoribus secundum morem, preficiendorum abbatum manus impositio facta noscatur, et te ac eosdem successores constet existere sacerdotes. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, nonis decembris, anno quarto. »

2724 Anagni, 13 décembre 1258.

Religiosis praedicti monasterii indulget ut per litteras apostolicas non possint ultra unam dietam extra civitatem Parisiensem conveniri, praesentibus post quinquennium minime valituris. (Reg. 25, f. 163, an. IV, c. 280.)

« .., *abbati et conventui predicti monasterii.* Volentes vestris parcere laboribus et expensis ac gravaminibus precavere, vobis qui, sicut asseritis, per litteras Apostolice Sedis et legatorum ejus frequenter ad diversa loca vocamini ad judicium ac propter hoc multiplices molestias sustinetis, auctoritate presentium indulgemus ut per litteras Apostolice Sedis vel legatorum ejus non possitis ultra unam dietam extra civitatem Parisiensem, super hiis que infra illam et ipsius diocesim habetis, ulterius conveniri, nisi littere dicte Sedis plenam et expressam de indulto hujusmodi fecerint mentionem, presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quarto. »

2725 Anagni, 19 décembre 1258.

Episcopo Wigorniensi mandat ut Riccardo de Bolovilla, clerico, consanguineo nobilis viri Willelmi de Hotintoft, militis, vel procuratori ejus, in Wigorniensi civitate vel diocesi de aliquo ecclesiastico beneficio praebendali vel alio, cum cura vel sine cura ad cujuscumque collationem spectante providere procuret, faciens eum vel dictum procuratorem in canonicum et in fratrem admitti. (Reg. 25, f. 163, an. IV, c. 281.)

«.., *episcopo Wigorniensi.* Volentes dilecto filio —. Dat. Anagnie, XIIII kal. januarii, anno quarto. »

2726 Anagni, 19 décembre 1258.

Guillelmo, clerico Wigorniensis diocesis, indulget ut liceat ei ecclesiastica beneficia, personatus vel dignitates, etiam cum animarum cura, usque ad summam trecentarum marcarum Sterlingorum : « ita videlicet quod eorum proventus secundum communem extimationem patrie hujusmodi summam attingant » libere recipere ac insimul retinere. (Reg. 25, f. 163 v°, an. IV, c. 282.)

« *Guillelmo clerico, nato nobilis viri Petri de Monteforti, devoti nostro, Wigorniensis diocesis.* Ad faciendam tibi —. Dat. Anagnie, XIIII kal. januarii, anno quarto. »

2727 Anagni, 3 décembre 1258.

Archiepiscopo Burdegalensi mandat ut de beneficiis ad collationem prioris S. Savini de Taleburgo, Xanctonensis diocesis, spectantibus, ad alicujus provisionem non procedat. (Reg. 25, f. 163 v°, an. IV, c. 283.)

« .., *archiepiscopo Burdegalensi.* Dilectus filius.., prior Sancti Savini de Taleburgo, ordinis Sancti Benedicti, Xanctonensis diocesis, nobis significare curavit quod quamvis nos olim tibi pro pluribus clericis et scolaribus civitatis et provincie Burdegalensium, super ipsorum provisione de beneficiis ecclesiasticis juxta formam qua pro pauperibus scribere consuevimus, nostras litteras misissemus et in eis contineatur expresse ut talibus de beneficiis, siqua ad tuam collationem spectarent, alioquin de aliis ad cujuscunque collationem spectantibus, si vacarent, in tua civitate vel provincia, vel quamprimum ad id se offerret oportunitas, provideres, tu tamen qui plura beneficia obtinere diceris ad tuam collationem spectantia, si aliquod ex eis tempore presentationis litterarum ipsarum forte non vacat, credens per hoc datam tibi per litteras ipsas potestatem ad providendum de aliis beneficiis prorogari, de beneficiis ad collationem seu presentationem ejusdem prioris spectantibus, auctoritate hujusmodi litterarum prefatis clericis modo per te, modo per alium provides, in ipsius non modicum prejudicium et gravamen. Cum itaque nec forma earundem litterarum, nec propositum nostre intentionis id habeat ut providere talibus quando juxta predictum modum scribimus, valeas de beneficiis alienis, dummodo habeas aliqua ad tuam collationem spectantia etiam si non vacent, mandamus quatinus de beneficiis ad collationem seu presentationem dicti prioris spectantibus, sive vacent, sive non vacent, per litteras hujusmodi ad provisionem alicujus aliquatenus non procedas. Nos insuper decernimus irritum et inane si secus actum fuerit hactenus vel de cetero contigerit attemptari. Dat. Anagnie, III nonas decembris, anno quarto. »

2728 Anagni, 13 janvier 1259.

Adae, abbati monasterii S. Maximini Miciacensis, Aurelianensis diocesis, facultatem retinendi usque ad triennium prioratum de Dyaco, Lingonensis diocesis, concedit. (Reg. 25, f. 163 v°, an. IV, c. 284.)

« *Ade, abbati monasterii Sancti Maximini Miciacensis, ordinis Sancti Benedicti, Aurelianensis diocesis.* Inducunt nos tue devotionis merita ut te illa prosequamur gratia quam tibi fore cognoscimus oportunam. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, te canonice assumpte in abbatem monasterii Sancti Maximini Miciacensis, dilecti filii.., abbas et conventus monasterii Sancti Benedicti Floriacensis, ordinis Sancti Benedicti cujus eras monachus, attendentes provide quod bona prioratus de Dyaco, Lingonensis diocesis, ad monas-

terium ipsum Floriacense immediate spectantis, de quo fuisti in abbatem assumptus, per tue diligentie studium in pluribus fuerant augmentata, tibi prioratum ipsum cum suis pertinentiis usque ad biennium concesserunt. Nos itaque volentes tibi gratiam facere ampliorem, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut prioratum ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis suis possis usque ad triennium libere retinere, non obstante aliqua ipsius ordinis aut Sedis Apostolice constitutione contraria seu qualibet indulgentia vel litteris Sedis ejusdem de qua vel quibus oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri et per quam seu quas effectus presentium impediri valeat vel differri, proviso quod predictus prioratus in bono statu servetur et nullis obligetur debitis ac consuetis servitiis non fraudetur. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno quinto. »

2729 Anagni, 9 décembre 1258.

Priori et capitulo Karleolensis ecclesiae, cum civitas et ecclesia Karleolenses in frigidissimis locis consistant, indulget, ut uti birretis vel pileis ordini congruentibus valeant, ita tamen quod in recitatione evangelicae lectionis ac elevatione hostie salutaris et aliis, debita reverentia observetur. (Reg. 25, f. 163 v°, an. IV, c. 285.)

« .., *priori et capitulo Karleolensis ecclesie, ordinis Sancti Augustini*. Ex vestre devotionis —. Dat. Anagnie, V idus decembris, anno quarto. »

2730 Anagni, 13 décembre 1258.

Magistro Johanni, electi Leodiensis clerico et procuratori, indulget ut ecclesiam de Tuilles, Leodiensis diocesis, curam animarum habentem ac etiam quoddam officium quod custodia vulgariter nuncupatur in S. Pauli Nivellensis, ejusdem diocesis, necnon et canonicatum et praebendam quae in S. Johannis Leodiensis ecclesiis curam similem non habentia canonice se proponit adeptum, possit licite retinere. (Reg. 25, f. 164, an. IV, c. 286.)

« *Magistro Johanni, rectori ecclesie de Tuillies, Leodiensis diocesis*. Ut tibi favorem —. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quarto. »

2731 Anagni, 11 décembre 1258.

Episcopo Forojuliensi mandat ut Raymundum Athanulphum in rectorem generalem ordinis fratrum de Poenitentia Jesu-Christi praeficiat. (Reg. 25, f. 164, an. IV, c. 287.)

« .., *episcopo Forojuliensi*. Sua nobis dilecti filii fratres de Penitentia Jhesu Christi, Romane Ecclesie immediate subjecti, ordinis Sancti Augustini, petitione monstrarunt quod, fratre Guillelmo de Manarea generali rectore dictorum fratrum, in capitulo generali eorundem, rectorie hujusmodi cedente regimini, predicti fratres, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, fratrem Raymundum Athanulphum, priorem provincialem eorundem fratrum Provincie, virum utique providum et discretum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in generalem rectorem sui ordinis concorditer elegerunt. Quare nobis humiliter supplicarunt ut, cum quadam simplicitate ducti, in predictis peccaverint pro eo quod predicta cessio, sine nostra licentia facta, de jure non tenuit, et per consequens nulla fuit electio subsecuta, paupertati et laboribus suis compatientes, providere sibi super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur, predictorum fratrum volentes occurrere laboribus et expensis necnon etiam eorundem simplicitati parcere, cessionem hujusmodi ratam habentes et firmam, mandamus quatinus predictum fratrem Raymundum, de cujus conversatione, moribus et scientia laudabile nobis testimoniun perhibetur, si ad hoc eum ydoneum esse reppereris, preficias auctoritate nostra in rectorem generalem ordinis fratrum ipsorum, faciens ei a suis subditis obedientiam et reverentiam sibi debitam exhiberi. Contradictores etc. Dat. Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2732 Anagni, 13 décembre 1258.

Concessionem quindecim librarum annui redditus cum jure patronatus ecclesiae de Condat, Lemovicensis diocesis, cantori ecclesiae Lemovicensis ab episcopo, decano et capitulo ipsius ecclesiae factam confirmat. (Reg. 25, f. 164, an. IV, c. 288.)

« .., *cantori ecclesie Lemovicensi*. Cum a nobis petitur etc.. usque ad : effectum. Ex tua siquidem et venerabilis fratris nostri.., episcopi, ac dilectorum filiorum.., decani et capituli Lemovicensium petitione accepimus quod ipsi, provide inter alia attendentes quod proventus triginta librarum usualis monete olim cantorie tue Lemovicensis ecclesie, que honorabilis est dignitas in eadem, nimis essent tenues et exiles, quindecim libras annui redditus monete similis in communibus proventibus ipsius capituli cum jure patronatus ecclesie de Condat, Lemovicensis diocesis, tunc ad capitulum

ipsum spectante, ultra prefatas triginta libras tibi et eidem cantorie, diligenti deliberatione prehabita, concesserunt, et in perpetuum assignarunt, prout in patentibus litteris eorum confectis exinde ac sigillis ipsorum signatis plenius continetur. Nos itaque ipsorum et tuis supplicationibus inclinati, quod super premissis provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum fecimus presentibus annotari, qui talis est :

21 juin 1258

« Sanctissimo patri ac domino Alexandro, provisione « celesti sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, « Aymericus, permissione divina Lemovicensis episcopus, magister Helias, decanus et capitulum Lemovicenses, pedum oscula beatorum. Olim in ecclesia « nostra cantoria ipsius ecclesie tunc vacante, de assensu reverendi patris bone memorie Guidonis, tunc « Lemovicensis episcopi, nos decanus et capitulum « duximus statuendum ut pro prebenda ad cantoriam « spectante, cantores qui pro tempore essent, de proventibu capituli nostri triginta libras tantummodo « perciperent annuatim, licet prebenda ecclesie nostre « statuti facti tempore tantumdem in annuo redditu « non valeret. Nos autem attendentes quod ecclesie « nostre statutum hujusmodi multipliciter expedit « observari, ad tollendam omnem contentionis materiam que ex perceptione dicte prebende quam habebant cantores, poterat, prout ex quibusdem experimentis didicimus, provenire, et ad removendam perceptionis inequalitatem cum in distribuendis perceptionibus soleat in ecclesia nostra generaliter equalitas observari, statutum ipsum nos episcopus, decanus « et capitulum unanimiter duximus approbandum, et « de consensu venerabilis viri Guidonis, cantoris ecclesie « vestre, qui ex indulgentia Sedis Apostolice supe hoc « impetrata adversus statutum predictum ad perceptionem predicte prebende se et cantoriam admitti per « beneficium restitutionis in integrum postulabat, concorditer et unanimiter innovavimus hoc statutum et « nos, decanus et capitulum, hoc statutum per juramentum a dilecto concanonio nostro magistro Seguino, ad « hoc a nobis syndico constituto, in manus vestras « prestitum promisimus et firmavimus servaturos, « volentes etiam et ordinantes ut pro prebenda predicta « seu prebende predicte nomine, nullus cantor cantorie « nomine habeat vel percipiat annuatim in posterum « ultra triginta libras superius nominatas eidem cantori « in duobus terminis synodalibus persolvendas. Verum « quia cantoria honorabilis est dignitas in ecclesia « nostra et proventus ipsius sunt satis tenues et exiles, « nos ad tenuitatem proventuum ipsius cantorie respectum habere volentes, rursus habentes intuitum ad merita dicti cantoris, qui officium quod ad « dictam cantoriam pertinet digne et laudabiliter noscitur adimplere, nos decanus et capitulum, dedimus « liberaliter et concessimus prefato cantori et cantorie « in perpetuum, quindecim libras annui redditus, volentes, statuentes et ordinantes ut ultra dictas triginta libras, quas tantum pro prefata prebenda « seu ejusdem prebende nomine cantores qui pro tempore fuerint percipient in futurum, quindecim libras de proventibus nostri capituli iidem cantores ex « hac nostra liberalitate et nova ordinatione percipiant « annuatim in terminis superius annotatis ; quam solutionem nos decanus et capitulum promisimus liberaliter facere in terminis memoratis, et ad eam faciendam nos astrinximus et volumus obligari. Placuit « etiam nobis ut jus patronatus ecclesie de Condat, quod « in ipsa ecclesia nos decanus et capitulum habere « dinoscimur, dictus cantor et cantoria perpetuo habeant, ipsumque jus patronatus dictis cantori et cantorie concessimus et assignavimus perpetuo liberaliter et gratanter. Nos vero episcopus, decanus et « capitulum et ego Guido, cantor Lemovicenses, « qui predictum statutum et ordinationem et provisionem hujusmodi recepi, approbavi ac ipsum statutum me servaturum promisi prestito juramento, « attendentes ipsum statutum et ordinationem predictam redundare in nostram et ecclesie atque cantorie Lemovicensium utilitatem pariter et honorem, « sanctituti vestre supplicamus humiliter et devote « quatinus dictum statutum et ordinationem predictam dignemini approbare et confirmationis apostolice presidio communire. Dat. die Veneris ante « Nativitatem Beati Johannis Baptiste, anno domini Mº. CCº. LVIIIº V. »

« Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quarto. »

2733 Anagni, 11 décembre 1258.

Episcopo Lemovicensi mandat ut decanum et capitulum ecclesiae Lemovicensis a quibusdam interdicti, suspensionis et excommunicationis sententiis absolvat (Reg. 25, f. 164 vº, an. IV, c. 289.)

« .., *episcopo Lemovicensi.* Ex parte dilectorum filiorum.., decani et capituli ecclesie Lemovicensis, nobis

fuit humiliter supplicatum ut, cum nonnulli clerici super receptione de provisione sua in eadem ecclesia sub certa forma executorias litteras a Sede Apostolica impetrantes, per executores sibi deputatos, in prefatos decanum et capitulum, pretextu receptionis et provisionis hujusmodi, fecerint interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias promulgari, ac iidem decanus et capitulum mandatis apostolicis ac ipsis sententiis postmodum paruerint reverenter, providere super hoc eis de oportuno absolutionis beneficio misericorditer curaremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi, presentium tibi auctoritate committimus quatinus, si tibi constiterit quod prefati decanus et capitulum parere studuerint in premissis, eos juxta formam Ecclesie a sententiis memoratis absolvas, et super irregularitate, si quam ipsi vel aliqui eorum exinde contraxerint, imposita sibi penitentia salutari, cum eis dispenses prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Dat. Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2734 Anagni, 17 décembre 1258.

Prioribus de Extildesham, de Lanrecost et de Wederbale, Eboracensis et Karleolensis diocesium, mandat ut Robertum, olim Karleolensis ecclesiae priorem solum in ecclesia de Corbrig, Dunelmensis diocesis, commorantem, ad redeundum ad claustrum suum cogant. (Reg. 25, f. 164 v°, an. IV, c. 290.)

« .., *de Extildesham*,.., *de Lanrecost, et*.., *de Wederbale prioribus, Eboracensis et Karleolensis diocesium.* (1) Lecta coram nobis dilectorum filiorum.., prioris et conventus Karleolensis ecclesie petitio continebat quod cum bone memorie.., Karleolensis episcopus, ad visitationis impendendum officium, in eadem ecclesia descendisset, Robertus canonicus, tunc prior et conventus ipsius ecclesie ad inculcatam episcopi predicti instantiam, se ordinationi ejusdem episcopi super omnibus que visitationem hujusmodi, secundum Deum et eorum ordinis conformationem, contingerent, summiserunt, concedentes eidem ut ad eorum correctionem procederet ea vice atque provisionem honestam dicto Roberto, si per ejus ordinationem vel spontaneus cederet, assignaret. Porro eodem episcopo in visitatione hujusmodi procedente, licet nominatus R. considerans propter suos excessus sibi amotionem a prioratu ipsius ecclesie imminere, ipsius regimini male sibi conscius sponte cesserit, idem tamen episcopus sequens proprie voluntatis consilium, pretextu summissionis et concessionis hujusmodi, ordinavit quod idem Robertus cum uno adminus canonico quamdiu vixerit in ecclesia de Corbring, Dunelmensis diocesis, quam ipsi in proprios usus habent, residentiam faciens personalem, de illius proventibus quadraginta marcas Sterlingorum exsolvat eisdem priori et capitulo annuatim, residuum sibi pro sua subtentatione, quod nonaginta marcas extimant attingere, retinendo, et venerabilis frater noster.., Dunelmensis episcopus ipsum R. in eadem ecclesia de Corbring ad predicta, memorato conventu pro regulari honestate sibi ad mandatum prefati Karleolensis episcopi, sub cujus custodia seu gubernatione idem conventus tunc priorem non habens, erat, per proprias litteras supplicante, admisit, in enormem ipsius Karleolensis ecclesie lesionem. Unde cum idem R., in eadem ecclesia solus commorans contra regularem sui ordinis honestatem et quasi pullus onagri se liberum natum putans, obedientie fractis habenis, vitam ducat per vias licentie dissolutam, petierunt iidem prior et conventus super eadem ecclesia de Corbring, indempnitati ecclesie sue ac ipsius R., saluti, ne positus extra disciplinam, pereat, provideri. Quocirca mandamus quatinus si, cognita de plano et absque judicii strepitu veritate, rem inveneritis ita esse, prefatum R., quod premissis seu Apostolice Sedis quavis indulgentia per quam juris explicatio impediri valeat in hac parte nequaquam obstantibus, ad claustrum suum redeat, ibidem sub prioris sui obedientia moraturus monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes etc. Dat. Anagnie XVI, kal. januarii, anno quarto. »

1. Ces trois derniers mots manquent dans la rubrique.

2735 Anagni, 4 décembre 1258.

Officialibus, obedientiariis et administratoribus ecclesiae Karleolensis, ordinis S. Augustini, inhibet ne bona ejusdem ecclesiae in proprios et illicitos usus convertant (Reg. 25, f. 164 v°, an. IV, c. 291.)

« .., *priori et capitulo ecclesie Karleolensis, ordinis Sancti Augustini.* Ad aures apostolatus nostri pervenit quod in ecclesia vestra consuetudo quedam juri corruptela potius inolevit, quod canonici ejusdem qui obedientias, officia seu administrationes in ea obtinent, de bonis ipsius ecclesie que ad manus ipsorum perveniunt rationem non reddunt juxta ipsius ordinis instituta, sicque sepe contingit quod tales canonici bona predicte ecclesie, que in utilitatem converti debent ipsius, in proprios ac parentum, filiorum, consanguineorum et amicorum suorum, et e .am alios illicitos usus convertere non verentur, utendo vestibus, calceamentis, lectis, cibis et potibus delicatis atque in equis et equorum faleris sumptus superfluos faciendo, ex quo dicta ecclesia

graviter leditur, et ipsius honestas plurimum deformatur. Volentes igitur ejusdem ecclesie honestati consulere ac indempnitatibus providere, auctoritate presentium sub pena excommunicationis districtius inhibemus ut officiales, obedientiarii et administratores qui nunc sunt, et qui pro tempore in prefata ecclesia fuerint, talia de cetero attemptare vel bona ipsius ecclesie in alios quam ejusdem utiles usus convertere non presumant, statuentes ut de bonis hujusmodi que ad manus pervenerint eorundem reddant vobis et vestris successoribus in capitulo rationem, predicta consuetudine, que quidem corruptela est, non obstante, ita quod in illos qui secus presumpserint, libere insurgat regularis severitas disciplíne. Nulli nostre inhibitionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, V nonas decembris, anno quarto. »

2736 Anagni, 20 novembre 1258.

Diaspri de Pyscro (?) electionem in Umbriaticensem episcopum ab archiepiscopo S. Severinae, loci metropolitano, confirmatam, ipse confirmat. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 292.)

« *Diaspro de Pyscro, electo Umbriacensi*(1). Cum a nobis —. Dat. Anagnie, XII kal. decembris, anno quarto. »

2737 Anagni, 17 décembre 1258.

Henrico de Wingham, capellano suo, ad relationem magistri Arlotti, subdiaconi et notarii apostolici, dispensat ut, praeter ecclesiastica beneficia quae curam animarum habentia ex dispensatione vel confirmatione Sedis Apostolicae obtinet, unicum adhuc personatum vel dignitatem seu beneficium ecclesiasticum, etiam si ei cura similis sit annexa, recipere et retinere possit. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 293.)(2)

« *Henrico de Wingham, decano ecclesie Sancti Martini Magni Londoniensis, capellano nostro.* Sincera devotio erga —. Dat. Anagnie, XVI kal. januarii , anno quarto. »

2738 Anagni, 17 décembre 1258.

Eidem universa ecclesiastica beneficia, tam quae cum dispensatione Sedis Apostolicae quam quae sine illa in Anglia et Ibernia recepit quaeque pacifice possidet, confirmat, defectum, siquis quoad jus aut factum circa receptionem seu retentionem eorum aut in dispensationibus ei super eisdem beneficiis ab eadem Sede concessis forsitan intervenit, suppl ns, et ut ex licite retinere possit dispensat. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 294.)

« *Eidem* Sincera devotio etc. —. Dat, Anagnie. XVI kal. januarii, anno quarto.

2739 Anagni, 18 août 1256.

Bartholomeo de Frusinone, scriniario, familiari suo, tenimenta que olim Benedictus dictus Bellus et Ognitio Caravita a Romana curia tenuerunt in castro Frusinonis et ejus territorio, Verulanae diocesis, cum omnibus juribus et pertinentus ei ejusque heredibus in perpetuum sub annuo censu unius librae cerae in dicta tenimenta de novo concedit et confirmat. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 295.)

« *Bartholomeo de Frisignone* (sic), *scriniario, familiari nostro, Verulane diocesis.* Sedes Apostolica pia —. Dat. Anagnie, XV kal. septembris, anno secundo. »

2740 Anagni, 13 novembre 1256.

Eidem tenimentum quod olim tenuit Sergius Theobaldi et casalinum quod tenuit presbyter Gregorius de Marco a Romana curia in castro Frusinonis et ejus territorio praedicto cum omnibus juribus et pertinentiis suis ei ejusque heredibus in perpetuum sub annuo censu mediae librae cerae « in directo » de novo concedit et confert. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 296.)

« *Eidem.* Sedes Apostolica pia —. Dat. Anagnie, idibus novembris, anno secundo. »

2741 Anagni, 31 octobre 1256.

Thomasio, balivo suo in Frusinone, mandat ut eidem scriniario casalinum quod olim tenuit presbyter Gregorius de Marco in castro Frusinonis cum omnibus juribus et pertinentiis assignet. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 297.)

« *Thomasio, balivo nostro in Frusinone.* Volentes dilecto filio —. Dat. Anagnie, II kal. novembris anno secundo. »

2742 Viterbe, 3 novembre 1257.

Priori et conventui S. Mariae de Virginibus de Venetiis ut de tredecim mansis terrae Paduanae diocesis, ab eis de pecunia quam Gregorius papa eorum monasterio dederat, emptionis titulo acquisitae, nulli decimas solvere teneantur ad instar ipsius Gregorii papae indulget. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 298.)

1. *Sic.* C. Eubel a lu : *Dionysio de Pysoro* et donne la forme : *Umbriaticensi* (*Hierarchia catholica Medii Aevi*, p. 536).

2. A partir de cette bulle n° 293, les rubriques manquent, mais l'adresse mise en marge subsiste et c'est cette adresse qui est reproduite ici comme précédemment.

« .., *priori et conventui monasterii Sancte Marie de Virginibus de Venitiis, ordinis Sancti Marci, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Devotionis vestre precibus —. Dat. Viterbii, III nonas novembris, anno tertio. »

2743 Anagni, 13 décembre 1258.

Abbatem monasterii Casae Dei, Claromontensis diocesis, procuratorem Apostolicae Sedis constituit. (Reg. 25, f. 165 v°, an. IV, c. 299.)

« .., *abbati et conventui monasterii Case Dei, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Sicut petitio vestra nobis exhibita continebat venerabilis frater noster.., Claromontensis episcopus vos super vestri subjectione monasterii multipliciter impetit et molestat. Quia vero prefatum monasterium ad jus et proprietatem Apostolice Sedis per privilegia predecessorum nostrorum Romanorum pontificum pertinere monstratur, ne jus Ecclesie Romane remaneat indefensum te, fili abbas, procuratorem ipsius duximus statuendum ut, cum adversus ipsius Ecclesie Romane possessiones et jura, non nisi centenaria, currat prescriptio, tu super hiis et aliis vice nostra procures que in judiciis fuerint procuranda. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quarto. »

2744 Anagni, 11 décembre 1258.

Magistrum Bonitum (?) de Mota in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 165 v°, an. IV, c. 300.)

« *Magistro Bonito de Mota*(1). Meritis tue probitatis —. Dat Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2745 Anagni, 28 mars 1259.

Episcopo Sorrensi sub poena excommunicationis mandat ut duo molendina hospitalis S. Leonardi de Rosva, Turritanae diocesis, ad monasterium Omnium Sanctorum de Ripa Arni Pisanum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis S. Damiani, spectantia cum cursu aquae ipsorum et proventibus perceptis ex eis, abbatissae et conventui praefati monasterii restituat. (Reg. 25, f. 165, an. IV, c. 301; Potthast 17525.)

« .., *episcopo Sorrensi.* Exposita nobis dilectarum —. Dat. Anagnie, V kal. aprilis, anno quinto. »

1. On pourrait lire aussi bien : *Bovico*.

2746 Anagni, 23 mars 1259.

Abbatissae et conventui monasterii Omnium Sanctorum de Ripa Arni, Pisanae diocesis, suprascripti, quarum hospitali S. Leonardi de Stagno A[lbertus], monachus S. Benedicti de Monte Cassino et Turritanus archiepiscopus, ecclesiam S. Georgii de Olcastreto in perpetuos usus donavit, hanc donationem confirmat, tenorem litterarum dicti archiepiscopi inserens. (Reg. 25, f. 165 v°, an. IV, c. 302; Potthast 17521.)

« .., *abbatisse et conventui monasterii Omnium Sanctorum de Ripa Arni Pisani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Damiani.* Cum a nobis —. Dat. Anagnie, X kal. aprilis, anno quinto. »

2747 Anagni, 11 décembre 1258.

Cum H., tituli S. Sabinae presbyter cardinalis, A. Sedis nuntius, Henrico abbati monasterii Fuldensis, Herbipolensis diocesis, reformationem monasterii Herfeldensis, Maguntinae diocesis commisisset, hanc commissionem confirmat. (Reg. 25, f. 166, an. IV, c. 303; Rodenberg, T. III, N° 485.)

« *Henrico, abbati monasterii Fuldensis, ordinis Sancti Benedicti, Herbipolensis diocesis.* Ex tua et dilectorum filiorum.., decani,.., prepositi et conventus monasterii, Herfeldensis, ordinis Sancti Benedicti, Maguntine diocesis, petitione accepimus quod cum Wernherus, quondam abbas monasterii ejusdem, regimini abbatie ipsius primo sponte cessisset ac eam postmodum per violentiam occuppasset, tandem dilectus filius noster H., tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus, eum exinde amoveri, exigente justitia, faciens, ac attendens dictum monasterium, quod per malitiam et incuriam prefati Wercheri (*sic*) erat non modicum in spiritualibus et temporalibus collapsum, per tuam industriam posse in utrisque feliciter reformari, curam et administrationem ipsius monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus, auctoritate sue legationis tibi commisit usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Cumque postmodum supradictus W. monasterium ipsum denuo per laicalem potentiam occupasset ac nos dilectis filiis.., de Slutere et.., de Arnespurch abbatibus dedissemus sub certa forma per nostras litteras in mandatis ut, si esset ita, eundem W. a dicto monasterio amoverent, contradictores etc., idem abbas de Slutere, ac dilectus filius.., decanus ecclesie Sancte Marie in Campis Maguntine, cui prefatus abbas de Arnespurc commisit super hoc, prout ex beneficio nostrarum litterarum dictarum habebat totaliter, vices suas, quia eis de premissis legitime constitit memoratum We-

rnherum, juxta tenorem litterarum ipsarum, ab eodem monasterio sententialiter amoverunt. Quare pro parte dictorum decani, prepositi et conventus humiliter petebatur a nobis ut, cum idem monasterium per te utilius quam per alium secundum temporis imminentis exigentiam gubernari ac reformari valeat, et a malignorum incursibus defensari, hujusmodi commissionem tibi de dicto monasterio factam a cardinali prefato apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque ipsorum ac tuis supplicationibus inclinati, commissionem eandem ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2748 Anagni, 16 décembre 1258.

Archidiacono de Valdeyras in ecclesia Legionensi mandat ut Johanni Martini, auctoritate apostolica in ecclesiae Ovetensi recepto in canonicum et in fratrem, de praebenda et redditibus qui titulus et praestimonia vulgariter dicuntur, in dicta ecclesia provideat. (Reg. 25, f. 166, an. IV, c. 304.)

« .., *archidiacono de Valdeyras in ecclesia Legionensi.* Dilectus filius Johannes —. Dat Anagnie, XVI kal. decembris, anno quarto. »

2749 Viterbe, 8 novembre 1257.

Concessionem hospitalis S. Leonardi de Stagno (1), Pisanae diocesis, quam monialibus monasterii Omnium Sanctorum ejusdem diocesis, ordinis S. Damiani, Crassus canonicus Pisanus, executor electo Pisano substitutus fecerat, confirmat, litteras concessionis praedictae, die XIV° aprilis, notificationis dicto Crasso factae, die XXIII° martis datas necnon litteras apostolicas electo Pisano diebus XXII° januarii et XII° martis, anno M.CC. LVII°, mandatas inserens. (Reg. 25, f. 166-167 v°, an. IV, c. 305 ; Potthast 17061.)

« .., *abbatisse et conventui monialium inclusarum monasterii Omnium Sanctorum Pisani, ordinis Sancti Damiani.* Justis petentium desideriis —. Dat. Viterbii, VI idus novembris, anno tertio. »

2750 Latran, 12 avril 1257.

Episcopo, prioribus, decano et capitulo Turonensibus mandat ut magistrum Claudium, subdiaconum et capellanum apostolicum, basilicae Principis Apostolorum canonicum, fratrem nobilis viri I., cancellarii Urbis, in canonicum et in fratrem recipiant, eique de praebenda provideant, ei stallum in choro et locum in capitulo cum plenitudine juris canonici integre assignando, non obstante quod idem magister non est de Turonensi diocesi oriundus vel quod alias beneficiatus existit etc. (Reg. 25, f. 167 v°, an. IV, c. 306.)

« .., *episcopo,.., prioribus,.., decano et capitulo Turonensibus.* Mateica commodi et. —. Dat. Laterani, X kal. maii, anno tertio. »

2751 Anagni, 12 décembre 1257.

Episcopo, decano et capitulo Lexoviensibus mandat ut eumdem Claudum in ipsorum ecclesia recipiant eique praebendam assignent. (Reg. 25, f. 167 v°, an. IV, c. 307.)

«.., *episcopo,.., decano et capitulo Lexoviensibus.* Pura fides et sincera devotio quas dilectus filius nobilis vir cancellarius Urbis et sui ad nos et Romanam gerant Ecclesiam nos inducunt, et gratiosa obsequia et persone merita dilecti filii magistri Claudi, fratris sui, capellani et familiaris nostri, ut eidem capellano, qui dignus est auxilio et favore, non solum gratie nostre manum aperiamus munificam, sed etiam penes alios ejus commoda affectuoso studio procuremus. Hinc est quod cum nos, volentes eum prosequi favore gratie specialis, ut ex hoc possit beneficiis ecclesiasticis honorari, universitatem vestram affectuose rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes quatinus eundem capellanum quem suis et suorum meritis carum habemus plurimum et acceptum, vel procuratorem suum ejus nomine, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, recipiatis in ecclesia vestra in canonicum et in fratrem, eidem, qui per se ac suos vobis et ecclesie vestre potest existere multipliciter fructuosus, de prebenda in ipsa ecclesia, si vacat ad presens, vel quam cito ad id se facultas obtulerit, providere liberaliter procuretis, sibi stallum in choro et locum in capitulo cum plenitudine juris canonici assignando. Non obstante si vobis pro aliis direximus scripta nostra quibus nullum auctoritate presentium prejudicium generari (1), seu statuto ipsius ecclesie de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apostolice aut quacunque alia firmitate vallato, vel si vobis quod non teneamini ad receptionem vel provisionem alicujus seu aliquorum[a] Sede sit indultum eadem, aut quod idem C., non est de vestra diocesi

1. Dans le texte on trouve aussi : *Stangno.*

1. Il manque ici un mot tel que : *volumus.*

oriundus vel quod alias beneficiatus existit, et quavis alia indulgentia ipsius Sedis generali vel speciali cujuscunque tenoris existat per quam id impediri valeat vel differri, et de qua plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem. Preces et mandatum nostrum etc. de verbo ad verbum ut in alia. Dat. Viterbii, II idus decembris, anno tertio. »

2752 Viterbe, 21 novembre 1257.

Bartholomaeo de Frusinone, scriniario, familiari suo, ejusque heredibus legitimis possessiones quas olim Benedictus Magistri Nicolai et Leonardus Caritae a Romana curia tenuerunt, in castro Frusinonis et ejus territorio, Verulanae diocesis, quarum proventus unius rubli frumenti annuatim valentiam vix excedunt, cum omnibus juribus et pertinentiis, sub annuo censu mediae librae cerae in festo Resurrectionis Dominicae camerae solvendo, concedit. (Reg. 25, f. 168., an. IV, c. 308.)

« *Bartho omeo de Frusinone, scriniario, familiari nostro, Verulane diocesis.* Sedes Apostolica pia —. Dat. Viterbii, XI kal. decembris, anno tertio. »

2753 Viterbe, 15 septembre 1257.

Guillelmo de Ilifau(?), clerico chori ecclesiae Rothomagensis, ad supplicationem Quartulini, familiaris J., S.Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, dispensat ut duo ecclesiastica beneficia, etiam curam animarum habentia, si nullum aliud obtinet in regno Franciae, recipere et retinere possit. (Reg. 25, f. 168. an. IV, c. 309.)

« *Guillelmo de Ilifau, clerico chori ecclesie Rhotomagensis.* Volentes personam tuam —. Dat. Viterbii, XVII kal. octobris, anno tertio. »

2754 Viterbe, 11 janvier 1258.

Pensionem magistro Willelmo Wasconi, scriptori ipsius, ab abbate Clusini monasterii, Taurinensis diocesis, concessam confirmat. (Reg. 25, f. 168, an. IV, c. 310.)

« *Magistro Willelmo Wasconi, scriptori nostro.* Ex tue fidei —. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, quondam W., abbas et conventus monasterii Clusini, diocesis Taurinensis, grata et utilia obsequia que ipsis et eidem monasterio et specialiter apud Sedem Apostolicam impenderas attendentes, tibi liberaliter quandam concesserint pensionem tibi annis singulis persolvendam, prout in instrumento publico exinde confecto plenius dicitur contineri, nos volentes tibi facere gratiam specialem, tuis precibus inclinati, quod ab eisdem abbate et conventu super hoc factum est gratum et ratum habentes, id ac pensionem ipsam tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, III idus januarii, anno quarto. »

2755 Viterbe, 11 janvier 1258.

Eidem pro pensione ab abbate Cluniacensi concessa. (Reg. 25, f. 168, an. IV, c. 311.)

« *Eidem.* Ex tue fidei puritate etc. ut in alia de verbo ad verbum usque : constitutus, quondam.., abbas et conventus monasterii Cluniacenses, grata et obsequia que ipsis etc. usque: persovendam, prout in ipsorum super hoc confectis litteris plenius dicitur contineri etc. usque in finem. »

2756 Viterbe, 19 mai 1258.

Praeposito ecclesiae de Vesolano, Vercellensis diocesis, mandat ut pensionem dicto Willelmi Wasconi ab abbate praefati monasterii Clusini debitam, solvi faciat. (Reg. 25, f. 168, an. IV, c. 312.)

« .., *preposito ecclesie de Vesolano, Vercellensis diocesis.* Dilectus filius magister Willelmus Wasco, scriptor noster, ex sue fidei puritate, etc. verbis competenter mutatis usque : constitutus, quondam W., abbas et conventus monasterii Clusini, Taurinensis diocesis, grata et utilia obsequia que ipsis, etc. usque : persolvendam, prout in instrumento publico exinde confecto etc. usque : duximus confirmanda. Ceterum quia prefata pensio dicto magistro aliquandiu, sicut asserit, est subtracta, idem supplicavit instanter ut illam sibi solvi, et de subtracta satisfieri mandaremus. Quocirca mandamus quatinus eidem magistro per te vel per alium ab.., abbate et conventu prefati monasterii, juxta ipsius instrumenti tenorem, statutis locis et terminis, integro pensionem predictam solvi facias annuatim et de subtracta satisfactionem plenariam exhiberi. Contradictores etc. Non obstantibus aliquibus indulgentiis vel litteris a predicta Sede impetratis seu etiam impetrandis per quas impediri posset effectus presentium vel differri et de quibus sive quarum toto tenore oporteat in nostris litteris fieri mentionem, aut si sit.., abbati et conventui monasterii predicti communiter vel divisim a Sede indultum eadem vel indulgeri contin-

gat quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras dicte Sedis in quibus non sit de indulto hujusmodi plena mentio et expressa. Dat. Viterbii, XIIII kal. junii, anno quarto. »

2757 Viterbe, 19 mai 1258.

Eidem pro pensione ab H., abbate monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, praedicto Willelmo concessa. (Reg. 25, f. 168, an. IV, c. 313.)

« *Eidem.* Dilectus filius magister Wasco, scriptor noster etc. ut in alia usque : constitutus, quondam H., abbas et conventus monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, grata et utilia, etc. usque : super hoc confectis litteris plenius dicitur contineri etc. usque in finem. Dat. Viterbii, XV kal. junii, anno quarto. »

2758 Viterbe, 23 mai 1258.

Eidem pro pensione a praeposito et capitulo ecclesiae de Lombriasco, Taurinensis diocesis, dicto Willelmo concessa. (Reg. 25, f. 168, an. IV, c. 314.)

« *Eidem.* Dilectus filius magister Guillelmus etc. ut in alia usque : constitutus, quondam.., prepositus et capitulum ecclesie de Lombriasco, ordinis Sancti Augustini, Taurinensis diocesis, sibi liberaliter quandam concesserunt pensionem etc. verbis competenter mutatis usque in finem. Dat. Viterbii, X kal. junii, anno quarto. »

2759 Viterbe, 5 juin 1258.

Episcopo et capitulo Zamorensibus mandat ut Martinum Dominici, clericum chori ecclesiae Zamorensis, in portionarium et in fratrem recipiant eique de portione aliqua providere curent, non obstante quod atias beneficiatus existit etc. (Reg. 25, f. 168 v°, an. IV, c. 315.)

« .., *episcopo et capitulo Zamorensibus.* Credentes vos illa —. Dat. Viterbii, nonis junii, anno quarto. »

2760 Naples, 30 avril 1255.

Monasterium monialium S. Catharinae Januense, ordinis S. Damiani, sub sua protectione suscipit, omnes ejus possessiones ac bona, jura et privilegia, necnon omnes libertates et immunitates quas eidem [Otto], archiepiscopus Januensis indulsit, confirmat, litteras supradicti archiepiscopi, anno Nativitatis M.CC. XXXI°, die sabbati, tertio decimo mensis septembris, datas, inserens. (Reg. 25, f. 168 v°, an. IV, c. 316 ; Potthast 15832.)

« .., *abbatisse monasterii Sancte Catherine Januensis ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.* Religiosam vitam etc.—. Dat Neapoli per manum magistri Guillelmi, magistri scolarum Parmensis, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, III kal. maii, indictione XIII^a , Incarnationis Dominice anno M°. CC°. LV°, pontificatus vero domni (*sic*) Alexandri pape IIII ti anno primo. »

2761 Viterbe, 10 avril 1258.

Generali, priori et fratribus Heremitis ordinis S. Augustini monasterium S. Bartholomaei de Sestinga, ordinis S. Benedicti, Grossetanae diocesis, cum omnibus juribus suis confert. (Reg. 25, f. 168 v°, an. IV. c. 317.)

« .., *generali, priori et fratribus Heremitis ordinis Sancti Augustini.* Sic ordo vester —. Hinc est quod nos, vestris et ipsius ordinis comodis paterna sollicitudine intendentes ac volentes ut sentiatis vobis Apostolice Sedis dexteram liberalem, vestris et dilecti filii nostri R., Sancti Angeli diaconi cardinalis, patroni ejusdem ordinis precibus annuentes, monasterium Sancti Bartholomei de Sestinga, ordinis Sancti Benedicti, Grossetane diocesis ad nos et Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, cum omnibus juribus, possessionibus et pertinentiis suis vobis et per vos dicto ordini, de fratrum nostrorum consilio, de gratia conferimus speciali, decernentes irritum et inane si secus de ipso monasterio ejusve juribus, possessionibus et pertinentiis per quemcunque aut quoscunque nostra vel quavis alia auctoritate contigerit attemptari. Nulli nostre collationis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, IIII idus aprilis, anno quarto. »

2762 Viterbe, 28 septembre 1258.

Pensionem magistro Gregorio de Posis, scriptori ipsius, a Nicolao de Rumiliaco, priori prioratus S. Flaviti Villae Mauri, Trecensis diocesis, concessam confirmat, hujus concessionis tenorem inserens. (Reg. 25, f. 169, an. IV, c. 318.)

« *Magistro Gregorio de Posis, scriptori nostro.* Cum a nobis petitur etc. usque ad : effectum. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod dilectus filius Nicolaus de Rumiliaco, prior prioratus Sancti Flaviti Ville Mauri, ordinis Sancti Benedicti, Trecensis diocesis, propter grata et accepta servitia que sibi et eidem prioratui exhibueras et in futurum poteras exhibere, ac consideratione dilecti filii magistri Jordani Sancte

Romane Ecclesie vicecancellarii et notarii, cujus existis clericus, tibi quadraginta librarum Turonensium annuam pensionem concessit, tibi certis loco et termino quoad vixeris persolvendam, se ac ejusdem prioratus bona et etiam successores suos tibi propter hoc specialiter obligando, prout in litteris inde confectis sigillatis sigillo dilecti filii nostri O., Sancte Marie in Vialati (*sic*) diaconi cardinalis, et ipsius prioris plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem priore factum est ratum et firmum habentes, id non obstante quod.., abbatis et conventus monasterii Sancti Petri de Cella, Trecensis diocesis, ejusdem ordinis cui prioratus ipse subest, super hoc non intervenit assensus auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes eundem priorem ac successores suos teneri tibi ad solvendum hujusmodi pensionem, ac prefatum prioratum et ejus bona omnia tibi fore propter hoc quoad vixeris obligata.

« Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus qui talis est :

Vîterbe, septembre 1258

« Frater Nicolaus de Rumiliaco, humilis prior prio-
« ratus Sancti Flaviti Ville Mauri, ordinis Sancti Bene-
« dicti, Trecensis diocesis, discreto viro in Christo sibi
« carissimo magister Gregorio de Posis, domini pape
« scriptori, clerico venerabilis viri magistri Jordani
« Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii et notarii,
« salutem in Domino. Attendentes quantum nobis et
« prioratui nostri ac etiam amicis nostris venera-
« bilis viri magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie
« vicecancellarii et notarii, circumspectionis indus-
« tria profuit hactenus et prodesse poterit in futurum,
« ac volentes personam ejus in te propter grata et ac-
« cepta servitia que nobis et prioratui nostro exhibuisti
« et deinceps exhibere poteris, dono specialis gratie
« honorare, ob reverentiam ipsius magistri Jordani
« tibi annuam quadraginta librarum Turonensium pen-
« sionem quoad vixeris persolvendam, tibi vel tuo certo
« procuratori seu nuntio in nundinis beatis Johannis
« Baptiste apud Trecas tenore presentium duximus
« concedendam, nos et ejusdem prioratus bona, ac
« etiam successores nostros tibi propter hoc specialiter
« obligantes. Ut autem concessio et obligatio hujus-
« modi robur obtineant firmitatis, presentes litteras
« sigillis reverendi patris et domini domini Octaviani,
« Sancte Marie in Vialata diaconi cardinalis, et nostro
« fecimus roborari. Actum Viterbii, anno domini
« M° CC° LVIII°, mense septembri, pontificatus
« domini Alexandri pape IIII anno quarto. »

« Nulli nostre confirmationis et constitutionis etc. Dat. Viterbii, III kal. octobris, anno quarto. »

2763 Viterbe, 28 septembre 1258.

Archiepiscopo Turonensi et episcopo Abrincensi mandat ut pensionem praedicto Gregorio debitam persolvi faciant. (Reg. 25, f. 169, an. IV, c. 319[a].)

« .., *archiepiscopo Turonensi et.., episcopo Abrincensi.* Petitio dilecti filii magistri Gregorii de Posis, scriptoris nostri, nobis exhibita continebat quod dilectus filius Nicolaus de Rumiliaco, prior prioratus etc., ut in alia verbis competenter mutatis continetur ; cum autem nos, ipsius scriptoris supplicationibus inclinati etc. usque : obligata, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus eidem scriptori vel procuratori suo ejus nomine, predictam pensionem juxta litterarum ipsarum tenorem vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, annuatim faciatis persolvi. Non obstante si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum vel indulgeri forte contigerit quod interdici, suspendi vel excommunicari seu compelli ad solutionem alicujus pensionis non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem aut qualibet alia indulgentia Sedis ejusdem de cujus toto tenore oporteat in presentibus mentionem fieri et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Contradictores etc., invocato ad hoc si opus fuerit etc. Dat. ut in alia. »

2764 Anagni, 24 septembre 1255.

Episcopo Ulixbonensi mandat ut ad Alphonsi Suerii, rectoris ecclesiae S. Mariae de Alcaveto, suae diocesis, juxta Innocentis IV continentiam litterarum, provisionem procedat. (Reg. 25, f. 169, an. IV, c. 319[b].)

« .., *episcopo Ulixbonensi.* Licet olim felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, tibi sub certa forma, obtentu venerabilium fratrum nostrorum I., Portugallansis, E., Colimbriensis, et R., Egitaniensis episcoporum, suis dederit litteris in mandatis ut dilectum filium Alfonsum Suerii, rectorem ecclesie Sancte Marie de Alcaveto, tue diocesis, de dicta tua diocesi oriundum, in Ulixbonensi ecclesia faceres per te vel per alium in canonicum et in fratrem recipi ac sibi de prebenda, si tunc vacabat vel quamcito ad id se offerret oportunitas, provideri, idem tamen, sicut nobis asseritur, nondum tibi hujusmodi litteris presentatis, eodem predecessore viam universe carnis ingresso, nullum ex eisdem litteris est commodum assecutus. Nos igitur nolentes quod de ipso pie inceptum est relinquere

imperfectum, mandamus quatinus ad provisionem ejusdem auctoritate nostra procedas juxta ipsius predecessoris ad te continentiam litterarum. Dat. Anagni, VIII kal. octobris, anno primo. »

2765 Anagni, 3 décembre 1259.

Monasterium S. Mariae in Wunnental, Constantiensis diocesis, sub sua protectione suscipit, omniaque ejus privilegia et possessiones confirmat. (Reg. 25, f. 169 v°, an. IV, c. 320.)

«... *priorisse monasterii Sancte Marie in Winnental* (sic) *ejusque sororibus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam etc. usque : enervet. Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancte Marie in Vunnental, Constantiensis diocesis, in quo estis divino obsequio mancipate, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus.

« In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus quod, secundum Deum et Beati Augustini regulam atque institutionem fratrum Predicatorum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones etc. usque : permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam de Ammotter cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum etc. usque : presumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas etc. usque : retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum etc. usque : retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque : interdicto. Crisma vero, oleum sanctum etc. usque : exhibere. Prohibemus insuper etc. usque : Romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones etc. usque : prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam etc. usque : assumuntur. Decimas preterea et possessiones etc. usque : facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci priorissa etc. usque : eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque : exercere. Preterea omnes libertates et immunitates etc. usque : communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum etc. usque : auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona etc. usque : ultioni. Cunctis autem eidem loco etc. usque : inveniant. Amen, Amen. Dat. Anagnie per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, III nonas decembris, indictione II, Incarnationis Dominice anno M° L° VIIII° (1), pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno quinto. »

2766 Anagni, 22 novembre 1259.

Provinciae Maguntinae praelatis mandat ut contra eos qui possessiones vel res aut jura monasterii B. Mariae in Wunnental, Constantiensis diocesis, invaserint aut detinuerint etc., procedant. (Reg. 25, f. 169 v°, an. IV, c. 321.)

«..., *archiepiscopo Maguntino et ejus suffraganeis, et dilectis filiis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis per Maguntinam provinciam constitutis.* Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sententie severitas enervatur, ut viri religiosi et hii maxime qui per Sedis Apostolice privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias substineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecte in Christo filie.., priorissa et sorores monasterii beate Marie in Wunental, ordinis Sancti Augustini, Constantiensis diocesis, secundum instituta fratrum Predicatorum viventes, tam de frequentibus injuriis quam de ipso cotidiano defectu justitie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari u ita videlicet eis in tribulationibus suis contra male factores eorum prompta deberetis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus quatinus illos qui possessiones vel res seu domos predictarum sororum irreverenter invaserint, aut injuste detinuerint ea que predictis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsas sorores vel ipsarum aliquam contra Sedis Apostolice indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas de nutrimentis animalium suorum, spretis Apostolice Sedis privilegiis, extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice, candelis accensis, singuli vestrum in diocesibus

1. *Sic.* Il faut lire : MCCLVIIII.

et ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis ; si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam donec predictis sororibus plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici seculares qui pro violenta manuum injectione in sorores easdem vel ipsarum aliquam anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Dat. Anagnie, X kal. novembris, anno quinto. » (1)

1. Cette lettre et la précédente, datées de la cinquième année, figurent dans la partie du registre réservée, en principe, aux lettres de la quatrième année,

FIN DE LA QUATRIÈME ANNÉE

Imprimerie F. BOISSEAU, 34, rue du Taur. — TOULOUSE

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
PUBLIÉE
SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'ÉDUCATION NATIONALE

LES REGISTRES D'ALEXANDRE IV

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LES MANUSCRITS ORIGINAUX DES ARCHIVES DU VATICAN

PAR

MM. C. Bourel de La Roncière, J. de Loye, P. de Cenival et A. Coulon

ANCIENS MEMBRES DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME, ARCHIVISTES PALÉOGRAPHES

TOME III

FASCICULE VII

Années V, VI et VII

PUBLIÉ PAR

Auguste COULON

PARIS
E. DE BOCCARD, ÉDITEUR
1, rue de Médicis

1953

INCIPIT REGESTUM

DOMINI ALEXANDRI PAPE IIII

PONTIFICATUS SUI ANNO QUINTO

2767 Anagni, 28 décembre 1258.

Magistro Rostando, archidiacono Agennensi, capellano suo, mandat Alexander papa IV ut Leoni de Sompnino, clerico Tarentasiensis episcopi, de aliquo ecclesiastico beneficio in regno Angliae providere procuret, Eboracensi, Saresbiriensi et Lincolniensi ecclesiis dumtaxat exceptis. (Reg. 25, f. 187 [1], an. V, c. 1.)

« *Magistro Rostando, archidiacono Agennensi, capellano nostro* [2]. Ascriptis militie clericali —. Hinc est quod nos pro dilecto filio Leone de Sompnino, clerico venerabilis fratris nostri.. archiepiscopi Tarentasiensis, mandamus quatinus sibi vel procuratori suo ejus nomine in regno Anglie de aliqua ecclesia seu alio ecclesiastico beneficio prebendali vel alio, cum cura vel sine cura, ad cujuscunque ecclesiastice persone collationem vel presentationem pertineat, si vacat ad presens vel quamcito ad id se facultas obtulerit, per te vel per alium seu alios providere procures et facias eum vel dictum procuratorem pro eo in ecclesia in qua sibi providendum duxeris, si collegiata vel prebendalis fuerit, Eboracensi, Saresbiriensi et Lincolniensi dumtaxat exceptis, in canonicum recipi et in fratrem, non obstante statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica aut quacunque firmitate alia roborato, aut si pro aliis in regno ipso direximus scripta nostra quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, et indulgentia qua concessum est Anglicis quod Italici clerici decedentis beneficium vel cedentis alius Italicus nequeat obtinere, vel si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum —. Dat. Anagnie, V kal. januarii, anno quinto. »

1. Les folios 170, 171, 172 sont blancs, immédiatement après le folio suivant est numéroté 187. Une note écrite au xviie siècle au verso du folio 172 en donne l'explication : « *Folia quae hic videntur deesse non sunt hujus libri, sed sunt de anno tertio Innocentii tertii, propterea ibi reperies quia ibi sunt reposita.* »

2. L'adresse de ce premier acte est en rouge, comme la rubrique du titre, et le texte commence par une grande lettre ornée bleue.

2768 Anagni, 23 décembre 1258.

Magistro Wilhelmo de Bagkepus, archidiacono Watefordensi indulget ut praeter beneficia ecclesiastica quae obtinet, adhuc unicum aliud beneficium licite in Ybernia recipere possit. (Reg. 25, f. 187, an. V, c. 2; Potthast 17439.)

« *Magistro Willelmo de Bagkepus, archidiacono Watefordensi.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Anagnie, X. kal. januarii, anno quinto. »

2769 Anagni, 23 décembre 1258.

Magistro Rostando concedit facultatem dispensandi cum duobus clericis, consanguineis suis, ut uterque eorum, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, possit unicum aliud beneficium recipere, si ei in Burdegalensi vel Auxitana provincia canonice offeratur. (Reg. 25, f. 187, an. V, c. 3.)

« *Magistro Rostando, capellano nostro.* Tuam volentes honorare —. Dat. ut in alia. »

2770 Anagni, 2 janvier 1259.

Magistro Sigero, canonico ecclesiae S. Stephani Maguntini, facultatem contrahendi mutuum usque ad summam quadringentarum et quinquagenta marcarum Sterlingorum novorum concedit. (Reg. 25, f. 187, an. V, c. 46 ; Rodenberg, t. III, n° 486.)

« *Magistro Sigero, canonico ecclesie Sancti Stephani Maguntini, nuntio venerabilis fratris nostri Gerhardi, archiepiscopi Maguntini.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expediendis venerabilis fratris nostri G. archiepiscopi, et ecclesie Maguntinorum negotiis, te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos tuis precibus inclinati, contrahendi propter hoc mutuum usque ad summam quadringentarum et quinquaginta marcarum Sterlingorum novorum, ac predictum archiepiscopum et successores suos et predicte ecclesie bona creditoribus obligandi ac renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, et omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis et etiam impetrandis, necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscunque tenoris imposterum impetrari contigerit, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem ; ita tamen quod archiepiscopus et successores predicti hujusmodi pecuniam solvere necnon et ad dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecunia eadem persoluta non fuerit, teneantur et dictis creditoribus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujuscunque privilegii vel indulgentie, de quibus in nostris litteris plenam et expressam oporteat fieri mentionem, et per que archiepiscopus et successores predicti amplius in aliquo se tueri possint, dictam pecuniam in utilitatem ipsius ecclesie versam esse probandi necessitas non incumbat. Dat. Anagnie, IIII nonas januarii, anno quinto. »

2771 Anagni, 16 janvier 1259.

Martino Lupi, rectori ecclesie S. Johannis de Servoy, Auriensis diocesis, de Compostellani archiepiscopi, consanguinei sui testimonio, indulget ut alium beneficium in Bracharensi provincia recipere valeat, non obstante constitutione ab A. Sabinensi episcopo tunc in partibus illis A. Sedis legato quondam edita. (Reg. 25, f. 187 v°, an. V, c. 5.)

« *Martino Lupi, rectori ecclesie Sancti Johannis de Servoy, Auriensis diocesis.* Constitutioni canonice qua —. Dat. Anagnie, XVII kal. februarii, anno quinto. »

2772 Anagni, 9 janvier 1259.

Patriarchae Aquilegensi mandat ut Bertholdum, Bambergensem clericum consacret. (Reg. 25, f. 187 v°, an. V, c. 6 ; Potthast 17449 ; Rodenberg, t. III, n° 487.)

« .. *patriarche Aquilegensi* [1]. Ex parte dilectorum —. Dat. Anagnie, III idus januarii, anno quinto. »

2773 Anagni, 11 décembre 1258.

Episcopo Lemovicensi, ut de jure ac forma receptionum quorumdam clericorum veritatem requirat. (Reg. 25, f. 187 v°, an. V, c. 7.)

« .. *episcopo Lemovicensi.* Significarunt nobis.. decanus et capitulum ecclesie Lemovicensis quod, cum in ecclesia ipsa in qua spectat ad eos collatio prebendarum, quamplures clerici, ad vacanturas (*sic*) prebendas auctoritate apostolica sint recepti, aliqui eorum contendentes alios in assecutione prebendarum prevenire, in eos suspensionis et excommunicationis ac eandem ecclesiam interdicti sententias per executores sibi deputatos a Sede Apostolica procurarunt indebite promulgari. Quare pro parte ipsorum decani et capituli humiliter petebatur a nobis ut, cum ecclesia ipsa propter hoc debitis obsequiis defraudetur et nonnulli clericorum predictorum ibidem minime canonice sint recepti, providere in hac parte de circumspectione apostolica curaremus. Nos itaque dictorum decani et capituli et ecclesie gravaminibus indebitis occurere cupientes, mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, de jure ac forma receptionum clericorum ipsorum sollicite veritatem inquirens, et quod canonicum fuerit appellatione posposita statuens, decernas

1. A partir de ce numéro les rubriques manquent. L'adresse est donnée par l'indication mise en marge pour le *rubricator*.

et ordines qui ex receptis eisdem in prebendarum assecutione sint aliis preferendi, supradictas quoque sententias juxta formam Ecclesie auctoritate nostra relaxans, alias quas deinceps in eosdem decanum et capitulum et ecclesiam ac eorum personas contra hujusmodi ordinationem tuam promulgari contigerit, decernas eadem auctoritate irritas et inanes ; dummodo iidem decanus et capitulum dictos receptos non impediant quin prebendas sibi juxta ordinationem ipsam de jure debitas assequantur, contradictores etc. Dat. Anagnie, III idus decembris, anno quarto. »

2774 Anagni, 12 janvier 1259.

Alexandri papae III qui hospitalem de Ponte Populi, Lucanae diocesis, sub A. Sedis protectionem susceperat, decisionem confirmat, hujus privilegii tenorem inserens. (Reg. 25, f. 188, an. V, c. 8.)

« .. *rectori et fratribus hospitalis de Ponte Populi ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Lucane diocesis.* Felicis recordationis Alexander papa tertius, predecessor noster, comperto ex relatione bone memorie B. tituli Sancte Pudentiane presbiteri cardinalis, quod dum ipse tunc in partibus illis legationis officio fungeretur, locus in quo hospitale vestrum et ecclesia sita sunt a temporalibus dominis ipsius loci beato Petro fuit oblatus et subsequenter in jus et proprietatem Ecclesie Romane ab eodem cardinali receptus, locum eundem in jus et proprietatem Beati Petri et suam atque protectionem Apostolice Sedis recepit, statuens inter alia quod hospitale et ecclesia supradicta nulli debeant nisi Ecclesie Romane subesse, ita quod vos, ad indicium hujusmodi libertatis ab Apostolica Sede percepte, sibi suisque successoribus unam libram cere teneremini solvere annuatim. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut id apostolico munimine roborare, ac etiam super eo quod privilegium libertatis ejusdem a predecessore ipso concessum incipit nimia vetustate consumi, providere paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super premissis ab eodem predecessore factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ipsius privilegii de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari qui talis est :

Anagni, 1 juin.

« Alexander episcopus, servus servorum Dei. « Dilectis filiis M. rectori, et fratribus hospitalis « de Ponte Populi, salutem et apostolicam bene- « dictionem. Ex relatione dilecti filii nostri B. « tituli Sancte Pudentiane presbiteri cardinalis « manifeste comperimus quod olim, dum in par- « tibus vestris legationis fungeretur officio, locus « in quo hospitale ipsum et ecclesia sita est a « dominis de Cassio Balbo, quorum idem locus « erat, beato Petro oblatus fuit, quem utique « idem cardinalis in jus et proprietatem Ecclesie « Romane recepit et ibidem hospitale et eccle- « siam hedificandi *(sic)* auctoritate nostra facul- « tatem concessit, pro quibus utique annuus « census unius libre cere Romane fuit Ecclesie « constitutus. Nos igitur, recepta carta donationis « ejusdem loci, eum in jus et proprietatem Beati « Petri et nostram atque protectionem Aposto- « lice Sedis recepimus et presentis scripti patro- « cinio communimus, statuentes ut idem hospitale « et ecclesia nulli nisi Romane Ecclesie debeant « subesse nec episcopus Lucanus aut canonici « seu plebanus aliquis vel quelibet alia persona « in hospitale aut in ecclesia vestra seu in presbi- « tero vel aliis personis ibidem conditoris servitio « deputatis potestatem sibi vel jurisdictionem « aliquam spiritualium vel temporalium audeat « vendicare, sed tam hospitale quam ecclesia « cum personis ibidem manentibus, ab omni jugo « et subjectione alterius libera in perpetuum et « absoluta existat. Ad inditium autem hujus a « Sede Apostolica percepte libertatis, nobis nos- « trisque successoribus unam libram cere annis « singulis persolvetis. Nulli nostre protectionis et « constitutionis etc. Si quis etc. Dat. Anagnie, « kal. junii [1]. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, II idus januarii, anno quinto. »

2775 Anagni, 18 janvier 1259.

Magistro et fratribus hospitalis S. Assentii Anagnini indulget ut de lignis incisis vel siccis silvae communis Anagninae pro usibus pauperum in hospitali eorum degentibus, accipere valeant. (Reg. 25, f. 188, an V c. 9).

1. La date d'année manque.

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancti Assentii Anagnini.* Devotionis vestre supplicationibus —. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno quinto. »

2776 Anagni, 18 janvier 1259.

Episcopo Anagnino mandat ut praedictam indulgentiam observari faciat. (Reg. 25, f. 188, an. V, c. 10.)

« .. *episcopo Anagnino.* Dilectorum filiorum.. magistri —. Dat. ut in alia. »

2777 Anagni, 25 janvier 1259.

Decano et capitulo Bisuntinis, ut ultra octo canonicos praebendas secundum jus ipsis acquisitum expectantes, aliquos admittere minime teneantur indulget. (Reg. 25, f. 188, an. V, c. 11 ; Rodenberg, t. III, n° 489.)

« .. *decano et capitulo Bisuntinis.* Meritis vestre devotionis inducimur ut vos specialis favore gratie prosequentes, que digne deposcitis paterna benevolentia compleamus. Sane presentata nobis ex parte vestra petitio continebat quod, licet olim per constitutionem nostram receptiones canonicorum prebendas expectantium vacaturas factas in ecclesiis preter quasdam irritas decreverimus et inanes, tamen nos viginti quinque ac pluribus ecclesie vestre canonicis, quorum receptiones cassate erant per constitutionem eandem, jus canonicatus quod eis ex prefatis receptionibus in eandem ecclesiam fuerat acquisitum, per diversas litteras restituimus de gratia speciali, quorum octo admisisse dicimini auctoritate hujusmodi litterarum, qui non sunt adhuc prebendas in eadem ecclesia assecuti. Cum igitur non existat nostre intentionis super tot canonicorum restitutionibus ecclesiam gravare predictam, sed potius ipsam a futuris gravaminibus, quantum cum Deo possumus, preservare, ut ultra predictos octo, pretextu restitutionis hujusmodi per litteras apostolicas obtentas seu etiam obtinendas, nisi de hac indulgentia et ejus tenore ac de numero canonicorum prebendas ibidem expectantium vacaturas expressam fecerint mentionem, admittere aliquos minime teneamini, vobis auctoritate presentium indulgemus, decernentes nichilominus irritas et inanes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in vos vel aliquem vestrum contra hujusmodi indulti tenorem contigerit promulgari. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, VIII kal. februarii, anno quinto. »

2778 Anagni, 27 janvier 1259.

Praeceptori et fratribus militiae Templi in Aquitania indulget ut terrae seu domus ab eis sub certo censu concessae a novis censibus sive redditibus immunes redeant. (Reg. 25, f. 188 v°, an. V, c. 12.)

« .. *preceptori et fratribus domus militie Templi in Aquitania.* Meritis vestre devotionis —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod nonnulli, qui a vobis terras seu domos sub certo annuo censu ad vitam suam vel ad non modicum tempus tenent, eisdem terris ac domibus, sine vestro assensu, novos census seu redditus aliis exolvendos propria temeritate imponunt, ac hujusmodi novos census seu redditus illis promittunt exolvere, in vestrum non modicum prejudicium et gravamen ; propter quod quandoque evenit quod illi quibus fit promissio hujusmodi censuum vel redditum, cum domos et terras ipsas ad vos devolvi, et vos illa aliis locare contingit, census seu redditus ipsos a vobis vel ab illis quibus locatis easdem exigere et extorquere indebite non verentur, quare humiliter petiistis a nobis super hoc de circumspectione apostolica provideri. Nos itaque, temeritatibus et presumptionibus hujusmodi ac vestris dispendiis in hac parte obviare volentes, presentium vobis auctoritate concedimus ut, cum terras et domos prefatas ad vos legitime devolvi contigerit, vos aut illi quibus eas locaveritis, ab hujusmodi novis censibus sive redditibus, pretextu talis promissionis aliquibus persolvendis, sitis liberi penitus et immunes. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, VI kal. februarii, anno quinto. »

2779 Anagni, 27 janvier 1259.

Magistro et fratribus hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe indulget ut de pratis, ortis, virgultis et possessionibus quae propriis manibus et sumptibus colunt, nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 25, f. 188 v°, an. V, c. 13.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe.* Hospitalitatis pie studium —. Dat. Anagnie, VI kal. februarii, anno quinto. »

2780 Anagni, 29 janvier 1259

Johanni dicto Handcremarc, clerico, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 188 v°, an. V, c. 14.)

« *Johanni dicto Handcremarc, clerico in minoribus ordinibus constituto, Moriuensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Anagnie, IIII kal. februarii, anno quinto. »

2781 Anagni, 20 janvier 1259.

Johanni, domino Castellionis, ut in matrimonio cum Delfina, Nivernensis diocesis, contracto remanere possit dispensat. (Reg. 25, f. 188 v°, an. V, c. 15.)

« *Nobili viro Johanni, domino Castellionis, et Delfine, uxori ejus, Nivernensis diocesis.* Consuevit Sedes Apostolica —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod vos olim, debita sollempnitate servata, in facie Ecclesie, nullius impedimenti conscii, matrimonium ad invicem contraxistis, et tanquam legitimi conjuges individuam vite consuetudinem retinentes, genuistis prolem in hujusmodi matrimonio sic contracto, cujus matrimonii nullus accusator extitit vel existit, licet quidam aliquando asseruerat quod tu, fili Johannes, quarta, tu vero, Delfina, tertia consanguinitatis linea a stipiti communi distetis, de quo constare non potest, ad quod etiam investigandum cum summa diligentia laborastis. Cum igitur tu, dicte Johannes, ex hoc habere te asseris conscientiam remordentem, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis in hac parte de benignitate Sedis Apostolice juvaremus. Quia vero Apostolice Sedis circumspectio rigorem nonnunquam super hiis provide temperat, et, quod negat juris severitas de gratia pietatis indulget, nos volentes, vestre devotionis exigentibus meritis, super hoc oportuno remedio providere, ut in eodem matrimonio, dicto impedimento si forte subest nequaquam obstante, libere remanere possitis, vobiscum auctoritate presentium dispensamus, prolem predictam nichilominus legitimam reputantes. Nulli nostre dispensationis et reputationis etc. Dat. Anagnie, XIII kal. februarii, anno quinto. »

2782 Anagni, 31 janvier 1259.

Dispensationem super defectu natalium Johanni Mansel, cancellario ecclesiae Londoniensis, ab Innocentio IV concessam confirmat. (Reg. 25, f. 188 v°, an. V, c. 16.)

« *Johanni Mansel, cancellario ecclesie Londoniensis, clerico carissimi in Christo filii nostri regis Anglorum illustris.* Id apud Sedem Apostolicam tua devotio et devota obsequia meruerunt ut illam tibi semper cum expedit invenias gratiosam. Dudum siquidem felicis recordationis Innocentio pape, predecessori nostro, significare curasti quod pater tuus de nobilibus trahens originem, in diaconatus ordine constitutus, sollempniter cum matre tua, inscia quod esset diaconus, duxit matrimonium contrahendum, et eam per longa tempora maritali affectione pertractans, te suscepit ex ea, ac quod tandem ad cor rediens, celebrato inter eos per loci diocesanum divortio, dimissum diaconatus ordinem reassumpsit. Unde prefato predecessori humiliter supplicasti ut, cum tempore quo idem pater tuus te suscepit ex ea, ipsa conjux legitima putaretur, et per hoc tu reputaveris [1] legitimus ex tali matrimonio sic susceptus, tecum hanc gratiam faceret quod id tuo imputari defectu non deberet. Porro idem predecessor, laudabile testimonium quod tibi de honestate morum et dono scientie perhibebatur attendens, ac tue probitatis intuitu et carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Anglie pro te supplicantis obtentu, volens tibi gratiam facere specialem, per suas litteras tibi concessit ut tibi defectus hujusmodi quoad spiritualia non obesset quominus recipere posses sacros ordines et admitti ad quamlibet ecclesiasticam et episcopalem etiam dignitatem, prout in ejusdem predecessoris litteris continetur. Nos igitur, devotionis tue merita super quibus laudabilia recepimus testimonia ponderantes et plenius tibi super hoc providere volentes, auctoritate presentium dispensationem hujusmodi approbamus, etiam si forte vera non fuerint ea que de contractu predicti matrimonii et matris tue ignorantia, necnon et legitimi reputatione conjugii suggessisti, ut nichilominus predicti *(sic)* dispensationis gratia circa te plenum tam in susceptis postmodum quam in suscipiendis ordinibus, beneficiis et dignitatibus episcopali etiam robur habeat et effectum. Nulli nostre approbationis etc. Dat. Anagnie, II kal. februarii, anno quinto. »

1. Reg. : *reputareris*.

2783 Anagni, 13 janvier 1259.

Johanni Mansel, praeposito Beverlacensi, ut super beneficiis ecclesiasticis quae in regno Angliae obtinet, a quoquam trahi obsque speciali mandato non possit in causam extra Londoniensem diocesim per litteras Apostolicae Sedis seu legatorum ejusdem indulget. (Reg. 25, f. 189, an. V, c. 17.)

« *Johanni Mansel, capellano nostro, preposito Beverlacensi, Eboracensis diocesis.* Exigentibus tue probitatis —. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno quinto. »

2784 Anagni, 3 février 1259.

Ministro provinciali regni Legionensis, ordinis fratrum Minorum, mandat ut, singulis diebus dominicis et festis duplicibus et solemnibus sui ordinis, per fratres suos abbatissae et conventui monasterii S. Spiritus Civitatensis, ordinis S. Damiani, poenitentiam et Eucharistiae sacramentum exhiberi faciat etc. (Reg. 25, f. 189, an. V, c. 18 ; Potthast 17464.)

« .. *ministro provinciali regni Legionensis, ordinis fratrum Minorum.* Paci et saluti —. Dat. Anagnie, III nonas februarii, anno quinto. »

2785 Anagni, 29 janvier 1259.

Rectori et fratribus de Poenitentia Jesu Christi, capiendi apostatas sui ordinis eosque alias subdendi disciplinae rigori, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, concedit facultatem. (Reg. 25, f. 189, an. V, c. 19.)

« .. *rectori et fratribus de Penitentia Jesu Christi, ordinis Sancti Ausgustini.* Devotionis vestre precibus —. Dat. Anagnie, IIII kal. februarii, anno quinto. »

2786 Anagni, 11 février 1259.

Alphonso, Castellae et Legionis regi, indulget ut nullus Apostolicae Sedis legatus vel delegatus sine pontificali singulari licentia in ipsum, uxorem, filios vel officiales suos excommunicationis sententiam promulgare valeat. (Reg. 25, f. 189, an. V, c. 20 ; Potthast 11475.)

« *A. illustri regi Castelle ac Legionis.* Claris excellentie tue —. Dat. Anagnie, III idus februarii, anno quinto. »

2787 Anagni, 28 janvier 1259.

Guidoni de Luta, Lemovicensis diocesis, tabellionatus officium concedit (Reg. 25, f. 189 v°, an. V, c. 21.)

« *Guidoni de Luta, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lemovicencis diocesis.* Cum emula juris —. Dat. Anagnie, V kal. februarii, anno quinto. »

2788 Anagni, 8 février 1259.

Stephano Heym concedit ut praeter de Lanteglos et de Lanevede ecclesias quas obtinet, quarumque proventus decem librarum Sterlingorum valentiam non excedunt, duo alia ecclesiastica beneficia recipere possit. (Reg. 25, f. 189 v°, an. V, c. 22.)

« *Stephano Heym, de Lanteglos et de Lanevede ecclesiarum rectori, Exoniensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Anagnie, VI idus februarii anno quinto. »

2789 Anagni, 23 janvier 1259.

Roderico Martini concedit ut praeter ecclesias S. Marinae de Lodares, cujus proventus quatuor marcarum argenti valentiam vix excedunt, possit adhuc beneficia ecclesiastica usque ad summam vigenti marcarum argenti, computatis proventibus ejusdem ecclesiae, licite recipere. (Reg. 25, f. 189 v°, an. V, c. 23.)

« *Roderico Martini, rectori ecclesie Sancte Marine de Lodares, Portugalensis diocesis.* Ut tibi favorem —. Dat. Anagnie, X kal. februarii, anno quinto. »

2790 Anagni, 9 février 1259.

Magistro Rogero, Lincolniensis diocesis, concedit ut, praeter ecclesiastica benificia quae obtinet, unicum aliud beneficium recipere possit. (Reg. 25, f. 189 v°, an. V, c. 24.)

« *Magistro Rogero, archidiacono Huntadonis, Lincolniensis diocesis.* Volentis tibi tue —. Dat. Anagnie, V idus februarii, anno quinto. »

2791 Anagni, 4 février 1259.

Episcopo Exoniensi concedit ut, ad exonerationem debitorum Exoniensis ecclesiae, proventus et redditus omnium beneficiorum suorum usque ad unum annum retinere possit. (Reg. 25, f. 189 v°, an. V, c. 25.)

« .. *episcopo Exoniensi.* Apostolice Sedis benignitas —. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis quod tu, nuper ad Exoniensem

ecclesiam promotus, invenisti eam per predecessores tuos obligatam in maxima pecunie quantitate, non absque intollerabile voragine usurarum que continue bona ipsius ecclesie devorat incessanter. Quare nobis humiliter supplicasti ut super hoc indempnitati ipsius ecclesie paterna curaremus sollicitudine precavere. Nos igitur, quibus omnium ecclesiarum cura incumbit et quos pastorale invitat officium ipsarum utilitatibus providere, super hoc congruum remedium adhibere volentes, ut, pro exoneratione debitorum, proventus et redditus omnium beneficiorum tuorum que promotionis tue tempore obtinebas et nunc etiam retines, quos post tuam promotionem exinde percepisti et adhuc usque ad annum unum percipere poteris, licite retinere valeas auctoritate presentium liberam tibi concedimus facultatem, non obstantibus aliquibus litteris a Sede Apostolica impetratis vel etiam impetrandis per quas effectus presentium impediri valeat seu differri, ita tamen quod predicti proventus in solutionem debitorum hujusmodi integraliter convertantur, quodque beneficia ipsa debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Dat. Anagnie, II nonas februarrii, anno quinto ».

2792 Anagni, 27 janvier 1259.

Magistro Symoni, presbytero dispensat ut, non obstante defectu natalium quem patitur, de presbytero genitus et soluta, in susceptis ministrare ordinibus et decanatum de Graiaco ac ecclesiam de Gicura, animarum curam habentes, necnon canonicatus et praebendas suos sine cura S. Mariae Magdalenae Bisuntinae et Columbi monasterii secularium ecclesiarum, Bisuntinae diocesis, retinere possit. (Reg. 25, f. 190, an. V, c. 26.)

« *Magistro Symoni, presbitero, decano christianitatis de Graiaco, Bisontine diocesis, capellano H. tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis.* Vite munditia etc. — Dat. Anagnie, VI kal. februarii, anno quinto. »

2793 Anagni, 9 février 1259.

Capellanis perpetuis altaris S. Barbarae in ecclesia Parmensi, ad magistri Alberti, notarii apostolici, qui dictas capellanias de bonis propriis fecerat et dotaverat supplicationem, indulget ut, cum generale interdictum terrae fuerit seu etiam speciale Parmensis ecclesiae cathedralis, liceat eis, clausis januis etc. divina officia celebrare. (Reg. 25, f. 190, an. V, c. 27.)

« *Capellanis perpetuis altaris Sancte Barbare in ecclesia Parmensi.* Dilecti filli magistri —. Dat. Anagnie, V idibus februarii, anno quinto. »

2794 Anagni, 4 janvier 1259.

Omnia ab Hugone, tituli S. Sabinae presbytero, et Ottobono, S. Adriani diacono cardinalibus super regimine monasterii Andeciarum seu Vivifontis, ordinis S. Benedicti, Cathalaunensis diocesis, statuta confirmat, tenorem dictorum cardinalium litterarum inserens. (Reg. 25, f. 190, an. V, c. 28.)

« *Margarete, abbatisse, et conventui monasterii Andeciarum seu Vivifontis, ordinis Sancti Benedicti, Cathalaunensis diocesis.* Licet ea que —. Sane dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbiter, et O. Sancti Adriani diaconus cardinales, auctoritate nostra sibi viva voce commissa, ordinaverunt, statuerunt et providerunt quod tu, filia M., tunc priorissa monasterii Andeciarum seu Vivifontis, consueti non per abbatisse sed priorisse dumtaxat regimen gubernari, sis de cetero ipsius monasterii abbatissa, et quod idem monasterium ordinetur et disponatur deinceps perpetuo sub regimine abbatisse prout in litteris eorundem cardinalium inde confectis et eorum sigillis munitis plenius continetur. Nos igitur, porrectis nobis pro parte vestra supplicationibus inclinati, quod per cardinales ipsos in hac parte factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et per scripti patrocinium communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

Anagni, 2 janvier 1259.

« Miseratione divina frater Hugo, tituli Sancte « Sabine, presbiter, et Ottobonus, Sancti Adriani « diaconus cardinales, ad perpetuam rei memo- « riam. Noverint universi presentes litteras inspec- « turi quod, de speciali mandato a sanctissimo « patre domino Alexandro, divina providentia « papa qnarto, facto nobis oraculo vive vocis, « et auctoritate ac potestate nobis specialiter « ab eodem domino in hac parte viva voce con- « cessis, ordinamus, statuimus et providemus quod « Marguareta de Chassenayo, priorissa monas- « terii Andeciarum seu Vivifontis, Cathalaunensis « diocesis, sit de cetero ejusdem monasterii abba- « tissa quodque monasterium illud ordinetur et

« disponatur deinceps in perpetuum sub regi-
« mine abbatisse. Actum Agnanie *(sic)*, in domo « quam nos frater H. inhabitamus ad presens, « presentibus venerabilibus patribus dominis Hen- « rico, Ebredunensi et Leonardo, Cretensi archie- « piscopis; magistro Angelo Romano, canonico « Cathalaunensi; Johanne Lecacorvo, canonico « Placentino; magistro Guidone, Remensi clerico, « et Rogero de Virtuto, clerico Cathalaunensis « diocesis, ac aliis pluribus testibus ad predicta « vocatis. Anno a Nativitate Domini M°CC°L°. « nono, indictione secunda, IIII nonas januarii, « pontificatus ejusdem domini Alexandri pape IIII « anno quinto. In cujus rei testimonium et me- « morie future cautelam, has litteras scribi et « publicari fecimus per notarium infrascriptum « et nostris muniri sigillis. Ego Gifredinus de « Vezano, imperiali auctoritate notarius, prola- « tioni predicte ordinationis interfui, et de man- « dato predictorum dominorum cardinalium scrip- « si et publicavi omnia supradicta et proprio « signo signavi. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, II nonas januarii, anno quinto. »

2795 Anagni, 9 février 1259.

Fratribus domus leprosorum S. Thomae de Frusinone indulget ut, pro duobus quartariis frumenti et totidem annonae, ac etiam quatuor saumis muxti quas, praetextu aliquorum de bonis Johannis de Sauro, presbyteri, ipsis oblatis, Ecclesiae Romanae annuatim reddere tenebantur, unam dumtaxat libram cerae persolvant. (Reg. 25, f. 190 v°, an. V, c. 29.)

« .. *magistro et fratribus domus leprosorum Sancti Thome de Frusinone, Verulane diocesis.* Ex tenore vestre —. Dat. Anagnie, V idus februarii, anno quinto. »

2796 Anagni, 9 février 1259.

Capellanis perpetuis altaris S. Barbarae in ecclesia Parmensi indulget ut ad onera spiritualia supportanda non possint coactari, nisi ad ea quae per statuta Alberti, notarii apostolici, ejusdem altaris conditoris, imposita sunt. (Reg. 25, f. 190 v°, an. V, c. 30.)

« *Capellanis perpetuis altaris Sancte Barbare in ecclesia Parmensi.* Illa dilectum filium magistrum Albertum, notarium nostrum, prosequimur sinceritate favoris eaque ipsum dilectionis et benivolentie amplectimur plenitudine specialis ut ei liberaliter et libenter que sibi placita et nobis deposcit utilitas concedamus. Cum igitur, sicut idem notarius in nostra proposuit presentia constitutus, capellaniis Sancte Barbare, quas in ecclesia Parmensi pro felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, necnon ipsius et progenitorum ac benefactorum suorum animarum fecit remedio de bonis propriis et dotavit, certa imposuerit onera ad que tenemini, vos et alii qui in eis pro tempore fueritis perpetui capellani, nos volentes vestris et successorum vestrorum in hac parte cavere dispendiis et quieti consulere perpetuo cupientes, ejusdem notarii precibus inclinati, vobis et eisdem successoribus auctoritate presentium indulgemus ut deinceps non possitis per episcopum vel capitulum Parmenses, aut etiam per Apostolice Sedis legatum vel nuntium, aut quemcunque alium coartari ad aliqua alia onera spiritualia, specialiter autem in divinis officiis, vel temporalia supportanda, nisi ad que per ordinationem et statuta ipsius notarii per Sedem Apostolicam confirmata tenemini obligati. Nos enim statuta et ordinationes contra indultum nostrum hujusmodi per quemcunque edita vel edenda ex nunc decernimus irrita et inania et nullius existere firmitatis, et occurrendo cavillationibus et malitiis hominum, providemus ut si, preter ordinationem ipsius notarii, aliqua in ecclesiasticis officiis seu aliis sponte ac libere, rogati vel non rogati, pro tempore duxeritis facienda, nullum propter hoc generetur vobis ac successoribus vestris aut huic indulgentie prejudicium, nec in aliquo derogetur. Nulli nostre concessionis, constitutionis et provisionis, etc. Dat. Anagnie, V idus februarii, anno quinto. »

2797 Anagni, 5 février 1259.

Guillelmo, regis Navarrae fratri, concedit ut, praeter dispensationem beneficia ecclesiastica usque ad certam summam recipiendi ei concessam, beneficia alia usque ad annuum valorem quadringentarum marcarum Sterlingorum ultra summam praedictam recipere possit. (Reg. 25, f. 190 v°, an. V, c. 31.)

« *Guillelmo, clerico, fratri carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Navarre, Campanie et Brie comitis Palatini.* Affectu benivolentie specialis —. Dat. Anagnie, nonis februarii, anno quinto. »

2798 Anagni, 6 février 1259.

Regi Navarrae, Campaniae comiti, indulget ut, a Navarrensibus facta elevatione regis Navarrae, idem sic elevatus nomen regium sortiatur atque unctionem et coronationem, quando ei placuerit, recipiat. (REG. 25, f. 190 v°, an. V, c. 32 ; POTTHAST 17468.)

« .. *illustri regi Navarre, comiti Campanie.* Grandis affectus quem —. Dat. Anagnie, VIII idus februarii, anno quinto. »

2799 Anagni, 5 février 1259.

Eidem regi Navarrae indulget ut, cum generale terrae fuerit interdictum, liceat capellanis suis, clausis januis etc. divina officia celebrare. (REG. 25, f. 191, an. V, c. 33 ; POTTHAST 17466.)

« .. *illustri regi Navarre, Campanie et Brie comiti Palatino.* In desideriis te —. Dat. Anagnie, nonis februarii, anno quinto. »

2800 Anagni, 27 janvier 1259.

M[argaritae], comitissae Flandriae, indulget ut excommunicari non possit absque A. Sedis speciali mandato, praesentibus post quinquennium minime valituris. (REG. 25, f. 191, an. V, c. 34 ; RODENBERG, t. III, p. 453.)

« *Nobili mulieri M. comitisse Flandrie et Haynonie.* Promerente tue devotionis affectu, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Licet igitur indulgentias quampluribus personis ecclesiasticis et secularibus a felicis recordationis Innocentio papa, predecessore nostro, concessas, quod non possent interdici, suspendi et excommunicari, ac eorum terre supponi ecclesiastico interdicto, nisi essent reges vel uxores aut filii seu fratres regum, aut alii magnates sublimesque viri qui antiquitus a Sede Apostolica similem habuerint gratiam, totaliter duxerimus revocandas, attendentes tamen quod filia clare memorie.. imperatoris Constantinopolitani fuisti, necnon et sincere devotionis affectum quem ad nos et Romanam Ecclesiam habere dinosceris, auctoritate tibi presentium indulgemus ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo executor seu conservator a Sede deputatus eadem seu legatis ipsius, possit in personam tuam excommunicationis proferre sententiam, et terras tuas ecclesiastico supponere interdicto absque dicte Sedis speciali mandato faciente plenam et expressam de hac indulgentia mentionem. Nulli nostre concessionis etc. Presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. Anagnie, VI kal. februarii, anno quinto. »

2801 Anagni, 5 février 1259.

Johanni Clarel concedit ut de Overtone, de Hemingford, de Brigeford, de Houtone, de Eletone et de Babbewrde ecclesias, ac praebendam de Northewelle ecclesiae Suwellensis, Lincolniensis et Eboracensis diocesium, retinere ac unum aliud beneficium ecclesiasticum recipere valeat. (REG. 25, f. 191, an. V, c. 35.)

« *Johanni Clarel, canonico ecclesie Suwellensis, Eboracensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, nonis februarii, anno quinto. »

2802 Anagni, 5 février 1259.

Decano et capitulo S. Quiriaci de Pruvino indulget ut, cum generale terrae fuerit interdictum, liceat eis, clausis januis etc. divina celebrare officia et corpora religiosirum ecclesiae sepelire. (REG. 25, f. 191, an. V, c. 36.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Sancti Quiriaci de Pruvino, Senonensis diocesis.* Ad impendendum vobis gratiam et favorem, vestre devotionis merita, et carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Navare, Campanie et Brie comitis Palatini, porrecta nobis precamina nos inducunt. Hinc est quod nos vestris et ipsius regis supplicationibus inclinati ut, cum generale terre fuerit interdictum, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis et voce submissa, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto nec id vobis contingat specialiter interdici, devotioni vestre auctoritate presentium indulgemus, vobis nichilominus concedentes ut, tempore hujusmodi interdicti, corpora canonicorum ecclesie vestre et clericorum in ea servientium, cum decesserint, illorum videlicet qui servaverunt predictum interdictum, sine campanarum pulsatione, cessantibus sollempnitatibus omnibus, cum silentio, possitis in cimiterio ejusdem ecclesie sepelire. Nulli nostre concessionis etc. Dat. ut supra. »

2803 Anagni, 13 février 1259.

Regi Navarrae ecclesiam apud Igniacum construendi illamque dotandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 191, an. V, c. 37.)

« .. *illustri regi Navarre, Campanie et Brie comiti Palatino.* Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum apud Igniacum, Suessionensis diocesis, quandam ecclesiam de novo construere et affluenter, ita quod possint in ea esse plura beneficia vel prebende, de bonis regalibus dotare intendas, id faciendi tibi licentiam concedere curaremus. Nos itaque tuum laudabile propositum in Domino commendantes, serenitati tue sine alieni juris prejudicio auctoritate presentium licentiam concedimus postulatam, in eadem ecclesia jure patronatus, sicut illud habes in aliis collegiatis ecclesiis quas dotaverunt progenitores tui, tibi et tuis successoribus reservato. Dat. Anagnie, idibus februarii, anno quinto. »

2804 Anagni, 7 février 1259.

Cum in nonnullis religiosis et leprosorum domibus in districtu regis Navarrae, comitis Campaniae, consistentibus, locorum diocesani rectores seu administratores instituere praesumpserant, mandat papa abbati monasterii Orbacensis, Suessionensis diocesis, ut dictos diocesanos ad talem usurpationem terminandam compellat (Reg. 25, f. 191 v°, an. V, c. 38.)

« .. *abbati monasterii Orbacensis, ordinis Sancti Benedicti, Suessionensis diocesis.* Ad audientiam nostram noveris pervenisse quod in nonnullis religiosis et leprosorum domibus in districtu carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Navarre, Campanie et Brie comitis Palatini, consistentibus, locorum diocesani rectores seu administratores de novo ponere seu instituere presumunt, pro sue libito voluntatis, in earundem domorum non modicum prejudicium et gravamen, contra antiquam et approbatam et hactenus pacifice observatam in talibus consuetudinem veniendo. Nolentes igitur earundem domorum gravamen indebitum sustinere, mandamus quatinus, si est ita, predictos diocesanos, ut ab hujusmodi presumptione omnino desistant, monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione remota, previa ratione, compellas, non obstante si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas que de indulto ejusdem, de cujus toto tenore oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis edito in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Dat. Anagnie, VII idus februarii, anno quinto. »

2805 Anagni, 24 janvier 1259.

Johanni clerico, ad regis Castellae supplicationem, indulget ut, nonobstante defectu natalium quem patitur, de soluto genitus et soluta, episcopalem dignitatem obtinere valeat, si ad eam se contigerit evocari. (Reg. 25, f. 191 v°, an. V, c. 39.)

« *Johanni clerico, nato nobilis viri Alfonsi de Molina, patrui carissimi in Christo filii nostri regis Castelle ac Legionis illustris.* Sicut petitio tua —. Dat. Anagnie, VIIII kal. februarii, anno quinto. »

2806 Anagni, 9 février 1259.

Priori hospitalis Rossidae Vallis, Pampilonensis diocesis et successoribus suis, obtentu regis Navarrae, Campaniae et Briae comitis, usum mitrae et annuli concedit. (Reg. 25, f. 191 v°, an. V, c. 40.)

« .. *priori hospitalis Rosside Vallis, ordinis Sancti Augustini, Pampilonensis diocesis.* Cum in prelatorum —. Dat. Anagnie, V idibus februarii, anno quinto. »

2807 Anagni, 30 janvier 1259.

Gentili de Luculena, canonico Florentino, prioratum secularem ecclesiae S. Michaelis de Pavellis, Fesulanae diocesis, super quo causa vertebatur inter eum et Raynucium de Fighino, clericum ejusdem diocesis, post praedicti Raynucii obitum, confert. (Reg. 25, f. 191 v°, an. V, c. 41.)

« *Gentili de Luculena, canonico Florentino, clerico et familiari magistri Johannis de Sancto Germano, notarii nostri.* Virtutum merita quibus —. Dat. Anagnie, III kal. februarii, anno quinto. »

2808 Anagni, 11 février 1259.

Praeposito ecclesiae Florentinae mandat ut dictum Gentilem de Luculena in praefati prioratus possessionem inducat, invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio. (Reg. 25, f. 191 v°, an. V, d. c.)

« .. *preposito ecclesie Florentine*. Virtutum merita quibus —. Dat. Anagnie, III idus februarii, anno quinto. »

2809 Anagni, 16 février 1259

Cum Vivianus, prior ecclesiae S. Bartholomaei de Stampato, Fesulanae diocesis, annuam pensionem praefato Gentili de Luculena, priori de Pavellis, debitam negaverat, mandat papa Venturae, canonico plebis de Fighino, ejusdem diocesis, ut infra quindecim dies post monitionem, dictum Vivianum ad satisfactionem inducat, alioquin, infra alios quindecim dies, in curia compareat. (Reg. 25, f. 192, an. V, c. 42.)

« *Venture presbitero, canonico plebis de Fighino, Fesulane diocesis*. Dilectus filius Gentilis —. Dat. Anagnie, XIIII kal. martii, anno quinto. »

2810 Anagni, 11 février 1259.

Magistro et fratribus domus Dei de S. Manehilde, Cathalaunensis diocesis, construendi oratorium in domo licentiam concedit. (Reg. 25, f. 192, an. V, c. 43.)

« .. *magistro et fratribus domus Dei de Sancta Manehilde, Cathalaunensis diocesis*. Ex parte vestra —. Dat. Anagnie, III idus februarii, anno quinto. »

2811 Anagni, 18 janvier 1259.

Johannem Mansel, thesaurarium Eboracensem, in omnium beneficiorum suorum possessionem confirmat. (Reg. 25, f. 192, an. V, d. c.)

« *Johanni Mansel, capellano nostro, thesaurario Eboracensi*. Apostolice Sedis benignitas —. Hinc est quod nos, probitatem tuam non indigne pensantes ac volentes ex hoc gratiam tibi facere specialem, tuis supplicationibus inclinati, thesaurariam Eboracensis, cancellariam Londoniensis et preposituram Beverletensis ecclesiarum ac universos alios personatus et dignitates, et universa etiam ecclesiastica beneficia prebendalia et alia, cum cura et sine cura animarum, tam ea que cum dispensatione Sedis Apostolice quam auc sine dispensatione hujusmodi recepisti, et que pacifice possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus, presentis scripti patrocinio communimus, omnem defectum, si quis quoad jus vel quoad factum circa receptionem seu retentionem eorum vel aliquorum ex ipsis aut in dispensationibus tibi super hujusmodi personatibus et beneficiis ab eadem Sede concessis forsitan intervenit, supplentes de apostolice plenitudine potestatis, et ut ea omnia licite insimul retinere valeas, constitutione generalis concilii non obstante, tecum auctoritate apostolica dispensantes, proviso quod thesauraria, cancellaria, prepositura et alii personatus et dignitates ac alia beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis quibus imminet nullatenus negligatur. Nulli nostre confirmationis, suppletionis et dispensationis etc. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno quinto. »

2812 Anagni, 18 janvier 1259.

Magistro Rostando, archidiacono Agennensi, archidiaconatum Agennensem, et de Lingonio, Vasatensis, S. Petri Orientalis de Ossonia et de Stevenache, Lincolniensis, et de Estraham, Eliensis, et de Scaldeford, Wintoniensis diocesium caeteraque beneficia ecclesiastica confirmat. (Reg. 25, f. 192, an. V, c. 44.)

« *Magistro Rostanno, archidiacono Agennensi, capellano nostro*. Apostolice Sedis benignitas — ut in alia per totum. »

2813 Anagni, 25 janvier 1259.

Philippo Luvel, canonico Londoniensi, canonicatum Londoniensem et ecclesias de Luttyrworc et de Le, Lincolniensis diocesis, caeteraque beneficia ecclesiastica confirmat. (Reg. 25, f. 192, an. V, c. 45.)

« *Philippo Luvel, capellano nostro, canonico Londoniensi*. Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, VII kal. februarii, anno quinto. »

2814 Anagni, 18 janvier 1259.

Henrico, decano S. Martini Londoniensis, decanatum S. Martini Magni Londoniensis, cancellariam Exoniensem et praebendam Saresbiriensem, coeteraque beneficia ecclesiastica confirmat. (Reg. 25, f. 192 v°, an. V, c. 46.)

« *Henrico de Wingan, capellano nostro, decano ecclesie Sancti Martini Londoniensis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno quinto. »

2815 Anagni 12 février 1259.

Priorem et capitulum cathedralis ecclesiae S. Andreae in Scotia, ordinis S. Augustini, rogat et hortatur ut, si ipsis placeat, restituant Petro, clerico, nato Georgii, comitis de Cabaliaca, ecclesiam de Chinachim, S. Andreae diocesis, qua eum Innocentius papa IV privaverat, quia quondam Frederici olim imperatoris fautor esse dicebatur. (Reg. 25, f. 192 v°, an. V, c. 47 ; Potthast 17479.)

« .. *priori et capitulo cathedralis ecclesie Sancti Andree in Scotia, ordinis Sancti Augustini.* Constitutus in presentia . Dat. Anagnie, II idus februarii, anno quinto. »

2816 Anagni, 12 février 1259.

Magistro Rofino de Tohenengo, canonico Eboracensi, mandat ut, si praedicti prior et capitulum mandatum apostolicum adimplere neglexerint, ad provisionem dicto Petro clerico faciendam provideat. (Reg. 25, f. 192 v°, an. V, d. c.)

« *Magistro Rofino de Tohenengo, capellano nostro, capellano Eboracensi.* Constitutis in presentia — etc. usque in finem. »

2817 Anagni, 13 février 1259.

Renuntiationem omni juri in decimis alicujus terrae Paduanae, ab Aleardino canonico, nomine archipresbyteri et capituli ecclesiae Paduanae in monastorii S. Mariae de Virginibus de Venetiis favorem factam confirmat, instrumenti inde confecti tenorem inserens. (Reg. 25, f. 192 v°, an. V, c. 48.)

« .. *priori et conventui monasterii Sancte Marie de Virginibus de Venetiis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Marci Mantuani.* Ea que judicio vel concordia terminantur etc. usque communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, licet felicis recordationis G. predecessor noster, et nos postmodum ad instar ipsius, vobis [1] duxerimus indulgendum ut de tredecim mansis terre, Paduane diocesis, a vobis emptionis titulo acquisite de pecunia quam idem predecessor dedit monasterio vestro intuitu pietatis, nulli decimas solvere teneamoni, nichilominus tamen.. archipresbiter et capitulum ecclesie Paduane, asserentes quod decima terre predicte pertinebat ad ipsos, eam a vobis contra indulgentie predicte tenorem per violentiam extorserunt, super predicta decima coram diocesis judicibus auctoritate litterarum Sedis Apostolice vos multipliciter molestando. Verum Aleardinus, canonicus Paduanus, nomine predictorum archipresbiteri et capituli a quibus habebat super hoc speciale mandatum, cessit omni juri, si quod predicti archipresbiter et capitulum habebant in decimis predicte terre, promittens quod nominati archipresbiter et capitulum vobis super predictis decimis de cetero non movebunt aliquam questionem, prout in publico instrumento inde confecto plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem canonico factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem ejusdem instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

28 novembre 1258.

« Anno Domini MCCLVIII, indictione prima, « die tertio exeunte novembri, in presentia horum « testium rogatorum, videlicet dompni Boni, mo- « nachi de Perusia, diocesis Tervisine, fratris « Bonaventure, presbiteri et canonici Sancti Sal- « vatoris de Venetiis, dominorum Symonis Mauro, « canonicorum *(sic)* ecclesie Sancti Marci de « Venetiis, presbiteri, Dominici Plebani presbi- « teri, Marci, ecclesie Sancti Paterniani de Vene- « tiis, Leonardi, custodis ecclesie Paduane et « aliorum, in Venetiis, in claustro Sancti Salva- « toris, dominus Aleardinus de Monte Lambono, « canonicus Paduanus, syndicus et procurator « domini Petri, archipresbiteri et capituli Padua- « norum, sicut patet per procuratorium instru- « mentum confectum per Johannem de Butri- « gello, imperialis aule notarium a me Alberto « Gaia, notario, viso et lecto, cujus tenor talis « est :

Padoue, 10 novembre 1258.

« In nomine Domini Dei eterni, anno ejusdem « Nativitatis MCCLVIII, indictione prima, die « decimo intrante novembri, presentibus pres-

1. Reg. : *nobis.*

« bitero Johanne de Gaibana, Symone olim Nigris, « filio de Costa Asina de Plasentia, Marco, clerico, « servitore canonicorum Paduanorum et aliis, « capitulum Paduanum more solito congregatum « scilicet : vir venerabilis dominus Petrus, archi- « presbiter, et domini Raynerius, Thomasius Bel- « lotus, Bartholomeus Grassus, Lodoisius Guil- « lelmus, Aleardinus Franciscus de Cartaria, Alber- « tinus, archidiaconus, et Percivalle, omnes cano- « nici Paduani, fecerunt, constituerunt et ordi- « naverunt dominum Aleardinum, canonicum Pa- « duanum, presbiterum, Johannem Grizudum, « mansionarium majoris ecclesie Paduane, et Leo- « nardum Scirem, ejusdem ecclesie custodem, « presentes, suos et capituli canonicorum Paduano- « rum nuntios, procuratores et syndicos speciales, « omnes insimul et quemlibet eorum separatim, per « se et in solidum, ad faciendum coram priore « Sancti Salvatoris de Venetiis, nomine ipsorum « et pro ipsis et capitulo et canonicis Paduanis, « priori et conventui Sancte Marie de Virginibus « de Venetiis puram et liberam cessionem de omni « lite, causa, questione seu controversia quas « ipsum capitulum vel aliquis seu aliqui de ipso « capitulo generaliter sive specialiter habent vel « habere possent aliquo tempore in futurum, « occasione decimarum seu decime tredecim man- « sorum terre sitorum in diocesi Paduana, spectan- « tium sive pertinentium ad priorem et conventum « Sancte Marie de Virginibus de Venetiis, et « dampnorum et injuriarum sibi et capitulo et « canonicis Paduanis a prefatis priore et conventu « illatorum et illatarum, et ad promittendum et « obligandum priori et conventui prefatis omnia « bona sua et capituli et canonicorum Paduano- « rum, quod archipresbiter et capitulum aut « aliquis vel aliqui de ipso capitulo, generaliter « et specialiter, per se vel per alium aut alios, « prefatis priori et conventui aut alicui pro eis, « in judicio et extra judicium non movebunt de « cetero super decimis seu jure decimationis tre- « decim mansorum terre qui nunc sunt, spectant « et pertinent ad priorem et conventum seu ad « ecclesiam Sancte Marie de Virginibus de Venetiis, « priori et conventui prefatis questionem, et ad « promittendum et obligandum bona capituli et « canonicorum Paduanorum priori et conventui « quod si, post factam cessionem, archipresbiter « et capitulum vel aliquis eorum, per se vel alios, « movendo eis occasione dictarum decimarum « aliquam questionem seu controversiam, quod « archipresbiter et capitulum restituent priori « et conventui omnia dampna et expensas et « quodlibet interesse que, hujusmodi occasione, « prior et conventus incurent vel haberent, et ad « recipiendum cessionem nomine archipresbiteri « et capituli et canonicorum Paduanorum et pro « ipsis a priore et conventu Sancte Marie de Virgi- « nibus, de omni lite et questione seu controversia « quas prior et conventus vel aliquis pro eisdem « habent seu habere possent contra archipres- « biterum et capitulum vel aliquos de ipso capi- « tulo, occasione seu pretextu ablatorum, damp- « norum et injuriarum ac etiam expensarum et « interesse, et ad faciendam restitutionem abla- « torum sive extimationem eorum exhibendam « nomine archipresbiteri et capituli Paduanorum « et pro ipsis, si prior et conventus acceptaverint « potius ablata sibi restitui quam cessionem supe- « rius memoratam, promittentes se ratum et « firmum habere et non contra venire quicquid « dicti nuntii procuratores, syndici ambo vel « omnes, simul vel alter eorum separatim, per « se in premissis et circa premissa duxerint vel « duxerit faciendum. Actum est hoc Padue in « majori ecclesia Paduana in pleno capitulo.

« Ego Johannes de Butrigello, imperialis aule « notarius, interfui et jussu eorum hec scripsi. »

« Constitutus in presentia viri religiosi donni « Savini, prioris Sancti Salvatoris de Venetiis « puram et liberam fecit cessionem domino « Jacobo, priori, et conventui monasterii Sancte « Marie de Virginibus de Venetiis, habens dictus « dominus Aleardinus ad hoc speciale mandatum « ab ipsis archipresbitero et capitulo Paduanis « de omni lite, causa, questione seu controversia « quas ipsum capitulum vel aliquis seu aliqua « de ipso capitulo generaliter sive specialiter « habent vel habere possent aliquo tempore in « futurum occasione decimarum sive jure decima- « tionis tredecim mansorum terre sitorum in « diocesi Paduana qui nunc sunt, spectant et « pertinent ad dictos priorem et conventum seu « monasterium Sancte Marie de Virginibus de « Venetiis qui de pecunia quam quondam felicis « recordationis dominus Gregorius papa VIIII « eidem monasterio tribuit intuitu pietatis acqui- « siti dicuntur, de quibus decimis seu jure deci- « mationis inter predictos archipresbiterum et « capitulum et prefatos priorem et conventum

« questiones plurime hactenus extiterunt, dampnorum quoque et injuriarum sibi et capitulo et canonicis prefatis illatorum et illatarum a predictis priore et conventu fecit puram et liberam cessionem, promittens stipulatione sollempni, procuratorio et syndicario nomine, quod dicti archipresbiter et capitulus *(sic)* aut aliquis vel aliqui de ipso capitulo, generaliter vel specialiter, per se vel alium aut alios prefatis priori et conventui Sancte Marie predicte aut alicui pro eis, in judicio vel extra judicium non movebunt de cetero super eisdem decimis seu jure decimationis earundem terrarum vel mansorum, dampnorum vel injuriarum, aliquam questionem. Et si contra fecerint ipsi vel aliquis aut aliqui eorum per se vel per alios, movendo dictis priori et conventui aut alicui pro eis, in judicio vel extra judicium, occasione dictarum decimarum vel decimationis seu terrarum vel mansorum aut dampnorum vel injuriarum, aliquam questionem seu controversiam, quod ipsi restituent dictis priori et conventui omnia dampna et expensas et quodlibet interesse que occasione predicta dicti prior et conventus aliquo modo incurrent vel haberent, obligando eisdem priori et conventui omnia bona canonicorum et capituli memorati propter hoc. Quam cessionem dommus Jacobus, prior dicte Sancte Marie de Virginibus et procurator ejusdem conventus, nomine suo et conventus predicti, pro bono pacis et concordie, acceptavit. Et e converso cum sollempni stipulatione dictus dominus prior, procurator et syndicus monasterii seu conventus predicte Sancte Marie, habens ad hoc speciale mandatum procuratorio nomine, pro se et dicto monasterio et conventu, cessit omni liti et questioni seu controversie quas ipsi vel aliquis pro eisdem habent seu habere possent contra prefatos archipresbiterum et capitulum vel aliquos de ipso capitulo, occasione seu pretextu dictorum ablatorum, dampnorum et injuriarum a etiam expensarum et interesse.

« Ego Albertus Gaja, Sacri Palatii notarius, interfui omnibus prescriptis et rogatus a partibus scripsi.

« Ego Dominicus Fin[us], presbiter plebanus Sancti Paterniani et notarius interfui, subscripsi et signum meum apposui. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, idibus februarii, anno quinto. »

2818 Anagni, 12 février 1259.

[Theobaldo,] regi Navarrae, et reginae Navarrae, Campaniae et Briae comitissae Palatinae eorumque successoribus indulget ut, tempore vacationis Pampilonensis ecclesiae, aut si Pampilonensis episcopus eum uxoremque ac eorum successores ungere et coronare noluerit vel nequiverit, unctionem et coronationem a quocunque catholico episcopo recipere possint. (Reg. 25, f. 193 v°, an. V, c. 49 ; Potthast 17482.)

« .. *illustri regi Navarre et Brie comiti Palatino.* Meminimus venerabili fratri —. Dat. Anagnie, idibus februarii, anno quinto. »

2819 Anagni, 12 février 1259.

Episcopo Pampilonensi facultatem ungendi et coronandi reginam Navarrae, Campaniae et Briae comitissam, concedit. (Reg. 25, f. 192 v°, an. V, c. 50 ; Potthast 17482 sub die 13 feb.)

« .. *episcopo Pampilonensi.* Meminimus tibi, ad supplicationem carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Navarre, Campanie et Brie comitis Palatini, nostris dedisse litteris in mandatis ut eidem regi unctionem sacram impenderes et ejus capiti regium imponeres diadema, et nichilominus tibi et successoribus tuis, ad ipsius regis instantiam, ungendi et coronandi auctoritate apostolica dictum regem suosque successores in devotione Romane Ecclesie persistentes, in reges juxta morem qui servatur in talibus circa reges alios catholicos, et sicut canonica instituta educent, liberam per nostras concessisse litteras facultatem. Nos itaque, ipsius regis supplicationibus inclinati, ut unctionem et coronationem hujusmodi circa carissimam in Christo filiam nostram.. illustrem reginam Navarre, Campanie et Brie comitissam Palatinam, uxorem ejusdem regis et uxoribus dictorum successorum ipsius regis, tu tuique successores exequi valeatis, auctoritate presentium duximus concedendum. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II idus februarii, anno quinto. »

2820 Anagni, 9 février 1259.

Decano ecclesiae Tutellensis et suis successoribus, obtentu regis Navarrae, Campaniae comitis, usum mitrae, annuli et aliorum pontificalium concedit. (Reg. 25, f. 194, an. V, c. 51.)

« .. *decano ecclesie Tutellensis, Tyrasonensis diocesis.* Cum in prelatorum —. Dat. Anagnie. V idus februarii, anno quinto. »

2821 Anagni, 9 février 1259.

Abbati monasterii Arremarensis eadem concedit. (Reg. 25, f. 194, an. V, c. 52.)

« .. *abbati monasterii Arremarensis, ordinis Sancti Benedicti, Trescensis diocesis.* Cum in prelatorum —. Dat. ut in alia. »

2822 Anagni, 9 février 1259.

Priori hospitalis Rossidae Vallis, Pampilonensis diocesis, eadem concedit. (Reg. 25, f. 194, an. V, c. 53.)

« .. *priori hospitalis Rosside Vallis, ordinis Sancti Augustini, Pampilonensis diocesis.* Cum in prelatorum etc. usque in finem. »

2823 Anagni, 9 février 1259.

Priori et conventui S. Mariae de Virginibus de Venetiis indulget ut de quibusdam bonis monasterio pervenientibus, episcopo Castellano decimam consuetam exhibere minime teneantur. (Reg. 25, f. 194, an. V, c. 54.)

« .. *priori et conventui monasterii Sancte Marie de Virginibus de Venetiis, ordinis Sancti Marci, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Quanto devotionis divine —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod... episcopus Castellanus qui est pro tempore, decimam partem omnium bonorum cujuslibet civis Veneti decedentis sibi de antiqua consuetudine deberi proponens, si quando contingit aliquem civem Venetum cum bonis suis ad monasterium vestrum, relictis seculi vanitatibus, convolare, ipsum ex hoc asserens esse mortuum, decimam partem de bonis ipsis, occasione predicte consuetudinis, a vobis exigit et extorquet. Quare nobis humiliter supplicastis ut super hoc providere vobis oportuno remedio misericorditer curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ut de bonis que ad monasterium vestrum taliter devenire contingit, decimas ipsi episcopo, pretextu predicte consuetudinis exhibere minime teneamini vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, V idus februarii, anno quinto. »

2824 Anagni, 11 février 1259.

Promissionem Jacobi, Aragonum regis, et Petri, nati ejus, comitis Barchinonensis, qua se obligarunt, de consensu baronum et totius populi Cathaloniae, quod ipsi ac heredes eorum monetam, quam tunc faciebant et cudi faciunt, non mutabunt in perpetuum, confirmat. (Reg. 25, f. 194, an. V, c. 55; Potthast 17473.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Habent in nobis—. Dat. Anagnie, III idus februarii, anno quinto. »

2825 Anagni, 14 février 1259.

Johanni dicto Noyze, canonico Metensi, mandat ut Gerardo, clerico, germano cantoris ecclesiae S. Salvatoris Metensis, qui tempore Innocentii IV in praedicta ecclesia receptus erat in canonicum, de aliqua praebenda provideat, non obstante constitutione inde confecta. Reg. 25, f. 194, an. V, c. 56.)

« *Johanni dicto Noyze, canonico Metensi.* Petitio dilecti filii —. Dat. Anagnie, XVI kal. martii, anno quinto. »

2826 Anagni, 11 février 1259.

Electo Toletano mandat ut magistro Lupo, thesaurario Toletano, dispenset quod, non obstante defectu natalium quem patitur, de Lupo Didaci nobili conjugato genitus et soluta, eamdem thesaurariam conservare necnon promoveri ad ordines vel beneficium seu personatum aut dignitatem ecclesiasticam, etiam si curam animarum habeat, obtinere possit, secundum Innocentii IV litterarum continentiam. (Reg. 25, f. 194, an. V, c. 57.)

« .. *electo Toletano.* Dilectus filius magister —. Dat. Anagnie, III idus februarii, anno quinto. »

2827 Anagni, 19 février 1259.

Triconi, militi Roskildensis diocesis, dispensat ut in matrimonio cum Gunnild contracto remanere possit, non obstante quod quondam Cristina, uxor sua, dictam Gunnild ex una parte tertia, et ex alia quarta linea consanguinitatis contingeret. (Reg. 25, f. 194 v°, an. V, c. 58.)

« *Triconi dicto Pr..st* [1], *Roskildensis diocesis.* Etsi conjunctio copule —. Dat. Anagnie, XI kal. martii, anno quinto. »

1. Le milieu du mot est caché par la reliure.

2828 Anagni, 30 avril 1259.

Papiensi et Maynensi episcopis ac priori fratrum Praedicatorum Papiensium mandat ut potestatem, consilium et populum civitatis Papiensis a sequela Frederici quondam Romanorum imperatoris ad Ecclesiam redeuntem, praestito standi mandatis Ecclesiae juramento, a censuris ecclesiasticis absolvant. (Reg. 25, f. 194 v°, an. V, c. 59 ; Potthast 17555 ; Rodenberg, t. III, n° 493.)

« .. *Papiensi, et fratri Raynerio Maynensi episcopis, et.. priori fratrum Predicatorum Papiensium.* Miserationes et misericordias —. Dat. Anagnie II kal. maii, anno quinto. »

2829 Anagni, 11 février 1259.

Decano ecclesiae S. Audomari, Morinensis diocesis, mandat ut ad provisionem Guillelmi, capellani apostolici, praepositi Furnensis, in Coloniensi provincia, secundum Innocentii IV tenorem litterarum, procedat, non obstante quod dicto Guillelmo postmodum fuerit de praepositura Duacensi provisum. (Reg. 25, f. 194 v°, an. V, c. 60.)

« .. *decano ecclesie Sancti Audomari, Morinensis diocesis.* Nobilitas generis et —. Dat. Anagnie, III idus februarii, anno quinto. »

2830 Anagni, 12 février 1259.

Episcopo Papiensi, ad supplicationem R., S. Angeli diaconi cardinalis, mandat ut Rufinum Georgii, capellanum apostolicum, praepositum ecclesiae S. Johannis in Burgo Papiensis, in aliqua ecclesiarum civitatis vel dioecesis Papiensis, cathedrali vel alia, de aliquo personatu seu beneficio ecclesiastico provideat. (Reg. 25, f. 195, an. V, c. 61.)

« .. *episcopo Papiensi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, II idus februarii, anno quinto. »

2831 Anagni, 12 février 1259.

Capitulo Esculano notum facit se Raynaldum, capellanum suum, de ordine Minorum, ecclesiae Esculanae praefecisse in episcopum et pastorem. (Reg. 25, f. 195, an. V, c. 62 ; Potthast 17477.)

« *Capitulo Esculano.* Apostolice dignitatis deposcit —. Dat. Anagnie, II idus februarii, anno quinto. »

2832 Anagni, 12 février 1259.

Clero civitatis et diocesis Esculanae super eodem. (Reg. 25, f. 195, an. V, d. c. ; Potthast 17477.)

« *Clero civitatis et diocesis Esculane.* Apostolice dignitatis deposcit officium etc. ut in alia usque in finem de verbo ad verbum. »

2833 Anagni, 12 février 1259.

Populo civitatis et diocesis Esculanae scribit super eodem eique mandat ut illius monitis et mandatis efficaciter intendant. (Reg. 25, f. 195, an. V, d. c. ; Potthast 17478.)

« *Populo civitatis et diocesis Esculane.* Laudis humane preconium —. Dat. ut in alia. »

2834 Anagni, 23 janvier 1259.

Sententiam ab Hugone, tituli S. Sabinae presbytero, et Ottobono, S. Adriani diacono cardinalibus latam in quaestione subjectionis monasterii Andeciarum seu Vivifontis, ordinis S. Benedicti, Cathalaunensis diocesis, monasterio Molismensi, ejusdem ordinis, Lingonensis diocesis, confirmat, diversarum litterarum ad dictam quaestionem spectantium tenorem inserens. (Reg. 25, f. 195-198 v°, an. V, c. 63.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Andeciarum seu Vivifontis, ordinis Sancti Benedicti, Cathalaunensis diocesis.* Illa salubris est et apostolico digna favore decisio jurgiorum que intervenit pace mutua inter partes, qua per intercessores pacificos, et precipue fratres nostros, ad honestam reconciliationem dissidentium pervenitur ; per hanc enim sincerius convalescit caritas vulnerata litigio, et dispositioni ad quam previo consensu qui ducitur liberius acquiescit. Sane dudum inter monasterium vestrum quod tunc non per abbatissam sed priorissam regebatur, ex parte una, et.. abbatem et conventum monasterii Molismensis, ordinis Sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, ex altera, super plenaria subjectione tam in temporalibus quam spiritualibus, et quibusdam aliis que dicti abbas et conventus sibi in eodem vestro monasterio vendicabant, orta materia questionis, bone memorie S. tituli Sancte Marie Transtyberim presbiter cardinalis, quem felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, in ea dedit partibus auditorem, partim pro eodem vestro monasterio, et partim pro dictis abbate et conventu, diffinitivam sententiam promulgavit.

Cumque postmodum super quibusdam articulis ejusdem sententie qui dubii dicebantur, pro parte ipsorum abbatis et conventus, Apostolice Sedis declaratio, pro parte vero dicti vestri monasterii beneficium restitutionis in integrum contra hujusmodi sententiam ejusque irritatio peterentur, nos super hoc et aliis articulis dilectum filium nostrum O. Sancti Adriani diaconum cardinalem [1] dedimus partibus auditorem, in quem postmodum ac dilectum filium nostrum H. tituli Sancte Sabine presbiterum cardinalem, magister Guido de Remis, clericus, monasterii vestri procurator, qui a vobis [2] de compromittendo in eosdem cardinales specialiter et illorum ordinationi se etiam submittendo, ac Johannes, elemosinarius et Robertus, sacrista et procuratores supradicti monasterii Molismensis qui ab eisdem abbate et conventu de submittendo se ordinationi cujuscunque de quo vellemus in premissis, eorundem monasteriorum nomine habebant plenariam potestatem, tamquam in arbitros et arbitratores amicabiles super premissis omnibus compromittere et se ac eadem monasteria per omnia illorum ordinationi laudo et arbitrio submittere curaverunt, nosque cardinalibus ipsis ordinandi, disponendi, statuendi, arbitrandi, diffiniendi, decernendi, mandandi, assignandi, concedendi et providendi super omnibus et singulis supradictis plenam viva voce concessimus potestatem. Ipsi vero cardinales monasteriorum ipsorum utilitate ac personarum degentium in illis tranquillitate inspectis, ordinaverunt, disposuerunt, statuerunt, arbitrati sunt, diffiniverunt, decreverunt, mandaverunt, assignaverunt, concesserunt, certisque modis et finibus providerunt, prout in litteris inde confectis, sigillis ipsorum signatis, plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod per cardinales ipsos in hac parte factum, est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

Anagni, 21 Décembre 1258.

« Miseratione divina frater Hugo, tituli Sancte « Sabine presbiter, et Ottobonus, Sancti Adriani « diaconus cardinales, ad perpetuam rei memo- « riam. Presidente rationis imperio in anima « judicantis, sedet in examine veritatis pro tribu- « nali justitia, et quasi rex in solio judicii recti- « tudo, cujus dissipatur intuitu proprie voluntatis « arbitrium et acceptio personarum, ex quo fit « ut parvi et magni, pauperes et divites, potentes « et debiles, presentes etiam et absentes equo « libramine judicentur. Sane inter religiosos viros.. « abbatem et conventum monasterii Molismensis, ordinis Sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, « ex una parte, et religiosas mulieres.. priorissam « et conventum monasterii Andeciarum seu Vivi- « fontis, ejusdem ordinis, Cathalaunensis diocesis, « ex altera, super plenaria ipsius monasterii Ande- « ciarum subjectione tam temporali quam spiri- « tuali, et quibusdam aliis que dicti abbas et « conventus intendebant sibi et eorum monasterio « vendicare, in ipso monasterio Andeciarum dudum « questione suborta, et libellis super predictis « hinc inde porrectis, ac lite super ipsis legitime « contestata et usque ad diffinitivam sententiam « in causa processibus habitis, bone memorie « dominus Stephanus, tituli Sancte Marie Trans- « tiberim presbiter cardinalis, a beate recorda- « tionis domino Innocentio papa quarto partibus « concessus auditor, de ipsius domini Innocentii « pape mandato, et fratrum consilio, partim pro « dictis abbate et conventu Molismensibus, partim « pro dictis priorissa et conventu Andeciarum, « questionem hujusmodi sententialiter diffinivit, « prout in instrumento publico inde confecto, « ipsius cardinalis sigillo signato, plenius con- « tineri perspeximus et cujus tenorem presentibus « de verbo ad verbum inseri fecimus qui talis « est :

Rome, 26 janvier 1254.

« In nomine Domini, amen. Anno dominice « Incarnationis MCCLIIII, indictione XII, mense « januarii, die XXVI, pontificatus domini Inno- « centii IIII pape anno undecimo. Olim inter.. « abbatem et conventum monasterii Molismensis, « Lingoniensis diocesis [1]. ———

« Et ego Johannes, Sancte Romane Ecclesie « auctoritate notarius, quia interfui prolationi sen- « tentie supradicte, de mandato et auctoritate

1. Reg. : *cardinalium*.
2. Reg. : *nobis*.

(1) Pour la suite voir la lettre du 7 février 1254 par laquelle Innocent IV confirme cette sentence dont il donna la transcription intégrale, (Élie Berger; les Registres d'Innocent II, t. III, nº 7123, p. 391, col. 394-396.) col.

« dicti domini Stephani cardinalis, scripsi et pu« blicavi. »

« Cumque postmodum pars dictorum abbatis « et conventus Molismensium quosdam articulos « ejusdem sententie quos dubios et ambiguos « esse dicebat, peteret per Sedem Apostolicam « declarari, et pro parte ipsarum priorisse et « conventus Andeciarum contra dictam senten« tiam beneficium restitutionis in integrum, et « eadem irritari sententia peterentur [1], sanc« tissimus pater dominus Alexander, divina pro« videntia papa quartus, nobis O. Sancti Adriani « diacono cardinali, predictum negotium audien« dum et determinandum commisit, et cum in « ipso negotio, partibus in nostra O. presentia « constitutis, aliquandiu fuisset hinc inde proces« sum, tandem nobis cardinalibus supradictis « partes ad concordiam inducentibus, fratres Johan« nes, elemosinarius et Robertus, sacrista predicti « monasterii Molismensis, eorundem abbatis et « conventus Molismensium procuratores habentes « ad committendum se ordinationi domini pape « vel cujuscunque qui placeret domino pape a « dictis abbate et conventu speciale mandatum, « et magister Guido, clericus Remensis, procurator « dictarum priorisse et conventus, habens super « hoc specialem per litteras apostolicas faculta« tem, nomine predictorum abbatis, priorisse et « conventuum ac monasteriorum in nos compro« mittere ac se nostre submittere et committere « ordinationi, voluntati, dispositioni, statuto, arbi« trio, diffinitioni, mandato, decreto et providentie, « curaverunt prout in instrumento publico exinde « confecto et nostris munito sigillis plenius con« tinetur, cujus tenor talis est :

« In nomine Domini amen. Noverint universi « presentes litteras inspecturi quod fratres Johan« nes, elemosinarius, et Robertus, sacrista monas« terii Molismensis, ordinis Sancti Benedicti, Lin« gonensis diocesis, procuratores abbatis et con« ventus ejusdem monasterii, sub sigillis eorun« dem abbatis et conventus mandatum habentes « in hec verba :

Septembre 1258.

« Sanctissimo in Christo patri ac domino Alexan« dro, Dei gratia summo pontifici, frater Guillel« mus, humilis abbas totusque conventus monas« terii Molismensis, ordinis Sancti Benedicti, Lin« gonensis diocesis, devotissima pedum oscula « beatorum. Sanctitati vestre notum facimus quod « nos dilectos nostros fratrem Johannem, elemo« sinarium et fratrem Robertum, sacristam mo« nasterii nostri, quos ad Romanam curiam pro « negotiis nostris destinavimus, exhibitores pre« sentium vel alterum eorundem presentium exhi« bitorem, procuratores nostros constituimus in « curia Sanctitatis vestre in omnibus causis motis « et movendis a nobis contra sororem Margare« tam de Chacenai que dicit se priorissam Ande« ciarum, et conventum loci ejusdem vel ab ipsa « et conventu dicti loci contra nos, dantes eisdem « fratribus superius nominatis vel alteri eorundem « specialem potestatem agendi, defendendi, exci« piendi, ponendi, jurandi in animas nostras quali« tercumque et quandocumque opus fuerit, alle« gandi, proponendi crimina, appellandi, petendi « beneficium restitutionis in integrum nomine « nostro et ecclesie nostre, committendi nos ordi« nationi et voluntati vestre vel cujuscunque « vobis placuerit super omnibus causis et querelis « que vertuntur inter nos ex una parte, et pre« dictas moniales Andeciarum ex altera, et pro« cipue super declaratione sententie diffinitive « olim late per bone memorie reverendum patrem « dominum Stephanum, tituli Sancte Marie Trans« tiberim presbiterum cardinalem, in causa subjec« tionis que olim vertebatur inter nos ex una « parte, et predictas moniales Andeciarum ex « altera, et substituendi alium procuratorem pro « se ante litem contestatam et post, quotiens eis « vel alteri eorum videbitur expedire, et impe« trandi litteras tam gratiam quam justitiam « continentes, et etiam indulgentias pro monas« terio nostro et membris nostris, contradicen« di [1] etiam et omnia faciendi que verus potest « facere procurator, ratum et firmum habentes « et habituri quicquid per dictos duos fratres vel « alterum ipsorum vel per substitutum ab ipsis « vel altero eorundem in omnibus predictis in « curia Romana factum fuerit et procuratum, et « hoc Sanctitati vestre et parti adverse significa« mus. Actum et datum anno Domini MCCLVIII, « mense septembri, nomine predictorum abbatis « et conventus Molismensium ex parte una.

« Et magister Guido, clericus Remensis, procu« rator.. priorisse et conventus monasterii Ande-

1. Reg. : *paterentur.*

1. Reg. : *contradicendis.*

« ciarum seu Vivifontis, ejusdem ordinis, Cathalaunensis diocesis, habens mandatum ab ipsis « priorissa et conventu in hac forma :

21 juillet 1258.

« Sanctissimo patri ac domino Alexandro, divina « providentia sacrosancte Romane Ecclesie summo « Pontifici, soror Margareta, humilis priorissa « totusque conventus Andeciarum seu Vivifontis, « ordinis Sancti Benedicti, Cathalaunensis diocesis, « devotissima pedum oscula beatorum et tam « debita quam devota. Noverit vestra Sanctitas « quod nos constituimus et ordinamus procura- « torem nostrum, sindicum vel actorem magistrum « Guidonem dictum de Remis, clericum, latorem « presentium, ad agendum, defendendum, ponen- « dum, respondendum, excipiendum, replicandum, « impetrandum et jurandum de calumpnia et « de veritate dicenda, et faciendum cujuslibet « generis juramentum in animas nostras, et ad « petendum restitutionem in integrum quotiens « viderit expedire [1] et ad restitutionem in inte- « grum jam motam a nobis peragendam, necnon « et petendum expensas, et recipiendum easdem « in vestre curia Sanctitatis contra quascunque « personas tam ecclesiasticas quam seculares, et « precipue contra abbatem et conventum Molis- « menses, ordinis Sancti Benedicti, Lingonensis « diocesis, in causa sive in causis seu negotiis « que vertuntur inter nos ex parte una, et dictos « abbatem et conventum ex altera, tam super « declaratione sententie olim late apud Sedem « Apostolicam de mandato pie recordationis Inno- « centii quarti, pape, per dominum Stephanum « Sancte Marie Transtiberim presbiterum cardi- « nalem, quam super restitutione sive causa res- « titutionis in integrum jam mota a nobis, et « contradictione litterarum quas intendit procu- « rator dictorum abbatis et conventus contra « nos impetrare ex parte nostra oppositis contra « abbatem et conventum supradictos, et super « omnibus aliis emergentibus et incidentibus occa- « sione predictorum contra dictos abbatem et « conventum et omnes alios, ex parte nostra, « suo loco et tempore proponendis, necnon et « aliis omnibus gravaminibus nobis a dicto abbate « illatis et ad impetrandum absolutionis benefi- « cium ad cautelam pro nobis, si necesse fuerit, « et etiam super causa amotionis nostre.. decano « Sancti Quiriaci de Pruvino et ejus collegis a « Sede Apostolica commissa ad eandem Sedem, « instructa vel non instructa, remittenda prout « in litteris papalibus et domini Ottoboni, audi- « toris, plenius continetur. Damus etiam eidem « magistro, procuratori nostro, potestatem et « etiam mandatum speciale substituendi alium « procuratorem seu procuratores, loco sui pro « nobis ad predicta facienda, quotienscunque vo- « luerit et sibi visum fuerit expedire, gratum et « ratum habiture quicquid per dictum procura- « torem nostrum seu procuratorem ab eodem « substitutum actum fuerit seu etiam procuratum « in vestre, ut dictum est, curia Sanctitatis. Actum « et datum anno Domini MCCLVIII, in vigilia « beate Marie Magdalene. »

« Et a sanctissimo patre domino Alexandro « papa IIII, facultatem per litteras ipsius non « abolitas, non corruptas nec in aliqua sui parte « vitiatas et vera bulla et integro filo [1] bullatas « formam hujusmodi continentes :

Anagni, 18 décembre 1258.

« Alexander episcopus servus, servorum Dei, « dilecto filio magistro Guidoni, clerico Remensi, « salutem et apostolicam benedictionem. Cum « dilecte in Christo filie.. priorissa et conventus « monasterii Andeciarum seu Vivifontis, ordinis « Sancti Benedicti, Cathalaunensis diocesis, in « causa que inter ipsas ex parte una, et.. abbatem « et conventum monasterii Molismensis, ejusdem « ordinis, Lingonensis diocesis, super subjectione « et aliis articulis coram dilecto filio nostro O. « Sancti Adriani diacono cardinali, super hoc a « nobis auditore concesso, ex altera, vertitur, « te suum constituentes procuratorem, nullam « de compromittendo aut submittendo te super « hiis earum nomine ordinationi nostre vel alterius « tradiderint potestatem, et tu ac procuratores « predictorum abbatis et conventus in causa « hujusmodi habentes ab eis sufficiens de compo- « nendo mandatum, bonum concordie utrique « parti expedire videntes, in predictum O. et « dilectum filium nostrum H. tituli Sancte Sabine « presbiterum cardinales, compromittere et vos « earundem partium nomine illorum super hiis « ordinationi submittere proponatis, nos tuis sup-

1. Reg. : *expedito*.

1. Reg. : *filio*.

« plicationibus inclinati, hoc faciendi plenam tibi « auctoritate presentium concedimus facultatem, « defectum qui in procuratione tua in hoc fuit « supplentes de plenitudine potestatis. Dat. Ana« gnie, XV kal. januarii, pontificatus nostri anno « quarto. »

21 décembre 1258.

« Nomine predictarum priorisse et conventus « Andeciarum ex altera, compromiserunt ad invi« cem in nos fratrem Hugonem, tituli Sancte « Sabine presbiterum, et Ottobonum, Sancti Adria« ni diaconum cardinales, de speciali mandato et « auctoritate predicti domini pape recipientes « tamquam in arbitros arbitratores et amicabiles « compositores de omnibus litibus, discordiis, « controversiis et querelis que vertuntur seu verti « possent inter ipsos abbatem, priorissam et con« ventus super subjectione ipsius monasterii Ande« ciarum, tam temporali quam spirituali juris« dictione, jure, justitia, amministratione et omni« bus aliis que dicti abbas et conventus ac monas« terium Molismenses peterent vel petere « possent in prefato monasterio Andeciarum seu « Vivifontis, et personis et bonis ejusdem quacun« que occasione, et specialiter occasione cujuslibet « privilegii sive ab Apostolica Sede, sive a qua« cunque persona ecclesiastica et seculari ejusdem « abbati et conventui et monasterio Molismensibus « concessi, et precipue occasione sententie late per « bone memorie dominum Stephanum, tituli Sanc« te Marie Transtiberim presbiterum cardinalem, « de mandato sancte recordationis Innocentii pa« pe IIII, et etiam super eo quod pars dictorum « abbatis et conventus quosdam articulos ipsius « sententie quos dubios et ambiguos esse dicebat, « petebat per Sedem Apostolicam declarari, et « super eo quod beneficium restitutionis in inte« grum pro parte dictarum priorisse et conventus « contra dictam sententiam petebatur, et super « quibusdam amotionis, excommunicationis, su« pensionis et interdicti sententiis, necnon super « aliis omnibus et singulis predictis abbati et « conventui monasterii Molismensis quocunque « modo vel jure competentibus in dicto monas« terio Andeciarum, et ipsius personis et bonis, « et submiserunt et commiserunt se, nomine « dictorum abbatis, priorisse et conventuum, et « ipsos abbatem, priorissam et conventus, ordina« tioni, voluntati, dispositioni, statuto, diffini« tioni, decreto, arbitrio, mandato et providentie « nostris alte et basse, de omnibus et singulis « supradictis et ea contingentibus, volentes et « consentientes quod ordinemus, disponamus, sta« tuamus, diffiniamus, arbitremur, decernamus, « mandemus et provideamus inter ipsos procura« tores nomine ipsorum abbatis, priorisse et con« ventuum, et eosdem abbatem, priorissam et « conventus ac eorum monasteria super predictis « omnibus et singulis et ea contingentibus, serva« to juris ordine et non servato, die feriato et « non feriato, in scriptis et sine scriptis, citatis « partibus et non citatis, presentibus partibus et « absentibus, una presente et altera absente, semel « et pluries, sicut nobis placuerit et videbitur « expedire. Ut autem omnia et singula que super « predictis quoquo modo duxerimus facienda robur « perpetue firmitatis obtineant, predicti fratres « Johannes et Robertus ac magister Guido pro« miserunt sibi ad invicem et juraverunt, tactis « sacrosanctis evangeliis, se ratum habituros et « firmum, et facturos et curaturos quod dicti « abbas, priorissa et conventus ratum et firmum « habebunt perpetuo quicquid per nos totiens « quotiens voluerimus ordinatum, dispositum, sta« tutum, diffinitum, decretum, arbitratum, man« datum et provisum quoquo modo fuerit super « premissis et quolibet premissorum, et super « contingentibus premissa et aliqua premissorum « sub pena mille marcarum boni argenti quam, « interveniente stipulatione sollempni, pars que « contra ordinationem, diffinitionem, statutum, « decretum, mandatum et provisionem nostram « in aliquo venerit, parti fidem servanti dare « promisit et solvere, qua soluta, ordinatione, « diffinitione, statuto, decreto, mandato et pro« visione nostris firmis et ratis nichilominus per« petuo permansuris, obligando sibi ad invicem « se dictos abbatem, priorissam et conventus ac « eorum monasteria pro omnibus et singulis supra« dictis integre adimplendis et fideliter obser« vandis, et renuntiando omni juri canonico et « civili, tacito et expresso, competenti et compe« turo, quo se tueri possent per beneficium resti« tutionis in integrum vel alium quemcunque « modum a predictis vel aliquo predictorum. In « cujus rei testimonium presens instrumentum « scribi et publicari fecimus per notarium infras« criptum et nostris roborari sigillis. Actum Ana« gnie, coram me Gifredino de Vezano, notario,

« in hospitio predicti domini H. cardinalis, pre-« sentibus : fratre Bartholomeo, venerabili epis-« copo Vicentino, magistro Angelo Romano, cano-« nico Cathalaunensi, magistro Michaele de Leodio, « clerico predicti domini H. cardinalis, Rogerio « de Virtuto, clerico Cathalaunensis diocesis, Guil-« lelmo de Vinatiis, clerico, Hugone de Castronovo, « Maurianensis diocesis, laico, et aliis pluribus « testibus ad predicta vocatis. Anno Domini « MCCLVIII, indictione II, XII kal. januarii. »

« Ego Gifredinus predictus, imperiali aucto-« ritate notarius, compromisso, commissioni et « submissioni predictis interfui et mandato dicto-« rum dominorum H. et O. ac supradictorum « procuratorum rogatu scripsi et publicavi omnia « supradicta. »

« Nos igitur, obtentis viva voce ab eodem domi-« no Alexandro papa ordinandi, disponendi, sta-« tuendi, arbitrandi, diffiniendi, decernendi, man-« dandi, assignandi, concedendi et providendi « super omnibus et singulis in instrumento com-« promissi contentis inter ipsos procuratores, no-« mine dictorum abbatis, priorisse et conven-« tuum ac monasteriorum, et ipsos abbatem, « priorissam et conventus ac monasteria, prout « nobis placuerit et videbitur expediens, etiam « in nullo juris ordine observato, potestate, man-« dato et auctoritate plenariis, et retenta nobis « concessa et nobis a dictis procuratoribus potes-« tate, de auctoritate, mandato et potestate pre-« missis ordinamus, statuimus, disponimus, decer-« nimus, mandamus, providemus et sententialiter « diffinimus quod dicte priorissa et conventus « monasterii Andeciarum, et ipsum monasterium « ac persone, grangie, membra et bona omnia « ipsius monasterii sint omnino libera et exempta « ab omni jurisdictione, jure, justitia et adminis-« tratione dictorum abbatis et conventus Molis-« mensium, et ab omnibus aliis que dicti abbas « et conventus vel eorum monasterium in prefato « monasterio Andeciarum seu Vivifontis et per-« sonis et bonis ipsius peterent vel petere possent « quacunque occasione, et specialiter occasione « cujuslibet privilegii sive ab Apostolica Sede « sive a quacunque persona ecclesiastica et seculari « eisdem abbati et conventui, et monasterio Molis-« mensibus concessi, et specialiter occasione pre-« dicte sententie, quam sententiam irritamus, « cassamus, rescindimus et etiam revocamus, ac « predictum monasterium Andeciarum seu Vivi-« fontis, priorissam et conventum ac personas, « grangias, membra et bona ipsius monasterii, « de plenitudine potestatis ejusdem domini Alexan-« dri pape nobis precipue in hac parte commisse, a « predictis omnibus que dictum monasterium Mo-« lismense habet vel habere posset in eis, sive « temporaliter sive spiritualiter, prorsus eximi-« mus ; et illud cum personis, grangiis, membris « et bonis ipsius a potestate, amministratione, « jurisdictione ac omnibus aliis tam temporalibus « quam spiritualibus eidem monasterio Molismensi « quoquo modo competentibus totaliter liberamus, « imponentes dictis elemosinario et sacriste, pro-« curatorio nomine pro dictis abbate et conventu « Molismensibus, et ipsis abbati et conventui « et monasterio Molismensibus per eos, perpetuum « silentium, ut de cetero in prefato Andeciarum « monasterio, personis, grangiis, membris et bonis « ejusdem nichil aut temporaliter aut spiritualiter « possint petere vel jure seu modo aliquo ven-« dicare.

« Verum quia supradictum monasterium Molis-« mense gravavimus in predictis, sibi que compe-« tebant ei vel competere poterant temporaliter « in prefato Andeciarum monasterio et personis « ac grangiis et bonis ipsius auferendo, de supra-« dictis mandato, potestate et auctoritate, pro « bono pacis et concordie ordinamus, statuimus, « arbitramur, providemus, decernimus et manda-« mus quod dicti abbas et conventus et monaste-« rium Molismenses, in recompensatione bonorum « temporalium que sibi competebant in monasterio « Andeciarum et personis et bonis ejusdem, habe-« ant et percipient, et habere et percipere debeant « in terris, possessionibus et bonis aliis ad idem « monasterium Andeciarum spectantibus, in per-« petuum libere et quiete, redditus centum et « sexaginta librarum Turonensium, deductis omni-« bus expensis et oneribus, annuatim. Et quod « pro hujusmodi redditibus percipiendis et haben-« dis libere et quiete, assignentur et concedentur « in perpetuum eisdem abbati, conventui et mo-« nasterio Molismensibus tot terre, possessiones « et alia bona spectantia ad dictum monasterium « Andeciarum, libera et expedita ab [1] omni obli-« gatione creditorum et quacunque alia, de quibus « iidem abbas, conventus et monasterium Molis-« menses habere et percipere annis singulis, deduc-

1. Reg. : *et*.

« tis omnibus expensis et oneribus, valeant hujus« modi centum et sexaginta librarum Turonen« sium redditus, secundum extimationem bonorum « virorum ad ipsam extimationem faciendam depu« tandorum a nobis, concedentes et assignantes « ex nunc ipsis abbati, conventui et monasterio « Molismensibus, de mandato, potestate et aucto« ritate predictis, grangiam de Ulmis, Trecensis « diocesis, cum terris, possessionibus, bonis, juri« bus et pertinentiis suis ac fructibus ex ipsis « hoc anno provenientibus, ad dictum monaste« rium spectantem, et investientes dictos procu« ratores Molismenses presentialiter de eisdem, ac « decernentes, ordinantes et providentes quod « redditus ipsius grangie, terrarum, possessionum, « jurium, bonorum et pertinentiarum ejus per « dictos bonos viros extimentur, et redditus, quos « secundum extimationem ipsorum valebit dicta « grangia cum bonis, juribus et pertinentiis suis « annuatim, deductis omnibus oneribus et expen« sis, in summa dictorum reddituum centum « et sexaginta librarum Turonensium computen« tur. Et quicquid defuerit de dicta summa per « easdem priorissam et conventum infra termi« num statuendum a nobis suppleatur, et suppleri « debeat eisdem abbati, conventui et monasterio « Molismensibus de aliis terris, possessionibus et « bonis ejusdem Andeciarum monasterii dicte « grangie propinquioribus, et ab omni obligatione « creditorum, et quacumque alia liberis et expe« ditis juxta extimationem predictorum, ita quod, « secundum extimationem eorum, dicti Molis« menses in perpetuum habeant et percipient, « et habere et percipere valeant, omnibus one« ribus et expensis deductis, de dicta grangia et « aliis bonis monasterii Andeciarum, annis sin« gulis, integre dictam summam ; quodque dicte « priorissa et conventus ac monasterium Ande« ciarum teneantur et debeant per dominum seu « dominos spirituales et temporales in cujus vel « quorum guardia, justicia, censiva vel quocunque « alio dominio sunt, dicta grangia et jura et perti« nentie ejus per nos concessa et assignata dictis « Molismensibus et fuerint terre, possessiones, « bona et jura que pro predictis annuis redditibus « concedentur et assignabuntur eisdem, facere « propriis expensis infra terminum a nobis sta« tuendum, laudari concessionem et assignationem « hujusmodi, et eis assensum prestari per patentes « litteras eorundem, ac omnes actiones et rationes « utiles et directas, reales et personales et mixtas « ipsis priorisse, conventui et monasterio Ande« ciarum competentes et competituras in dicta « grangia ejusque juribus et pertinentiis et terris, « possessionibus, bonis et juribus assignandis pro « ipsis redditibus, et omnia privilegia et instru« menta que super ipsis habent, predictis Molis« mensibus concedere et exhibere, necnon pro« mittere et se sibi obligare per patentes litteras « munitas sigillis ipsarum priorisse et conventus, « dictam grangiam, jura et pertinentias ejus ac « terras, possessiones, bona et jura omnia que « assignabuntur pro predictis redditibus, contra « omnes in perpetuum eisdem Molismensibus gua« rentire. Si vero de dicta grangia seu juribus et « pertinentiis ejus aut de terris, possessionibus, « bonis et aliis juribus pro dictis redditibus assi« gnandis vel aliquibus ex ipsis census seu pensio « reddi debeat sive aliqua alia conditio fieri, « decernimus, ordinamus et providemus quod sic « fiat et fieri debeat eorum extimatio, quod census « seu pensio hujusmodi solvi et alia conditio ex « eis debita fieri valeant, et dicti Molismenses « percipere, deductis censu, pensione et condi« tione debitis ac omnibus expensis et oneribus, « in perpetuum centum et sexaginta librarum « Turonensium redditus annis singulis secundum « extimationem quam dicti boni viri duxerunt « faciendam.

« Porro omnes amotionis, excommunicationis, « suspensionis et interdicti sententias a dicto « abbate latas in dictas priorissam, conventum, « personas et ecclasiam Andeciarum, et a quo« cunque seu ubicunque judicibus ordinariis, dele« gatis, subdelegatis, executoribus seu conserva« toribus auctoritate ordinaria seu apostolica, vel « quacunque alia in eosdem abbatem, priorissam, « conventus, personas et ecclesias monasteriorum ip« sorum quacunque de causa, occasione subjectionis, « jurisdictionis et cujuslibet juris que dictis Molis« mensibus competebant et competere poterant « in dicto monasterio Andeciarum, et personis « et bonis ejusdem vel occasione questionum que « fuerunt hactenus super quibuscunque negotiis « inter eos, de speciali auctoritate nobis ab eodem « domino Alexandro papa in hac parte concessa, « cassamus et irritamus et cassa et irrita nuntia« mus, ordinantes et decernentes ex nunc de « mandato, potestate et auctoritate premissis, « quod liberatio et exemptio et alia omnia concessa

« in presenti ordinatione predictis priorisse, « conventui et monasterio Andeciarum, ac etiam « obtenta et obtinenda ab eis occasione presentis « ordinationis, nullius roboris vel valoris existant, « si per easdem priorissam et conventum vel « alium seu alios, ipsis procurantibus seu ratum « habentibus, steterit quominus dicti Molismenses « vel alius seu alii eorum nomine, dictam gran- « giam et ejus jura et pertinentias ac terras, pos- « sessiones, bona et jura pro dictis assignanda « redditibus infra dictum terminum a nobis sta- « tuendum habuerint et pacifice possederint et « quiete; completis autem omnibus et singulis « que dicte priorissa et conventus debent dictis « Molismensibus facere secundum formam superius « denotatam, omnia et singula concessa per pre- « sentem ordinationem et occasione ordinationis « hujusmodi concedenda dictis priorisse, conven- « tui et monasterio Andeciarum ex tunc robur « obtineant perpetue firmitatis. Acta sunt hec « Anagnie, in domo quam nos frater H. inhabi- « tamus ad presens ; presentibus fratre Bartho- « lomeo, venerabili episcopo Vicentino, magistro « Radulfo de Sacraria, domini pape capellano, « domino Alberto Aczarii de Parma, magistro « Angelo Romano, canonico Cathalaunensi, magis- « tro Gervasio de Brugis, magistro Raynerio de « Paisiaco, Michaele de Aurevilla, Guillelmo de « Vivariis et Rogerio de Virtuto, clericis, et aliis « pluribus testibus ad predicta vocatis. Anno « Domini MCCLVIII, indictione II, XII kal. « januarii, pontificatus ejusdem domini Alexandri « pape quarti anno quinto. »

Anagni, 2 janvier 1259.

« Ibi, incontinenti in presentia dictorum testium, « predicti procuratores partium approbaverunt et « acceptaverunt supradicta omnia coram nobis. « Postmodum, IIII nonas januarii, anno a Nati- « vitate Domini MCCLVIIII, indictione, ponti- « ficatu et loco predictis, nos supradicti frater « H. et O. cardinales, de mandato, potestate et « auctoritate prefatis, supradicto magistro Gui- « doni, nomine dictarum priorisse et conventus « Andeciarum, et ipsis priorisse et conventui « per eum, usque ad proximum festum aposto- « lorum Petri et Pauli terminum statuimus, infra « quem ex parte ipsarum priorisse et conventus « concessio, assignatio et alia omnia que secundum « predictam ordinationem nostram facere debent « Molismensibus supradictis taliter compleantur « et fiant. Et ad faciendam extimationem de omni- « bus et singulis que extimanda sunt, secundum « ipsius ordinationis formam, discretos viros.. « Arremarensis monasterii, Trecensis, et.. monas- « terii Sancte Marie de Virtuto, Cathalaunensis « diocesium abbates, ac officialem nostrum O. in « archidiaconatu nostro Remensi, juraturos quod « extimationem hujusmodi fideliter facient, non « sequendo assisiam Campanie, sed verum valo- « rem omnium extimandorum juxta eorum cons- « cientias, de assensu predictorum procuratorum « partium deputamus. Ita quod, si non « omnes ad ipsam extimationem faciendam « potuerint interesse, duo ipsorum hujusmodi « extimationis negotium nichilominus exequan- « tur. Nolumus autem quod per predictam ordi- « nationem juri alicujus prioratus dicti monas- « terii Molismensis prejudicium aliquod generetur. « Presentibus venerabili patre Leonardo, Cretensi « archiepiscopo, Johanne Leccacorvo, canonico « Placentino, Cacciaconte, Aretine diocesis clerico, « ac magistro Angelo et Rogerio suprascriptis, « testibus ad hoc vocatis. In quorum omnium « supradictorum testimonium et robur perpetuo « valiturum, predicta omnia scribi et publicari « facimus per Gifredinum de Vezano, notarium « et nostris muniri sigillis. »

« Ego Gifredinus predictus, imperiali auctori- « tate notarius prolationi supradicte ordinationis « interfui, et de mandato predictorum dominorum « H. et O. cardinalium, scripsi et publicavi omnia « supradicta. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie X kal. februarii, anno quinto. »

2835 **Anagni, 16 février 1259.**

Electo Leodiensi mandat ut Liberto dicto Limereas clerico, de aliquo beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura in civitate vel diocesi Leodiensi provideat. (Reg. 25, f. 198 v°, an. V, c. 69 [1].)

« .. *electo Leodiensi*, Constitutus in presentia —. Dat. Anagnie, XIIII kal. martii, anno quinto. »

1. Il n'y a pas de c. 64, 65, 66, 67, 68. Après le c. 63 sous lequel sont insérées plusieurs autres lettres, vient immédiatement (f. 198 v°), le c. 69.

2836 Anagni, 9 mars 1259.

Radulpho de Trubleville, canonico ecclesiae Cridelonensis, indulget ut, praeter de Braneys et de Dertingtone ecclesias curam animarum habentes et quarum proventus vigniti librarum Sterlingorum valentiam annis singulis vix excedunt, duo alia ecclesiastica beneficia similem curam habentia accipere possit .(Reg. 25, f. 198 v°, an. V, c. 70.)

« *Radulpho de Trubleville, canonico ecclesie Cridelonensis, Exoniensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Anagnie, VII idus martii, anno quinto. »

2837 Anagni, 5 mars 1259.

[Laurentio,] archiepiscopo Upsalensi, et suffraganeis ejus concedit ut Guillelmi, episcopi Sabinensis, tunc in partibus Suetiae A. Sedis legati, statutum quo decretum sit « ut quicumque sacerdos vel clericus concubinam haberet vel cohabitantem publice vel occulte, tam ipsa concubina quam ipse sententiam excommunitiatonis incurrerent » in suis diocesibus revocent dictosque sacerdotes vel clericos competenti poenitentia cautioneque ab eis recepta, absolvere possint. (Reg. 25, f. 198 v°, an. V, c. 71 ; Potthast 17503.)

« .. *archiepiscopo Upsallensi et suffraganeis suis.* Vestra nobis fraternitas —. Dat. Anagnie, III nonas martii, anno quinto. »

2838 Anagni, 8 mars 1259.

Johanni, domino Jonnivillae, ut in matrimonio cum Aelide de Rinello contracto, non obstante quarto consanguinitatis gradu, remanere possit indulget. (Reg. 25, f. 198 v°, an. V, c. 72.)

« *Nobili viro Johanni, domino Jonniville, senescallo Campanie, et dilecte in Christo nobili mulieri Aelidi de Rinello, uxori ejusdem.* Attenta Sedis Apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans, quibusdam interdum concedit aliqua de apostolice plenitudine potestatis, que alias ipsis minime indulgeret, et quedam aliquando denegat que aliis forsan temporibus largiretur, dispensans oportune, juxta necessitatem temporis, suarum munera gratiarum nunc ea impendendo benigne, nunc autem inspecta utrobique ipsius qualitate temporis merito denegando, ut in hiis quod utile ac salubre perspexerit semper agat. Hinc est quod nos, carissimorum in Christo filiorum nostrorum.. Francie et.. Navarre regum illustrium, ac venerabilis fratris nostri.. Tusculani episcopi precibus annuentes, ut in matrimonio contracto ad invicem remanere libere valeatis, non obstante quod quondam Alaydis, prima uxor tua, fili Johannes, tibi, filia Aelidis, quarto gradu consanguinitatis attinuit, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, VIII idus martii, anno quinto. »

2839 Viterbe, 3 octobre 1257.

Magistro Rostando, capellano suo, conferendi aliqua ex beneficiis suis praebendalibus vel aliis quae obtinet, sive curam animarum habeant sive non, aliquibus ex clericis suis idoneis, ita quod uni tantum de uno provideatur beneficio, et faciendi eos ad beneficia ipsa recipi in canonicos et in fratres facultatem concedit. (Reg. 25, f. 199, an. V, c. 73.)

« *Magistro Rostando, capellano nostro.* Cum sicut in —. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno tertio.

2840 Anagni, 1 mars 1259.

Laurentio, archiepiscopo Upsalensi, Henrico, Lincopensi et Kaetello, Wibergensi episcopis, mandat ut Waldemaro, regi Suetiae, et Sophiae, nepti Christophori, regis Daciae, licentiam contrahendi matrimonium concedant, non obstante quod sibi tertia consangninitatis linea sint conjuncti. (Reg. 25, f. 199, an. V, c. 74 ; Potthast 17501.)

« .. *archiepiscopo Upsalensi,.. Lincopensi et.. Witergensi (sic) episcopis,..* Ex parte carissimorum —. Dat. Anagnie, kalendis marcii, anno quinto. »

2841 Anagni, 15 janvier 1259.

Johannem Silvestri, rectorem ecclesiae de Fuleham, regis Angliae clericum, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 199, an. V, c. 75.)

« *Johanni Silvestri, rectori ecclesie de Fuleham, regis Angliae illustris clerico, Londoniensis diocesis.* Meritis tue probitatis —. Dat. Anagnie, XVIII kal. februarii, anno quinto. »

2842 Anagni, 11 mars 1259.

Ricardum, abbatem Westmonasterii Londoniensis, capellanorum suorum numero sociat. (Reg. 25, f. 199, an. V, c. 76.)

« *Ricardo, abbati Westmonasterii Londoniensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinensis, ordinis Sancti Benedicti.* Exigentibus tue devotionis —. Dat. Anagnie, V idus martii, anno quinto. »

2843 Anagni, 27 février 125

Episcopo, decano et capitulo Lemovicensibus concedit ut sex praebendas primo in cathedrali eorum ecclesia, in honorem Dei et beati Stephani constructa, vacaturas, sacerdotales statuere valeant, ita quod ipsae nullo unquam tempore assignentur, nisi sacerdotibus aut talibus personis idoneis, quae post assecutionem praebendarum ipsarum teneantur, juramento super hoc ab eis praestito, se infra unum annum facere in presbyteros promoveri. (Reg. 25, f. 199, an. V, c. 77.)

« *.. episcopo,.. decano et capitulo Lemovicensibus.* Ex vestrarum serie —. Dat. Anagnie, III kal. martii, anno quinto. »

2844 Anagni, 18 janvier 1259.

Ecclesiae Velletrensi quaedam bona confirmat. (Reg. 25, f. 199 v°, an. V, c. 78.)

« *.. archiepiscopo et capitulo ecclesie Velletrensis.* Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam Sancti Antonini in Strata, ecclesiam Sancti Dionisii, ecclesiam Sancti Petri de Querqueto, ecclesiam Sancti Nicolai, ecclesiam Sancti Benedicti, ecclesiam Sancti Blasii, ecclesiam Sancti Jacobi et ecclesiam Sancti Leonardi cum omnibus pertinentiis earundem, casale quoque de Seazi cum silva et pratis, casale Paritoris, casale in Plano de Formis, casale Bussituli, casale Collis de Isperino, casale de Puliano et illud quod habetis in curtis infra et ultra fossatum ; duo etiam casalia apud ecclesiam Sancti Pantaleonis posita et alias possessiones et ortos et vineas quas in diversis locis territorii Velletrensis habetis, et consortia et pensiones in civitate Velletri et molendinúm de Silice, molendinum de Sensa et molendinum de Sancto Antonino cum molendino de Pertuso et molendino de Pentoma, domos pariter et casularia vinealia, cannapinas et ortos et casalia et silvas cum consortia quam habetis apud castrum Conce, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno quinto. »

2845 Anagni, 13 mars 1259.

Archiepiscopo Casentino mandat ut comitem Nivernensem ad recedendum de monasterio Virziliacensi, Eduensis diocesis, per excommunicationis et interdicti sententias compellat. (Reg. 25, f. 199 v°, an. V, c. 79.)

« *.. archiepiscopo Casentino.* Post diversas litteras quas diversis inquisitoribus et visitatoribus super reformatione monasterii Virziliacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Eduensis diocesis, graviter, prout dolentes audivimus deformati, olim variis temporibus sub certa forma dicimur direxisse, quidam monachi monasterii memorati contra.. ipsius abbatem, ad nostram presentiam accedentes, inter alia enormia que dicto imponunt abbati, nobis denuntiarunt expresse quod ipse nobilem virum.. comitem Nivernensem, in prefatum monasterium introduxit ac per potentiam ejusdem comitis, qui suos custodes in illo posuit, dictis monachis pro eo quod contra eundem abbatem appellaverant, primo necessaria vite subtrahens, postmodum eos de dicto monasterio ejusque villa expelli temere procuravit, in gravem offensam divini nominis et detrimentum maximum ecclesiastice libertatis. Porro tali deformatione dicti monasterii non sine amaritudine cordis audita, nos, ut ipsius reformatio posset facilius provenire, ordinationem in eo denuo faciendam venerabili fratri.. episcopo Tusculano, et dilecto filio nostris H. Sancte Sabine presbitero [1] cardinali, qui alias a nobis super statu dicti monasterii auditores fuerant deputati, commissimus viva voce. Cum autem ex ordinatione ipsorum provenit quod te, illuc ad inquirendum premissa et intimandum nobis que super eis inveneris, destinemus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus dictos comitem et custodes ut exinde, sublato cujuslibet dilationis et difficultatis obstaculo, recedere studeant, ac monasterium ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis suis in statu in quo erat priusquam idem negotium fuisset inceptum, omnino dimittant, moni-

1. Reg. : *presbiteri.*

tione premissa, per excommunicationis in personas et terram ipsius comitis interdicti sententias, appellatione remota, compellas, non obstante si eidem comiti aut aliquibus aliis a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, et terra eorum interdici non possint sive aliqua indulgentia ipsius Sedis per quam executio mandati nostri super hoc valeat impediri et de qua seu cujus toto tenore in litteris nostris plenam et expressam oporteat fieri mentionem, auxilio carissimi in Christo filii nostri.. regis Francie illustris, ad hoc, si necesse fuerit, invocato. Nos enim nichilominus presentium auctoritate decernimus ut prefato monasterio, ex eo quod dictus comes illud taliter occupavit, nullum in posterum generetur prejudicium nec eidem comiti vel ejus successoribus exinde jus aliquod acquiratur. Dat. Anagnie, III idus martii, anno quinto. »

2846 Anagni, 5 mars 1259.

Riccardo, abbati Westmonasterii Londoniensis, contrahendi mutuum usque ad summam mille marcarum Sterlingorum pro dicti monasterii negotiis expediendis facultatem concedit. (Reg. 25, f. 199 v°, an. V, c. 80.)

« *Riccardo, abbati Westmonasterii Londoniensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus pro expediendis tuis et dilectorum filiorum conventus Westmonasterii negotiis pro quibus ad Sedem Apostolicam accessisti, te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam mille marcarum Sterlingorum, et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi, te et monasterium tuum ac conventum ipsius, et omnia bona sua ac successores tuos, et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscunque tenoris imposterum impetrari contigerit, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem, ita tamen quod tu et conventus dicti monasterii ac successores tui, usuris omnino cessantibus, teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo, pecuniam non persolveris memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia in utilitatem dicti monasterii sit conversa, pretextu alicujus constitutioni canonice vel civilis, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis de quibus in nostris litteris oporteat fieri mentionem et per que tu et conventus dicti monasterii ac successores tui valeatis super hiis in aliquo vos tueri. Dat. Anagnie, III nonas martii, anno quinto. »

2847 Anagni, 18 mars 1259.

Generali ac universis prioribus ordinis. B. Mariae de Monte Carmeli concedit ut fratres apostatas et inobedientes excommunicare, capere, ligare et carceri tradere possint. (Reg. 25, f. 199 v°, an. V, c. 81 ; Potthast 17517.)

« .. *generali ac universis prioribus ordinis Beate Marie de Monte Carmeli.* Provisionis nostre cupimus —. Dat. Anagnie, XV kal. aprilis, anno quinto. »

2848 Anagni, 14 mars 1259.

Majori ministro et fratribus ordinis S. Trinitatis et captivorum concedit ut in grangiis et locis suis, quae adeo distant ab ecclesiis parrochialibus quod ad eas pro divinis audiendis officiis non possint commode habere recursum, liceat eis, non admissis parrochianis dictarum ecclesiarum, sine rectorum ipsarum ac diocesanorum ipsorum assensu, divina celebrare. (Reg. 25, f. 200, an. V, c. 82.)

« .. *majori ministro et fratribus ordinis Sancte Trinitatis et captivorum.* Devotionis vestre precibus —. Dat. Anagnie, II idus martii, anno quinto. »

2849 Anagni, 13 février 1259.

Generali et prioribus provincialibus ac fratribus ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli interdicit ne religiosi professores ordinis paris arctitudinis vel minoris aliquem fratrem ordinis Carmelitani sine speciali licentia prioris generalis recipere praesumant. (Reg. 25, f. 200, an. V, c. 83 ; Potthast 17487.)

« .. *generali et universis prioribus provincialibus ac fratribus ordinis Beate Marie de Monte Carmeli.* Quieti vestre providere —. Dat. Anagnie, idibus februarii, anno quinto. »

2850 Anagni, 13 février 1259.

Patriarchis, archiepiscopis et episcopis in quorum civitatibus vel diocesibus fratres ordinis B. Mariae de Monte Carmeli consistunt, mandat ut a molestiis desistentes, nullatenus eos impediant quominus in suis oratoriis divina officia celebrare praesumant. (Reg. 25, f. 200, an. V, c. 84 ; Potthast 17486.)

« *Patriarchis, archiepiscopis et episcopis in quorum civitatibus vel diocesibus fratres ordinis Beate Marie de Monte Carmeli consistunt.* Ad audientiam nostram —. Dat. ut in alia. »

2851 Anagni, 28 mars 1259.

Fratri Walasco, capellano apostolico, mandat ut ad regem Angliae ac nobiles viros et barones ejusdem regni proficiscens, eos ne Wintoniensem electum in libera ecclesiae suae administratione conturbent hortatur. (Reg. 25, f. 200, an. V, c. 85.)

« *Fratri Walasco, de ordine Minorum, penitentiario et capellano nostro.* Dilectus filius Ademarius, Wintoniensis electus, apud Sedem Apostolicam constitutus, proposuit in nostra et fratrum nostrorum presentia, quod cum quedam in regno Anglie circa ipsius regni statum immutatio emersisset, ipse, quia ex hiis que tunc gerebantur convinciebat aperte [1] quod, si moraretur in ipso regno, periculum sibi poteret imminere, coactus est, ut personale vitaret dispendium et propter necessitates alias, regnum ipsum exire, ac se ab ecclesia sua, considerato statu temporis, absentare. Unde supplicatione humili petiit ut, cum in predicta ecclesia sua secure morari non valeat, gravisque metus eum abesse compellat, manensque extra predictam ecclesiam, quod utique cor ejus valde cruciat et conturbat, circa liberam ipsius ecclesie amministrationem quoad spiritualia et temporalia impediatur non modicum et turbetur, multaque sint de bonis et juribus ad eum et ecclesiam ipsam spectantibus occupata, et circa redditus et proventus episcopales aliaque bona ad ipsum et ecclesiam eandem spectantia violentiam et injuriam patiatur, ita quod non sit ei libera illos integre percipiendi et habendi facultas, providere sibi super hiis apostolica diligentia curaremus. Nos igitur de suis condolentes angustiis eique in tot compatientes adversis, cum fratrum et coepiscoporum nostrorum injurie nos non pretereant et offense, ac intendentes ob hec plenius circa eum prefate Sedis ostendere gratiam et favorem, cum non sit aliquatenus ipsius dolor augendus sed minuendus potius, quin immo consolationis in eo sibi solatium tribuendum, quia si ipsum in predicte amministrationis executione impediri per aliquos pateremur videremur quodammodo sustinere quod ejus passionibus passio adderetur et postponere negligenter suorum vulnerum medicamen, volumus sibi circa hec per oportunum et condignum ejusdem Sedis suffragium efficaciter providere. Quare carissimum in Christo filium nostrum.. illustrem regem Anglie ac nobiles viros comites et barones regni ejusdem, ac alios consiliarios regis ipsius monendos, rogandos duximus et hortandos attente, dantes eis per nostras litteras in mandatis ut, pensantes provide ac tamquam viri catholici sollicite cogitantes quantum Altissimo placeat si prelatis ad suorum curam fidelium deputatis honor et reverentia impendantur, quantumve displiceat si vel contumeliis aut molestiis, vexationibus seu gravaminibus quomodolibet offendantur, cum non sit dubium quin spernatur in eorum contemptu et in eorundem honorificentia honoretur, attendentes etiam quod audientibus reprehensibile videtur et pravum id quod circa predictum electum a nonnullis dicitur taliter attemptatum suosque animos ad unitatem concordie inclinantes illamque ad salubrem et prosperum ejusdem regni statum totis amplectentes affectibus habeant prout mansuetudini regie ac nobilitati et bonitati eorum convenit, sinceritatem dilectionis ad ipsum, copulantes cum sibi vinculo solide caritatis laudabili, quantum in eis est, procurando studio et dando ad hoc opem et operam oportunam, ut ejusdem electi cessent injurie, molestie conquiescant, desistant impedimenta et gravamina releventur, ac nequaquam in premissis electum impediant nec patiantur ab aliis, cum id ad faman et honorem eorum pertineat, impediri, sed potius studiosam adhibeant diligentiam ut, remotis obstaculis, predictos redditus et proventus omniaque bona ad ipsum et ecclesiam suam spectantia cum integritate tam per se quam per alios ejus procuratores vel nuntios colligere, percipere et habere ac prefatam amministrationem exercere libere permittentur, efficiendo nichilominus quod de ablatis et occupatis plena restitutio sibi fiat, ita quod evidentia operis patenter appareat quod illud in hujusmodi negotio volunt et intendunt,

1. Reg. : *aparte*.

diligunt et affectant quod sit Domino placitum, eis cedat ad laudem et pariat regno memorato profectum. Quia vero ad hujusmodi executionem negotii personam tuam duximus specialiter eligendam, discretioni tue de predictorum fratrum nostrorum consilio, per apostolica scripta mandamus quatinus ad implendum reverenter quod tibi, de quo plene confidimus, secure injungimus, personaliter proficiscens, eosdem regem ac nobiles ad predicta omnia ex parte nostra juxta datam tibi a Domino gratiam diligenter inducas attentis et sedulis ad hoc monitionibus ac effectuosis et studiosis exhortationibus sollicite laborando, et interponendo cum omni vigilantia efficaciter partes tuas ut per tuam solertiam, providentiam et industriam, divina cooperante clementia, grande illud bonum, quod in hiis vehementer obtamus, valeat laudabiliter provenire. Ceterum quia constat electum ipsum Wintoniensis ecclesie verum et proprium esse pastorem, eumque olim fuisse in ipsius ecclesie presulem concorditer ac canonice postulatum, et postulationem ipsius admissam a Sede Apostolica, et eum ipsi ecclesie per Sedem eandem prefectum et pontificem extitisse, nec prima nec secunda constitutio nostra, quam super ordinatione et consecratione electorum ecclesiarum cathedralium edidimus, ei obstitit vel obsistit, cum quantum ad ipsam primam ne astringeretur vel artaretur per eam sibi per nostre dispensationis gratiam provisum extiterit, et quoad secundam ipse sibi consulerit se coram nobis ad suscipiendum sacerdotalem ordinem congruo et debito tempore offerando, consecrationis munus postmodum recepturum, ita quod nullum contra eum occasione hujusmodi constitutionum impedimentum vel obstaculum est exortum, et ideo plenam ejusdem ecclesie amministrationem in spiritualibus et temporalibus habere debeat, possitque ipsam in utrisque per se vel per alium seu alios exercere, debeatque fructus, redditus et proventus episcopales ejusdem ecclesie integre percipere sibique ac suis officialibus et procuratoribus in hiis et omnibus aliis episcopalibus juribus responderi plenarie debeat et intendi, volumus et precipimus ut, eundem electum in hiis favore prosequens congruo, facias nichilominus, cum propter tractatum hujusmodi cum prefatis rege ac nobilibus super promissis id non conveniat nec debeat retardari, sibi cum integritate prefatos exhiberi redditus et proventus et totaliter restitui percepta et occupata in fructibus bonisque aliis mobilibus et immobilibus a tempore immutationis predicte, nec permittas ipsum in premissis vel eorum aliquo impediri, universos turbatores, molestatores, impedientes, invasores, occupatores, detentores, contradictores et rebelles cujuscunque conditionis seu dignitatis existant, monitione premissa, per excommunicationis in personas et interdicti in terras eorum, si opus fuerit, sententias, appellatione postposita, compescendo, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari seu extra vel ultra certa loca evocari non possint per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia ejusdem Sedis indulgentia cuicunque persone vel loco concessa, de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis, et per quam effectus presentium nostrique mandati executio impediri valeat vel differi, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, aut si forte ab officialibus vel procuratoribus seu ballivis ipsius electi vel quibuscumque aliis de non prestandis vel non exhibendis eidem electo fructibus, redditibus vel proventibus episcopalibus seu aliis bonis ad ipsum spectantibus, aut alias etiam in ejusdem electi prejudicium exacta sunt vel extorta seu prestita juramenta ad quorum observationem eos decernimus non teneri, ita quod per subsidium apostolicum et tue diligentie studium, memoratus electus premissam amministrationem cum plenaria perceptione proventuum aliorumque bonorum plena restitutione, quibusque remotis obstaculis, libere per se vel per alios valeat exercere. Super promotione autem ipsius electi ad sacerdotium et consecrationis munus, quia circa hunc articulum aliqua fuere proposita, faciemus quod justitia suadebit ; de predictorum vero fratrum consilio decernimus irritum et inane quicquid pretextu premissarum constitutionem nostrarum contra electum ipsum in eadem ecclesia est hactenus attemptatum. Dat. Anagnie, II kal. martii, anno quinto. »

2852 Anagni, 14 mars 1259.

Willelmo de Chavanz, canonico Lingonensi, indulget ut, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, unicum aliud beneficium, etiam cum simili cura, recipere possit. (Reg. 25, f. 200 v°, an. V, c. 86.)

« *Willelmo de Chavanz, canonico Lingonensi.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Anagnie, II idus martii, anno quinto. »

2853 Anagni, 13 février 1259.

Archiepiscopum Rothomagensem ejusque suffraganes necnon abbates aliosque ecclesiarum praelatos ordinariam obtinentes in subditos postestatem per Rothomagensem provinciam constitutos, tam exemptos quam non exemptos, monet et hortatur ut ferventius assurgant contra clericos concubinarios. (Reg. 25, f. 200 v°, an. V, c. 87 ; Potthast 17480, in e. m.)

« .. *archiepiscopo Rothomagensi* [1] *ejusque suffraganeis, necnon dilectis filiis abbatibus aliisque ecclesiarum prelatis ordinariam in subditos obtinentibus protestatem per Rothomagensem provinciam constitutis, tam exemptis quam non exemptis.* Si vere quod —. Dat. Anagnie, idibus februarii, anno quinto. »

2854 Anagni, 23 mars 1259.

Cum potestas, capitaneus et consiliarii Senenses onera insolita ecclesiis imposuissent, mandat papa episcopo Senensi ut praedictos ad hujusmodi excessus amovendos infra duos menses compellat, alioquin eos excommunicatos nuntiet. (Reg. 25, f. 201 v°, an. V, c. 88 ; Rodenberg, t. III, n° 491.)

« .. *episcopo Senensi.* Cum simus in —. Sane mirantes accepimus et justa ratione movemur quod.. potestas,.. capitaneus et consiliarii Senenses nonnulla ordinamenta, statuta et stantiamenta juramento firmata, contra ecclesiasticam libertatem condentes, tot onera et insolitas servitutes clericis et ecclesiis necnon bonis ecclesiarum frequenter imponunt, quod deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur quam sub Pharaone fuerit, qui legis divine notitiam non habebat. Nolentes igitur sicuti nec debemus, talia, que sine salutis interritu committi non possunt ab eisdem potestate ac aliis, clausis oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, potestatem et alios predictos moneas attentius et inducas quod, juramento non obstante prefato, ordinamentis, statutis et stantiamentis hujusmodi de codicibus eorum infra duos menses post monitionem tuam prorsus amotis, ipsa seu quascuncunque consuetudines contra libertatem ecclesiasticam introductas aliquatenus non observent nec faciant ab aliis observari, quin immo a gravaminibus hujusmodi de cetero conquiescant alioquin tu eos ex tunc, singulis diebus dominicis et festivis, per te vel alios, pulsatis campanis, excommunicatos publice nunties et facias ab aliis artius evitari, contradictores etc. Dat. Anagnie, X kal. aprilis, anno quinto. »

1. Il y avait, à la place de ce mot dans la rubrique, un autre mot qui a été gratté, de même que plus bas *Rothomagensem ecclesiam*. On voit d'ailleurs, par les indications que donne Potthast, que des lettres semblables avaient été adressées à la même date aux archevêques de Salzbourg et de Drontheim.

2855 Anagni, 29 janvier 1259.

Fratre Walasco, de ordine Minorum, capellano suo, de libera administratione ecclesiae Wintoniensis, in favore Wintoniensis electi scribit, ut in praecedenti littera sub c. 85. (Reg. 25, f. 201 v°, an. V, c. 89.)

« *Fratri Walasco, de ordine Minorum, penitentiario et capellano nostro.* Statum Ecclesie fore [1] — faciemus quod justitia suadebit. Precepimus tamen et auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio districtius inhibemus ne contra eundem electum in premissa Winatoniensi ecclesia quicquam a conventu ipsius ecclesie vel quibuscunque aliis cujuscunque conditionis vel dignitatis existant, per electionem aut quamcunque provisionem vel alias quomodolibet presumatur, ac decernimus ex nunc, ita quod decretum hujusmodi a data presentium plenam efficaciam habeat et effectum, irritum et inane quicquid contra preceptum et inhibitionem hujusmodi quacunque occasione contigerit attemptari. Dat. Anagnie IIII kal. februarii, anno quinto. »

2856 Anagni, 13 avril 1259.

Abbati et conventui monasterii de Paris, Cistertiensis ordinis, Basiliensis diocesis, ad J. tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, supplicationem indulget ut fondatores monasterii ac ipsorum heredes et alios seculares, dummodo excommuniecati vel interdicti non sint seu etiam usurarii manifesti, qui apud eos sepeliri eligent, libere ad sepulturam in monasterio admittentes, nulli de hiis quae sibi tales in ultima voluntate legaverint aut etiam de hiis quae sibi hactenus taliter sint legata, aliquid exhibere teneantur ratione canonicae portionis, sicut jam in antea fecerunt. (Reg. 25, f. 202 v°, c. 95 [2] ; Bernouilli, n° 677.)

1. Sauf le préambule et les dernières lignes de la fin, que nous publions ici, le texte de cette lettre est en tout semblable à celui de la lettre précédente, c. 85 (n° 2851).

1. Il n'y a pas de c. 90 à 94.

« .. *abbati et conventui monasterii de Paris, Cisterciensis ordinis, Basiliensis diocesis.* Presignis ordinis vestri —. Dat. Anagnie, idibus aprelis, anno quinto. »

2857 Anagni, 18 mars 1259.

Episcopo et capitulo Segobricensis ecclesiae et S. Mariae [Albarracin] petentibus, utramque ecclesiam, cum locorum vicinitate ita conjunctae sint ut commode possint sub ejusdem pastoris regimine gubernari, unit, ita ut episcopus tamquam utriusque pontifex, de ipsarum patrimonio, cleri ordinatione ac promotione ordinandi ac disponandi habeat facultatem. (Reg. 25, f. 202 v°, an. V, c. 96 ; Potthast 17516.)

« .. *episcopo et capitulo Segobriensis et Sancte Marie.* Petitio vestra nobis —. Dat. Anagnie, XV kal. aprilis, anno quinto. »

2858 Anagni, 6 février 1259.

Praeposito ecclesiae S. Pharaildis Gandensis, Tornacensis diocesis, obtentu M. Flandriae et Haynoniae comitissae, mandat ut duobus clericis suis, qui beneficia cum cura non habeant, faciat proventus praebendarum suarum cum ea integritate, quotidianis dumtaxat exceptis distributionibus, ministrari ac si personaliter in ecclesiis in quibus praebendas ipsas obtinent, residerent. (Reg. 25, f. 202 v°, an. V, c. 97.)

« .. *preposito ecclesie Sancte Pharaildis Gandensis, Tornacensis diocesis.* Exigentibus meritis devotionis —. Dat. Anagnie, VIII idus februarii, anno quinto. »

2859 Anagni, 17 mars 1259.

Manasseo, abbati S. Winoci Bergensis, Morinensis diocesis, contrahendi mutuum pro monasterii negotiis expediendis usque ad summam duorum millium et quingentarum librarum Par. facultatem concedit. (Reg. 25, f. 203, an. V, c. 98.)

« *Manasseo, abbati monasterii Sancti Winoci Bergensis, ordinis Sancti Benedicti, Morinensis diocesis.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expediendis tuis et dilectorum filiorum conventus monasterii Sancti Winoci Bergensis negotiis, pro quibus ad Sedem Apostolicam accessisti, te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam duorum milium et quingentarum librarum Parisiensium et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi te et monasterium tuum ac conventum ipsius et omnia bona sua ac successores tuos et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine, apostolicas litteras cujuscunque tenoris imposterum impetrari contigerit, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem, ita tamen quod tu et conventus dicti monasterii ac successores tui, usuris omnino cessantibus, teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non persolveris memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia ipsa in utilitatem dicti monasterii sit conversa pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis de quibus in nostris litteris oporteat fieri mentionem et per que tu et conventus dicti monasterii ac successores tui valeatis super hiis in aliquo vos tueri. Dat. Anagnie, XVI kal. aprilis, anno quinto. »

2860 Anagni, 21 janvier 1259.

Abbati monasterii in Urowe, Herbipolensis diocesis, mandat ut abbatem Fuldensem in Hersfeldensis monasterii possessionem inducat. (Reg. 25, f. 203, an. V, c. 99 ; Rodenberg, t. III, n° 488.)

« .. *abbati monasterii in Urowe, ordinis Sancti Benedicti, Herbipolensis diocesis.* Dilecti filii.. abbas Fuldensis et.. decanus,.. prepositus et conventus monasterii Herfeldensis, ordinis Sancti Benedicti, sua nobis petitione monstrarunt quod cum Wernherus, quondam abbas ipsius monasterii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Maguntine diocesis, abbatiam ejusdem monasterii, cujus regimini primo sponte cesserat, per violentiam occupasset, dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus, ipsum exinde amoveri, exigente justitia, faciens et attendens quod dictum monasterium quod per malitiam et incuriam ejusdem W. erat non modicum in spiritualibus temporalibusque collapsum, per industriam Henrici, abbatis monasterii Fuldensis, poterat in utrisque feliciter reformari, curam et amministrationem ipsius tam in spiritualibus

quam in temporalibus auctoritate sue legationis commisit eidem abbati Fuldensi usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis. Cumque postmodum, supradicto W. prefatum monasterium Hersfeldense denuo per secularem potentiam occupante, nos.. de Sluthere et.. de Arnspurg abbatibus, Maguntine et Herbipolensis diocesium, dedissemus sub certa forma nostris litteris in mandatis ut, si esset ita, dictum W. ab eodem Hersfeldensi monasterio amoverent, contradictores per censuram etc. idem abbas de Sluthere et.. decanus ecclesie Sancte Marie in Campis Maguntine, cui dictus abbas de Arnspurg commiserat in hoc, prout ex beneficio dictarum litterarum nostrarum habebat, totaliter vices suas, quia eis de premissis legitime constitit, sepedictum W. juxta tenorem litterarum ipsarum, a nominato monasterio Hersfeldensi per diffinitivam sententiam amoverunt. Cum autem ipsius cardinalis commissionem et sententiam hujusmodi auctoritate apostolica duxerimus confirmandas, mandamus quatinus, si est ita, seprefatum abbatem Fuldensem in corporalem possessionem jamdicti Hersfeldensis monasterii, auctoritate nostra, per te vel per alium juxta tenorem commissionis premisse inducas, et inductum hac vice, sicut justum fuerit, tuearis, contradictores etc. Dat. Anagnie, XIII kal. februarii, anno quinto. »

2861 Anagni, 29 avril 1259.

Thomae, archiepiscopo Tuamensi, ac magistris Christiano et Thomae, canonicis Elfinensibus, procuratoribus decami et capituli Tuamensium, concedit facultatem contrahendi propter onera expensarum, quae pro expediendis negotiis suis apud Sedem Apostolicam ipsos subire oportebat, mutuum usque ad summam duorum millium et quadringentarum marcarum Sterlingorum. (Reg. 25, f. 203, an. V, c. 100 ; Potthast 17548.)

« *Thome, archiepiscopo Tuamensi, et magistris Christiano et Thome, canonicis Elfinensibus, procuratoribus decani et capituli Tuamensium.* Cum sicut in —. Dat. Anagnie, III kal. maii, anno quinto. »

2862 Anagni, 29 avril 1259.

Willelmum de Horthone, camerarium monasterii S. Albani, Lincolniensis diocesis, in capellanum suum recipit. (Reg. 25, f. 203 v°, an. V, c. 101.)

« *Willelmo de Horthone, monacho et camerario monasterii Sancti Albani, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis.* Cum sicut fidedignorum —. Dat. Anagnie, III kal maii, anno quinto. »

2863 Anagni, 29 avril 1259.

Cantori, officiali et magistro Philippo de Castra, canonico Aurelianensibus, mandat ut Guillelmo de « Pelevizino » rectori ecclesiae de Strata, praebendam in ecclesia S. Martini Turonensis conferre faciant, secundum litterarum tenorem, obtentu episcopi Tusculani, in favorem dicti Guillelmi decano et capitulo praefatae S. Martini ecclesiae olim directarum. (Reg. 25, f. 203 v°, an. V, c. 102.)

« .. *cantori,.. officiali et magistro Philippo de Castra, canonico Aurelianensibus.* Significavit nobis dilectus —. Dat. Anagnie, III kal. maii, anno quinto. »

2864 Anagni, 1 avril 1259.

Priori ecclesiae de « Larentorch », Carleolensis diocesis, mandat ut magistro Riccardo de Hardres, qui duo beneficia ecclesiastica curam animarum habentia absque dispensatione A. Sedis retinuerat, dicta beneficia assignet, resignatione libera prius habita, satisfacto de fructibus perceptis poenitentiaque salutari imposita, necnon eidem Riccardo facultatem unicum aliud beneficium etiam cum cura animarum recipiendi concedat. (Reg. 25, f. 203 v°, an. V, c. 103.) [1]

« .. *priori ecclesie de Larentorch, ordinis Sancti Augustini, Carleolensis diocesis.* Ex parte dilecti —. Dat. Anagnie, kalendis aprilis, anno quinto. »

2865 Anagni, 6 mars 1259.

Magistro Adde de Kirkudbricth, rectori ecclesiae de Daltone, Glasquensis diocesis, indulget ut, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, unicum aliud beneficium similem curam habens, recipere possit. (Reg. 25, f. 203 v°, an. V, c. 104.) [2]

« *Magistro Adde de Kirkudbricth, rectori ecclesie de Daltone, Glasquensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Anagnie, II nonas martii, anno quinto. »

1. En marge du registre, en regard du c. 103, on lit. « *Iste littere non extrantur sine assensu domini Raynaldi, nepotis domini pape.* »

2. On lit en marge, en regard du c. 104 « *non exeant sine mandato domini R[aynaldi].* »

2866 Anagni, 1 avril 1259.

R. de Ardre in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 203 v°, an. V, c. 105.)

« *R. de Ardre, capellano nostro.* Meritis tue probitatis —. Dat. Anagnie, kalendis aprilis, anno quinto. »

2867 Anagni, 7 mai 1259.

Thomae de Hereford, canonico Exoniensi, indulget ut, praeter ecclesiam de Brattone, Exoniensis diocesis, curam animarum habentem cujusque proventus decem librarum Sterlingorum valentiam annis singulis non excedunt, unicum aliud beneficium cum simili cura recipere possit. (Reg. 25, f. 204, an. V, c. 106.)

« *Thome de Hereford, canonico Exoniensi.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Anagnie, nonis maii, anno quinto. »

2868 Anagni, 28 avril 1259.

Archiepiscopo, decano et capitulo Bisuntinis, qui statuerunt ut, cum nobiles vicinarum partium et praesertim Bisuntinae ecclesiae vassali contra eos nequiter conspirantes, in eorum et aliarum ecclesiarum personas manus sacrilegas extenderint, filii illius qui aliquem canonicorum ecclesiae Bisuntinae occiderit vel vulneraverit, per rectam lineam descendentes ab illo usque ad quartum gradum, non possint in eadem ecclesia locum vel beneficium obtinere, hoc statutum confirmat. (Reg. 25, f. 204, an. V, c. 107 ; Potthast 17546 ; Rodenberg, t. III, n° 492.)

« .. *archieposcopo et.. decano et capitulo Bisontinis.* Ea que pro —. Dat. Anagnie, IIII kal. maii, anno quinto. »

2869 Anagni, 1 mai 1259.

Magistri Lupo, capellano suo, indulget ut, praeter thesaurariam ecclesiae Tholetanae non habentem animarum curam quam obtinet, possit alium personatum vel dignitatem, etiam si curam animarum habeat, recipere, non obstante consitutione a bonae memoriae G. Sabinensi episcopo, tunc in Hispaniae partibus A. Sedis legato edita. (Reg. 25, f. 204, an. V, c. 108.)

« *Magistro Lupo, subdiacono et capellano nostro, thesaurario ecclesie Thollefane.* Licet ne quis —. Dat. Anagnie, kalendis maii, anno quinto. »

2870 Anagni, 3 avril 1259.

Eidem magistro dispensat ut, non obstante defectu natalium, aliam dignitatem, thesauraria ecclesiae Tholetanae dimissa, et etiam episcopatum recipere valeat. (Reg. 25, f. 204, an. V, c. 109.)

« *Magistro Lupo, thesaurario Thollelano.* Quemadmodum si arbor —. In nostra sane constitutus presentia nobis humiliter supplicasti ut super defectu natalium quem pateris, de conjugato genitus et soluta, dispensare tecum misericorditer curaremus, nos igitur attendentes quod nature vergentis illecebram cujus ad mala cursus est declivior non secutus, te sursum per gradus virtutum ad decus conversationis et vite melioris erexeris, sicut perhibita tibi fide dignorum testimonia protestantur, ac propter hoc te dignum dispensationis gratia reputantes, tecum cum quo fuit, ut asseris, auctoritate apostolica dispensatum ut, non obstante predicto, posses ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium, etiam si esset dignitas et curam haberet animarum annexam, obtinere valeres. Nunc quoque auctoritate apostolica dispensamus ut, eodem defectu nequaquam obstante, aliam dignitatem, thesauraria ecclesie Tholetane dimissa, et etiam episcopatum, si ad illum te gratia superna vocaverit, libere recipere ac licite valeas retinere. Nulli nostre dispensationis etc. Dat. Anagnie, III nonas aprilis, anno quinto. »

2871 Anagni, 7 mai 1259.

Decano et capitulo ecclesiae Bisuntinae, cum ecclesia ipsa nobilium diocesis vexationibus agitata sit, indulget ut de personatibus, dignitatibus et officiis ejusdem ecclesiae ordinare et ea personis idoneis conferre possint. (Reg. 25, f. 204, an. V, c. 110.)

« .. *decano et capitulo Bisuntinis.* Quia cuncta pro — . Sane tam felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, quam nos et etiam Apostolice Sedis legati hactenus juxta conditionem temporis ac etiam personarum, de personatibus et dignitatibus ecclesie vestre nonnullis personis per certas litteras sub certis formis mandavimus provideri, verum quia ecclesiam ipsam hiis diebus nobilium diocesis Bisuntine pressuris expositam et hostilitatis publice vexationibus agitatam oportet ministros instituendos in hujusmodi dignitatibus et personatibus tales habere per quos ab hujusmodi pressuris valeat respirare,

nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut de personatibus, dignitatibus et officiis ecclesie supradicte, cum vacaverint, possitis prout ad vos pertinet ordinare, et ea personis ydoneis absque contradictione conferre, non obstantibus predictis litteris quantumcunque sit illarum auctoritate processum, dummodo non sit per hoc plenum jus alicui vel aliquibus acquisitum, seu quibusvis aliis de cetero impetrandis non facientibus plenam et expressam de presentibus mentionem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, nonis maii, anno quinto. »

2872 Anagni, 10 mai 1259.

Cum diffinitiva divortii sententia, impotentiae causa, inter Johannam et quondam Gaufridum de Dol, militem Xanctonensis diocesis promulgata esset, concedit papa dictae Johannae in matrimonio cum Arnaldo de Monte Anserio inde contracto remanendi licentiam, non obstante tertio et quarto consanguinitatis gradu inter praedictos Gaufridum et Arnaldum existente. (Reg. 25, f. 204 v°, an. V, c. 111.)

« *Nobili viro Arnaldo de Monte Anserio et Johanne, uxori ejus, Xanctonensis diocesis.* Ex parte vestra —. Dat. Anagnie, VI idus maii, anno quinto. »

2873 Anagni, 7 mai 1259.

Magistro Radulpho de Peletot indulget ut praeter ecclesiam S. Andreae de Saxtop [1], Norwicensis diocesis, curam animarum habentem quam obtinet, unicum aliud ecclesiastim beneficium etiamsi sit personatus vel dignitas et similem curam habeat, recipere possit. (Reg. 25, f. 204 v°, an. V, c. 112.)

« *Magistro Radulpho de Peletot, rectori ecclesie Sancti Andree de Satop, Norwicensis diocesis.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Anagnie, nonis maii, anno quinto. »

2874 Anagni, 7 mai 1259.

Episcopo Carnotensi respondet quod magister Petrus, archidiaconus Pissiacensis in ecclesia Carnotensi, inde decanus ejusdem ecclesiae nominatus, non potest, cujusdam indulgentiae ei prius concessae praetextu, duas dignitates vel personatus in praedicta Carnotensi ecclesia retinere. (Reg. 25, f. 204 v°, an. V, c. 113.)

1. *Saxtop* dans le texte *Satop* dans la rubrique.

« .. *episcopo Carnotensi.* Lecta coram nobis tua petitio continebat quod nos olim dilecto filio magistro Petro, archidiacono Pissiacensi in ecclesia Carnotensi, per nostras duximus litteras indulgendum ut unicum personatum, etiam curam animarum habentem, posset libere recipere, si sibi canonice offerretur, et cum archidiaconatu Pissiacensi licite retinere. Verum cum idem archidiaconus nuper assumptus fuerit in decanum ejusdem ecclesie Carnotensis, nos consulere curavisti et per nostras petivisti litteras edoceri utrum idem magister per indulgentiam hujusmodi possit decanatum cum archidiaconatu in ipsa ecclesia retinere. Nos itaque consultationi tue taliter respondemus teque scire volumus et tenere quod intentionis nostre non extitit nec existit quod ipse, indulgentie predicte pretextu, valeat duas dignitates vel personatus in predicta Carnotensi ecclesia retinere. Dat. Anagnie, II kal. maii, anno quinto. »

2875 Anagni, 10 mai 1259.

Demetrium, canonicum S. Marci de Urbe, ad officium scriptoriae omniaque beneficia ecclesiastica de quibus privatus fuerat, restituit. (Reg. 25, f. 204 v°, an. V, c. 114.)

« *Demetrio* [1], *scriptori nostro, canonico Sancti Marci de Urbe.* Cum olim in captione Fulconis, nati nobilis viri Gerardini comitis, civis Bononiensis, existentis apud Sedem Apostolicam, pro eo quod Paulus Demetrii, patruus tuus, Bononie detentus fuerat, deliquisses, officio scriptorie nostre ac omnibus beneficiis ecclesiasticis fuisti perpetuo auctoritate nostra privatus, sed quia super hoc postmodum te per satisfactionem congruam correxisti, nos, attendentes quod excessum hujusmodi justus tibi quodammodo patrui dolor quamvis injuste suggessit, te ad predicta officium et beneficia, necnon ad famam integre restituimus, id nobis humanitatis clementia suadente, in cujus restitutionis evidentiam has tibi duximus litteras concedendas quibus tutus nullum de privatione predicta in posterum patiaris objectum. Dat. Anagnie, VI idus maii, anno quinto. »

1. Reg. : *Dometrio.*

2876 Anagni, 5 mars 1259.

Gaufrido, rectori ecclesiae Beatae Mariae de Rochabruna, Forojuliensis diocesis, indulget ut unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam cum cura animarum, in Aquensi provincia recipere possit. (Reg. 25, f. 205, an. V, c. 115.)

« *Gaufrido, rectori ecclesie Beate Marie de Rochabruna, Forojuliensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Anagnie, III nonas martii, anno quinto. »

2877 Anagni, 26 avril 1259.

Episcopo Atrebatensi faciendi recipi tres clericos idoneos in Atrebatensi ecclesia, in qua praebendarum collatio ad se dicitur pertinere, paratos inibi residere, in canonicos et in fratres, et providendi eis de praebendis, necnon contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 205, an. V, c. 116.)

« .. *episcopo Atrebatensi.* Tuam volentes honorare —. Dat. Anagnie, VI kal. maii, anno quinto. »

2878 Anagni, 8 mai 1259.

Ad regis Navarrae petitionem, universis studentibus in scholis apud ejus castrum de Tutela, Tyrasonensis diocesis, indulget ut omnes proventus suos ecclesiasticos cum ea integritate percipiant, cum qua illos percipiunt ii qui in Parisiensi civitate scholasticis disciplinis insistunt. (Reg. 25, f. 205, an. V, c. 117 ; Potthast 17562.)

« .. *illustri regi Navarre.* Etsi multa interdum —. Dat. Anagnie, VIII idus maii, anno quinto. »

2879 Anagni, 5 avril 1259.

M[argaritae], comitissae Flandriae et Haynoniae indulget ut quamdiu in viduitate permanserit, nullus delegatus A. Sedis possit in personam suam excommunicationis ferre sententiam et terras suas supponere interdicto absque speciali mandato, praesentibus post septennium minime valituris. (Reg. 25, f. 205, an. V, c. 118.)

« *Nobili mulieri M. comitisse Flandrie ac Haynonie.* Efficax tue devotionis meretur affectus ut petitionibus tuis per quas imminentibus tibi gravaminibus occurri et tue quieti consuli valeat favorabiliter annuamus. Ut igitur ab incommodis viduitatis que sustines, specialis Apostolice Sedis gratie comodo in aliquo subleveris, nos qui patres orphanorum et judices viduarum sumus, juxta verbum propheticum, a Domino constituti, te favore benivolo prosequi cupientes, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, quamdiu in viduitate permanseris, nullus delegatus vel subdelegatus ab eo executor seu conservator, per litteras Sedis Apostolice sive legatorum ejus possit in personam tuam excommunicationis ferre sententiam et terras tuas ecclesiastico supponere interdicto absque ipsius Sedis speciali mandato faciente plenam et expressam de hac indulgentia mentonem, presentibus post septennium minime valituris. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, nonis aprilis, anno quinto. »

2880 Anagni, 1 mars 1259.

Episcopo et capitulo Moraviensibus, cum super receptione plurium Italicorum ecclesia eorum sit gravata, indulget ut ad receptionem vel provisionem alicujus in ipsa ecclesia non possint compelli, nec aliquis de canonicatu vel praebenda ejusdem ecclesiae valeat cuiquam providere per litteras A. Sedis vel legatorum ipsius absque speciali mandato Sedis ejusdem faciente plenam de hac indulgentia mentionem. (Reg. 25, f. 205 v°, an. V, c. 119.)

« .. *episcopo et capitulo Moraviensibus.* Cum ecclesia vestra —. Dat. Anagnie, kalendis martii, anno quinto. »

2881 Anagni, 15 mai 1259.

Thesaurario et canonicis obtinentibus praebendas sacerdotales in ecclesia S. Amati Duacensis, quibus occasione cujusdam statuti non licet extra villam Duaci ultra tres dies continuos commorari, indulget ut dies exitus et reditus in eisdem tribus diebus non computentur. (Reg. 25, f. 205 v°, an. V, c. 120.)

« .. *thesaurario et canonicis obtinentibus prebendas sacerdotales in ecclesia Sancti Amati Duacensis, Atrebatensis diocesis.* Significastis nobis quod —. Dat. Anagnie, idibus maii, anno quinto. »

2882 Anagni, 28 mai 1259.

Johanni de Ballat de Floro, clerico, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 205, an. V, c. 121.)

« *Johanni de Ballat de Floro, clerico in minoribus ordinibus constituto, Claromontensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Anagnie, V kal. junii, anno quinto. »

2883 Anagni, 14 mai 1259.

Decano et capitulo ecclesiae Hamburgensis consuetudinem confirmat, quod illi ex canonicis ejusdem ecclesiae minores in ea praebendas habentibus, ad majores, cum vacant, tantummodo assumantur qui digniores existunt. (Reg. 25, f. 205 v°, an. V, c. 122 ; Potthast 17573, sub die 15 maii ; Rodenberg, t. III, n° 495.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Hammemburgensis, Bremensis diocesis.* Cum a nobis —. Dat. Anagnie, II idus maii, anno quinto. »

2884 Anagni, 13 juin 1259.

Abbati monasterii S. Isodori Legionensis et successoribus suis annulo et cirotetis utendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 205 v°, an. V, c. 123.)

« .. *abbati monasterii Sancti Isidori Legionensis, ad Romananam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini.* Quia in prelatorum —. Dat. Anagnie, idibus junii, anno quinto. »

2885 Anagni, 15 mai 1259.

Sententiam in causa inter Consilium Lothoringii et Bene de Cetera, socios, cives et mercatores Florentinos, ex una parte, et Obizonem, episcopum Tripolitanum, ex altera, super quadam pecuniae summa vertente, a magistro Uberto de Cochenato, capellano apostolico, latam confirmat, instrumenti inde confecti tenorem inserens. (Reg. 25, f. 205 v°-206, an. V, c. 124.)

« *Consilio Lotheringii et Bene de Cetera, sociis, civibus et mercatoribus Florentinis.* Ea que judicio etc. usque communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod cum causa que inter vos, ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Tripolitanum, super quadam summa pecunie, ex altera, vertebatur, dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, dederimus partibus auditorem, dilectus filius magister Ubertus de Cochenato, subdiaconus et capellanus noster, cui dictus cardinalis causam hujusmodi audiendam commisit, cognitis ipsius cause meritis, et juris ordine observato ac eidem cardinali fideliter recitatis, diffinitivam pro vobis sententiam promulgavit prout in instrumento publico inde confecto, sigillato sigillo ipsius capellani plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, sententiam ejusdem capellani provide latam, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est:

5 mai 1259.

« In nomine Domini Amen. Jurgantium con« troversias judicantem oportet provida inqui« sitione discutere, ac eas, juribus partium in « statera justitie eque libratis, sententie calculo « terminare. Sane orta olim inter venerabilem « patrem dominum Obizonem, episcopum Tripo« litanum, ex parte una, et Consilium Lotheringii « et Bene de Cetera, socios, cives et mercatores « Florentinos, ex altera, super quadam summa « pecunie materia questionis, dominus papa reve« rendum patrem dominum Octavianum, Sancte « Marie in Via Lata diaconum cardinalem, in « questione hujusmodi specialem dedit partibus « auditorem, coram quo ex parte ipsorum mercatorum contra ipsum episcopum libellus oblatus « extitit in hunc modum :

« Coram vobis, reverende pater domine O. « Sancte Marie in Via Lata diacone cardinalis, « partibus auditore concesso, proponit Consilius « Lothoringii, civis et mercator Florentinus, no« mine suo et Bene de Cetera, socii sui, contra « venerabilem patrem O. Tripolitanum episco« pum, quod idem episcopus apud Sedem Apósto« licam constitutus, habens mandatum aposto« licum contrahendi mutuum usque ad summam « decem milium Bisantiorum aureorum Sarra« cenatorum de Accon, ad pondus Acconense, « pro suis et ecclesie sue negotiis apud Sedem « Apostolicam expediendis, confessus est et reco« gnovit se, pro eisdem negotiis in Romana curia « expediendis, recepisse et habuisse ex causa « mutui, a Jacobo Chiberti, cive et mercatore « Florentino, mutuante, numerante atque sol« vente, suo et sociorum suorum nomine, sex « milia Bisantiorum Sarracenatorum de Accon « ad pondus Acconense, de quibus bene se quie« tum et pacatum vocavit, exceptioni non nume« rate et non solute sibi pecunie omnino renun« tiando ; que sex milia Bisantiorum aureorum « Sarracenatorum ejusdem bonitatis et valoris « prefatus dominus episcopus per sollempnem « stipulationem supradicti auctoritate mandati « promisit prefato Jacobo, mercatori, recipienti, « suo et sociorum suorum nomine, se ipsum vel « successores suos et ecclesiam suam Tripolita-

« nam in proximis tunc futuris kalendis mensis « augusti apud Tripolim vel Accon, dictis merca- « toribus vel eorum alteri, aut eorum certo nuntio « plenarie in solidum reddituros. Quod si, ut « dictum est, predicta pecunie quantitas non « fuerit in dictis loco et termino prefatis merca- « toribus integre restituta, ex tunc in antea pro « dampnorum interesse et expensarum recom- « pensatione legitima stipulatione promisit per- « solvere dicto Jacobo recipienti, pro se et suis « sociis, sicut dictum est, per singulos duos menses « pro quibuslibet centum Bisantiis quantitatis « predicte, decem Bisantios, et expensas unius « mercatoris cum uno equo et uno serviente, ubi- « cunque mercator fuerit, usque ad plenam solu- « tionem totius pecunie memorate, prout in ins- « trumento publico plenius continetur. Sed pre- « fatus dominus episcopus predictis loco et ter- « mino dictis mercatoribus nec post terminum « de dicta pecunia aliquid solvere non curavit. « Unde cum dictus Jacobus et ejus socii eidem « Consilio et Bene de Cetera vendiderint, dede- « rint, concesserint et mandaverint prefatum debi- « tum et nomen debiti sex milia Bisantiorum « aureorum de Accon ad pondus Acconense cum « dampnis, interesse et expensis quod prefatus « dominus episcopus debebat dicto Jacobo et « sociis ejus, ut superius dictum est, petit dictus « Consilius, suo et dicti Bene, socii sui nomine, « per vos, domine auditor, prefatum dominum « episcopum sententialiter condempnari et com- « pelli ut eidem Consilio det et solvat sex milia « predicta Bisantiorum aureorum Sarracenatorum « de Accon ad pondus Acconense, et hoc petit « cum dampnis, interesse et expensis factis que « et quas extimat quatuor milia Bisantiorum « aureorum Sarracenatorum de Accon ad pondus « Acconense, et expensas faciendas protestatur ; « salvo jure etc. »

« Verum dictus dominus cardinalis causam « hujusmodi nobis magistro Uberto de Cochenato, « domini pape subdiacono et capellano, audien- « dam commisit. Partibus igitur in nostra presen- « tia constitutis, lite super ipso libello in hunc « modum legitime contestata, videlicet quod pro- « curator ipsius episcopi confessus est quod dic- « tus episcopus ita confessus fuit et promisit « ut in predicto continetur libello, sed ea fieri « debere negavit, prestitoque hinc inde a princi- « palibus partibus calumpnie juramento, exhi- « bitis instrumentis a parte mercatorum ipso- « rum, visis et auditis rationibus, juribus et alle- « gationibus utriusque partis et omnibus que « partes ipse coram nobis proponere voluerunt, « et super ipsis deliberatione habita diligenti et « a partibus ipsis in causa ipsa concluso ac eis « dicto domino cardinali fideliter et plene relatis, « partibus etiam termino ad sententiam audien- « dam prefixo, quia constat nobis dictum episco- « pum et ecclesiam Tripolitanam dictis merca- « toribus in sex milibus Bisantiorum aureorum « Sarracentorum *(sic)* de Accon ad pondus de « Accon ex causa mutui teneri, eundem procura- « torem, nomine ipsius episcopi et per eum dic- « tum dominum episcopum et ecclesiam et epis- « copatum Tripolitanos in dictis sex milibus « Bisantiis aureis Sarracenatis de Accon ad pondus « Acconense pro sorte et in mille trecentis aureis « Sarracenatis de Accon ad Acconense pondus « pro dampnis, interesse et expensis, taxatione « prehabita super hiis diligenti, dictis Consilio « et Bene de Cetera, socio suo, de speciali mandato « dicti domini cardinalis et auctoritate ipsius, in « scriptis sententialiter condempnamus, precipien- « tes et mandantes per hanc nostram sententiam « episcopo memorato ut tria milia et quadrin- « gentos Bisantios in mense augusti proximo « futuri in civitate Tripolitana, et tria milia et « novingentos Bisantios aureos Sarracenatos de « Accon ad pondus Acconense in mense augusti « extunc proximo futuri in civitate Tripolitana « dictis mercatoribus vel eorum procuratori per- « solvat, ac de ipsis plenariam eis satisfactionem « impendat. Lata fuit sententia hec et recitata « Anagnie, presentibus Antonio Azarii, procura- » tore predicto episcopi supradicti, et dicto Con- » silio ac testibus ad hoc vocatis : Ranerio, pre- » posito de Sancto Geminiano, Petro Calza, Ro- » mane curie advocato, magistro Bartholomeo » de Florentia, notario, Petro de Sancto Sebasti[a]- » no, Maczia, canonico Sancti Secundi Astensis, » clerico nostro, et Thomasello, familiare domini « cardinalis predicti. In cujus rei testimonium « et futuram memoriam premissorum, presentem « sententiam nostram per infrascriptum tabel- « lionem nostrum in publicam formam redigi « fecimus et sigillo nostri appensione muniri. In « anno Domini MCCLVIIII, die quinto mensis « maii, secunde indictionis, pontificatus domini « Alexandri pape IIII anno quinto.

« Ego Paris de Spoleto, notarius publicus, « prolationi hujus sententie presens interfui et « mandato domini Uberti predicti scripsi, publi-« cavi ut supralegitur, et signum meum apposui. » Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, idibus maii, anno quinto. »

2886 Anagni, 30 mai 1259.

Archiepiscopo Pisano et Acconensi episcopo mandat ut praedictam sententiam, usuris omnino cessantibus, per se vel per alios debitae demandent executioni. (Reg. 25, f. 206, an. V, d.c.)

« .. *archiepiscopo Pisano, et.. Acconensi episcopo.* Petitio dilectorum filiorum —. Dat. Anagnie, III kal. junii, anno quinto. »

2887 Anagni, 1 mars 1259.

Nicolao de Druval, Lexoviensis diocesis, indulget ut, non obstante defectu natalium quem patitur, de presbytero genitus et soluta, ad sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium, etiam curam animarum habens, obtinere possit. (Reg. 25, f. 206 v°, an. V, c. 125.)

« *Nicolao de Druval, cl[erico] Lexoviensis diocesis.* Illegitime genitos quos —. Dat. Anagnie, kalendis martii, anno quinto. »

2888 Anagni, 10 mars 1259.

Episcopo Xanctonensi mandat ut Petro de Citoniis, pauperi clerico suae diocesis, de aliquo ecclesiastico beneficio, cum cura vel sine cura, in sua civitate vel diocesi provideat. (Reg. 25, f. 206 v°, an. V, c. 126.)

« .. *episcopo Xanctonensi.* Constitutus in presentia —. Dat. Anagnie, VI idus martii, anno quinto. »

2889 Anagni, 22 juin 1259.

Conventionem inter archipresbyterum et clericos ecclesiae de Curtibus quae Felix Aquila nuncupatur, ex una parte, et Johannem S. Nicolai in Carcere Tulliano cardinalem, S. Chrisogoni Transtiberim curam gerentem, ex altera, factam confirmat, litterarum hoc negotium tangentium tenorem inserens. (Reg. 25, f. 206 v°-208, an. V, c. 126*bis* [1].)

« *Johanni, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono, ecclesie Sancti Grisogoni Trans[tiberim] curam gerenti, et c[ardi]nalibus qui pro tempore eidem prefuerint, necnon et clericis ecclesie, tam presentibus quam futuris, canonice substituendis in perpetuum.* Illa salubris est —. Olim siquidem.. archipresbiter et clerici ecclesie Sancti Salvatoris de Curtibus que Felix Aquila nuncupatur, Transtiberim posite, se a tui, fili cardinalis, et aliorum cardinalium qui te in ecclesia Sancti Grisogoni Transtiberim tibi cum capellis suis in spiritualibus et temporalibus a felicis recordationis Innocentio papa, predecessore nostro, commisse, per tempora precesserunt, jurisdictione dominii ex ignorantia forsan ut non dicamus ex malitie contumacia, subducentes, eisdem cardinalibus, et postmodum tibi, fili cardinalis, ac ipsi ecclesie Sancti Grisogoni honores, jura et servitia consueta et debita subtraxerunt, ex quo materia questionis exorta et, variis super hoc auctoritate apostolica processibus habitis, utraque ecclesia dampna subiit et expensas. Nuper vero iidem archipresbiter et clerici ad cor rationis illuminati judicio revertentes, archipresbiter videlicet per procuratorem ad hoc specialiter constitutum, et clerici personaliter, pro se ac dicta acclesia Sancti Salvatoris suisque successoribus in perpetuum, sponte ac libere, in tua, fili cardinalis, presentia sunt confessi atque recognoverunt predictam eorum ecclesiam Sancti Salvatoris prefate ecclesie vestre [1] Sancti Grisogoni, tamquam suo titulo, debere facere, temporibus consuetis, scrutinium, baptisma et capitulum, et se ac suos successores in perpetuum ad predictum titulum, pro dictis scrutinio, baptismate et capitulo celebrandis, debere consuetis temporibus convenire, seque teneri tibi, fili cardinalis, ratione ipsius ecclesie Sancti Grisogoni necnon et cardinalibus qui eidem ecclesie Sancti Grisogoni per tempora prefuerint, ad manualem obedientiam, reverentiam et omnem honorificentiam exhibendam, et ad prestanda et exhibenda omnia jura parrochialia que cardinales in capellis titulis suis subjectis soliti sunt habere, clericorum quoque institutionem et ordinationem in dicta ecclesia Sancti Salvatoris omnemque jurisdictionem et censuram ecclesiasticam tam in se quam in eorum ecclesiam suosque successores in perpetuum ad te, fili cardinalis, ratione ipsius ecclesie Sancti Grisogoni, et ad alios cardinales, qui per tempora eidem ecclesie Sancti Grisogoni prefuerint, omnimodo pertinere ac se

1. Cet acte porte le même *capitulum* que le précédent.

1. Ce mot a été ajouté en marge.

debere dumtaxat, ad requisitionem vestram, filii clerici, et vobiscum interesse processioni cum tu, fili cardinalis et alii cardinales, qui per tempora [pre]fuerint in eadem ecclesia Sancti Grisogoni, processionaliter recipiemini in ecclesia Sancti Grisogoni memorata. In aliis vero casibus dixerunt se nolle teneri ad processionem faciendam vobis, clericis, licet tibi, fili cardinalis, et aliis cardinalibus qui per tempora prefuerint ipsi ecclesie Sancti Grisogoni processionem velint facere cum ad eorum ecclesiam Sancti Salvatoris vos contigerit declinare, ad quam processionem faciendam se teneri spontanee sunt confessi, et ad hoc, ut universa et singula supradicta perpetuis temporibus ab ipsis suisque successoribus et eorum ecclesia inviolabiliter observentur omnisque dissentionis et litigii materia radicitus evellatur, prefati clerici universi et singuli, dictusque procurator, nomine dicti archipresbiteri et in ipsius animam pro se suisque successoribus et eorum ecclesia, tactis sacrosanctis evangeliis, juraverunt se universa et singula supradicta tibi, fili cardinalis, et cardinalibus aliis qui per tempora prefuerint dicte ecclesie Sancti Grisogoni, necnon et ipsi ecclesie Sancti Grosogoni *(sic)* tamquam suo titulo exhibituros, prestituros et facturos, et quod in universis et singulis supradictis, tibi, fili cardinalis, et cardinalibus qui per tempora prefuerint sepedicte ecclesie Sancti Grisogoni obediant et intendant, nec in ipsis ullo unquam tempore rebellabunt. Concesserunt quoque et voluerunt prefati archipresbiter sive ipsius procurator pro eo, et clerici Sancti Salvatoris ut predicta omnia confirmentur, omneque a nobis recipiant fulcimentum. Demum predicti clerici Sancti Salvatoris te, fili cardinalis, ac procuratorem vestrum, fili clerici, rogaverunt quod vos, vice et nomine ipsius ecclesie Sancti Grisogoni, in ipsis et dicta eorum ecclesia Sancti Salvatoris, prefatis contenti sitis juribus, cum jurisdictionem et jura tua, fili cardinalis, et cardinalium qui tibi in ecclesia ipsa successerint, in nullo velint seu intendant restringere vel artare, et si qua in privilegiis prefate ecclesie Sancti Grisogoni sententiis, seu processibus pro eadem habitis ecclesia continentur que prefatam ecclesiam Sancti Salvatoris dicte ecclesie Sancti Grisogoni magis reddant obnoxiam vel subjectam, ad ea dicti archipresbiter et clerici et eorum ecclesia minime teneantur, tua, fili cardinalis, et cardinalium qui pro tempore memorate ecclesie Sancti Grisogoni prefuerint, salva semper in omnibus potestate, quam per hoc in aliquo minui non intendunt. Porro tu, fili cardinalis, et dictus procurator, vice et nomine ecclesie Sancti Grisogoni, dictorum clericorum Sancti Salvatoris, pro bono pacis et quiete perpetua, petitionibus annuistis, dummodo dicti archipresbiter et clerici ea que superius per ipsos sunt recognita et jurata, perpetuis temporibus adimpleant fideliter et observent, prout in publico instrumento confecto exinde, cujus tenorem de verbo ad verbum fecimus presentibus inseri, perspeximus plenius contineri, quem utique tenorem ex auctoritate insertionis et inspectionis hujusmodi, tam in judicio quam extra judicium, etiam instrumento non apparente predicto, ad probationis fidem sumere ac habere perpetuo statuimus vires publice ac plenissime rationis. Nos itaque quod super hoc factum est ratum habentes et firmum ac supplentes defectum, si quis in eo extitit, de nostre plenitudine potestatis illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegie communimus. Tenor autem instrumenti predicti talis est :

6 juin 1259.

« In nomine Domini, Amen. Anno ejusdem « MCCLVIIII, pontificatus domini Alexandri pa« pe IIII anno quinto, mense junii, die sexta, « indictione secunda. In presentia mei Riccardi, « notarii, et testium subscriptorum ad hoc specia« liter vocatorum et rogatorum, universi et singuli « presbiteri et clerici ecclesie Sancti Salvatoris « de Curtibus, que Felix Aquila nuncupatur de « Urbe, Transtiberim posite, videlicet Gregorius « Johannis Rogate, clericus ejusdem ecclesie, pro« curator presbiteri Petri, archipresbiteri ecclesie « predicte pro eodem archipresbitero et ejus no« mine habens mandatum scriptum [1] publico « instrumento per manum Jacobi Johannis Nicolai « scriniarii confecto, quod instrumentum ego nota« rius vidi et legi, ut ipsius tenor inferius anno« tatur, et Raynerius, prior presbiter, Matheus « Angelus Petri Guarnerii, Johannes Gentilis Si« gnorile Stephani Pancratii, et prefatus Grego« rius, pro se et suo nomine ac Angelus Petri « Johannis Angeli, constituti in presentia venera« bilis patris domini Johannis, Sancti Nicolai in

1. Reg. : scriptana.

« Carcere Tulliano, diaconi cardinalis, cujus eccle-
« sia Sancti Grisogoni de Urbe, Transtiberim
« posita, cum capellis suis in spiritualibus et tem-
« poralibus est a domino papa commissa, pro
« se ac dicta ecclesia Sancti Salvatoris ac succes-
« soribus suis in perpetuum, confessi sunt et reco-
« gnoverunt dictam eorum ecclesiam Sancti Sal-
« vatoris prefate ecclesie Sancti Grisogoni, tam-
« quam suo titulo, debere facere temporibus con-
« suetis scrutinium, baptisma et capitulum, et se
« ac suos successores in perpetuum ad predictum
« titulum pro dictis scrutinio, baptismate et capi-
« tulo celebrandis debere consuetis temporibus
« convenire. Confessi sunt quoque et recogno-
« verunt pro se et dicta ecclesia Sancti Salvatoris
« et suis successoribus in perpetuum, se teneri
« prefato domino Johanni cardinali, ratione dicte
« ecclesie Sancti Grisogoni sibi commisse, necnon
« et cardinalibus qui in eadem ecclesia Sancti
« Grisogoni per tempora fuerint, ad manualem
« obedientiam, reverentiam, et omnem honorifi-
« centiam exhibendam, et ad prestanda et exhi-
« benda omnia jura parrochialia que cardinales
« in capellis titulis suis subjectis consueverunt
« habere. Item confessi sunt et recognoverunt
« clericorum institutionem et ordinationem in
« dicta ecclesia Sancti Salvatoris ad prefatum
« dominum Johannem cardinalem ratione ecclesie
« Sancti Grisogoni et ad alios cardinales qui in
« dicta ecclesia Sancti Grisogoni per tempora
« fuerint, omnimodo pertinere. Omnem quoque
« jurisdictionem et censuram ecclesiasticam, tam
« in se quam in eorum ecclesiam et successores
« suos in perpetuum confessi sunt et recogno-
« verunt spectare ad dictum cardinalem et alios
« qui per tempora prefuerint ecclesie Sancti Griso-
« goni supradicte. Confessi sunt quoque et reco-
« gnoverunt se debere dumtaxat ad requisitionem
« clericorum Sancti Grisogoni et cum ipsis inte-
« resse processioni, cum dictus dominus Johannes
« et alii cardinales qui per tempora fuerint in
« dicta ecclesia Sancti Grisogoni, in eadem eccle-
« sia Sancti Grisogoni processionaliter recipientur.
« In aliis vero casibus dixerunt se nolle teneri
« ad processionem faciendam clericis ecclesie Sanc-
« ti Grisogoni prelibate, licet dicto domino J.
« cardinali et aliis qui per tempora prefuerint
« dicte ecclesie Sancti Grisogoni, processionem
« volint *(sic)* facere cum ad eorum ecclesiam
« Sancti Salvatoris ipsum vel ipsos contingeret
« declinare, ad quam processionem faciendam se
« teneri spontanee sunt confessi. Et ad hoc, ut
« universa et singula supradicta perpetuis tem-
« poribus ab ipsis eorum ecclesia et suis successo-
« ribus inviolabiliter observentur omnisque dis-
« sentionis et litigii materia radicitus evellatur,
« prefati clerici universi et singuli et dictus pro-
« curator, nomine dicti archipresbiteri, et in ipsius
« animam pro se ac suis successoribus et eorum
« ecclesia, tactis sacrosanctis evangeliis, jurave-
« runt se universa et singula supradicta prefato
« domino J. cardinali et cardinalibus aliis qui per
« tempora prefuerint dicte ecclesie Sancti Griso-
« goni, necnon et ipsi ecclesie Sancti Grisogoni
« tamquam suo titulo, exhibituros, prestituros
« et facturos et quod in universis et singilis supra-
« dictis dicto domino J. et cardinalibus qui per
« tempora prefuerint ecclesie memorate, obedient
« et intendent, nec in ipsis ullo umquam tempore
« rebellabunt ; consenserunt quoque et voluerunt
« prefati clerici Sancti Salvatoris quod predicta
« omnia confirmentur et roborentur per dominum
« papam, omneque ab ipso suscipiant fulcimen-
« tum, ita quod nullis umquam futuris temporibus
« controversia, que inter predictas ecclesias extitit,
« pati possit quomodolibet recidivum. Demum
« predicti clerici Sancti Salvatoris rogaverunt
« predictum dominum cardinalem et presbiterum
« Petrum yconomum *(sic)* ecclesie et clericorum
« Sancti Grisogoni, sicut patet per publicum
« instrumentum per me, notarium, visum et lec-
« tum cujus tenor inferius continetur, quod idem
« cardinalis et predictus iconomus, vice et nomine
« Sancti Grisogoni, in ipsis et dicta eorum ecclesia
« Sancti Salvatoris prefatis, contenti sunt juribus,
« cum jurisdictionem et jura cardinalium in nullo
« velint seu intendant restringere vel artare et,
« si qua in privilegiis Sancti Grisogoni, sententiis
« seu processibus pro eadem ecclesia Sancti Griso-
« goni habitis contineantur que prefatam eccle-
« siam Sancti Salvatoris dicte ecclesie Sancti
« Grisogoni magis reddant obnoxiam vel subjec-
« tam, ad ea dicti clerici et eorum ecclesia minime
« teneantur, cardinalium potestate semper salva,
« quam per hoc aliquatenus minui non intendunt.
« Supradicti vero cardinalis et Petrus yconomus,
« vice ac nomine ecclesie Sancti Grisogoni, dic-
« torum clericorum benignum impertientes assen-
« sum, pro bono pacis ac quiete perpetua, eorum
« petitionibus annuerunt, dummodo dicti clerici

« Sancti Salvatoris ea que superius per ipsos sunt « recognita et jurata perpetuis temporibus adim- « pleant fideliter et observent. Tenor autem pro- « curatorii prefati Gregorii talis est :

2 juin 1259.

« « In nomine Domini, anno dominice Incarna « tionis MCCLVIIII, anno vero quinto pontifi- « catus domini Alexandri pape IIII, indictione « secunda, mense junii, die secunda, ego presbiter « Petrus, archipresbiter ecclesie Sancti Salvatoris « de Curtibus de Urbe que Felix Aquila nuncu- « patur, hac die presenti, mea bona et spontanea « voluntate, in presentia hujus scrinarii et tes- « tium subscriptorum ad hoc specialiter vocato- « rum et rogatorum, constituo te, Gregorium « Johannis Rogate, confratrem et consocium meum, « procuratorem nostrum legitimum, latorem pre- « sentium, ad jurandum in animam meam precise « mandata reverendi patris domini Johannis Sanc- « ti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, « cui ecclesia Sancti Grisogoni in spiritualibus et « temporalibus est plene a domino papa commissa « super omnibus excommunicationum sententiis « quibus per ipsum dominum cardinalem vel « auctoritate ipsius sim ligatus, et ad omnia et « singula alia facienda que in causa seu negotia « que vel quod inter ecclesiam Sancti Grisogoni « et ecclesiam Sancti Salvatoris de Curtibus ver- « tuntur seu hactenus ventilata fuerunt, dans « eidem procuratori potestatem et speciale manda- « tum in omnibus et singulis predictorum faciendi « omnia et singula que major pars sociorum « meorum canonicorum dicte ecclesie Sancti Sal- « vatoris duxerint facienda, promittens me ratum « et firmum habiturum quicquid in predictis per « dictum procuratorem fuerit procuratum, sub « pena centum marcarum boni argenti que, soluta « vel non, hec carta firma permaneat, quam « scribere rogavi Jacobum Nicolai, scriniarium, « mense, die et indictione predictis. Testes Petrus « Guidonis, Stephanus de Ottabianescis, Perillus « Johanne testibus *(sic)*. Ego Jacobus Nicolai, « Dei gratia Sancte Romane Ecclesie scriniarus, « quia predictis interfui, scripsi, complevi et « absolvi rogatus. Tenor vero procuratorii predicti « Petri talis est :

Anagni, 2 juin 1259.

« In nomine Domini, anno dominice Incarna- « tionis MCCLVIIII, indictione secunda, mense « junii, die secunda, in presentia mei Nicolai « scrinarii, et testium subscriptorum ad hoc spe- « cialiter rogatorum, Petrus Gregorii, prior Petrus « Cerini, Johannes Zactaronis, Nicolaus Barba- « rinus [1], Nicolaus Paczis, Petrus Deusteadjuvet, « clerici ecclesie Sancti Grisogoni de Urbe, nomine « dicte ecclesie et pro eis ordinaverunt et consti- « tuerunt yconimum, sindicum seu actorem et « procuratorem legitimum, presbiterum Petrum, « eorum socium, clericum ecclesie supradicte, pre- « sentem et volentem, in omnibus causis, litibus, « negotiis seu controversiis que inter ecclesiam « Sancti Grisogoni supradictam et ecclesiam Sanc- « ti Salvatoris de Curtibus in Transtiberim posi- « tam, que etiam Felix Aquila nuncupatur, verti- « tur *(sic)*, verti possent seu hactenus ventilata « fuerunt, ad agendum, defendendum, componen- « dum, paciscendum, compromittendum, ordinan- « dum et omnia alia et singula faciendum que ipsi- « met facere possent et deberent ac si presentes « essent, et ad illa etiam facienda in quibus exigi- « tur speciale mandatum, mandantes etiam eidem « procuratori ut supplicaret venerabili patri domi- « no J. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono « cardinali, cui ecclesia Sancti Grisogoni est in « spiritualibus et temporalibus a domino papa « plene commissa, quod presenti procuratorio « suum dignaretur assensum prebere. Dederunt « etiam eidem procuratori plenariam potestatem « dimittendi et refutandi de jure dicte ecclesie « Sancti Grisogoni, secundum quod supradicto « domino cardinali visum fuerit expedire, promit- « tentes pro eis et eorum nomine, et nomine dicte « ecclesie, ratum et firmum habituros quicquid « per dictum procuratorem in premissis fuerit « factum et quolibet premissorum, cum assensu « venerabilis patris memorati domini cardinalis. « Actum in refectorio ecclesie Sancti Grisogoni « supradicti coram subscriptis testibus : domino « Jacobo, capellano supradicti domini cardinalis, « presbitero, Johanne Sanctorum Quadraginta, « Benedicto Octabiano, Jacobo Saxonis testibus. « Ego Nicolaus Romanus imperii scriniarius, roga- « tu supradictorum clericorum dicte ecclesie Sanc- « ti Grisogoni, ut superius legitur, scripsi et fide-

1. Ce nom a été ajouté en marge.

« liter complevi. Actum Anagnie, in hospitio « prefati domini cardinalis, presentibus hiis testi- « bus ad hoc specialiter vocatis et rogatis, videlicet « domino Capuddeferro, electo Beneventano, do- « mino Jacobo de Sabello, magistro Matheo, « nepote dicti domini cardinalis, domino Leonardo, « archidiacono Spoletano, domino Gentili de Colle « Alto, canonico Lingonensi, magistro Johanne « de Cartularia, et Thomasio Catellino, canonicis « basilice Principis Apostolorum, presbitero Petro, « camerario prefati domini cardinalis, magistro « Martino, canonico Laudensi, et pluribus aliis. « Et ego Riccardus de Pofis, Sancte Romane « Ecclesie scriniarius, predictis presens interfui « et ea rogatus scripsi, et in publicam formam « redegi. Ego Bernardus de Littera, Apostolice « Sedis auctoritate notarius, qui predictis omnibus « rogatus interfui, me subscripsi et signum meum « apposui.

« Ego Arnaldus de Albaterra, sacrosancte « Romane Ecclesie auctoritate notarius, qui pre- « dictis omnibus rogatus interfui, me subscripsi « et signum meum apposui. »

Ceterum, ne hujusmodi recidivante negotio, de questionum radicibus jam evulsis contentionum germina in predictarum ecclesiarum dispendium producantur, vobis et per vos, vestris successoribus et eidem ecclesie Sancti Grisogoni omnia et singula supradicta sicut in instrumento continetur eodem, in perpetuum de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine indulgemus; statuentes, ad majorem negotii firmitatem, ut archipresbiter et singuli clerici, qui in sepedicta ecclesia Sancti Salvatoris instituentur deinceps, in sue institutionis primordio, juramentum ubi tu, fili cardinalis, et qui per tempora ipsi ecclesie Sancti Grisogoni prefuerint cardinales volueritis, prestent quale presentes archipresbiter et clerici ejusdem ecclesie, ut in dicto instrumento ac hiis inserto tenore exprimitur, prestiterunt. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre suppletionis, confirmationis, concessionis et constitutionis infringere, vel ei etc. usque incursurum. Dat. Anagnie, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, X kal. julii, indictione secunda, Incarnationis dominice anno MCCLVIIII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno quinto. »

2890 Anagni, 14 juin 1259.

Archiepiscopo Bremensi et Johanni, Lubicensi, et Henrico, Hamburgensi scolaticis, canonicis et procuratoribus ecclesiae Bremensis pro dictae ecclesiae negotiis expediendis, contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium et quingentarum marcarum Sterlingorum ac se obligandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 208, an. V, c. 127; Rodenberg, t. III, nº 496.)

« .. *archipiecopo Bremensi et Johanni, Lubicensi, et Henrico, Hamburgensi scolasticis, canonicis et procuratoribus ecclesie Bremensis.* Cum sicut in —. Dat. Anagnie, XVIII kal. julii, anno quinto. »

2891 Anagni, 15 mai 1259.

Episcopo, decano et capitulo Trecensibus mandat ut magistrum Guillelmum, Metensem clericum, obtentu regis Navarrae, Campaniae comitis, in ecclesia eorum, si non sunt nisi duo in ea de mandato apostolico recepti, recipiant in canonicum eique de praebenda provideant, nolens per hoc Simoni de Sculcula, consanguineo ipsius, canonico Trecensi, prejudicium generari, quem dicto magistro in assecutione praebendae vult anteferri. (Reg. 25, f. 208, an. V, c. 128.)

« .. *episcopo et.. decano, et capitulo Trecensibus.* Ecclesiarum utilitaribus non —. Dat. Anagnie, idibus maii, anno quinto. »

2892 Anagni, 27 juin 1259.

Monasterium S. Antonii in Pollicino juxta Ferrariam sub protectione sua suscipit ejusque libertates confirmat. (Reg. 25, f. 208 vº, an. V, c. 129.)

« .. *abbatisse monasterii Sancti Antonii in Pollicino juxta Ferrariam ejusque sororibus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.* Prudentibus virginibus que —. Ea propter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Antonii de Pollicino Ferrariensi in quo divino estis obsequio mancipate cum personis in eo Domino sub regulari habitu servituris, de speciali gratia Sedis Apostolice ab omni jurisdictione, potestate ac dominio tam episcopi Ferrariensis, qui pro tempore fuerit, et sui capituli, quam cujuslibet alterius prelati seu ecclesiastice persone totaliter et perpetuo ex certa scientia eximentes, illud in jus [et] proprietatem Beati Petri et predicte Sedis assumimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum

Deum et Beati Benedicti regulam et formulam vite vestre vobis auctoritate nostra traditam, in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum etc. usque permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis in diocesi Ferrariensi, monasterium Sancti Stephani de Rupta cum domibus, terris, vineis, possessionibus, pratis, pascuis, nemoribus, aquis, silvis et omnibus pertinentiis suis ; domos, terras, vineas et possessiones quas habetis in villis *(sic)* Gaibana, mansis Sancti Jacobi, Guasdo Cocomaro et Calcatonica vulgariter nuncupatis, cum terris, vineis, pratis, nemoribus, usagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas, a seculo fugientes, ad conversionem recipere et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit de eodem loco discedere ; discedentem vero nullus audeat retinere. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesie vestre, sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis hec nostra auctoritate recipere a quocunque malueritis catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolice obtinente. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum diocesani episcopi copiam non habetis, siquidem episcopum Romane Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones monialium, vasorum et vestium et consecrationis altarium recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque interdicto. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum aliqua que ibi successerit, nulla ibi qualibet surreptionis astutia etc. usque eligendam. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum, vel personas regulares inibi Domino famulantes, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolice indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes etc. usque exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a bone memorie Johanne, Ferrariensi episcopo, monasterio vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a quibuslibet Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Ad indicium autem hujus percepte a Sede Apostolica libertatis, unam libram cere nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis. Et quia idem Johannes Ferrariensis episcopus cum ab episcopali jurisdictione monasterium ipsum exemit, unam libram cere in eo annuatim sibi et suis successoribus reservavit, volumus ut illam Ferrariensi episcopo annis singulis exhibere curetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum etc. usque profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona etc. usque ultioni. Cunctis autem etc. usque inveniunt Amen, A[men], Amen. Dat. Anagnie per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, V kal. julii, indictione secunda, Incarnationis Dominice anno MCCLVIIII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno quinto. »

2893 Anagni, 28 juin 1259.

Balduino, abbati monasterii S. Andreae de Castello, Cameracensis diocesis, ad solutionem expensarum quas occasione quaestionis inter se et quosdam monasterii monachos super diversis articulis subire oportuit, contrahendi mutuum usque ad summam septem millium et quingentarum librarum Turonensium et se obligandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 208 v°, an. V, c. 130.)

« *Balduino, abbati monasterii Sancti Andree de Castello, ordinis Sancti Benedicti, Cameracensis diocesis.* Inter te dudum —. Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno quinto. »

2894 Anagni, 22 juin 1259.

Cum prior et capitulum ecclesiae Helyensis, occasione electionis et confirmationis Hugonis, episcopi Helyensis, magna onera subierint, obligationem ab ipso episcopo ad satisfaciendum eis contractam confirmat. (Reg. 25, f. 209, an. V, c. 131.)

« .. *priori et capitulo ecclesie Helyensis, ordinis Sancti Benedicti.* Desideriis vestris in —. Dat. Anagnie, X kal. julii, anno quinto. »

2895 Anagni, 11 mars 1259.

Jacobum de Castellione in Reginae ecclesiae archiepiscopum praeficit. (Reg. 25, f. 209, an. V, c. 132 ; Potthast 17510.)

« *Magistro Jacobo de Castellione, consanguineo et capellano nostro, electo Regino.* Evidenter profectus et —. Dat. Anagnie, V idus martii, anno quinto. »

2896 Anagni, 6 mai 1259.

Eidem Jacobo concedit ut ad diaconatus et presbyteratus ordines promoveri et ad recipiendam consecrationem minime teneatur, donec ejusdem ecclesiae, quae a Manfredo quondam principe Tarentino turbatur, pacificam assecutus fuerit possessionem. (Reg. 25, f. 209, an. V, d.c., Rodenberg, t. III, n° 494.)

« *Magistro Jacobo de Castellione, consanguineo nostro, electo Regino.* Cum, propter adversam Manfredi, quondam principis Tarentini, qui se facit regem Sycilie appellari, potentiam, commissam tibi Reginam ecclesiam sine periculo persone adire ac in ea pastorale nequeas exercere officium, tuis supplicationibus inclinati, quod ad diaconatus et presbiteratus ordines promoveri, et ad recipiendum consecrationis munus, donec pacificam et quietam ejusdem ecclesie possessionem fueris assecutus, minime tenearis, constitutione quam contra cathedralium ecclesiarum electos quod infra sex mensium spatium hujusmodi consecrationis munus suscipere teneantur edidimus non obstante, de gratia tibi concedimus speciali. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II nonas maii, anno quinto. »

2897 Anagni, 21 mars 1259.

Magistro Stephano, abbati ecclesiae Fusellensis, omnia bona dignitatesque suas confirmat. (Reg. 25, f. 209 v°, an. V, c. 133.)

« *Magistro Stephano, subdiacono et capellano nostro, abbati secularis ecclesie Fusellensis, nepoti bone memorie E. Sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis.* Grata devotionis obsequia que nobis impendere curasti, et experta familiaritas te dignum efficiunt ut, te favore benivolo prosequentes, specialem tibi gratiam faciamus. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, abbatiam secularis ecclesie Fusellensis, archidiaconatum et canoniam Zamorenses, cum pertinentiis eorundem, canoniam septimanam et prestimonia que in Compostellana ecclesia es adeptus, ecclesie palatine canoniam et prestimonia, canoniam ecclesie Ovetensis, de Saxo Albo et de Tortibarbas prestimonia que ab Auriensi et Salamantina ecclesiis dignosceris obtinere, prestimonia que in Toletana et Abulensi diocesibus es adeptus, prestimonia que in Calagurritana ecclesia te asseris assecutum, canonicatus et prebendas quos in Carnotensi, Cathalaunensi, Virdunensi, Pragensi et Latensi [1], Atrebatensis diocesis, ecclesiis es adeptus, tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, non obstante si prestimoniorum ipsorum aliquod noscatur ad mensam alicujus episcopi pertinere. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XII kal. aprilis, anno quinto. »

2898 Anagni, 4 juin 1259.

Sententiam in causa inter priorissam et conventum prioratus de Neuforti, Meldensis diocesis, et abbatissam et conventum monasterii de Paraclito, Trecensis diocesis, vertente, a Wastinensi et Pruvinensi archidiaconis et magistro Drocone, canonico capellae B. Mariae in ecclesia Senonensi, latam confirmat. (Reg. 25, f. 209 v°, an. V, c. 134.)

« .. *priorisse et conventui prioratus de Neuforti, ordinis Sancti Benedicti, Meldensis diocesis.* Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum. Sane exhibita nobis vestra petitio continebat quod olim inter vos, ex parte una, et.. abbatissam et conventum monasterii de Paraclito, ordinis Sancti Benedicti, Trecensis diocesis, super eo quod conventus ipsius monasterii, cui immediate subesse dicimini et cujus etiam moniales existitis, ad electionem abbatisse, cum vacabat, ut tenebantur vos admittere denegabant, ex altera, orta mate-

1. Cette lettre reproduit celle qui fut adressée au même personnage par Innocent IV le 18 oct. 1252. E. Berger qui l'a publiée (n° 6014) lit ici : *Lacensis* et propose, en note : *Eduensis*.

ria questionis, tandem partes, pro bono pacis et concordie, in P. Wastinensem, et G. Pruvinensem archidiaconos, et magistrum Droconem, canonicum capelle altaris Beate Marie in ecclesia Senonensi, de alto et basso super hoc compromittere curaverunt, promittentes et se per litteras obligantes ratum et firmum habere et inviolabiliter observare quicquid dicti archidiaconi et Droco super premissis pace vel judicio seu alto et basso, vel prefatus archidiaconus Wastinensis cum eorum altero, si omnes in unam non possent concordare sententiam, ducerent arbitrandum. Iidem vero archidiaconi et canonicus, postmodum inter partes ipsas totaliter super negotio hujusmodi, de assensu diocesani ejusdem monasterii, arbitrati sunt videlicet : quotiensounque de cetero predictum monasterium per mortem abbatisse vel alias quocunque modo vacare contingeret, de prioratu vestro mitterentur in expensis ipsius prioratus septem moniales cum priorissa ad electionem abbatisse in dicto monasterio celebrandam, quas ad electionem, sicut alias moniales ejusdem monasterii, decreverunt sine contradictione qualibet admittendas. Decreverunt insuper ut quotienscunque aliquas prioratus ejusdem moniales, quas dicti monasterii Paraclitensis moniales esse pronuntiaverunt, ad ipsum monasterium Paraclitense venire contingeret, ipse ibidem reciperentur in dormitorio, refectorio, capitulo et choro, et in omnibus aliis sicut cetere moniales Paraclitensis monasterii, quamdiu ibidem moram facerent, et fraterna tractarentur in Domino cariatate. Pronuntiaverunt etiam quod si, tempore electionis in eodem monasterio celebrande, plures moniales de dicto prioratu essent in ipso Paraclitensi monasterio quam ille septem cum priorissa, non admittererentur ad tractandum de electione alie si mitterentur de prioratu eodem. Decreverunt etiam ut, cum in predicto monasterio electio abbatisse fuerit celebranda, terminus non minor viginti dierum a prima vocationis die numerandus ad electionem celebrandam prefigatur et, infra octo dies primos dictorum viginti dierum, significet vobis conventus predicti monasterii per suas patentes litteras ut ad electionem celebrandam mittatis secundum modum superius annotatum prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut asseritis, a tempore hujusmodi arbitrii quod predicte partes postmodum acceptarunt et cui nunquam contradixerunt, biennium et amplius sit elapsum, nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem archidiaconis et canonico provide factum est in hac parte ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, II nonas junii, anno quinto [1]. »

2899 Anagni, 25 juin 1259.

Hugonis, Claromontensis episcopi, concessionem priori et conventui monasterii B. Mariae de Calmeliis circa ecclesiam de Syram factam confirmat. (Reg. 25, f. 209 v°, an. V, c. 135.)

« .. *priori et conventui monasterii Beate Marie de Calmeliis, ordinis Sancti Augustini, Claromontensis diocesis.* Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod bone memorie Hugo, Claromontensis episcopus, ecclesiam de Syram, Claromontensis diocesis, ad suam collationem spectantem, sui capituli et dilecti filii.. archidiaconi Aurelianensis, patroni ejusdem ecclesie, accedente consensu, vobis concessit ita ut, cedente vel decedente rectore ipsius, eam possitis in usus proprios retinere, reservata perpetuo vicario in eadem ecclesia servituro de ipsius proventibus congrua portione ex qua commode sustentari valeat, ac episcopalia et alia consueta onera supportare, prout in litteris inde confectis dictorum episcopi, capituli et patroni sigillis munitis plenius dicitur contineri. Nos igitur, vestris devotis precibus inclinati, quod super hoc provide factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc.. Dat. Anagnie, VII kal. julii, anno quinto. »

2900 Anagni, 20 juin 1259.

Guillelmo dicto Attoni, rectori ecclesiae de Turribus, Biterrensis diocesis, concedit ut, praeter dictam ecclesiam, aliud beneficium ecclesiasticum recipere possit, secundum dispensationem ei ab Innocentio IV concessam. (Reg. 25, f. 209 v°, an. V, c. 136.)

1. Icl on lit en marge à côté d'une croix : « *Quere in registro litterarum anni sexti domini Alexandri pape IIII simile signum et recipe litteram sub eodem signo registratam directam archiepiscopo Tarentasiensi.* » et ensuite, d'une écriture moderne : p. 225. C'est en effet au verso de ce feuillet que se trouve l'acte précité (voir ci-après n° 3173).

« *Guillelmo dicto Attoni, rectori ecclesie de Turribus, Biterrensis diocesis,* Oblata nobis ex parte tua petitio continebat quod felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, bone memorie Narbonensi archiepiscopo dispensandi tecum quod, preter canonicatum Bitterrensem et ecclesiam de Paolano, Biterrensis diocesis, quam tunc habebas, curam animarum habentem, posses in Narbonensi provincia unicum aliud ecclesiasticum beneficium aut personatum vel dignitatem, etiam si similem curam haberet et tibi canonice offerretur, recipere ac habere, concessit sub certa forma per suas litteras facultatem, qui tecum super hoc postmodum, mandatore vivente, juxta formam sibi traditam, dispensavit. Quia vero, post dispensationem hujusmodi, prefata ecclesia de Paolano dimissa, recepisti ecclesiam de Turribus eamque disseris *(sic)* obtinere, ne per hoc tibi aliquod prejudicium fiat, provideri tibi a nobis humiliter supplicasti. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, veris existentibus que narrantur, quod, preter ecclesiam ipsam de Turruibus *(sic)* et canonicatum eundem que obtines juxta tenorem et formam dispensationis hujusmodi tibi facte, aliud beneficium ecclesiasticum recipere valeas et una cum eis licite retinere, auctoritate tibi presentium duximus concedendum. Nulli nostre concessionis etc. Dat, Anagnie, XII kal. julii, anno quinto. »

2901 Anagni, 17 mai 1259.

Abbati et capitulo secularis ecclesiae S. Affrodisii, Biterrensis mandat ut Poncium Audeguerii, clericum Biterrensem, in canonicum recipiant eique de aliqua praebenda provideant. (Reg. 25, f. 210, an. V, c. 137.)

« .. *abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis.* Volentes dilecto filio —. Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno quinto. »

2902 Anagni, 6 juillet 1259.

Magistro et universis fratribus ordinis militiae S. Jacobi quaedam statuta de fratribus « veneram seu cukillam » portantibus confirmat. (Reg. 25, f. 210, an. V, c. 138.)

« .. *magistro et universis fratribus ordinis militie Sancti Jacobi.* Hiis que religiosis personis in religionis favorem provide statuuntur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem ut intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita. Lecta siquidem nobis vestra petitio continebat quod vos, in generali capitulo vestri ordinis, deliberatione provida statuistis ut nullus fratrum nullaque sororum vestri ordinis veneram in signo deferat seu cukillam nisi frater, sacerdos vel miles et soror de militari genere procreati fuerint, et quod predicti fratres hujusmodi cukillam seu veneram in signo portantes sint primi in choro, processione, capitulo atque mensa, et, cum aliquem ipsorum contigerit ad aliquam domum vestri ordinis pervenire, idem in expensis faciendis, in licentia danda, in loquendo et aliis et tenendo capitulum in eadem domo commendator existat, dummodo commendator ipsius domus veneram non deferat seu cukillam. Quod si duo ex ipsis fratribus predictas cukillam seu veneram portantes, quorum unus sacerdos, alter vero miles existant, insimul ad unam domum ordinis pervenerint supradicti, si domus ipsa fratrum fuerit laicorum, miles, si vero clericorum, sacerdos ibidem in premissis commendatores existant dum permanserint in eadem, et quod nullus ipsius ordinis frater, postquam in eo per quinque annos steterit, uxorem recipere possit ; quodque nemini ex vestris fratribus, nisi miles fuerit, aliquod castrum ad ipsum ordinem pertinens tenendum vel custodiendum ab eo aliquatenus committatur. Quare nobis humiliter supplicastis ut statuta ipsa confirmare de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, statuta hujusmodi sicut sunt salubria et honesta, rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, II nonas julii, anno quinto. »

2903 Anagni, 7 juillet 1259.

Johanni, canonico Moraviensi, indulget ut, praeter ecclesiam de Duffys curam animarum habentem, alind beneficium ecclesiasticum, personatum vel dignitatem, etiam cum simili cura, in regno Scotiae recipere possit. (Reg. 25, f. 210, an. V, c. 139.)

« *Johanni, rectori ecclesie de Duffys, Moraviensis diocesis, canonico Moraviensi.* Licet ne quis —. Dat. Anagnie, nonis julii, anno quinto. »

2904 Anagni, 15 mai 1259.

M[argaritae], comitissae Flandriae et Haynoniae, indulget ut, quamdiu in viduitate permanserit, nullus delegatus A. Sedis possit in personam suam excommunicationis ferre sententiam et terras supponere interdicto, absque speciali mandato, sicut in praecedenti c. 118 (nº 2879) sub data « nonis aprilis », in differenti autem modo ablataque in fine de septennio clausula. (Reg. 25, f. 210, an. V, c. 140.)

« *Nobili mulieri M. comitisse Flandrie et Haynonie.* Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Ut igitur, ab incommodis viduitatis que sustines, specialis Apostolice Sedis gratie modo in aliquo subleveris, nos, qui patres orphanorum et judices viduarum sumus juxta verbum propheticum a Domino constituti, te favore benivolo prosequi cupientes, tibi auctoritate presentium indulgemus ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo executor seu etiam conservator auctoritate Sedis Apostolice vel legatorum ipsius, quamdiu in viduitate permanseris, possit in personam excommunicationis, et in terras tuas interdicti sententias promulgare absque speciali mandato Sedis ejusdem faciente plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim decernimus irritum et inane si quod contra indulti tenorem hujusmodi a quoquem contigerit attemptari. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, idibus maii, anno quinto. »

2905 Anagni, 13 juin 1259.

Decano et praeposito ecclesiae S. Phareildis Gandensis, ne praedictam comitissam Flandriae, quamdiu vidua fuerit, contra tenorem indulgentiarum ipsi a Sede Apostolica concessarum, ab aliquibus molestari permittant. (Reg. 25, f. 210, an. V, c. 141 manu recentiori.)

« .. *decano et.. preposito ecclesie Sancte Phareildis Gandensis, Tornacensis diocesis.* Cum sicut in —. Dat. Anagnie, idibus junii, anno quinto. »

2906 Anagni, 27 janvier 1259.

Personam praefatae comitissae Flandriae cum comitatibus, villis, terris, juribus et jurisdictionibus suis, sub Apostolicae Sedis protectione suscipit. (Reg. 25, f. 210 vº, an. V, c. 142 ; Rodenberg, t. III, nº 490.)

« *Nobili mulieri M. comitisse Flandrie ac Haynonie.* Efficax tue devotionis —. Dat. Anagnie, VI kal. februarii, anno quinto. »

2907 Anagni, 5 Juin 1259.

Magistro Poncio de S. Justo indulget ut nullum praejudicium ratione canonicatus Narbonensis sibi collati, sibi possit generari. (Reg. 25, f. 210 vº, an. V, c. 143.)

« *Magistro Poncio de Sancto Justo, doctori decretorum, canonico Narbonensi.* Ex serie tue petitionis accepimus quod olim inter te et dilectum filium magistrum Gregorium de Sancto Laurentio, capellanum et phisicum nostrum, super precentoria Biterrensis ecclesie materia questionis exorta, tandem dilectus filius noster R. Sancti Angeli diaconus cardinalis, quem in causa hujusmodi concessimus partibus auditorem, auditis que partes proponere voluerunt, precentoriam ipsam per diffinitivam sententiam capellano adjudicavit eidem, tibique de speciali mandato nostro eidem cardinali viva voce facto, canonicatum Narbonensis ecclesia contulit et tibi de illo providit, et venerabilis frater noster.. archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Narbonenses, te postmodum receperunt in canonicum et in fratrem. Nos igitur, tuis devotis precibus inclinati, ut per litteras apostolicas post collationem et provisionem tibi factas de canonicatu predicto a Sede Apostolica super cujus receptione ac provisione in dicta Narbonensi ecclesia impetratas, cujuscunque tenoris existant, vel etiam impetrandas, quoad ad secutionem *(sic)* prebende tibi debite in eadem ecclesia nullum tibi prejudicium generetur, auctoritate tibi presentium indulgemus, nisi eedem littere impetrande de persona tua, collatione ac provisone predictis ac indulto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, nonis junii, anno quinto. »

2908 Anagni, 18 juillet 1259.

Adae dicto Cambellano, militi, Senonensis diocesis, Petri cambellani Franciae fratri, dispensat ut Mariam, relictam Auberti de Hangest, militis, Ambianensis diocesis, uxorem ducere possit, non obstante quod Aubertus dictum Adam quarta consanguinitatis linea contingeret. (Reg. 25, f. 210 vº, an. V, c. 144.)

« *Ade dicto Cambellano, militi, Senonensis diocesis.* Sinceritas devotorum Ecclesie —. Dat. Anagnie, XV kal. augusti, anno quinto. »

2909 Anagni, 14 juillet 1259.

Sententiam a S[tephano], Penestrino cardinali, in causa quae inter abbatem et conventum monasterii Igniacensis, ex una parte, et communitatem villae de Montigniaco, Remensis diocesis, ex altera super quibusdam juribus vertebatur latam confirmat, instrumenti super hoc inde facti tenorem inserens. (Reg. 25, f. 210 v°, an.V, c. 145.)

« .. *abbati et conventui monasterii Igniacensis, Cisterciensis ordinis, Remensis diocesis.* Ea que judicio vel concordia etc. usque presidio communiri. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat quod cum causa que inter vos, ex parte una, et majorem, scabinos, homines et communitatem ville de Montegniaco, Remensis diocesis, super usuario pascuorum in eadem villa et territoriis ejus et super aisenciis suis in marisas ville et territorii eorundem ac rebus aliis, ex altera vertebatur, ab audientia.. officialis curie archidiaconi Remensis, ad quem de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine hujusmodi causarum cognitio in archidiaconatu suo, in quo res de quibus agitur consistunt, pertinet, non ex delegatione apostolica cognoscentis, de ipsa per appellationem vestram ad Sedem Apostolicam delata fuisset, nos in ea venerabilem fratrem nostrum S. Penestrinum episcopum dedimus partibus auditorem, qui, cognitis cause meritis, et juris ordine observato ac a nobis licentia pronuntiandi recepta, procuratoribus quoque utriusque partis presentibus, diffinitivam pro vobis sententiam promulgavit, prout in publico instrumento confecto exinde, ac sigillo episcopi prefati signato plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, sententiam ipsam provide latam, ratam et firmam habentes, eam, non obstante appellatione partis alterius quam reputamus frivolam, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari qui talis est :

Anagni, 20 juin 1259.

« In nomine Domini, amen. In causa que inter.. « abbatem et conventum monasterii Igniacensis, « Cisterciensis ordinis, Remensis diocesis, ex parte « una et.. majorem, scabinos, homines et com- « munitatem ville de Montigniaco, ex altera, « coram nobis Stephano, miseratione divina Penes- « trino episcopo, apostolica auctoritate verteba- « tur, libellus hujusmodi fuit oblatus : proponit « frater Mauricius, nomine.. abbatis et conventus « de Igniaco, contra .. majorem, scabinos, homines « et communitatem ville de Montigniaco et pro- « curatorem ipsorum quod, cum dicti abbas et « conventus seu ecclesia Ingniacenses *(sic)* sint « et diu fuerunt in possessione habendi usuarium « pro animalibus suis in pascuis dicte ville et terri- « toriis ejus et aysentias suas omnimodas in mari- « siis ejusdem ville et territorii ejus, predicti « homines et communitas dicte ville ipsos abba- « tem et conventum seu ecclesiam Igniacenses « impediunt et perturbant quominus ipsi pacifice « et quiete usuarium suum habeant in pascuis « antedictis et suas aysentias in marisiis, et etiam « ipsorum animalia et custodes ipsorum anima- « lium duxerunt et in eorum presentia quedam « de animalibus mortua fuerunt. Cum super « predictis dictus abbas et conventus seu ecclesia « Igniacenses predictos majorem, scabinos, homi- « nes et communitatem ville predicte coram.. « officiali curie reverendi patris domini O. Sancti « Adriani diaconi cardinalis, Remensis archidia- « coni, traxisse[n]t in causam et petivissent pre- « dictos compelli ut a dictis perturbatione et « impedimento desisterent, et dictos abbatem et « conventum seu ecclesiam Igniacenses dicta pos- « sessione vel quasi gaudere permitterent pacifice « et quiete, ac petivissent ipsos condempnari in « centum libris Parisiensium pro predictis inju- « riis, et quia predictus officialis prefatos abba- « tem et conventum seu ecclesiam super premis- « sis audire contra justitiam denegavit, fuit pro « parte ipsorum abbatis et conventus seu dicte « ecclesie Igniacensium ad Sedem Apostolicam « appellatum. Unde petit dictam appellationem « justam pronuntiari, et prefatos .. majorem, sca- « binos, homines et communitatem dicte ville « sententialiter per vos compelli ut a dictis mo- « lestatione et perturbatione desistant, ac sibi « inhiberi ut de cetero similia facere non attemp- « tent, cum nullum jus habent talia faciendi, ac « petit eos in predictis centum libris Parisiensium « condempnari. Lite igitur super predicto libello « coram venerabili viro.. tunc electo, nunc archie- « piscopo Cusentino, quem ad hoc deputavimus « auditorem, legitime contestata prestitoque a « partibus de calumpnia juramento, factisque

« positionibus et responsionibus ad easdem, pars « abbatis et conventus predictorum proposuit « quod possessionem vel quasi jurium predictorum « sufficienter probarat, nec ei nocere, immo potius « prodesse debebat quoad interdictum uti possi- « de[n]tis vel quasi quod in prima parte libelli « ab eisdem monachis fuerat intemptatum quod « adversarii dicuntur probare possessionem ip- « sam per eos aliquando fuisse turbatam, cum « interdictum hujusmodi possessorii contra pos- « sessionis turbatores competere dinoscatur. Partis « etiam adverse turbatio ex eo injuriosa esse « probatur quod abbas et conventus prefati, ex « compositione inter ipsos et adversarios prefatos « utendi predictis juribus justam causam seu « titulum habuerunt. Proponebat insuper inten- « tionem suam, quantum ad petitorium, pres- « criptione legitima necnon et compositione pre- « dicta esse plene fundatam ; nam si dominia « prediorum in quibus abbas et conventus prefa- « ti predicta jura se habere asserunt ad.. preposi- « tum Remensem pertinent, ut pars adversa pro- « ponit, cum ex hoc appareat eos non habere jus « impediendi abbatem et conventum eosdem quo- « minus juribus predictis utantur, jure debent « saltem ratione possessionis vel quasi, quam in « ipsis juribus monasterii constat habere, ab « impedimento hujusmodi prohiberi. Si vero pre- « diorum eorundem dominium.. major, scabini, « homines et commune obtinent memorati cum « tam prescriptione quam compositione prescrip- « tis, abbas et conventus ipsi jura quesierunt « antedicta, constat quod super eis impediri ab « adversario de jure non debent. Ad hoc pars.. « majoris, scabinorum et communitatis respon- « dens et prescriptionem ipsam non esse proba- « tam et, si de ea constaret, eam interruptam « esse affirmans, dicebat quod per eam pars adver- « sa jurari non poterat nec debebat, adiciens quod « de compositione per adversarios allegata non « constabat per legitima documenta, nec, ut « dicebat, de consensu Remensis capituli vel cum « Remensi preposito qui per compositionem ipsam « maxime tangebatur, nec cum abbate predicti « monasterii facta fuit. Allegabat preterea quod, « cum abbas et conventus jamdicti contra ea que « in compositione ipsa inserta esse dicuntur venis- « sent non debebant ex ea jurari. E contra pars « monasterii proponebat quod legitime prescrip- « tionem probarat, et licet adversarii possessio- « nem suam in juribus predictis turbassent, cum « tamen abbas et conventus prefati nec animo nec « corpore possessionem vel quasi jurium predic- « torum dimiserint, memorata prescriptio non « fuit per turbationem hujusmodi interrupta, sub- « jungens quod de compositione ipsa per cartam « secundum consuetudinem gallicanam legitime « factam et sigillis autenticis quibus stari debet, « ubi aliud non ostenditur, roboratam, suffi- « cienter constabat, et compositionem ipsam alio- « rum instrumentorum adminiculo pars monasterii « adjuvabat, adiciens quod contra compositionem « in aliquibus articulis de consensu partis adverse « eis venire licebat, prout in ipsius compositionis « serie continetur. Et si forte, quod absit, contra « in aliquo venissent, tamen ipsi communitati « propria temeritate eam infringere non licebat, « in cujus possessione vel quasi monasterium a « longissimi temporis spatio permanebat. Nec « obstare dicebat quod obicit pars adversa quod « de consensu Remensis capituli, vel cum Remensi « preposito dicta compositio facta non fuit, quia « cum per longa tempora sit servata, eam capi- « tulum vel prepositus hac occasione non poterat « impugnare ; et preterea, cum de consensu expres- « so.. majoris, scabinorum et communitatis, dicta « compositio facta fuerit, et sic quantum ad ipsos « jus sit per eam monasterii acquisitum, ..major, « scabini et communitas contra quos agitur, « contra eam de jure, nec ex persona prepositi « vel jure capituli propter hoc vel quia, ut dicunt, « compositionem ipsam preposito vel capitulo « Remensibus monasterium non servavit, tueri « se possunt, nec nocet monasterio, ut dicebat, « quod ille qui abbas in carta que super composi- « tione ostenditur nominatur, abbas non fuit, « tum quia monasterium circa hoc intentionem « suam probavit legitime, tum quia et si abbas « non fuisset, ex quo tamen compositio nomine « monasterii facta fuit, jus fuit per ipsum monas- « terium eam ratam habentem quesitum. Iterum « requisitus in judicio procurator.. majoris, sca- « binorum, hominum et communitatis predicto- « rum si sigilla instrumentorum predicte compo- « sitionis de falso arguere et ad penam, si defice- « ret, se vellet obligare, respondit se nolle nec de « jure teneri, unde pars abbatis et conventus « asserens intentionem suam super juribus in « libello contentis, tam in possessorio quam in « petitorio, de quibus in libello eodem simul, ut

« dicebat, actum fuerat esse plene fundatam, « petebat super utroque sententiam pro se ferri, « parte adversa in contrarium affirmante et se « ab impetitionibus partis adverse absolvi petente.

« Nos igitur, auditis et intellectis hiis et aliis « que partes proponere voluerunt, receptaque a « domino papa licentia de sententia proferenda, « presentibus fratre Godifrido et fratre Herberto, « procuratoribus dicti monasterii, et Gallutio, « procuratore.. majoris scabinorum, hominum et « communitatis predictorum,.. majori, scabinis ho- « minibus et communitati predictis et Gallutio « nomine ipsorum mandamus et sententialiter « inhibemus ne abbatem et conventum prefatos « super possessione vel quasi habendi usuarium « pro animalibus suis in pascuis et aysentias in « mariscis dicte ville de Montigniaco et territorii « ejus molestent, impediant vel perturbent, et « quod super hiis ab ipsorum abbatis et conven- « tus molestatione, impedimento et perturba- « tione desistant. Sane quia de qua re cognovit « judex de ea pronuntiare tenetur juxta legitimas « sanctiones, et tam in libello prescripto quam « a partibus in processibus judicii petitorium su- « per predictis juribus fuit deductum, et super « eo pars.. abbatis et conventus intentionem suam « plene fundaverit. ..majori, scabinis, hominibus « et communitati predictis et memorato Gallutio « ipsorum nomine, quoad petitorium judicium « sententialiter inhibemus ut super molestatione, « impedimento et turbatione predictis, contra.. « abbatem et conventum eosdem de cetero similia « facere non attemptent, cum non sit eis jus « talia facienti. Super appellationis vero articulo « et petitione centum librarum in libello expressis, « quia super hiis pars abbatis et conventus nichil « sufficienter probavit, immo nec in judicio fuit « actum de ipsis vel deductum, ..majorem, scabinos, « homines et communitatem predictos et Gallu- « tium ipsorum nomine absolvimus, justitia exi- « gente.

« In cujus rei testimonium presens instrumen- « tum sigilli nostri munimine fecimus roborari. « Actum Anagnie, in hospitio domini cardinalis, « sub anno Domini MCCLVIII°, pontificatus do- « mini Alexandri pape IIII anno quinto [1], se- « cundo indictionis, die undecima junii exeuntis ; « presentibus domino Jacobo, archiepiscopo Sypon- « tino, magistro Matheo de Salerno, domini pape « capellano, Popone, magistro, Bartholomeo de « Regio, domino Alberto de Azario, magistro « Roberto de Argentia, curie advocatis et aliis « pluribus testibus de *(sic)* hiis vocatis et rogatis. « Ego Bernardus de Insula Romanus, apostolice « ac Sacrosancte Sedis auctoritate notarius, pre- « dictorum prolatione *(sic)* interfui, ut supra « legitur, et, de mandato venerabilis patris domi- « ni cardinalis predicti, scripsi et publicavi roga- « tus. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie II idus julii, anno quinto. »

1. L'an V du pontificat d'Alexandre IV est compté du 20 décembre 1258 au 19 décembre 1259. Il y a donc ici une erreur de date pour l'année civile et il faut lire 1259 au lieu de 1258, ce qui correspond bien, d'ailleurs, à la seconde indiction.

2910 Anagni, 27 juin 1259.

Priori et conventui monasterii de Novoburgo, Eboracensis diocesis, indulget ut, sicut hactenus, sic et in posterum in ecclesiis et capellis eis annexis, quas in usus proprios canonice obtinent et in quibus non fuerunt taxatae vicariae nec perpetui vicarii instituti, possint facere per capellanos proprios deserviri, nec, ipsis invitis, in futurum vicariae taxari seu institui perpetui valeant. (Reg. 25, f. 211 v°, an. V, c. 146.)

« .. *priori et conventui monasterii de Novoburgo, ordinis Sancti Augustini, Eboracensis diocesis.* Ex serie vestre —. Dat. Anagnie, V kal. julii, anno quinto. »

2911 Anagni, 20 juin 1259.

Sententiam ab Andrea Spiliati, capellano apostolico, in causa inter decanum et capitulum Palentinos, ex una parte, et Petrum dictum Abbatem, ex altera, vertente super canonicatu, praebenda et praestimoniis eidem Petro concessis, latam confirmat, instrumenti super hoc confecti tenorem praesentibus inserens. (Reg. 25, f. 212, an. V, c. 147.)

« *Petro dicto Abbati, Palentino.* Ea que judicio etc. usque communiri. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod cum abbas de Lavarza in ecclesia Palentina, executor super provisione tibi facienda in ecclesia ipsa de prebenda et prestimoniis tibi a Sede Apostolica deputatus, prebendam ac prestimonia vacantia in eadem ecclesia per mortem Johannis, canonici dicte ecclesie, tibi canonice contulisset, decanus et capitulum ipsius ecclesie propter hoc ad Sedem appellarunt eandem, cumque tibi propter hoc juxta tenorem

constitutionis a felicis recordationis Innocentio papa, predecessore nostro, super hoc edite ad eandem Sedem personaliter accedenti, dilectum filium magistrum Andream Spiliati, subdiaconum et capellanum nostrum, dederimus in causa hujusmodi auditorem, eique causam ipsam commiserimus fine debito terminandam, idem auditor, cognitis ipsius cause meritis et juris ordine observato, pro eisdem decano et capitulo in statuto termino in constitutione ipsa non comparente aliquo procuratore legitimo coram eo, quamquam dictus capellanus ipsos in audientia publica pluries citari fecerit, et diutius post eundem terminum expectarit, appellationem dictorum decani et capituli frivolam reputans, prout erat, ac prebendam et prestimonia hujusmodi tibi per sententiam diffinitivam adjudicans, ea ad te de jure spectare decrevit, eosdem decanum et capitulum taxatione prehabita, et a te super hoc juramento recepto, in quadam summa pecunie expensarum nomine condempnando, prout in instrumento publico exinde confecto et ipsius auditoris munito sigillo plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, sententiam ejusdem capellani provide latam ratam habentes et firmam, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti presentibus de verbo ad verbum inseri facientes qui talis est :

27 mai 1259.

« In nomine Domini amen. Cum in causa que « vertitur inter decanum et capitulum Palentinos, « ex una parte, et Petrum dictum Abbatem, cano- « nicum Palentinum, ex altera, super canonicatu, « prebenda et prestimoniis, nos magistrum Andre- « am Spiliati, subdiaconum et capellanum domini « pape, idem dominus concesserit auditorem, ac « eandem causam summus pontifex nobis commi- « serit terminandam, prefatus Petrus comparuit « personaliter coram nobis, asserens prefatam cau- « sam fore ad Sedem Apostolicum legitime devo- « lutam, et cum de hoc idem Petrus nobis fecisset « fidem per legitima documenta, ad instantiam et « petitionem ejusdem Petri in publica audientia, « sicut moris est, fecimus fieri trinam citationem « et quartam peremptorie ut, si quis esset procu- « rator pro dictis decano et capitulo, coram nobis « compareret, dicto Petro super dicta causa, prout « justum est et legitime, responsurus. Et quia in « dictis terminis et post terminos nullus pro dictis « decano et capitulo comparuit procurator, dicto « Petro in quolibet termino comparente, et dicto- « rum decani et capituli absentia immo contuma- « cia incusante, prefatus Petrus coram nobis libel- « lum obtulit in hunc modum :

« Coram vobis domino Andrea Spiliati, subdia- « cono et capellano domini pape, partibus ab eodem « auditore concesso, proponit Petrus dictus Abbas, « canonicus Palentinus, contra decanum et capitu- « lum Palentinos, quod licet dicto Petro canoni- « catus et prebenda cum prestimoniis in ecclesia « Palentina, per mortem Johannis Johannis « vacantia, per discretum virum abbatem de La- « vanza in ecclesia Palentina, auctoritate aposto- « lica canonice essent collata, in contradictores « et rebelles excommunicationis sententia promul- « gata, tamen dicti decanus et capitulum seu major « pars ejusdem a dicta collatione frustratorie ap- « pellarunt, dicta excommucationis sententia vili- « pensa, in ipsius Petri prejudicium et gravamen. « Unde petit predictos canonicatus et prebendam « cum suis prestimoniis per vestram sententiam « sibi adjucari et ad eum de jure spectare decerni, « et predictos decanum et capitulum seu illos qui « gerunt se pro capitulo, predicta appellatione « frivola pronuntiata, sibi in expensis, dampnis et « interesse legitime condempnari, quas dictus Pe- « trus sustinuit occasione dicte appelationis frivole « interjecta, que dampna et interesse et expensas « extimat ducentos Morabotinos, et expensas fa- « ciendas protestatur. Petit etiam decanum et « dictos canonicos, qui se gerunt pro capitulo, « excommunicatos publice nuntiari usque ad satis- « factionem condignam, salvo jure etc.. Et sub- « sequenter id[em] Petrus exhibuit coram nobis « instrumenta et positiones suas per que et quas « nobis constitit evidenter quod canonicatus et « prebenda cum prestimoniis in ecclesia Palentina « per mortem Johannis Johannis vacantia per « discretum virum abbatem de Lavanza, auctori- « tate apostolica erant collata, et quod ob hoc pro « parte decani et capituli Palentinorum fuerat ad « Sedem Apostolicam appellatum, et sic per con- « sequens per constitutionem erat hujusmodi causa « ad Sedem Apostolicam devoluta in qua poterat, « lite non contestata, ad sententie calculum procedi. « Nos iterato ex superhabundanti in publica audien- « tia proponi fecimus peremptorie citationis edic- « tum ut si quis esset procurator pro dictis decano

« et capitulo, compareret coram nobis infra cer-« tum terminum, super premissis sententiam audi-« turus, in quo termino nullus comparuit pro dictis « decano et capitulo coram nobis, dicto Petro pre-« sente et sententiam cum instantia postulante, « nos igitur, visis et auditis et diligenter intellectis « instrumentis et rationibus predicti Petri, habito « concilio peritorum, ac nobiscum diligenti delibe-« ratione prehabita, Christi nomine invocato, pre-« dictorum decani et capituli absentiam divina « replente presentia, predictos canonicatus et pre-« bendam cum suis prestimoniis sententialiter adju-« dicamus Petro prefato et ad eum spectare de « jure decernimus, predictorum decani et capituli « appellationem frivolam reputantes. Nichilominus « decernimus dictos decanum et canonicos a dicto « abbate excommunicatos usque ad satisfactionem « condignam (excommunicatos) publice nuntiari, « eosdem decanum et capitulum quod Petro in « quinquiginta Marabotinis, nomine expensarum, « et nostra taxatione et juramento ipsius Petri « prehabitis, nichilominus condempnantes. In cu-« jus rei testimonium presentem sententiam feci-« mus nostri sigilli munimine roborari, et per « Riccardum, notarium infrascriptum, precepimus « publicari. Lata fuit hec sententia sive pronun-« tiata in hospitio nostro, presentibus magistro « Nicolao de Ponta Arce, domini pape capellano; « magistro Simone de Cravaco, magistro Johanne « de Bregia, magistro Nicolao dicto Colardo Pan-« zardo, Johanne Petri plebano de Picellio, et aliis « pluribus testibus ad hec vocatis et rogatis, anno « Domini a Nativitate MCCLIX, indictione se-« cunda, die XXVII mensis maii, pontificatus domini Alexandri pape IIII [1].

« Et ego Riccardus, auctoritate imperiali nota-« rius, huic prolationi interfui et de mandato et « auctoritate predicti magistri Andree scripsi et « publicavi predicta regatus. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno quinto. »

2912 Anagni, 20 juin 1259.

Magistris Garsiae, archidiacono, et Thomae Petri, canonico Zamorensibus, mandat ut predictam sententiam debite exeutioni demandari curent .(Reg. 25, f. 212, an. V, sub eodem c. 147.)

1. L'année du pontificat n'est pas indiquée ; mais cette date correspond à l'an V.

« *Magistris Garsie, archidiacono, et Thome Petri, canonico Zamorensibus.* Petitio dilecti filii —. Dat. ut supra. »

2913 Anagni, 12 juillet 1259.

Johanni Anajarii, ad supplicationem episcopi Caesaraugustani indulget ut, praeter capellam S. Teclae Valentinae, cui cura non imminet animarum, et perpetuam vicariam ecclesiae de Tamarico, Ilerdensis diocesis, curam animarum habentem, possit alia ecclesiastica beneficia quibus cura non immineat animarum, usque ad summam quinquagenta marcarum argenti in Hispania recipere, non obstante constitutione a bonae memoriae G. Sabinensi episcopo tunc in partibus illis A. Sedis legato edita, seu aliqua alia contraria. (Reg. 25, f. 212 v°, an. V, c. 148.)

« *Johanni Anajarii, rectori capelle Sancte Tecle Valentine.* Inducunt nos tue —. Dat. Anagnie, IIII idus julii, anno quinto. »

2914 Anagni, 2 juillet 1259.

Rogero, abbati monasterii Glastoniensis, Wellensis diocesis, ad expedienda monasterii negotia, contrahendi mutuum usque ad summam mille quingentorum et triginta et duarum marcarum Sterlingorum, et obligandi creditoribus usque ad summam hujasmodi se et monasterium omniaque bona facultatem concedit. (Reg. 25, f. 212 v°, an. V, c. 149.)

« *Rogero, abbati monasterii Glastoniensis, ordinis Sancti Benidicti, Wellensis diocesis.* Cum sicut in —. Dat. Anagnie, VI nonas julii, anno quinto. »

2915 Anagni, 3 mai 1259.

Magistro Andreae de Orto, scriptori suo, canonico Viterbiensi, nepoti Laurentii, Antibarensis archiepiscopi, annuam pensionem centum solidorum Turonensium quam ei Radulfus, Morinensis episcopus, in Nativitate Domini annis singulis persolvendam anno 1253 concessit, confirmat. (Reg. 25, f. 212 v°, an. V, c. 150 ; Potthast 17559.)

« *Magistro Andree de Orto, scriptori nostro, canonico Viterbiensi.* Provenit ex devotionis —. Dat. Anagnie, V nonas maii, anno quinto. »

2916 Anagni, 27 juin 1259.

S. Burchardi et S. Stephani abbatibus ac scolastico ecclesiae Novi Monasterii Herbipolensis mandat ut causam inter Fuldensis et Hersfeldensis monasteriorum abbates vertentem audiant. (Reg. 25, f. 212 v°, an. V, c. 151 ; Rodenberg, t. III, n° 498.)

« .. *Sancti Burcharti et.. Sancti Stephani monasteriorum abbatibus, et.. scolastico ecclesie Novi Monasterii Herbipolensis.* Sicut dilectus filius Wernherus, abbas monasterii Hersfeldensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Maguntine diocesis, nobis exposuit, dudum.. priore et conventu ipsius monasterii falso imponentibus ei coram clare memorie W. rege Romanorum, quod ipse bona monasterii dilapidabat ejusdem, dictus abbas, ad tollendam materiam scandali, consensit ut ad tempus committeretur alii administratio bonorum monasterii memorati, propter quod idem rex administrationem bonorum ipsorum usque ad certum tempus abbati Fuldensi, ejusdem ordinis, Herbipolensis diocesis, duxit de facto, cum de jure non potuerit, committendum. Postmodum vero dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus, pro eo quod sibi suggestum fuerat dictum W. abbatem, in manibus ipsius regis cessisse regimini abbatie prefati monasterii ac eumdem regem propter hoc administrationem hujusmodi ad certum tempus commisisse abbati Fuldensi predicto, dilectis filiis.. Sancti Georgii, et.. de Billedehusen abbatibus, dedit per suas litteras in mandatis ut, si esset ita, prefatum Wernherum ad cedendum regimini dicti monasterii per censuram ecclesiasticam cohartarent, ac recepta cessione ipsius, administrationem ejusdem monasterii in spiritualibus et temporalibus dicto abbati Fuldensi committerent, usque ad ipsius cardinalis vel summi pontificis voluntatem. Sed iidem Sancti Georgii et de Billedehusen abbates, de hiis nullatenus cognito, cum alias de ipsis minime constitisset, administrationem hujusmodi monasterii abbati Fuldensi commiserunt eidem. Porro cum dicti prior et conventus, demum considerantes attente quod administratio ipsius monasterii per eundem W. commodius et utilius quam per alium poterat exerceri, cum ad administrationem resumpsissent eundem, id demum tam bone memorie P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in predictis partibus fungentis legationis officio quam litterarum nostrarum auctoritate extitit confirmatum. Et licet idem W. post resumptionem et confirmationem hujusmodi, administrationem ipsius monasterii gessisset per quatuor annos et amplius pacifice et quiete, dictus tamen abbas Fuldensis, procurantibus, ut dicitur, priore et conventu prefatis, eundem W. abbatia predicti monasterii quam canonice adeptus fuerat et aliquandiu possederat, sine lite per violentiam spoliavit eamque detinet in ipsius W. prejudicium et gravamen. Cum igitur spoliatis injuste sit restitionis beneficio succurrendum, mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, eodem W. ad abbatiam ipsam, sicut justum fuerit, restituto, audiatis causam et, appellatione remota, fine canonico terminetis, facientes quod etc. usque observari, non obstantibus aliquibus litteris veritati et justitie prejudicantibus pro parte altera super hoc a Sede Apostolica impetratis. Testes autem etc. usque perhibere. Quod si non omnes etc. Dat. Anagnie, V kal. julii, anno quinto. »

2917 Anagni, 19 juin 1259.

Praedictis S. Burchardi et S. Stephani necnon in Urowe monasteriorum abbatibus quae in causa inter Wernerum, monasterii Hersfeldensis abbatem, et decanum ac conventum ipsius monasterii vertente agenda sunt significat. (Reg. 25, f. 213, an. V, c. 151*bis*; Rodenberg, t. III, n° 497.)

« .. *Sancti Burcardi et.. Sancti Stephani Herbipolensium, et.. in Urowe, Herbipolensis diocesis, monasteriorum abbatibus.* Sua nobis Wernerus, abbas monasterii Hersfeldensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, petitione monstravit quod.. decanus et conventus ipsius monasterii, Maguntine diocesis, falso asserentes quod ipse regimini abbatie ipsius monasterii cesserat, et omnes sibi subditos ab obedientia qua sibi tenebantur, absolverat, seque postmodum ad ejusdem monasterii regimen reassumi per secularem potentiam procurarat, dictum monasterium occupatum contra justitiam detinendo, necnon quod Conradum, prepositum celle Sancti Johannis ad dictum monasterium immediate spectantis, cella eadem et quosdam alios monachos ejusdem monasterii obedientiis et officiis, post appellationem ab eis ad Sedem Apostolicam interjectam, contra justitiam spoliarat, in eos et nonnullos dicti monasterii monachos diversis excommunicationum sententiis promulgatis, ad.. de Arnesburg et.. de Sluchene abbates, Maguntine et Herbipolensis diocesium, contra eum sub certa forma litteras apostolicas impetrarunt. Sed idem abbas Hersfeldensis, ex eo sentiens ab eodem abbate de Sluchere et decano Sancte Marie in Campis Maguntine, cui dictus

abbas de Arnesburg super hoc vices suas commiserat, indebite se gravari, quod ad locum non tutum citabant eundem, alium sibi contra justitiam denegantes, assignare securum humiliter requisiti, ad Sedem Apostolicam appellavit. At iidem judices, hujusmodi appellatione contempta, in eum excommunicationis sententiam promulgarunt. Quocirca mandamus quatinus si dictam excommunicationis sententiam post appellationem eandem, temere inveneritis attemptatam [1] in causa ipsa, juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota previa ratione procedatis. Alioquin partes ad predictorum abbatis de Sluchere et decani remittatis examen, appellantem in expenssis legitimis condempnando. Testes etc. Quod si non omnes etc. Dat. Anagnie, XIII kal. julii, anno quinto. »

2918 Anagni, 11 juillet 1259.

Magistros et scholares Parisienses perstringit quod Guillelmum de S. Amore, quem a communione eorum prorsus extraneum notissima culpa fecit, ad pristinum Universitatis suae revocaverunt consortium. (Reg. 25, f. 213 v°-214, an. V, c. 152 ; Potthast 17636.)

« *Magistris et scholaribus Parisiensibus.* Celestis altitudo consilii —. Dat. Anagnie, V idus julii, anno quinto. »

2919 Anagni, 13 juillet 1259.

Guillelmo de Braham indulget ut medietatem ecclesiae de Wirtham, curam animarum habentem, et ecclesiam de Cumptone, quarum proventus viginti librarum Sterlingorum valentiam singulis annis vix excedunt, retinere possit. (Reg. 25, f. 214, an. V, c. 153.)

« *Guillelmo de Braham, rectori medietatis ecclesie de Wirtham, Norvicensis diocesis.* Petitio tua nobis —. Dat. Anagnie, III idus julii, anno quinto. »

2920 Anagni, 15 juin 1259.

Decano Zamorensi mandat ut Velascum Petri, quondam monachum monasterii S. Petri de Albutia, ordinis S. Benidicti, Legionensis diocesis, in monasterio Cauriensi, ejusdem ordinis, Ovetensis diocesis, recipi faciat in canonicum et in fratrem, juxta priorum litterarum magistro scholarum Zamorensi directarum continentiam. (Reg. 25, f. 214, an. V, c. 154.)

« .. *decano Zamorensi,* Sua nobis Velascus —. Dat. Anagnie, XVII kal. julii, anno quinto. »

2921 Anagni, 27 juillet 1259.

Episcopo Aurelianensi magistrum Radulphum de Bomez, capellanum episcopi Tusculani, faciendi recipi in ecclesia Aurelianensi in canonicum et in fratrem eique de praebenda aliqua providendi, secundum litterarum praedecessori suo directarum, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 214, an. V, c. 155.)

« .. *episcopo Aurelianensi.* Significavit nobis tua —. Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno quinto. »

2922 Anagni, 5 août 1259.

Monasterium S. Theofredi, Aniciensis diocesis, sub A. Sedis protectione suscipit ejusque bona et privilegia confirmat. (Reg. 25, f. 214 v°, an. V, c. 156.)

« .. *abbati monasterii Sancti Theotfredi ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus etc. usque infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Beati Theotfredi martiris, Aniciensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, ad instar felicis recordationis Paschalis pape, predecessoris nostri, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium impresentiarum in cellis, ecclesis, villis, silvis, pratis, agris cultis sive incultis, aquis aquarumque decursibus, juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus

1. Reg. : *attemptatum.*

suis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ad hec, predecessoris ejusdem vestigiis inherentes, adicimus ut ecclesiam Sancti Salvatoris de Castro Severiaco cum suis appenditiis, sicut a Ruthenensi episcopo cum clericorum suorum convenientia vobis concessa est, ecclesiam quoque de Urtigeriis in episcopatu Maurianensi, ecclesiam etiam de Cervaria que est in episcopatu Taurinensi, vestrum monasterium quiete semper libereque possideat. Preterea tuo tuorumque successorum regimini ecclesiam Sancti Nicetii que in episcopatu Gratianopolitano sita est, et ecclesiam Sancti Petri de Rivosicco in eodem episcopatu, capellam quoque Sancte Marie de Breaniaco cum omnibus appenditiis earundem committimus. Ex quibus, quia Romane Ecclesie jurisdictionis existunt, Lateranensi palatio per annos singulos tres solidos persolvatis, salva in omnibus episcoporum in quorum diocesibus ecclesie vestre consistunt canonica reverentia, siquidem catholici fuerint et gratiam atque communionem Apostolice Sedis habuerint. Vos igitur, filii, regularis oportet discipline institutionis sollicitius ac devotius insudare, ut quanto a secularibus estis tumultibus liberi, tanto studiosius placere Deo totis mentis et anime virtutibus aneletis, precipue studentes Romane Ecclesie decreta veneranda servare, cujus patrocinio ab omnium jugo viventium estis, annuente Domino, premuniti. Ad indicium autem percepte hujus a Romana Ecclesia libertatis, per annos singulos ex vestro monasterio vestratis monete quinque solidos Laterano palatio persolvatis. Sane, si quis in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes aut vicecomes, aut judex, aut persona quelibet magna vel parva, potens aut impotens, hujus nostri privilegii paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, a Christi et Ecclesie communione et corpore cum auctoritate potestatis apostolice segregamus, conservantibus autem pax a Deo et misericordia presentibus ac futuris seculis conservetur. Amen, amen, amen. Dat. Anagnie, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, nonis augusti, indictione II[a], Incarnationis Dominice anno MCCLVIIII, pontificatus vero donni *(sic)* Alexandri pape IIII, anno quinto. »

2923 Anagni, 28 avril 1259.

Compositionem inter priorem fratresque domus fratrum Praedicatorum juxta Montem Pessulanum, Magalonensis diocesis, et praepositum capitulumque Magalonensis ecclesiae ac priorem S. Firmini de Monte Pessulano super quibusdam articulis factam abrogat. (Reg. 25, f. 214 v°, an. V, c. 157 ; Potthast 17545.)

« .. *priori, et fratribus domus fratrum Predicatorum juxta Montempesulanum, Magalonensis diocesis.* Religionis favor sub —. Dat. Anagnie, IIII kal. maii, anno quinto. »

2924 Anagni, 15 juillet 1259.

Priori Romani Monasteri, Lausanensis diocesis, mandat ut Gerardo, subdiacono ipsius papae, nato quondam P., domini de Granzano, cujus receptio in ecclesia Metensi, tempore Innocentii IV facta, a constitutione inde lata cassata erat, de prebenda aliqua in eadem ecclesia provideat. (Reg. 25, f. 215, an. V, c. 158 ; Bernouilli, n° 678.)

« .. *priori Romani Monasterii, Lausanensis diocesis.* Petitio dilecti filii —. Dat. Anagnie, idibus julii, anno quinto. »

2925 Anagni, 9 août 1259.

Henrico de Wingeham, decano ecclesiae S. Martini Londoniensis, in Londoniensem episcopum electo, facultatem benefia ecclesiastica quae tempore hujus electionis obtinebat retinendi nonnullasque alias indulgentias concedit. (Reg. 25, f. 215, an. V, c. 159.)

« *Henrico de Wingeham, decano ecclesie Sancti Martini Londoniensis.* Grandis affectus etc. —. Sane, sicut tua petitio nobis exhibita continebat, vacante Londoniensi ecclesia, dilecti filii.. decanus et capitulum ejusdem ecclesie te in ipsius episcopum canonice et concorditer elegerunt. Nos itaque volentes ut, exigentibus tue devotionis meritis, tibi apostolicus favor accrescat, personatus, dignitates, prebendas et beneficia ecclesiastica que, cum animarum cura et sine cura, hujusmodi electionis tempore obtinebas, si jam est ipsa electio confirmata vel si eam confirmari et te Londoniensem episcopatum obtinere contigerit,

tibi usque ad quinquennium reservamus et nichilominus indulgemus ut ea cum omnibus juribus et pertinentiis suis interim, sicut prius, cum eodem episcopatu licite retinere possis ac in eisdem personatibus, dignitatibus, prebendis et beneficiis, per te vel per alium aut alios, jurisdictionem et potestatem debitam et solitam exercere, ac prebendas et beneficia, quorum collatio ad te ratione dignitatum ipsarum pertinet, cum ea vacare contigerit, conferre personis ydoneis et ad ecclesias in quibus, pretextu dignitatum et prebendarum quas obtines, jus patronatus habere dinosceris, prout ad te spectat, personas hujusmodi presentare, constitutione generalis concilii et qualibet alia canonica non obstante. Decernimus insuper personatus, dignitates, prebendas et beneficia hujusmodi que obtinebas electionis ejusdem tempore, infra idem quinquennium non vacare, et quod interim alicui conferri non possint, ac irritum et inane si secus de ipsis contra hujusmodi reservationis et concessionis nostre tenorem apostolica vel quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari, proviso quod in eisdem personatibus, dignitatibus, prebendis et beneficiis curam animarum habentibus per ydoneos facias interim vicarios deserviri. Nulli nostre reservationis, concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, V idus augusti, anno quinto. »

2925*bis* Anagni, 9 août 1259.

Archiepiscopo Cantuarensi et priori Sanctae Radegundis de eodem, ut ad praedictae concessionis executionem studium adhibeant. (Reg. 25, f. 215 v°, p. c. 159.)

« .. *archiepiscopo Cantaruensi* (sic) *et .. priori Sancte Radegundis, Premonstratonsis ordinis, Cantuariensis diocesis.* Grandis affectus quem —. Dat. ut in alia. »

2926 Anagni, 24 août 1259.

Guillelmo de Wittewellis, rectori ecclesiae de Brantone, Norwicensis diocesis, indulget ut, una cum beneficiis curam animarum habentibus quae obtinet, ecclesiam de Swenigtone, Norwicensis diocesis, similem curam habentem, quam commendatam habet, retinere possit. (Reg. 25, f. 215 v°, an. V, c. 160.)

« *Guillelmo de Wittewellis, rectori ecclesie de Brantone, Norwicensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Anagnie, VIII kal. septembris, anno quinto. »

2927 Anagni, 30 juillet 1259.

Magistro et fratribus ordinis de Sempinghani, indulget ut in ecclesiis et capellis eis annexis quas in usus proprios canonice obtinent, possint sicut hactenus facere per capellanos proprios deserviri, nec, ipsis invitis, in futurum vicariae taxari seu institui perpetui vicarii valeant, non obstante indulgentia Eboracensi episcopo vel cuicumque alii concessa. (Reg. 25, f. 215 v°, an. V, c. 161.)

« .. *magistro et fratribus ordinis de Sempingham.* Ex serie vestre —. Dat. Anagnie, III kal. augusti, anno quinto. »

2928 Anagni, 20 août 1259.

Guidonis, episcopi Urbinati, electionem confirmat. (Reg. 25, f. 215 v°, an. V, c. 162.)

« *Guidoni, episcopo Urbinato.* Ecclesiarum omnium curam —. Dat. Anagnie, XIII kal. septembris, anno quinto. »

2929 Anagni, 27 juillet 1259.

Episcopo Magalonensi mandat ut permittat Bertrandum de Altiniaco, archidiaconum Magalonensem, priorem ecclesiae B. Mariae de Verruna [1], ordinis S. Augustini, Magalonensis diocesis, retinere, secundum antiquam consuetudinem, praedictum archidiaconatum, cujus proventus summam sexaginta solidorum Turonensium non excedunt, et praedictam ecclesiam seu aliam ei oblatam. (Reg. 25, f. 216, an. V, c. 163.)

« .. *episcopo Magalonensi.* Dilectus filino Bertrandus —. Dat. Anagnie, VI kal. augusti, anno quinto. »

2930 Anagni, 23 août 1259.

Magistro Johanni de Sandwico, rectori ecclesiae de Berefreistone, Cantuariensis diocesis, indulget ut, praeter duo ecclesiastica beneficia cum animarum cura quae obtinet quorumque proventus summam duodecim marcarum Sterlingorum annis singulis vix excedunt, duo alia ecclesiastica beneficia cum simili cura recipere possit. (Reg. 25, f. 216, an. V, c. 164.)

« *Magistro Johanni de Sandwico, rectori ecclesie de Berefreistone, Cantuariensis diocesis, clerico dilecti filii Henrii, Londoniensis electi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, X kal. septembris, anno quinto. »

1. Dans le texte on trouve : *Verrina* ou *Vertina.*

2931 Anagni, 23 août 1259.

Magistro Johanni de Chyshelle, rectori ecclesiae de Brawetere, Cicestrensis diocesis, indulget ut, praeter ecclesiastica beneficia quae obtinet, aliqua intitulata et alia commendata, unicum aliud beneficium, etiam si sit personatus vel dignitas, recipere possit. (Reg. 25, f. 216, an. V, c. 165.)

« *Magistro Johanni de Chyshelle, rectori ecclesie de Brawetere, Cicestresis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, X kal. septembris, anno quinto. »

2932 Anagni, 14 août 1259.

Electo et officiali Londoniensibus mandat ut magistro Radulpho de Freningeham, clerico dicti electi, de aliquo beneficio competenti in civitate vel diocesi Londoniensi provideant. (Reg. 25, f. 216, an. V, c. 166.)

« .. *electo et.. officiali Londoniensibus.* Digne agere credimus —. Dat. Anagnie, XIX kal. septembris, anno quinto. »

2933 Anagni, 20 août 1259.

Andream, priorem monasterii « S. Swithini » Wintoniensis, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 216 v°, an. V, c. 167.)

« *Andree, priori monasterii Sancti Surthuni (sic) Wintoniensis, ordinis Sancti Benedicti, capellano nostro.* Oblata nobis ex —. Dat. Anagnie, XIII kal. septembris, anno quinto. »

2934 Anagni, 21 août 1259.

Venditionem ab Huguetto Simonetti caeterisque mercatoribus Florentinis monasterio S. Swithini Wintoniensis factam confirmat. (Reg. 25, f. 216 v°, an. V, c. 168.)

« *Huguetto Simonetti dicto Maza et Jamucio Brevimundi ac sociis eorumdem, civibus et mercatoribus Florentinis.* Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat quod.. prior et conventus monasterii Sancti Swithini Wintoniensis, ordinis Sancti Benedicti, pro mille et quadringentis et quatuordecim marchis bonorum et legalium Sterlingorum quas a vobis recepisse confessi sunt, vendiderunt vobis et societati vestre quadringentos saccos proprie lane sue, provenientis de propria pastura ipsorum, certis vobis loco et terminis seu modis et conditionibus exhibendis, se id servare sub obligatione bonorum suorum et certa pena voluntarie promittentes prout in litteris inde confectis et sigillis eorundem prioris et conventus munitis dicitur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, venditionem hujusmodi sicut sine usuraria pravitate et alias provide facta est, ratam habentes et gratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XII kal. septembris, anno quinto. »

2935 Anagni, 28 août 1259.

Johanni de Wingeham, rectori ecclesiae de Aldeham, indulget ut, praeter duo ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, quorumque proventus summam sexaginta marcarum Sterlingorum annis singulis non excedunt, duo alia beneficia etiam cum simili cura recipere possit. (Reg. 25, f. 216 v°, an. V, c. 169.)

« *Johanni de Wingeham, rectori ecclesie de Aldeham, Lincolniensis diocesis, nepoti dilecti Henrici, Londoniensis electi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, V kal. septembris, anno quinto. »

2936 Anagni, 28 août 1259.

Magistro Henrico de Wingeham, rectori ecclesiae de Domerham, indulget ut, praeter beneficia ecclesiastica quae obtinet quorumque proventus summam octoginta marcarum Sterlingorum annis singulis non excedunt, duo alia beneficia etiam cum simili cura recipere possit. (Reg. 25, f. 216 v°, an. V, c. 170.)

« *Magistro Henrico de Wingeham, rectori ecclesie de Domerham, Saresbiriensis diocesis, nepoti dilecti filii Henrici, Londoniensis electi.* Apostolice Sedis etc. usque in finem. »

2937 Anagni, 23 juillet 1259.

Haymoni de « Calthoto », rectori ecclesiae de Colekirke indulget ut de Colekirke et de Baketton ecclesias curam animarum habentes, Norwicensis diocesis, quarum unam intitulatam alteram commendatam habet, retinere possit. (Reg. 25, f. 216 v°, an. V, c. 171.)

« *Haymoni de Calthoto, rectori ecclesie de Colekirke, Norwicensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Anagnie, X kal. augusti, anno quinto. »

2938 Anagni, 11 août 1259.

Fratribus militibus Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani chlamyde nigra et, in bellis, superinsigniis militaribus utendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 217, an. V, c. 172.)

« .. *magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum ordinem vestrum omnipotens Deus in Ecclesia sua velut columpnam immobilem super obedientie basem erexerit ad fulcimentum necessarium Terre Sancte, cujus estis athlete incliti, robusti pugiles et propugnatores electi, et pro cujus defensione ad preliandum prelia Domini contra sui blasfemos nominis salvivice crucis vos armis insignibus accinxistis, cum etiam vos sitis populus Dei egregius, gens magnifica et strenua multitudo justorum, consilium et congregatio fortium Regis regum, in quorum revera manibus gladii sunt ancipites et ardentes lucerne ad faciendam vindictam in nationibus et scrutandam Domini civitatem, digne ipsum ordinem et vos tanquam Christi milites in quibus suscitavit Dominus in illis partibus fortium Machabeorum spiritum, et aliorum veterum earundem partium bellatorum congruis intendimus roborare favoribus et condignis gratiis adaugere illaque vobis concedere que ad incrementum vestre religionis dicteque Terre subsidium redundare noscuntur. Sane quia intelleximus quod inter fratres vestri ordinis milites et alios nulla distinctio per aliquam indumentorum diversitatem, sicut in plerisque aliis consimilibus sit religionibus, observatur, propter quod contingit quod multorum nobilium qui, mundi relictis illecebris, sub ejusdem vestre religionis habitu eligerent insistere predicte Terre presidio erga prefatum ordinem caritas refrigescit, nos cupientes ut idem ordo continuis, auctore Domino, amplificetur commodis, et votivis concrescat augmentis, presentium vobis auctoritate concedimus ut unanimiter statuere, ac deinceps inviolabiliter observare possitis apud fratres [quod] milites ejusdem ordinis clamidem nigram deferant, ut ab aliis ejusdem ordinis fratribus discernantur. In bellis autem sive in preliis utantur suppellis et aliis superinsigniis militaribus, que sint coloris rubri, et in quibus etiam crux [1] albi coloris sit in vestri vexilli modum assuta, ut in hujusmodi uniformitate signorum animorum idemptitas evidenter appareat, et ex hoc per consequens salus proveniat personarum. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, III idus augusti, anno quinto. »

1. Reg : *Crus.*

2939 Anagni, 19 mai 1259.

Praeposito ecclesiae B. Martini Iprensis et decanis Insulensis, Morinensis et Tornacensis diocesium, mandat ut magistrum Gervasium de Brugis, dictum de Thorout, clericum Tornacensis diocesis, in Herlebecensi ecclesia in canonicum recipiant eique de aliqua praebenda provideant ; vult autem Johannem de Anagnia, ipsius papae scriptorem, praefato magistro Gervasio in assecutione praebendae in ipsa ecclesia anteferri. (Reg. 25, f. 217, an. V, c. 173.)

« .. *preposito ecclesie Beati Martini Iprensis, et.. decanis Insulensis, Morinensis et Tornacensis diocesium.* Indignum est illos relinqui ecclesiastice provisionis expertes qui, dantes operam sapientie, illam studiosa sollicitudine comparantur. Cum itaque dilectus filius magister Gervasius de Brugis, dictus de Thorout, clericus Thornacensis diocesis, diu sicut asserit studio litterarum insistens, profecerit per Dei gratiam laudabiliter in eisdem, nullumque sit ecclesiasticum beneficium assecutus, nos attendentes laudabile testimonium quod ei de dono scientie ac honestis moribus perhibetur, et per hoc eum speciali Apostolice Sedis gratia prosequentes, mandamus quatinus ipsum vel procuratorem suum aut alium ejus nomine in Herlebecensi ecclesia, ejusdem diocesis, vos vel alter vestrum auctoritate nostra per vos vel alium aut alios recipi faciatis in canonicum et in fratrem, eique provideri sive provideatis de prebenda nulli alii de jure debita si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, non obstante quod idem in Anthoniensi ecclesia receptus existitit, de quo nullum est commodum, ut asserit, assecutus, sive statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apostolice aut alia firmitate vallato, seu si direximus in eadem ecclesia scripta nostra pro aliis quibus auctoritate presentium nolumus prejudicium generari, vel si.. preposito.. decano et capitulo ipsius ecclesie communiter vel divisim a Sede sit indultum eadem quod ad receptionem vel provisionem alicujus compelli, sive interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de beneficiis spectantibus ad collationem ipsius prepositi, ad quem collatio prebendarum in predicta ecclesia spectare dicitur nulli provideri

valeat per litteras apostolicas que plenam et expressam non fecerint de indulto hujusmodi mentionem, aut qualibet alia dicte Sedis indulgentia per quam effectus presentium impediri vel differri valeat et de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis, sive statuto quod iidem decanus et capitulum habere dicuntur ut non teneantur recipere aliquem beneficium obtinentem, contradictores etc. Nos enim decernimus irritum et inane si secus de prebenda hujusmodi a quoquam contigerit attemptari. Volumus tamen quod per hujusmodi litteras dilecto filio Johanni de Anagnia, scriptori nostro, pro quo in eadem ecclesia direximus scripta nostra, nullum prejudicium generetur, quem eidem magistro Gervasio in assecutione prebende in ipsa ecclesia omnino volumus anteferri. Dat. Anagnie, XIIII kal. junii, anno quinto. »

2940 Anagni, 3 septembre 1259.

Episcopo, decano et capitulo Engolismensibus mandat ut Ramnulphum de Insula, subdiaconem Xanctonensis diocesis, in canoniam recipiant eique de aliqua praebenda provideant. (Reg. 25, f. 217, an. V, c. 174.)

« .. *episcopo,.. decano et capitulo Engolismensibus.* Volentes dilecto filio —. Dat. Anagnie, III nonas septembris, anno quinto. »

2941 Anagni, 22 septembre 1259.

Magistro Radulpho, rectori ecclesiae de Locmaban, ad Roberti, Dumblanensis electi, germani sui, supplicationem indulget ut, praeter dictam ecclesiam de Locmaban, curam animarum habentem, unicum aliud beneficium cum simili cura in regno Scotiae recipere possit. (Reg. 25, f. 217, an. V, c. 175.)

« *Magistro Radulfo, rectori ecclesie de Locmaban, Glasguensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Anagnie, XI kal. septembris, anno quinto. »

2942 Anagni, 22 septembre 1259.

Magistro Riccardo Strivelini, canonico Dumblanensi, indulget ut praeter beneficium curam animarum habens, quod obtinet, unicum aliud beneficium cum simili cura retinere possit. (Reg. 25, f. 217, an. VI, c. 176.)

« *Magistro Riccardo Strivelini, canonico Dumblanensi.* Licet ne quis — etc usque in finem. »

2943 Anagni, 22 septembre 1259.

Roberto, electo Dumblanensi, providendi tribus clericis ad hoc idoneis, singulis eorum de singulis beneficiis ecclesiasticis, cum cura vel sine cura in civitate sua vel diocesi, et faciendi eos in canonicos recipi, si in collegiatis ecclesiis ipsis provideri contigerit necnon et contradictores compellendi, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 217 v° an. V, c. 177.)

« *Roberto, electo Dumblanensi.* Ut benivolentia qua —. Dat. ut in alia. »

2944 Anagni, 22 avril 1259.

Omnia a decano Insulensi qui ex mandato Tornacensi episcopo dato, magistrum Bartholomaeum de S. Vito procuratorem in ecclesia Tornacensi receperat eique praebendam a Scambio, Viterbiensi electo, in ecclesia praedicta relictam contulerat, confirmat. (Reg. 25, f. 217 v°, an. V, c. 178ª.)

« *Magistro Bartholomeo de [Sancto Vito, subdiacono,] consanguineo et scriptori [nostro], canonico ecclesie Sancti Petri [In]sulensis, Tornacensis diocesis.* Cum a nobis —. Dat. Anagnie, X kal. maii, anno quinto. »

2945 Anagni, 22 avril 1259.

Cum Bertrandus de Felono, receptus in ecclesia S. Petri Insulensis, praedictum magistrum Bartholomaeum de S. Vito, praetextu praebendae ei concessae inquietabat, mandat papa episcopo Tornacensi ut eumdem Bartholomaeum faciat ejusdem praebendae possessione gaudere, invocato, si opus fuerit, secularis brachii auxilio, et dictum Bertrandum aut aliquos alios, si super hoc se duxerint opponendos, ad comparendum infra duos menses citare procuret. (Reg. 25, f. 217 v°, an. V, d.c., c. 179 manu recentiori.)

« .. *episcopo Tornacensi.* Petitio dilecti filii —. Dat. Anagnie, X kal. maii, anno quinto. »

2946 Viterbe, 23 février 1258.

Magistro Wasconi, scriptori suo, pensionem sibi annis singulis persolvendam a praeposito et capitulo ecclesiae de Lanbriasco, Taurinensis diocesis, concessam confirmat. (Reg. 25, f. 218, an. V, c. 178ᵇ.)

« *Magistro Wasconi, scriptori nostro.* Ex tua fidei —. Dat. Viterbi [i], VII kal. martii, anno quarto. »

2947 Anagni, 13 février 1259.

Eidem magistro Willelmo Wasconi indulget ut in absentia praebendarum suarum proventus, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, percipere possit. (Reg. 25, f. 218, an. V, c. 179.)

« *Magistro Willelmo Wasconi, scriptori nostro.* Meritis tue devotionis —. Dat. Anagnie, idibus februarii, anno quinto. »

2948 Anagni, 30 septembre 1259.

Monasterio S. Mariae de Monte Mirteto, Velletrensis diocesis, propter diversos eventus in temporalibus diminuto, monasterium Graecorum S. Adriano, Rossanensis diocesis, in temporalibus et spiritualibus deformatum, cum terris et juribus donat. (Reg. 25, f. 218, an. V, c. 180.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Monte Mirteto, Florensis ordinis, Velletrensis diocesis.* Inter nostre sollicitudinis —. Cum igitur monasterium vestrum quadam ejus grangia spoliatum et propter diversos eventus non modicum in temporalibus diminutum, et monasterium Grecorum Sancti Adriani, Rossanensis diocesis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, sicut accepimus, propter malitiam degentium in eodem, in temporalibus ac spiritualibus etiam deformatum [1], nos providere de ipso vestri monasterii profectibus intendentes, monasterium ipsum Grecorum cum terris, possessionibus et aliis bonis et juribus suis, vobis et per vos monasterio vestro presentium auctoritate conferimus perpetuo et donamus, prout commoditatibus vestri monasterii expedire videritis disponendum, statuentes ut idem monasteriume Grecorum cum suis possessionibus, bonis et juribus perpetuis usibus vestris cedat. Volumus autem ut ecclesia ejusdem monasterii congruis non destituatur obsequiis in divinis. Nulli nostre collationis, donationis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, II kal. octobris, anno quinto. »

2949 Anagni, 30 septembre 1259.

Episcopo Stragulensi et abbati monasterii S. Mariae Nove, Florensis ordinis, Geruntinae diocesis, mandat ut praedictos abbatem et conventum in praedicti monasterii Graecorum et pertinentiarum ejus possessionem inducant. (Reg. 25, f. 218, an. V, d.c.)

1. Il semble manquer ici un mot tel que *fuissent*.

« .. *episcopo Stragulensi et.. abbati monasterii Sancte Marie Nove, Florensis ordinis, Geruntine diocesis.* Inter nostre sollicitudinis —. Dat. ut in alia. »

2950 Anagni, 22 septembre 1259.

Magistro Thomae de Perce, consideratione Roberti, Dumblanensis electi, indulget ut, praeter cantoriam Brechinensem curam animarum habentem, quam obtinet, unicum aliud beneficium cum simili cura in regno Scotiae recipere possit. (Reg. 25, f. 218, an. V, c. 181.)

« *Magistro Thome de Perce, cantori Brechinensi.* Licet ne quis —. Dat. Anagnie, XI kal. septembris, anno quinto. »

2951 Anagni, 13 août 1259.

Roberto, Dumblanensi electo, cum episcopalis mensa Dumblanensis ecclesiae tenuis sit, concedit ut ecclesiam de Kilmaling, Dumblanensis diocesis, in qua jus patronatus obtinet et quae decem marcarum valorem annis singulis vix excedit, cedente ipsius vel decedente rectore, ad manus suas quoad vixerit cum suis juribus et pertinentiis retinere possit. (Reg. 25, f. 218, an. V, c. 182.)

« *Roberto, Du[m]blanensi electo.* Obsequiosa devotio et —. Dat. Anagnie, idibus augusti, anno quinto. »

2952 Anagni, 13 août 1259.

Eidem indulget ut fructus omnium personatuum dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum usque ad triennium in sua civitate ac diocesi vacaturorum, primo anno quo ipsa vacare contigerit, percipere valeat in solutionem debitorum ecclesiae Dumblanensis convertendos. (Reg. 25, f. 218 v°, an. V, c. 183.)

« *Eidem.* Obsequiosa devotio qua —. Dat. Anagnie, idibus augusti, anno quinto. »

2953 Anagni, 26 septembre 1259.

Concessionem ecclesiae S. Mariae de Capitolio in Urbe, cum hortis et possessionibus, fratribus Minoribus ab Innocentio IV factam confirmat. (Reg. 25, f. 218 v°, an. V, c. 183 [1].)

« .. *ministro et fratribus Minoribus ecclesie Sancte Marie de Capitolio in Urbe.* Hiis que auctoritate —. Dat. Anagnie, VI kal. octobris, anno quinto. »

1. On voit que cet acte a le même *capitulum* que le précédent.

2954 Anagni, 4 octobre 1259.

Bartholomaeo, priori S. Johannis de Marsiano, Perusinae diocesis, archipresbyteratum ecclesiae Viterbiensis per promotionem episcopi Balneoregensis vacantem confert. (Reg. 25, f. 219, an. V, c. 184.)

« *Bartholomeo, priori ecclesie Sancti Johannis de Marsiano, Perusine diocesis.* Cum venerabili fratri —. Dat. Anagnie, IIII nonas octobris, anno quinto. »

2955 Anagni, 4 octobre 1259.

Archiespicopo Rothomagensi dispensandi cum Guillelmo de Anquetevilla, milite, et Philippa, uxore ejus ut in matrimonio contracto remanere possint, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 219, an. V, c. 185.)

« .. *archiepiscopo Rothomagensi.* Ex parte dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Anquetevilla, militis, tue diocesis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Philippe, uxoris ejus, fuit propositum coram nobis quod, cum quondam Jordanus de Villequeir, *(sic)* miles, primus maritus mulieris ejusdem, predicto Guillelmo de Anquetevilla tertio esset consanguinitatis gradu conjunctus, ipsi per verba de presenti inter se matrimonium contraxerunt, carnali postmodum inter eos copula subsecuta. Unde nobis humiliter supplicarunt ut, cum hujusmodi matrimonii diversio [1], si forte fieret, guerre aliaque pericula possent in illis partibus suscitari, dispensare cum eis, ut impedimento hujusmodi non obstante, possint in sic contracto matrimonio licite remanere, de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos igitur, ipsorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue dispensandi cum eis, si videris vel cognoveris guerras aliave suscitari pericula posse ex devortio *(sic)* eorundem, ut predicto impedimento nequaquam obstante, in sic contracto matrimonio remanere licite valeant, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Anagnie, IIII nonas octobris, anno quinto. »

2956 Anagni, 2 octobre 1259.

Jacobo, plebano plebis de Corzano, Senensis diocesis, capellano R. S. Angeli diaconi cardinalis, canonicatum ecclesiae S. Petri de Castroveteri Senensis confert. (Reg. 25, f. 219, an. V, c. 186.)

1. *Sic.*, il faut lire : *divortium.*

« *Jacobo, plebano plebis de Corzano, Senensis diocesis.* Inducunt nos tue —. Dat. Anagnie, VI nonas octobris, anno quinto. »

2957 Anagni, 2 octobre 1259.

Plebano plebis de Lornano, Senensis diocesis, mandat ut praedictum Jacobum in praefata ecclesia in canonicum recipi faciat. (Reg. 25, f. 219, an. V, d.c.)

« .. *plebano plebis de Lornano, Senensis diocesis.* Inducunt nos dilecti —. Dat. Anagnie, VI nonas octobris, anno quinto. »

2958 Anagni, 17 septembre 1259.

Sententiam a Riccardo, S. Angeli diacono cardinali, latam super compositione inter episcopum Pampilonensem et regem Navarrae interventa confirmat, hujus sententiae instrumenta inserens. (Reg. 25, f. 219-222 v°, an. V, c. 187.)

« *Capitulo Pampilonensi.* Justis petentium desideriis etc. usque complere. Sane dudum inter venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Pampilonensem, et Peregrinum ac Thomam, archidiaconos ecclesie vestre Pampilonensis, qui tunc pro vestris procuratoribus se gerebant, ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum.. illustrem regem Navarre, ex altera, super diversis articulis super quibus inter partes orta erat materia questionis, quedam compositio intervenit que in evidens detrimentum ipsius ecclesie redundabat ; cumque, postmodum, dictus episcopus compositionem ipsam peteret a Sede Apostolica confirmari et vosque *(sic)* illam ex diversis et legitimis causis infirmari penitus peteretis, nos tandem in hujusmodi negotio dilectum filium nostrum R. Sancti Angeli diaconum cardinalem, dedimus partibus auditorem qui, auditis hinc inde propositis ac in nostra fratrumque nostrorum presentia fideliter recitatis, et a nobis decidendi negotium ipsum potestate recepta, necnon predicto episcopo et legitimis procuratoribus vestris presentibus, de speciali mandato nostro sententiando decrevit non tenere compositionem eandem et quicquid ex ea vel ob ipsam secutum est nuntiavit penitus irritum et inane. Instrumentum vero quod super dicta compositione confectum prefatus episcopus presentavit, in judicio cancellavit, mandans nichilominus quod omnia instrumenta huic similia et

quecunque alia super premissis compositione vel ejus pretextu super quibuscumque in prejudicium ecclesie memorate confecta, vobis restituantur, omni occasione ac mora remotis. Decrevit quoque instrumenta hujusmodi ubicumque sint et quandocunque apparuerint, cassa et vacua sive nulla, partibus ad eum statum in quo ante compositionem predictam fuerant super hiis que continentur in ipsa reductis, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo ipsius cardinalis signato plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, hujusmodi sententiam et processum ipsius cardinalis ratos et firmos habentes, eos auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem instrumenti jamdicti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari qui talis est :

Anagni, 12 août 1259.

« In nomine Domini, amen. Cum olim coram « nobis Riccardo, Sancti Angeli diacono cardinali, « dato a domino papa auditore, procuratores « Pampilonensis episcopi peterent confirmari com- « positionem initam inter ipsum episcopum, domp- « nos Peregrinum et Thomam Mense et de Eginaro « archidiaconos, qui nomine capituli Pampilonensis « pro procuratoribus ipsius se gerebant, ex una « parte, et dominum Theobaldum, illustrem regem « Navarre, ex altera, E. Lupi, archidiaconus Vallis « Oselle, et Garsias Lupi de Lombierr[o], canonici « et procuratores capituli supradicti opposuerunt « se dictis procuratoribus, asserentes ipsam com- « positionem non esse confirmandam sed potius « infirmandam ; et cum super hoc aliquandiu esset « ab ipsis procuratoribus disceptatum dominus « papa mandavit predictum regem per episcopum « et decanum Trecenses ac episcopum Pampilo- « nensem per priorem et sacristam Roscide Vallis « peremptorie citari, ut certa die comparerent « coram ipso. Et quia, die predicta dictis procura- « toribus capituli in presentia ejusdem domini « pape comparentibus, nullus sufficiens procura- « tor secundum formam mandati, cum procurator « qui comparuit pro episcopo non haberet potesta- « tem componendi pro ipsis rege et episcopo com- « pareret, iterato dominus papa mandavit epis- « copo et sacriste Oscensibus quod super facto « compositionis procederent sub hac forma :

Viterbe, 9 septembre 1257.

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, « venerabili fratri.. episcopo et dilecto filio.. sacriste « Oscensibus, salutem et apostolicam benedictio- « nem. Significarunt nobis dilecti filii.. prior et « capitulum ecclesie Pampilonensis, ordinis Sancti « Augustini, quod cum inter venerabilem fratrem « nostrum.. episcopum Pampilonensem, et ipsos « ex parte una, ac carissimum in Christo filium « nostrum regem Navarre illustrem, ex altera, « super variis et diversis articulis apud Sedem « Apostolicam questio agitata fuisset, tandem, « inter episcopum et regem predictos amicabilis « compositio intervenit, quam, cum idem episco- « pus per procuratorem suum confirmari a Sede « postulasset eadem, dilecti filii O. Lupi, archidia- « conus Vallis Osselle, et G. Lupi de Lombiert, « canonici Pampilonensis ecclesie, et procuratores « predictorum prioris et capituli, coram dilecto « filio nostro R. Sancti Angeli diacono cardinali, « cui formam compositionis ipsius examinandam « commisimus, proponere curaverunt compositio- « nem ipsam confirmandam non esse, sed potius « tamquam prejudicialem et dampnosam ipsi ec- « clesie infirmandam. Verum, cum idem cardinalis « ea que fuere a partibus proposita coram ipso « nobis et fratribus nostris fideliter retulisset, « nos, compositionem ipsam non confirmantes « tunc nec etiam infirmantes, sed volentes super « hoc utiliter provideri, venerabili fratri nostro.. « episcopo et dilectis filiis.. decano Trecensibus, « ac priori et.. sacriste Roscide Vallis, Pampilo- « nensis diocesis, per diversas litteras nostras « mandavimus ut episcopum et regem eosdem ex « parte nostra peremptorie citare curarent, ut « infra certum terminum, per procuratores ido- « neos super hoc sufficienter instructos et habentes « nichilominus ad componendum speciale manda- « tum, apostolico se conspectui presentarent, qui, « cum legitime, prout constitit, citati fuissent, « episcopus quendam nuntium suum, non suffi- « cientem ad omnia juxta mandati nostri tenorem, « ad nostram presentiam destinavit, pro rege pre- « dicto Navarre nemine nullatenus comparente. « Cumque cardinalis ipse, per quem tenorem com- « positionis examinari mandaveramus ejusdem in- « vestigasset singula diligenter que coram eo « proposita extiterunt, nobis et fratribus nostris « relatione plenaria retulit universa. Cum igitur, « sicut dicti procuratores proponere curaverunt,

« idem episcopus quod aliqua de bonis ecclesie « sue non alienaret sine assensu metropolitani « sui, eidem metropolitano prestiterit juramentum, « et compositio ipsa non utilis sed dampnosa esse « Pampilonensi ecclesie ac juri contraria et facta « sine assensu capituli ipsius ecclesie dinoscatur, « nobis humiliter supplicarunt ut providere ipsi « ecclesie misericorditer curaremus. Quocirca man- « damus quatenus eosdem regem et episcopum ex « parte nostra monere ac efficaciter inducere per « vos vel per alium aut alios procuretis, ut compo- « sitionem ipsam infra duos menses post monitio- « nem vestram rescindentes ac eidem renuntiantes « omnino, omnia instrumenta super ipsa confecta « necnon redditus et proventus, quos occasione « compositionis hujusmodi perceperunt, Pampi- « lonensi ecclesie restituere, sublato cujuslibet « difficultatis obstaculo, non postponant. Quod si « monitis vestris acquiescere forte noluerint, vos « eos ad exhibendum vobis predicta instrumenta « auctoritate nostra, si necesse fuerit, appellatione « postposita, compellatis. Et si de plano ac sine « judicii strepitu vobis constiterit instrumenta vel « instrumentum super eadem compositione con- « fecta vel confectum a prefatis rege et episcopo « vel eorum altero vobis exhibita seu exhibitum, « illius tenoris existere quem continet transcrip- « tum compositionis ejusdem quod vobis sub bulla « nostra mittimus interclusum, et dictam compo- « sitionem factam esse sine consensu capituli « ecclesie memorate, vel quod episcopus ipse me- « tropolitano suo prefatum prestiterit juramen- « tum, et sine ipsius metropolitani assensu facta « extiterit compositio supradicta aut quod eidem « Pampilonensi ecclesie sit dampnosa, nos compo- « sitionem eandem et quicquid ex ea secutum est « vel ob ipsam, eadem auctoritate revocetis et « denuntietis penitus non tenere, compellentes « nichilominus eosdem regem et episcopum ad « faciendum restitutionem plenariam eorum que « ipsi, occasione compositionis ipsius, de bonis « ejusdem ecclesie medio tempore perceperunt, « ac prefatam ecclesiam in illum statum redu- « centes in quo erat tempore compositionis inite « inter regem et episcopum supradictos, contra- « dictores auctoritate simili, appellatione postpo- « sita, compescendo, non obstantibus contumacia « regis vel episcopi predictorum aut etiam utrius- « que, sive si eisdem communiter vel divisim a « Sede Apostolica sit indultum quod nullus excom- « municationis in personas eorum et in terram « dicti regis interdicti sententias valeat promul- « gare, seu quod idem rex et homines sui extra « regnum Navarre, et dictus episcopus ultra vel « extra certa loca trahi non possint in causam per « litteras Sedis ipsius non facientes plenam et « expressam de indulto hujusmodi mentionem, « seu quavis alia dicte Sedis indulgentia generali « vel speciali cujuscunque tenoris existat, per « quam effectus presentium differri possit vel « etiam impediri, seu juramento quoad observa- « tionem compositionis prefate se dicuntur dicti « rex et episcopus astrinxisse, et constitutione de « duabus dietis edita in concilio generali. Quod si « non alio etc. usque exequatur. Dat. Viterbii, « V idus septembris, pontificatus nostri anno « tertio. »

« Deinde cum venerabilis pater Pampilonensis « episcopus et memorati procuratores capituli « Pampilonensis denuo coram domino papa perso- « naliter comparerent et nobis examinatio ipsius « negotii commissa iterum extitisset, sepefati pro- « curatores proposuerunt et petierunt ipsam com- « positionem et quicquid ex ea vel ob ipsam secu- « tum est irritum et nullum pronuntiari, asserentes « quod erat facta contra jus utpote facta sine « consensu capituli, et quia decime et quedam « spiritualia comutata sunt pro temporalibus et « translata in personam laicam, in qua jus hujus- « modi minime cadere poterat vel debebat. Dice- « bant etiam quod erat nimis prejudicialis ecclesie « et dampnosa, ex eo quod dominium et jurisdictio « civitatis Pampilonensis cum coloniis, leztis, cen- « sibus et ceteris ad ipsum dominium spectantibus, « excepto pedatico, ad episcopum pariter et capi- « tulum dinoscitur pertinere, una cum omnibus « possessionibus, domibus, censibus domorum, vi- « neis, campis, ortis, pratis, molendinis et omnibus « immobilibus que Pampilonensis ecclesia habet « vel habuit vel in posterum habebit quocunque « titulo Pampilone et terminis ac territoriis ipsius, « sicut hactenus consuetum est, proportionaliter « inter ipsos, quorum omnium medietatem dictus « episcopus regi contulit secundum forman com- « positionis predicte, sicut hec omnia et plura alia « in predicto instrumento compositionis contine- « tur. Verum cum predicti procuratores instru- « menti predicti copiam sibi fieri cum instantia « postularent, memoratus episcopus asseruit ex « adverso copiam hujusmodi fieri non debere,

« adiciens quod dicta compositio erat utilis ecclesie, « ut credebat, si, ut facta fuerat, servaretur, et « super hoc idem episcopus oportune et importune « institit apud dominum papam et fratres, diu et « multipliciter laborando. Cumque hec et multa « alia partes proponerent coram nobis, tandem de « mandato domini pape speciali, dictus episcopus, « compulsus in judicio, exhibuit instrumentum « compositionis quatuor sigillis, regis videlicet, « episcopi et dictorum duorum archidiaconorum « sigillatum, cujus tenor talis est :

Estella, 6 décembre 1255.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, « amen. Nos Theobaldus, Dei gratia rex Navarre, « Campanie et Brie comes palatinus, notum faci- « mus tam presentibus quam futuris quod, cum « super multis et variis articulis inter clare memo- « rie Theobaldum, Dei gratia quondam regem « Navarre illustrem, Campanie et Brie comitem « palatinum, genitorem nostrum, ex una parte, « et venerabilem patrem Petrum, eadem gratia « Pampilonensem episcopum, pro se et ecclesia « Pampilonensi, ex altera, questiones varie et « contentiones exorte fuissent, propter quod damp- « na gravia et pericula in spiritualibus et tempora- « libus acciderunt, tandem nos et dictus Pampilo- « nensis episcopus, attendentes quod ex regali et « sacerdotali concordia subditorum vita bene regi- « tur et tranquille disponitur, ad honorem Dei et « gloriosissime Genetricis ejus omniumque Sanc- « torum ad perpetuam et nostram regni nostri, « dicti episcopi necnon ecclesie Pampilonensis et « subditorum nostrorum et ipsorum pacem et « tranquillitatem, ut [1] nos et successores nostri « qui pro tempore fuerint, benigne et favorabiliter « Pampilonensem ecclesiam protegamus et defen- « damus et Pampilonensis ecclesia in nostra et « successorum nostrorum devotione semper per- « maneat, ad hanc concordiam et compositionem « devenimus ut in electione presentandorum ad « rectorias ecclesiarum, nec violentia nec comina- « tio fiat parrochianis, quin libere secundum Deum « sua electione utantur, et quod, rectore instituto « canonice per episcopum, alius non ponatur in « ecclesia nisi rector ille mortuus fuerit vel cano- « nice amotus et quod aliter instituti amoveantur. « Item quod, mortuo rectore ecclesie vel canonice « amoto, custodia ecclesie sit episcopi donec alius « canonice subrogetur. Item quod violentia a « clerico facta clerico in persona sua per episcopum « corrigatur. Item quod heredes compellantur « per judicem ecclesiasticum satisfacere ultime « voluntati et ordinationi defuncti legitime facte ; « quod si dubitetur si ultima voluntas legitima « fuerit vel non, de hoc etiam in foro ecclesiastico « cognoscatur. Item quod, ubi aliquis habet que- « relam de injuria vel re mobili contra ecclesiam « vel monasterium seu personam ecclesiasticam, « coram judice ecclesiastico questio ventiletur. « Item, etiam si querelam habeat de re immobili, « dummodo non sit contra forum terre et quod « predictis possessoribus hujusmodi paratis stare « juri coram judice ecclesiastico nulla violentia « inferatur, et quod non sustineamus eis violen- « tiam inferri per aliquos de dominio nostro. « Item quod clericus vel persona ecclesiastica, « licet maleficium committat, per secularem judi- « cem non dampnetur, sed per judicem ecclesias- « ticum ad quem spectat fiat de eo quod fuerit « faciendum ; si per judicem secularem captus « fuerit, judici ecclesiastico ad quem spectat sine « mora [et] difficultate reddatur. Item quod pri- « mitie sint ecclesie et quod de ipsis fient fabrice, « libri, calices et hujusmodi necessaria ecclesia- « rum, et quod recipiantur et in usus ecclesie con- « vertantur per illos qui predicta facere consueve- « runt et quod circa hec nullum prestemus impe- « dimentum. Item quod rectores in ecclesiis par- « rochialibus canonice instituantur, sive a nobis « sive a quocunque alio ecclesie detineantur. « Item quod villa de Arimayn, vel illud quod rex « Sanctius, quondam recepit pro [1] Ariamayn, ec- « clesie Pampilonensi per nos restituatur. Item « quod Judei de possessionibus quas habent extra « territorium Pampilonense dent decimas ecclesiis « parrochialibus infra metas quarum site sunt « possessiones predicte. Item quod nos in personas « ecclesiasticas nullas faciamus exactiones. Item « quod episcopus et conventus ecclesie Pampilo- « nensis de rebus suis propriis, vel ad victum aut « usum suum emptis, non solvant pedagium in « dominio nostro, et si pedagiarius noster dubitet « utrum res sint episcopi vel conventus proprie « seu ad victum vel usum suum comparate, reti- « neat gagium pro pedagio, ita quod quamcito per

1. Reg. : *in*.

1. Reg. : *quod*.

« episcopum vel conventum seu per litteras eorum « idem certificatus fuerit de premissis, dictum « gagium libere restituat absque mora. Item quod « episcopus et ecclesia Pampilonenses et homines « ipsorum pascuis et nemoribus utantur eo modo « quo uti consueverunt. Item quod pars ville de « Aoris restituatur priori et ecclesie Pampilonen- « sibus secundum quod in litteris carissimi genitoris « nostri, quondam regis Navarre, continetur. Item « quod homines ad ecclesias confugientes per nos « vel nostros non extrahantur, nisi in casibus a « jure concessis, nec sustineamus quod per aliquos « de dominio nostro extrahantur. Item quod « homines episcopi et ecclesie Pampilonensium qui « sunt extra territorium sive terminos Pampilo- « nenses non compellantur ire ad exercitum nos- « trum, nisi ire consueverint. Item quod castra « de Oro et Sancti Stephani de Monte Jordini « reddantur episcopo Pampilonensi cum villis, « honoribus et pertinentiis ipsius castri Sancti « Stephani, ita quod idem episcopus ad parvam « vim et magnam teneatur predicta tradere nobis « vel certo mandato nostro, nos vero non petamus « ea, nisi habeamus necessitatem evidentem, neces- « sitate vero finita, teneamur ea restituere dicto « episcopo in eo statu in quo ipsa receperimus « cum omnibus que ibidem invenimus vel valore « eorum sine aliqua difficultate, et si, quod absit, « nobis tenentibus, dicta castra amitterentur, « teneamur ad recompensationem plenariam ipsi « episcopo faciendam. Item quod omnia quecunque « nos episcopus et ecclesia Pampilonenses habemus « et possidemus seu habere debemus vel habebi- « mus seu possidebimus aut habere debebimus in « villa Pampilonensi et in territoriis vel terminis « ipsius sint communia inter nos et ipsos episco- « pum et ecclesiam Pampilonenses, ita quod nos « soli habeamus medietatem, et dicti episcopus « et ecclesia Pampilonenses aliam medietatem, « sive sint vinee, prata, molendina, pedaticum « Judei, decime et justitia ville ac petitio generalis « facta a nobis et dictis episcopo vel ecclesia super « communitatem ville Pampilonensis, et omnia « alia quocunque modo pertinentia ad nos et pre- « dictos episcopum et ecclesiam Pampilonenses, « exceptis justitia ecclesiastica in personis cleri- « corum et institutione vicariorum, que debent « penes episcopum remanere. Emolumentum vero « et temporale, si quod inde evenerit, inter nos « episcopum et ecclesiam comuniter dividetur, « ita quod nos soli habebimus medietatem, et ex- « ceptis domibus nostris et domibus ipsorum « propriis et domibus canonicorum, personarum « et capituli ecclesie Pampilonensis cum curialibus « et viridariis nostris et ipsorum, ita quod, tam « nos quam episcopus et canonici Pampilonenses, « possimus domos nostras et porprisias quas nos « et ipsi habemus aut habebimus, amplificare vel « excrescere titulo emptionis seu alio modo legi- « timo prout nobis viderimus expedire ; ita tamen « quod si, infra illam amplificationem vel excres- « centiam, aliquod fecerimus vel hedificaverimus « *(sic)* de quo redditus aliqui percipientur, quod « illi redditus sint communes inter nos, episcopum « et ecclesiam Pampilonenses supradictos, ita quod « de hiis habeamus soli medietatem. Item, excepto « quod episcopus in vico communi unde transeunt « peregrini circa Sanctam Ceciliam vel alibi ubi « episcopus voluerit, exceptis domibus nostris et « amplificatione seu excrescentia quam volumus « facere circa domos nostras quas debemus habere « ab episcopo prope Sanctum Petrum, poterit « habere in duplum quam sit spatium cellarii epis- « copi domorum ante ecclesiam Sancti Petri et « loci contigui ubi stant cupi, in recto cellarii ad « faciendum cellarium et domos supra cellarium. « Et si in eodem spatio ultra cellarium aliquid « factum fuerit, liceat episcopo, si voluerit, ad suos « usus proprios retinere, vel pro negotiis suis « agendis ibidem servientem proprium seu homi- « nem deputare, et quicquid emolumenti inde « evenerit solius episcopi erit. Quod si non fecerit « episcopus, sed edificium predictum supra cella- « rium constructum alii locaverit, merces inter nos « et ecclesiam Pampilonensem communis erit, « ita quod nos soli medietatem habeamus. Et nos « similiter in strata publica, unde transeunt pere- « grini vel alibi ubi voluerimus, exceptis domibus « episcopi et canonicorum, poterimus habere tan- « tundem spatii. Et [si] in spatio quod habebimus « aliquid ultra cellarium factum fuerit, liceat nobis, « si voluerimus, ad usus proprios retinere vel pro « negotiis nostris agendis ibidem servientem pro- « prium seu hominem deputare, et quicquid inde « emolumenti evenerit, nostri solius erit. Quod si « non fecerimus, sed edificium supra cellarium « constructum alii locaverimus, merces inter nos « et ecclesiam Pampilonensem communis erit, ita « quod nos soli medietatem habebimus. Item « exceptis exercitu et cavalgata que debemus

« habere soli et habebimus in villa Pampilonensi ; « si tamen aliqui de villa propter defectum, quia « non iverunt ad exercitum nostrum vel cavalca- « tam, in calumpniam vel emendam inciderint, « emenda manualis fiat nobis vel mandato nostro, « et illud quod dandum fuerit pro emenda reci- « piant bajuli nostri et episcopi ac ecclesie simul « et dividatur inter nos et ipsos, ita quod nos soli « habeamus medietatem. Excepto etiam quod si « nos petitionem faciamus pro filia vel filiabus « nostris maritandis, vel pro eundo ad partes « transmarinas, vel si guerram habeamus cum « aliquo rege, in istis tribus casibus quicquid dabi- « tur nostrum erit, nec episcopus vel ecclesia « Pampilonenses istud poterunt impedire. Item « cum nos cuderimus novam monetam, reprobata « veteri, habeamus mensam numulariorum qua- « draginta diebus soli per nos, in quibus quadragin- « ta diebus nullus alius debeat cambire de moneta « nova nec de reprobata, nisi in mensa nostra. « De aliis vero monetis, tam in mensa nostra quam « in aliis mensis, possint cambire libere campsores. « Item, in oblationibus que fiunt vel fient in eccle- « siis, non habebimus aliquam portionem, nec in « anniversariis vel in hiis que, quando aliquis « moritur, dantur ad hoc quod canonici exeant ad « fossas et celebrent missas pro defuncto, nec in « rebus mobilibus que pro luminari aut fabrica « ecclesie dabuntur. Si autem rerum mobilium nobis « vel episcopo aut ecclesie Pampilonensi donatio « facta fuerit, solius erit cui donatio facta erit. « Si vero alicui nostrum, videlicet nobis vel episco- « po aut ecclesie Pampilonensi res immobiles con- « ferantur, inter nos et episcopum et ecclesiam « Pampilonenses communes erunt, ita quod nos « soli habebimus medietatem. Si vero nos credi- « mus quod illi de villa Pampilonensi vel eorum « aliquis vel aliqui, temporibus retroactis, delique- « rint contra nos vel nobis aliquas injurias intule- « rint, soli emendas habebimus et eas poterimus « procurare et levare pro voluntate nostra libere, « nec episcopus nec ecclesia Pampilonensis pote- « runt contradicere vel in aliquo reclamare. Cum- « que peteremus ab episcopo supradicto domos « quas ipse tenebat apud Pampilonem, sitas prope « ecclesiam Sancti Petri, quas inclite recordationis « rex Sancius, proavus noster, edificavit, et eas- « dem ad nos pertinere, et in eis nos jus habere « diceremus, ordinatum fuit de consensu partium « et communiter concordatum quod domus predicte « nobis restituantur, et penes nos et heredes « nostros reges Navarre in perpetuum remaneant « cum tota porpresia et omnibus pertinentiis ea- « rundem. Domus vero quas tenebamus in pignore « prope ecclesiam Beate Marie Pampilonensis que « vocantur Jhesu Christi, que sunt episcopi Pam- « pilonensis proprie, reddantur libere episcopo, « et predicto episcopo et ejus successoribus in « perpetuum remaneant cum porprisia sua et « omnibus pertinentiis earundem. Et ut predicta « omnia et singula firma et illibata et inconcussa « stabilitate roborata in perpetuum debeant re- « manere, nos et episcopus predictus de consensu « Peregrini et Thomasii, archidiaconorum Pampi- « lonensium, procuratorum capituli ecclesie Pam- « pilonensis constitutorum specialiter ad composi- « tionem faciendam, ea pro nobis et successoribus « nostris, volentes successores nostros, sicut un- « quam firmius possunt, ad observationem pre- « missorum in perpetuum obligare, firmamus in « formis inferius annotatis :

« Nos Theobaldus, Dei gratia rex Navarre pre- « dictus, pro remedio anime nostre et antecesso- « rum nostrorum, et specialiter patris nostri, « intendentes in hoc facere helemosinam episcopo « et ecclesie Pampilonensibus pro hiis que ab ipsis « accipimus ex hac compositione, juramus supra « sacrosancta Dei evangelia quod dabimus opem « et operam diligentem ut ea que super castris « et super communione sive societate predicta in « Pampilona et terminis ejus superius continen- « tur, in omnibus et per omnia fideliter in perpe- « tuum observentur, et heredem nostrum, qui « regnaturus erit, si quem nobis Dominus dederit, « cum ad annos pubertatis pervenerit, bona fide « inducemus et eidem expresse precipiemus, et « procurabimus bona fide quod prestet simile jura- « mentun. Et nisi predicta, quantum ad castra « et quantum ad comunitatem sive societatem « predictam fecerimus, ab episcopo predicto vel « ex parte ipsius requisiti, ita quod de hoc constet « existentes in regno nostro Navarre infra annum « postquam fuerimus requisiti, existentes vero « extra regnum predictum, infra biennium, emo- « lumentum omne quod habemus et habere debe- « mus in dicta societate, a tempore requisitionis « usque quo servemus, predicta habeant episcopus « et ecclesia Pampilonenses et remaneat penes « ipsos sine aliqua contradictione et impedimento, « et quod non teneamur eis ad restitutionem damp-

« norum et expensarum legitime probatorum. « Promittimus etiam bona fide, sine juramento « tamen, quod omnia alia que in dicta composi- « tione continentur servabimus et faciemus ser- « vare, et merinos et bajulos et ricos homines « nostros sive barones, presentes et futuros, quan- « do ipsis honores nostros dabimus, faciemus « jurare quod in locis sibi deputatis servent ea « bona fide et facient observare. Et volumus quod « quilibet successorum nostrorum omnino simi- « liter obligetur, et infra annum postquam ad re- « gimen regni pervenerit, ea que in dicta compo- « sitione continentur et instrumenta super ista « compositione confecta cum episcopo et ecclesia « Pampilonensibus, debeat innovare. Promittimus « similiter bona fide quod mittemus nuntium « nostrum ad dominum papam cum nuntio epis- « copi et capituli ecclesie Pampilonensis predic- « torum, qui supplicent ei quod confirmet compo- « sitionem predictam quantum ad associationem « sive comunionem predictam ville Pampilonensis « et terminorum et quantum ad ea que de castris « de Oro et Sancti Stephani de Monte Jordani, et « quantum ad ea que de domibus sitis prope eccle- « siam Sancti Petri Pampilonensis quas hedificavit « *(sic)* rex Sanctius quas tenebat Pampilonensis « episcopus, que nobis in perpetuum remanent, et « de domibus sitis prope ecclesiam Beate Marie « Pampilonensis que vocatur Jhesu Christi quas « rex tenebat, que episcopo Pampilonensi in per- « petuum remanent, superius sunt expressa. Et si « nuntii predicti, casu aliquo accidente, impedi- « rentur antequam dominus papa confirmaret « vel recusaret, tenemur iterum alium nuntium « mittere donec papa confirmasset vel penitus « recusasset et quod ferat excommunicationis « sententiam in nos et successores nostros vel « interdicti in regnum nostrum prout sibi videbitur « expedire, si nos vel aliquis successorum nostro- « rum, ut dictum est, non servaremus predicta « quantum ad tres articulos proximo prenotatos, « et quod interdictum vel excommunicatio non « debeat relexari usque ad satisfactionem predictis « episcopo et ecclesie Pampilonensibus plene fac- « tam ; et volumus et donamus episcopo et ecclesie « Pampilonensibus antedictis, ad habundantem « securitatem ipsorum et firmitatem premissorum, « quod dominus papa et successores ipsius, qui « pro tempore fuerint, in perpetuum hanc habeant « potestatem, lapsu temporis quantuscunque fue- « rit non obstante, et propter hoc specialiter « volumus et rogamus quod episcopus et ecclesia « Pampilonenses predicti in sua ecclesia habeant « sacerdotem ad hoc specialiter deputatum, qui « pro remedio animarum antecessorum nostrorum, « et specialiter patris nostri, et pro salute nostra « et successorum nostrorum quandiu in hoc mundo « fuerint, et post defunctionem vero pro animabus « eorum semper debeat celebrare, cujus provisio « usque ad duodecim libras Sanchetorum ante « divisionem redditnum, obventionum sive pro- « ventuum predictorum inter nos et episcopum « ac ecclesiam faciendam, annis singulis prededu- « catur de societate predicta. Ad majorem « autem certitudinem et confirmationem ac per- « petuam memoriam predicte compositionis, ean- « dem compositionem sigilli nostri munimine robo- « ramus. Acta sunt hec Stelle in castro ipsius « ville, octavo idus decembris, videlicet in festo Beati « Nicolai, anno Domini MCC quinquagesimo quinto.»

8 décembre 1255.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, « amen. Nos Petrus, Dei gratia Pampilonensis « episcopus, notum facimus tam presentibus quam « futuris quod, cum super multis et variis articulis « inter clare memorie Theobaldum eadem gratia « quondam regem Navarre illustrem, Campanie « et Brie comitem palatinum, ex una parte, et nos, « episcopum Pampilonensem pro nobis et ecclesia « Pampilonensi ex altera, questiones varie et « contentiones exorte fuissent, propter quod « dampna gravia et pericula[1] ——————.

« Item excepto quod rex in vico communi unde « transeunt peregrini vel alibi ubi rex voluerit, « exceptis domibus nostris et amplificatione seu « exrescentia quam voluerimus facere circa domos « nostras que vocantur Jhesu Christi, quas rex « tenebat in pignore, exceptis etiam domibus « canonicorum, poterit habere in duplum quam « sit spatium cellarii ——————————.

« Et nos similiter in strata publica unde tran- « seunt peregrini circa Sanctam Ceciliam vel alibi « ubi voluerimus, exceptis domibus regis et ampli- « ficatione seu exrescentia quam voluerit facere « circa domos suas quas debet habere a nobis « prope sanctum Petrum et exceptis domibus cano- » nicorum poterimus habere tantundem spatii, et

1. Les passages supprimés ici se retrouvent plus haut, *mutatis mutandis*, dans la lettre du roi de Navarre.

« si in spatio etc. sicut in littera precedenti mutatis « mutandis, usque : firmamus in formis inferius « annotatis.

« Nos Petrus episcopus Pampilonensis supradic- « tus, pro bono pacis et tranquillitate nostra et « successorum nostrorum et ecclesie Pampilonen- « sis, et pro hiis que ex ista compositione accipimus, « juramus supra sacrosancta Dei evangelia quod « nos dabimus opem et operam diligentem ut ea « que super castris et super comunione sive socie- « tate predicta in Pampilona et terminis ejus « superius continetur, in omnibus et per omnia « fideliter in perpetuum observentur, et successores « nostros obligatos esse volumus ad hoc quod ipsi « prestent simile juramentum. Et nisi predicta, « quantum ad castra et quantum ad comunita- « tem sive societatem predictam, fecerimus ab ipso « rege vel ex parte ipsius requisiti, ita quod de hoc « constet existentes in episcopatu nostro, infra « annum postquam fuerimus requisiti, existentes « vero extra episcopatum nostrum infra biennium, « emolumentum omne quod habemus et habere « debemus in dicta societate a tempore requisi- « tionis usque quo servemus predicta, habeat rex « predictus et remaneat penes ipsius sine aliqua « contradictione et impedimento, et quod tenea- « mur ei ad restaurationem dampnorum et expen- « sarum legitime probatorum. Et volumus quod « quilibet successorum nostrorum omnino similiter « obligetur, et infra annum postquam ad regimen « episcopatus Pampilonensis pervenerit ea que in « dicta compositione continentur, et instrumenta « super ista compositione confecta cum rege qui « pro tempore fuerit debeat innovare. Promitti- « mus similiter bona fide quod mittemus nuncium « nostrum ——————————.

« Ad majorem autem certitudinem et confir- « mationem ac perpetuam memoriam predicte « compositionis eandem compositionem sigilli « nostri munimine roboramus. Et nos predicti « Peregrinus et Thomasius, archidiaconi, procura- « tores capituli ecclesie Pampilonensis, juramus « pro nobis et capitulo Pampilonensi cujus sumus « procuratores, quod observabimus predicta, et « procurabimus bona fide quod per nos et succes- « sores nostros ac capitulum Pampilonenses in « perpetuum observentur, et Pampilonensem eccle- « siam procuratorio nomine ad hoc in perpetuum « obligamus. In cujus rei testimonium et munimen « huic instrumento compositionis sigilla nostra « duximus apponenda. Acta sunt hec Stelle, un « castro ipsius ville, VIII idus decembris, videlicet « in festo Beati Nicolai, anno Domini MCCLV.

« Et ego Lupus Sanctii Sangossensis, rector « ecclesie de Adoayn, auctoritate et mandato « reverendi patris domini P. Dei gratia episcopi « et domini Pampilonensis, publicus notarius jura- « tus, predictis interfui et presentem litteram de « mandato predictorum dominorum regis et epis- « copi ac archidiaconorum, procuratorum capituli « ecclesie Pampilonensis, et propria manu scripsi « signumque meum apposui assuetum ; et, facta « collatione, cum transumpto quod dominus papa « misit sub bulla intercluso predictis episcopo et « sacriste Oscensis, inventum est ejusdem tenoris « existere cum eodem. »

« Unde nos, auditis et intellectis omnibus que « partes coram nobis proponere curaverunt domi- « no pape, presentibus fratribus plene retulimus « universa. Demum dominus papa, habito tractatu « cum ipsis fratribus, invenit ipsam compositio- « nem juri contrariam et dampnosam ac prejudi- « cialem Ecclesie. Quare non obstante juris subti- « litate, ubi maximum prejudicium est Ecclesie « et grave periculum animarum, mandavit nobis « ut ipsum negotium compositionis decidere cura- « remus. Nos vero de mandato ipsius domini pape « speciali, sententiando decernimus in scriptis « eandem compositionem non tenere, et quicquid « ex ea vel ob eam secutum est irritum nuntiamus « penitus et inane, predictum instrumentum ab « eodem episcopo exhibitum cancellamus. Manda- « mus etiam quod omnia instrumenta huic similia « vel alia quecunque sunt confecta inter partes « super ipsa compositione vel occasione ipsius « super quibuscunque in prejudicium ecclesie Pam- « pilonensis dicto capitulo restituantur, omni oc- « casione postposita sine mora, ipsa cassa et vacua « sive nulla nichilominus decernentes ubicunque « sint vel apparuerint quandocunque, et reducimus « partes super hiis que in compositionem sunt « deducta ad eum statum in quo erant ante compo- « sitionem sepefatam. In hujusmodi autem testi- « monium et evidentiam pleniorem presens instru- « mentum scribi fecimus et publicari per Bonam- « spem, notarium infrascriptum et nostri sigilli « mun[i]mine roborari.

« Lecta et pronuntiata fuit hec sententia per « dictum dominum cardinalem Anagnie, in ca- « mera ipsius domini cardinalis, anno Domini

« MCCLVIIII, indictione secunda, pontificatus « domini Alexandri pape IIII anno quinto, mensis « augausti die duodecimo : presentibus fratre Petro, « abbate Sancti Salvatoris Legerensis, ordinis « Cisterciensis, Pampilonensis diocesis, fratre Arnal- « do, monacho ejusdem monasterii, sacrista et « priore capellanorum Terraconensium, domino « Andrea Spiliati, domini pape subdiacono et « cappellano, magistro Sanctio Sanctii, magistro « Petro Sabeterii, magistro Jacobo, canonico Cas- « sellensi, magistro Petro, scriniario, testibus ad « hec rogatis, et presentibus domino episcopo et « procuratoribus capituli Pampilonensis. Et ego « Bonaspes Guiducci de Perusio, Apostolice Sedis « auctoritate notarius, lectioni et pronuntiationi « hujus sententie facte per dictum cardinalem « interfui et ut supra legitur de mandato ipsius « domini cardinalis, scripsi et rogatus in publicam « formam redegi. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XV kal. octobris, anno quinto. »

2959 Anagni, 15 octobre 1259.

Archiepiscopo Tholetano mandat ut sententiam praedictam observari faciat. (Reg. 25, f. 222 v°, an. V, d.c.)

« .. *archiepiscopo Tholetano.* Inter venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Pampilonensem, et Peregrinum ac Thomam, archidiaconos ecclesie Pampilonensis, qui tunc pro procuratoribus se gerebant, ex parte una etc. ut in alia verbis competenter mutatis usque : duximus confirmandos. Quocirca mandamus quatinus sententiam et processum eosdem per te vel per alium auctoritate nostra facias firmiter observari, contradictores, distinctione qua convenit, appellatione postposita, compescendo, non obstante si eisdem regi et episcopo communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod nullus in personas eorum suspensionis et excommunicationis ac ejusdem regis terram interdicti sententias valeat promulgare, sive aliqua indulgentia Sedis ejusdem cujuscunque tenoris existat per quam executio mandati nostri super hiis impediri valeat vel differri, et de qua in litteris nostris plenam et expressam oporteat fieri mentionem, seu constitutione de duabus dictis edita in concilio generali. Dat. ut in alia. »

2960 Anagni, 15 octobre 1259.

Patriarchae Jerosolimitano et archidiacono Acconensi mandat ut excommunicationis sententiam in episcopum Nicosiensem ratione cujusdam decimae latam non tenere denuntient, litterarum Stephani, Penestrini episcopi, super hoc factarum tenorem inserens. (Reg. 25, f. 222 v°, an. V, c. 188.)

« .. *patriarche Jerosolimitano, Apostolice Sedis legato et.. archidiacono Acconensi.* Ex parte venerabilis fratris nostri.. archiepiscopi Nicosiensis, fuit propositum coram nobis quod, cum dudum felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis ac aliis prelatis et rectoribus ecclesiarum regni Cipri dedisset per litteras apostolicas in mandatis ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum suorum venerabili fratri nostro.. patriarche Antiocheno pro munitione castri Cursarii, per triennium exhiberent, venerabili fratre nostro Cesariensi et supradicto Nicosiensi archiepiscopis super hoc executoribus deputatis, tandem venerabilis frater noster archiepiscopus Mamistranus cui dictus Cesariensis archiepiscopus prout ex litterarum ipsarum beneficio poterat, commisit super hoc totaliter vices suas, asserens eundem Nicosiensem archiepiscopum nolle solvere decimam supradictam, in eum qui dicto Mamistrano vel alicui alii vices suas nunquam commiserat in hac parte, de facto cum de jure non posset, excommunicationis sententiam promulgavit. Postmodum vero, cum idem patriarcha nostras ad thesaurarium Berritensem, super hoc quod dictus Nicosiensis nuntiaretur excommunicatus publice, niteretur litteras impetrare, porcurator ipsius Nicosiensis eisdem litteris in audientia publica contradicens, obtinuit a nobis venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Penestrinum in hujusmodi negotio deputari partibus auditorem, qui, auditis hinc inde propositis, de mandato nostro et fratrum nostrorum concilio, declaravit supradictam excommunicationis sententiam non tenere de jure, dictumque Nicosiensem ea non fuisse ligatum, prout in patentibus litteris ipsius auditoris confectis exinde ac suo sigillo signatis plenius continetur. Nos itaque, ipsius archiepiscopi Nicosiensis precibus inclinati, mandamus quatinus vos vel alter vestrum dictam excommunicationis non tenere sententiam, ac eundem archiepiscopum ipsa non fuisse irretitum denun-

tiatis [1] auctoritate nostra per vos vel per alium seu alios in locis omnibus in quibus videatis *(sic)* expedire. Tenorem autem dictarum litterarum ipsius auditoris de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Anagni, 24 septembre 1259.

« Stephanus, miseratione divina Penestrinus « episcopus, universis presentes litteras inspec« turis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum « venerabilis pater patriarcha Antiochenus quas« dam litteras impetraret, procurator venerabilis « fratris Nicosiensis archiepiscopi in audientia « publica contradixit eisdem et nos a Sanctissimo « Patre domino nostro Alexandro papa IIII obti« nuit auditorem. Fuit autem propositum coram « nobis eundem Nicosiensem archiepiscopum per « Mamistranum archiepiscopum vinculo excom« municationis fuisse innodatum. Procurator vero « Nicosiensis archiepiscopi dixit eandem senten« tiam non tenere, eo quod cum felicis recordiatio« nis dominus Innocentius papa IIII archiepisco« pis, episcopis ac aliis prelatis, rectoribus et cle« ricis ecclesiarum regni Cipri suis dederit litteris « in mandatis ut patriarche Antiocheno decimam « omnium proventuum ecclesiasticorum suorum « per triennium exhiberent in munitionem castri « Cursarii convertendam, Cesariensi et Nicosiensi « archiepiscopis sibi super hoc executoribus depu« tatis, prout in litteris apostolicis plenius dicitur « contineri,.. archiepiscopus Mamistranus cui dic« tus Cesariensis commiserat super hoc totaliter « vices suas, eodem Nicosiensi nec Cesariensi nec « Mamistrano predictis vices suas aliquatenus « committente, asserens ipsum Nicosiensem hu« jusmodi decimas solvere nolle, in eum excommu« nicationis sententiam promulgavit. Cum igitur « par in parem imperium non habeat, ac exinde « constet prefatum Cesariensem archiepiscopum « nullam in Nicosiensem archiepiscopum, collegam « suum, ex illa commissione jurisdictionem habuis« se, nec in subdelegatum plus juris transferre « potuerit quam habebat, dicebat dictam sen« tentiam excommunicationis nullum de jure robur « firmitatis obtinere. Nos autem dominum nos« trum A. papam quartum super hoc coram fra« tribus consulimus. Unde de ipsius speciali man« dato et fratrum suorum consilio declaramus « hujusmodi sententiam excommunicationis per « Mamistranum archiepiscopum in prefatum ar« chiepiscopum Nicosiensem taliter prolatam, de « jure non tenere, et ipsum Nicosiensem archie« piscopum eadem sententia non fuisse ligatum. « In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli « nostris munimine fecimus communiri. Dat. Ana« gnie, VII kal. octobris, sub anno Domini « MCCLVIIII, pontificatus domini Alexandri pa« pe IIII anno quinto, tertie indictionis. »

Dat. Anagnie, idibus octobris, anno quinto. »

1. Reg. denuntiatis.

2961 Anagni, 18 octobre 1259.

Abbatissae et conventui monastesii S. Mariae et S. Bartholemaei de Falesio, ordinis S. Damiani, Massanae diocesis, indulget ut capellanus dicti coenobii ecclesias S. Laurentii, S. Antimi de Plumbino et quasdam alias ecclesias Massanae et Vulterranae diocesium pleno jure ad ipsum monasterium pertinentes visitare possit. (Reg. 25, f. 223, an. V, c. 189 ; Potthast 17684.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Marie et Sancti Bartholomei de Falesio, ordinis Sancti Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Massane diocesis.* Ex tenore vestre —. Dat. Anagnie, XV kal. novembris anno quinto. »

2962 Anagni, 26 septembre 1259.

Monasterium S. Mariae de Gavallione Tuscanensis, ordinis S. Damiani, sub sua protectione suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, jura et privilegia confirmat. (Reg. 25, f. 223, an. V, c. 190 ; Potthast 17670.)

« .. *abbatisse monasterii Sancte Marie de Gavallione Tuscanensis, ejusque sororibus tam presentibus quam futuris religiosam vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam etc. —. Dat. Anagnie per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicancellarii, VI kal. octobris, indictione III, Incarnationis Dominice anno MCCLVIIII, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno quinto. »

2963 Anagni, 14 octobre 1259.

Regem Ungariae, conditiones pacis et unionis a Tartaris, nova cum irruptione terrentibus, oblatas inire vetat, seque excusat si, de mille ballistariorum subsidio, quod a Sede Apostolica inter caetera postulaverat, non sit ei satisfactum. Promittit se, si necessitas evenerit,

invocaturum esse in ejus auxilium principes et populos christianos. (Reg. 25, f. 223 v°-225, an. V, c. 191; Potthast 17678.)

« .. *regi Hungarie illustri*. Tanquam bene sibi —. Dat. Anagnie, II idus octobris, anno quinto. »

2964 Anagni, 7 mai 1259.

Decano ecclesiae S. Petri Argentinensis mandat ut Sifridum, natum Haromodi de Lamperthem, militis, clericum, cujus receptio in ecclesia S. Thomae Argentinensi a constitutione inde lata cassata fuerat, in praedicta ecclesia recipi faciat eique de aliqua praebenda provideat. (Reg. 25, f. 225, an. V, c. 192.)

« .. *decano ecclesie Sancti Petri Argentinensis*. Dilectus filius Sifridus —. Dat. Anagnie, nonis maii, anno quinto. »

2965 Anagni, 26 octobre 1259.

Religiosis monasterii B. Mariae de Pruliano, Tholosanae dioecesis, indulget ut de possessionibus quas colunt seu de molendinis aut de animalium nutrimentis non teneantur alicui decimas exhibere. (Reg. 25, f. 225, an. V, c. 193.)

« .. *priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii Beate Marie de Pruliano, ordinis Sancti Augustini, Tholosane diocesis, sub cura et secundum instituta fratrum ordinis Predicatorum viventibus*. Pietatis opera cujus etc. —. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut, de possessionibus quas propriis sumptibus colitis seu de molendinis vestris aut de vestrorum animalium nutrimentis, non teneamini alicui decimas exhibere, districtius inhibentes ne quis de premissis a vobis decimas exigere vel extorquere presumat, non obstantibus aliquibus indulgentiis impetratis vel etiam impetrandis per quas effectus hujusmodi gratie valeat impediri, nos enim decimas hujusmodi ad opus infirmarie vestri monasterii deputamus. Nulli nostre concessionis, inhibitionis et deputationis etc. Dat. Anagnie, VII kal. novembris, anno quinto. »

2966 Anagni, 23 octobre 1259.

Episcopo Egitaniensi mandat ut electionem Johannis Petri in priorem monasterii S. Crucis Colimbriensis, ordinis S. Augustini, inquisita de ejus meritis veritate, confirmet, recepturus ab eo postmodum fidelitatis juramentum. (Reg. 25, f. 225, an. V, c. 194.)

« .. *episcopo Egitaniensi*. Sicut petitio dilectorum —. Dat. Anagnie, X kal. novembris, anno quinto. »

2967 Anagni, 9 octobre 1259.

Archiepiscopo Senonensi dispensationem super defectu natalium Johanni, presbytero, priori S. Hilarii Aurelianensis diocesis, concedendam committit. (Reg. 25, f. 225, an. V, c. 195.)

« .. *archiepiscopo Senonensi*. Regularis ordinis professoribus —. Cum itaque Johannes presbiter, prior prioratus Sancti Ilarii Aurelianensis, tue diocesis, ordinis Sancti Augustini, nobis humiliter supplicarit ut cum eo super defectu natalium quem patitur, de presbitero genitus et soluta, dispensare misericorditer curaremus, nos attendentes quod ad religionem conversi, si in monasteriis suis fuerint laudabiliter conversati, illigimitatis *(sic)* macula non obstante, juris permissione licenter possint ad ordines promoveri, presentium tibi auctoritate committimus ut cum eodem presbitero, ejus suffragantibus meritis, quod hujusmodi non obstante defectu, in susceptis ministrare ordinibus possit, et ad sui ordinis administrationes assumi necnon ad abbatiam si Deus dederit, tam in suo quam in alio monasterio auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Dat. Anagnie, VII idus octobris, anno quinto. »

2968 Anagni, 11 octobre 1259.

Monasterium S. Dyonisii in Francia sub B. Petri et sua protectione suscipit omnesque ejus possessiones ac bona, jura et privilegia confirmat. (Reg. 25, f. 225-226, an. V, c. 196; Paris, Archives Nationales, L 253 n° 228, original.)

« .. *abbati monasterii Sancti Dionisii in Francia ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, religiosam vitam professis in perpetuum*. Religiosam vitam etc. usque infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancti Dionisii in Francia, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, Parisiensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum

Deum et Beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis : in diocesi Parisiensi, villam de Argentolio, prioratum loci ejusdem cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; prioratum de Strata cum pertinentiis suis; jus patronatus quod habetis in ecclesia loci ejusdem ; villam et manerium de Arcolio cum pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville; prioratum Beate Marie prope Corbolium cum pertinentiis suis ; villam que Essona vocatur cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis suis ; villam et manerium de Trembleio cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; de Morceriis et de Nemore grangias et maneria cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis eorundem ; grangiam cum pertinentiis suis et decimas quas habetis in territorio Villepicte ; villam et manerium de Ruolio cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; villam et manerium de Genevillari cum jurisdictione temporali, et omnibus pertinentiis eorundem ; portus quos habetis in flumine Sequane et cursus aque ipsius fluminis, prout suis finibus terminatur ; villam et manerium de Corneliis cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; manerium de Maresiis cum omnibus pertinentiis suis ; villam de Valle Cresson cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis suis ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; de Nemore Berengarii et de Foularde maneria cum omnibus pertinentiis eorundem ; de Belloramo, de Valenciis, de Sancto Ferreolo et de Menolio Sevini villas, grangias et maneria cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; de Dugniaco et de Meravilla, de Curianova, de Duolio, de Sancto Audoeno et de Capella villas, grangias et maneria cum omnibus pertinentiis eorundem ; redditus qui bucagium nominatur, quos habetis in civitate Parisiensi ; villam et manerium de Prato Sancti Gervasii cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Carnotensi : villam et manerium de Trapis, cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; redditus et decimas quas habetis in comitatu Montis Fortis ; redditus quos habetis apud Medontam, qui vulgariter avalagium navium nominatur ; villam et manerium de Guillervalle cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; villam de Mornavilla cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis suis. In diocesi Aurelianensi : villam et castrum de Thoriaco cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; villam et manerium de Brolio cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; domum et vineas quas habetis in civitate Aurelianensi. In diocesi Senonensi : villam et manerium de Belna cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ville ejusdem ; villam et prioratum ac manerium de Grandi cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorumden, jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; villam et manerium de Vere cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville. In diocesi Trecensi : villa et prioratum de Marneio cum pertinentiis eorundem ; grangiam et manerium de Alna cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; redditus quos habetis in villa que vocatur Nogentum. In dioceis Meldensi : villam et manerium de Marolio cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; grangiam et manerium de Mesoncellis cum omnibus pertinentiis eorundem ; Villamnovam Sancti Dionisii cum manerio et temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Bituricensi : villam et prioratum de Ruilliaco cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; villam et prioratum de Capella Aude cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Sagiensi : villam et prioratum Sancte Guiburgis cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem. In

diocesi Cenomanensi : villam[de] Cergiaco cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis suis ; capellam de Gastinel cum omnibus pertinentiis suis ; jus patronatus quod in ecclesia de Malostabulo obtinetis ; Castrum Novum cum omnibus pertinentiis suis. In diocesi Pictavensi : villam et prioratum de Vallibus cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Remensi : villam et mainerium de Curia Ceurondi cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Suessionensi : villam et manerium de Lavertiniis cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Laudunensi : villam et manerium de Sariaco cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; villam et prioratum de Sancto Goberto cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; villam et manerium de Chaorsia cum temporali jurisdictione ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; villam et manerium de Flamengeria cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville. In diocesi Cameracensi : villam et manerium de Solemio cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville. In diocesi Rothomagensi : prioratum de Calvomonte cum pertinentiis suis ; villam et prioratum de Sancto Claro cum pertinentiis eorundem ; manerium et grangiam Sancte Genovefe cum omnibus pertinentiis eorundem ; villas, grangias et maneria que habetis in foresta de Lions cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; villam et manerium de Cergiaco cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; de Chartio et de Corneliis in Wlgassino, et de Boissiaco villas et maneria cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod in ecclesiis ipsarum villarum habetis ; jus patronatus quod habetis in ecclesia de Monte Jovis ; manerium de Bonovale et preposituram ipsius loci cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis suis. In diocesi Belvacensi : villam et manerium de Wlliaco cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; villam et manerium Sancti Martini in Colle cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; villam de Morentiaco cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesiis ipsius ville ; villam et manerium de Mediovillari cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod habetis in ecclesia ipsius ville ; villam de Verderona cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod in ecclesia de Arneriis obtinetis. In diocesi Leodiensi : villam de Auliers in Hanthein cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Argentinensi : villam et prioratum de Lebraha cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Metensi : villam et prioratum de Cella cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem. In diocesi Wigorniensi : villam et prioratum de Durehst in Anglia cum jurisdictione temporali et omnibus pertinentiis eorundem ; villas que Cantoniam et Moram dicuntur cum temporali jurisdictione et omnibus pertinentiis eorundem ; jus patronatus quod in ipsarum villarum ecclesiis obtinetis, cum pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis de quibus aliquis hactenus non percepit sive de vestrorum animalium etc. usque presumat. Liceat quoque vobis clericos et laicos liberos et absolutos e seculo fugientes etc. usque retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro etc. usque retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit etc. usque celebrare. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum vel clericorum ad idem monasterium pertinentium a catholicis accipietis episcopis, quemadmodum dictorum predecessorum nostrorum canonice equitatis privilegiis institutum est. Prohibemus insuper ut infra fines parrochie vestre nullus sine assensu vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excom-

municati vel interdicti sint aut publice usurarii, nullus obsistat. salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi etc. usque provideant eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Cum autem prefatum Beati Dionisii monasterium ad jus et proprietatem Apostolice Sedis nullo mediante pertineat, districtius inhibemus ut nullus archiepiscopus vel episcopus aut alius quicunque prelatus, preter legatum a Romani Pontificis latere destinatum, abbatem aut monachos ejusdem monasterii absque speciali ejus mandato excommunicare presumat, adjicientes ut idem monasterium ab omni jugo alterius sujectionis exemptum, Romano Pontifici sit subjectum Ad indicium autem hujus percepte a Romana Ecclesia libertatis unam auri unciam annis singulis Lateranensi palatio persolvetis. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, necnon et libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate nostra confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Decernimus quoque ut nulli omnino hominum liceat etc. usque profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate et in predictis decimis moderatione concilli generalis. Si qua igitur in futurum etc. usque ultioni. Cunctis autem etc. usque inveniant. Amen. Amen. Dat. Anagnie per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, V idus octobris, indictione III[a], Incarnationis Dominice anno MCCLVIIII, pontificatus vero domini pape Alexandri pape IIII anno quinto. »

2969 Anagni, 28 octobre 1259.

Fremundum Lebrum, rectorem ecclesiae de Graule, Wintoniensis diocesis, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 226, an. V, c. 197.)

« *Fremundo Lebrum, rectori ecclesie de Graule, Wintoniensis diocesis.* Meritis tue probitatis —. Dat. Anagnie, V kal. novembris, anno quinto. »

2970 Anagni, 11 octobre 1259.

Johanni, decano Lismorensi, clerico Th[omae], Lismorensis episcopi, indulget ut, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, unicum aliud beneficum cum simili cura in Hibernia recipere possit. (Reg. 25, f. 226, an. V, c. 198.)

« *Johanni, decano Lismorensi.* Licet ne quis —. Dat. Anagnie, V idus octobris, anno quinto. »

2971 Anagni, 11 octobre 1259.

Magistro Johanni, praecentori Lismorensi, indulget sicut in praecedenti littera ut unicum aliud beneficium in Hibernia recipere possit. (Reg. 25, f. 226, an. V, c. 199.)

« *Magistro Johanni, precentori Lismorensi.* Licet ne quis etc. usque in finem. »

2972 Anagni, 11 octobre 1259.

Andreae, archidiacono Lismorensi similem indulgentiam concedit. (Reg. 25, f. 226 v°, an. V, c. 200.)

« *Andree, archidiacono Lismorensi.* Licet ne quis — etc. usque in finem. »

2973 Anagni, 28 octobre 1259.

Episcopo Clonensi mandat ut Mauricium, Mauricii natum, ratione matrimonii quod contraxerat non molestet. (Reg. 25, f. 226, v°, an. V, c. 201.)

« .. *episcopo Clonensi.* Lecta nobis dilecti filii nobilis viri Mauricii, nati Mauricii, tue diocesis, petitio continebat quod quondam David, fratre suo, qui cum Matilda, filia Geraldi de Prendelgast, infra septennium constituta, sponsalia de facto contraxerat, viam universe carnis ingresso antequam ipsa M. ad hujusmodi septennium perveniret, idem Mauricius dicta Matildam, post hujusmodi septennium sibi matrimonialiter copulavit et carnaliter cognovit eandem. Unde, cum eo pretextu quod dictus David cum eadem M., ut predictum est, taliter contraxerat, dictus nobilis a te, super hujusmodi matrimonio molestetur, ipse ad Sedem duxit Apostolicam recurrendum. Quo-

circa mandamus quatinus, si est ita et aliud canonicum non obsistit, ipsum ob hoc ulterius non molestes. Dat. Anagnie, V kal. novembris, anno quinto. »

2974 Anagni, 31 octobre 1259.

Religiosis ecclesiae S. Wlfadi de Stanes, indulget ut ad ordinationem alicujus vicariae in praedicta ecclesia, praetextu quarumdem litterarum a S. Sede prolatarum, minime teneantur. (Reg. 25, f. 226 v°, an. V, c. 202.)

« .. *priori et conventui ecclesie Sancti Wlfadi de Stanes, ordinis Sancti Augustini, Conventrensis diocesis.* Ex vestre devotionis —. Dat. Anagnie, II kal. novembris, anno quinto. »

2975 Anagni, 1 novembre 1259.

Religiosis monasterii Sanctorum Laurentii et Nicolai de Aquila, cum in civitate Aquilensi commorari non possint, ruralem ecclesiam S. Leonardi de Cruce Rodii, Aquilensis diocesis, cum possessionibus et juribus suis, sine episcopi et Aquilensis ac S. Martiani de Rodio capitulorum assensu, concedit, statuens ut de caetero dicta ecclesia sit caput et in ea liberae et exemptae maneant. (Reg. 25, f. 226 v°, an. V, c. 203 ; Potthast 17695.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sanctorum Laurentii et Nicolai de Aquila, ordinis Sancti Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Religionis favor sub —. Dat. Anagnie, kalendis novembris, anno quinto. »

2976 Anagni, 7 novembre 1259.

Magistro Raynaldo, canonico Theatino, mandat ut monasterium monialium S. Johannis de Logano, ordinis S. Benedicti, Albinganensis diocesis, si reformandum non sit, uniat conventui S. Catherinae Jannensi, ordinis S. Damiani. (Reg. 25, f. 226 v°, an. V, c. 204 ; Potthast 17699.)

« *Magistro Raynaldo, canonico Theatino.* Sua nobis dilecte —. Dat. Anagnie, VII idus novembris, anno quinto. »

2977 Anagni, 5 novembre 1259.

Magistro ordinis militiae S. Jacobi in Hispania mandat ut Munino Fernandi, laico, fratri ordinis ejusdem, signum quod dari tam militibus quam aliis ordinis fratribus consuetum est et quod ei motu proprio, sine causa rationibili abstulerat, restituat. (Reg. 25, f. 227, an. V, c. 205.)

« *Magistro ordinis militie Sancti Jacobi in Ispania.* Dilectus filius Munino —. Dat. Anagnie, nonis novembris, anno quinto. »

2978 Anagni, 27 octobre 1259.

Theodino, ostiario suo, in possessione quorumdam bonorum civitatis Signinae de quibus ab Octaviano S Mariae in Via Lata diacono cardinali investitus erat confirmat, instrumenti super hoc confecti tenorem inserens. (Reg. 25, f. 227, an. V, c. 206.)

« *Theodino, ostiario nostro.* Inducunt nos tue devotionis merita ut te prosequamur benivolentia gratiosa. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod dilectus filius noster O. Sancte Marie in Vialata diaconus cardinalis, rector civitatis Signine, omnia bona immobilia que Johannes dictus Cossa et quondam Transmundus, frater ejus, cives Signini, tenuerunt in civitate Signina et districtu ipsius queque ad demanium curie erant rationabiliter devoluta, necnon domum que fuit bone memorie.. episcopi Mothonensis, sitam in civitate predicta, tibi et legitimis heredibus tuis ex te descendentibus, secundum consuetudinem civitatis ejusdem, dedit et concessit in feudum, et de ipsis te per birretum suum presentialiter investitit, prout in instrumento publico inde confecto, sigillato sigillo ipsius cardinalis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est, ratum et firmum habentes, ac supplentes defectum, si quis ex quacunque causa in hoc extitit, de apostolice plenitudine potestatis, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

Anagni. 16 septembre 1259.

« Octavianus, miseratione divina Sancte Marie « in Vialata diaconus cardinalis, dilecto sibi Theo- « dino, domini pape hostiario, salutem in Domino. « Inducunt nos tue probitatis merita et grata « devotionis obsequia per que nobis placere stu- « duisti semper et places indefessis studiis inces- « santer, ut personam tuam prerogativa specialis « favoris et gratie prosequamur. Cum igitur bona « omnia stabilia que Johannes dictus Cossa, ac « quondam Transmundus, frater ejus, cives Signini « in civitate et districtu Signie tenuerunt, sint ad

« manus curie rationabiliter devoluta, nos ad devotionem tuam benivolum respectum habentes, « bona ipsa omnia, culta scilicet et inculta, in « civitate et extra civilatem sita, necnon et domum « que fuit quondam.. episcopi Mothonensis in « eadem positam civitate, tamquam rector et « dominus Ecclesie Romane nomine civitatis ipsius « in feudam tibi et legitimis heredibus tuis ex te « descendentibus, secundum consuetudinem civi- « tatis ejusdem, damus et concedimus, et de hiis « te per birretum nostrum presentialiter investi- « mus. In cujus testimonium presens instrumen- « tum per manus infrascripti notarii fieri manda- « vimus et sigilli nostri appensione muniri. Actum « est hoc Anagnie, in camera predicti domini cardi- « nalis, sub anno Domini MCCLVIIII, pontificatus « domini Alexandri pape IIII anno quinto, die « martis, XVI septembris, III indictione, presen- « tibus venerabili patre domino B. episcopo Gaie- « tano ; domino Uberto de Cochenato ; domino « A. archidiacono Bononiensi, domini pape capel- « lanis et domino Synibaldo de Alabro, camenario « supradicti domini cardinalis, ac me notario « infrascripto. Ego Johannes de Campulo, Apos- « tolice Sedis auctoritate notarius, predictis inter- « fui et de mandato predicti domini cardinalis « ea in publicam formam redegi ac signum meum « feci. »

Nulli nostre confirmationis et suppletionis etc. Dat. Anagnie, VI kal. novembris, anno quinto. »

2979 Anagni, 21 novembre 1259.

Declarationem magistri Gregorii de Neapoli, capellani sui, in questione inter religiosos monasterii Sublacensis et populum Sublacensem orta confirmat, dictae declarationis tenorem inserens. (Reg. 25, f. 227, an. V, c. 207.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sublacensis*. Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat quod olim inter vos, ex parte una, et homines sive populum Sublacenses, super collectis servitiis et aliis in quibus ipsi vobis tamquam vassali tenentur, ex altera, orta fuisset materia questionis, tandem inter alia talis inter partes compositio intervenit, videlicet quod, si vos aliquam terram vel castellum emere contingeret, dicti homines sive populus debent vobis propter hoc sine fraude moderatum subsidium exhibere. Sed cum vos nuper quasdam possessiones sitas in territorio castri Cerreti in quo monasterium vestrum dominium dinoscitur obtinere, emissetis et peteretis vobis ab eisdem hominibus sive populo hujusmodi subsidium exhiberi, ipsis asserentibus ex eo se ad id non teneri quod monasterium vestrum jus aliquod seu dominium obtinebat in eis propter quod non debebant dictum subsidium exhibere, nos dilectum filium magistrum Gregorium de Neapoli, subdiaconum et capellanum nostrum, super hiis partibus dedimus auditorem, mandantes eidem viva voce ut questionem hujusmodi per interpretationem seu declarationem de plano et sine judicii strepitu et ordine judiciario non servato, terminare curaret, qui auditis hinc inde propositifs et diligenter inspectis et nobis fideliter recidatis *(sic)*, de speciali mandato nostro interpretatus [1] fuit et etiam declaravit et diffiniendo pronuntiavit quod dicti homines sive populus vobis tenentur et debent prestare subsidium cum vos terram vel castellum, in territorio in quo monasterium vestrum habet dominium vel jurisdictionem, contingit emere, dummodo id quod emitur ad ipsius monasterii plenam proprietatem non spectat, nec ex eo quod emitur [2] omnes fructus et proventus ad monasterium perveniant nominatum, prout in litteris inde confectis dicti capellani sigillo signatis plenius continetur. Nos itaque, vestris devotis precibus benignum impertientes assensum, interpretationem seu declarationem hujusmodi, et quicquid per eundem capellanum super hoc factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

Anagni. 24 octobre 1259,

« Olim religiosi viri.. abbas et conventus monas- « terii Sublacensis et homines sive populus castri « Sublaci super collectis servitiis et aliis in quibus « dicti homines sive populus tamquam vassalli « tenentur abbati et conventui supradictis, ad « compositionem amicabilem devenerunt, in qua « inter alia continetur quod, si predictum abbatem « et conventum contingat emere terram aliquam « vel castellum, dicti homines sive populus, mode- « rate ac sine fraude, subsidium prestabunt eisdem « pro hujusmodi emptione Verum cum nuper « abbas predicti monasterii quasdam possessiones

1. Reg. : *interputatus*.
2. Cette partie de phrase, depuis *ad ipsius* a été ajoutée en marge.

« emisset, sitas in territorio castri Cerreti, in quo « idem abbas tamquam dominus temporalis juris- « dictionem et dominium noscitur obtinere, sibi « pro emptione dictarum possessionum, juxta « compositionis predicte tenorem, prestari petiit « a nominatis hominibus seu populo subsidium « supradictum. Ipsis vero asserentibus ad id ex eo « minime se teneri, quod in dictis possessionibus « jus aliquod habebat monasterium memoratum « et saltem in eis directum dominium obtinebat, « licet dominium utile spectaret ad venditores « earum, propter quod dictus abbas suum potius « redimere videbatur quam aliquam de novo vel « de alieno facere emptionem, ex parte dicti abba- « tis propositum extitit ex adverso quod etsi pre- « dictum monasterium in prefatis possessionibus « aliquod jus haberet, tamen ipsarum fructus et « proventus non ad idem monasterium, sed ad « illos perveniebant potius qui possessiones ipsas « vendiderant, propter quod non ipsius monasterii « sed illorum dici poterant et debebant qui eas « tamquam proprias longo tempore possederunt. « Cum autem partes propter hoc ad sanctissimum « patrem dominum Alexandrum, divina provi- « dentia summum pontificem, speciales procura- « tores et nuntios destinassent, humiliter suppli- « cantes eidem ut dictam compositionem seu illius « verba quantum ad hoc interpretaretur, ac etiam « declararet et de plano, prout sibi placeret, finem « imponeret hujusmodi questioni, idem dominus « nobis G. de Neapoli, subdiacono et capellano « suo, viva voce mandavit ut facientes interpre- « tationem seu declarationem predictam, de plano « et sine judicii strepitu ac juris ordine non servato, « questionem terminaremus eandem. Nos vero, « dicta compositione ac ejus verbis consideratis, « et diligenter inspectis et intellectis que partes « proponere voluerunt et eis omnibus ipsi domino « fideliter et plene relatis, de ipsius domini spe- « ciali mandato interpretamur ac declaramus com- « positionem predictam, et diffiniendo pronun- « tiamus quod dicti homines sive populus sic te- « nentur et debent prestare subsidium abbati et « conventui monasterii predicti, cum eosdem ab- « batem et conventum contingit terram aliquam « emere vel castellum in territorio in quo monas- « terium ipsum habet dominium vel jurisdictio- « nem, dummodo id quod emitur ad ejusdem mo- « nasterii plenam proprietatem non spectet, nec « ex eo quod emitur omnes fructus et proventus « perveniant ad monasterium supradictum, licet « forte jus aliquod habeat in eodem, sicut dicti « homines vel populus prestare tenentur et debent « subsidium dictis abbati et conventui, cum ipsi « terram vel castellum emunt in locis illis aut « territorio in quibus vel quo dominium vel juris- « dictionem non habet monasterium memoratum. « In cujus rei testimonium presens scriptum sigilli « nostri munimine fecimus roborari. Actum Ana- « gnie, anno domini MCCLVIIII, VIIII kal. no- « vembris, pontificatus domini Alexandri pa- « pe IIII anno quinto. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XI kal. decembris, anno quinto. »

2980 Anagni, 13 novembre 1259.

Cum magistro Petro Gunteri, capellano suo, archidiaconatum de Benavento in ecclesia Ovetensi contulisset, mandat papa magistro scholarum ecclesiae Palentinae ut Gundisalvo Roderici, subdiacono, canonico ejusdem ecclesiae qui prius litteras a S. Sede receperat, de personatu vel dignitate in praefata ecclesia provideat. (Reg. 25, f. 227 v°, an. V, c. 208.)

« .. *magistro scolarum ecclesie Palentine.* Sua nobis Gundisalvus —. Dat. Anagnie, idibus novembris, anno quinto. »

2981 Anagni, 7 novembre 1259.

Episcopo et capitulo Ovetensibus mandat ut Petrum dictum Maurum, clericum, in canonicum recipiant eique de praebenda aliqua provideant. (Reg. 25, f. 228, an. V, c. 209.)

« .. *episcopo et capitulo Ovetensibus.* Specialis dono gratie —. Dat. Anagnie, VII idus novembris, anno quinto. »

2982 Anagni, 8 novembre 1259.

Religiosis monasterii S. Felicis de Vada, Pisanae dioecesis, indulget ut a quoquam conveniri per litteras non possint, nisi eaedem litterae de indulgentia hujusmodi et ordine ipsarum expressam fecerint mentionem. (Reg. 25, f. 228, an. V, c. 210 ; Potthast 17700.)

« .. *priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii Sancti Felicis de Vada, Pisane diocesis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini, secundum instituta fratrum Predicatorum viventibus.* Devotionis augmentum vobis —. Dat. Anagnie, VI idus novembris, anno quinto. »

2983 Anagni, 25 octobre 1259.

Magistro et fratribus hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe indulget ut per litteras quae de hospitali ipso specialem non fecerint mentionem, conveniri ab aliquo non possint. (Reg. 25, f. 228, an. V, c. 211.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe.* Ex parte vestra —. Dat. Anagnie, VIII kal. novembris, anno quinto. »

2984 Anagni, 17 novembre 1259.

Episcopo Palentino mandat ut permutationem faciat portionum quas Johannes Nazareni, Gallagurritanae, et Gundisalvus Petri, S. Martini de Villa Meyednia, Palentinae diocesium ecclesiarum portionarii obtinent et quas ad invicem permutare intendunt. (Reg. 25, f. 228, an. V, c. 212.)

« .. *episcopo Palentino.* Cum sicut accepimus —. Dat. Anagnie, XV kal. decembris, anno quinto. »

2985 Anagni, 29 novembre 1259.

Abbati et conventui monasterii S. Thomae martiris de Abrebrodoc, S. Andreae diocesis, ecclesiam de Hautwisillo, Dunelmensis diocesis, sitam in Tindale quae est terra regis Scotiae, cum vacaverit, suis usibus propriis applicandam concedit. (Reg. 25, f. 228, an. V, c. 213 ; Potthast 17713.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Thome martiris de Abrebrodoc, ordinis Sancti Benedicti, Sancti Andree diocesis.* Injuncti officii sollicitudo —. Dat. Anagnie, III kal. decembris, anno quinto. »

2986 Anagni, 20 novembre 1259.

Episcopo S. Andreae indulget ut, post mortem suam, rex Scotiae vel aliquis alius bona mobilia ecclesiae S. Andreae occupare nequeat. (Reg. 25, f. 228 v°, an. V, c. 214 ; Potthast 17708.)

« .. *episcopo Sancti Andree.* Etsi omnium ecclesiarum —. Dat. Anagnie, XII kal. decembris, anno quinto. »

2987 Anagni, 24 octobre 1259.

Priori fratrum Praedicatorum Pictavensium mandat ut quaedam a praeposito et capitulo ecclesiae S. Juniani, Lemovicensis diocesis, statuta de certo in eadem ecclesia numero canonicorum rescindat. (Reg. 25, f. 228 v°, an. V, c. 215 ; Potthast 17687.)

« .. *priori fratrum Predicatorum Pictavensium.* Ad tantum mentis —. Dat. Anagnie, VIIII kal. novembris, anno quinto. »

2988 Anagni, 17 novembre 1259.

Universis archiepiscopis, episcopis, decanis etc. inhibet ne in fraudem privilegiorum religiosis militiae Templi Jerosolimitani excommunicationis vel interdicti sententiam in eis proferrent. (Reg. 25, f. 228 v°, an. V, c. 216.)

« .. *archiepiscopis et episcopis, decanis, archidiaconis et eorum vicariis ac officialibus ad quos littere iste pervenerint.* Ex parte dilectorum filiorum.. magistri et fratrum domus militie Templi Jerosolimitani fuit propositum coram nobis quod, cum ipsi nullum preter Romanum pontificem habeant episcopum vel prelatum, eisque a Sede Apostolica sit indultum quod nullus in eos excommunicationis vel interdicti sententias sine speciali mandato Sedis ejusdem audeat promulgare, quidam ex vobis, eorum libertatibus invidentes, in homines et familias ac terras ipsorum, necnon in illos qui eis in cibo et potu, furnis, molendinis, judiciis, contractibus et mercimoniis vel quocunque alio modo comunicant, sententias promulgant easdem, in dictorum magistri et fratrum prejudicium ac ejusdem domus non modicum detrimentum sicque non vim et potestatem privilegiorum, que ipsis a Sede Apostolica sunt concessa, sed sola verba servantes, eos quodammodo excommunicant, dum eis communicare alios non permittunt, et ex hoc judicari videntur judicio Judeorum, et qui eis comunicant in predictis illud evenit inconveniens quod majorem excommunicationem incurrant quam excommunicatis comunicando fuerant incursuri. Quare nobis humiliter supplicarunt ut providere quieti eorum super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum itaque dicti magister et fratres pro suis laudabilidus meritis digni sint favoris gratia specialis, nos eorum supplicationibus annuentes, mandamus ac vobis etiam districtius inhibemus ne in fraudem privilegiorum ipsorum sententias hujusmodi proferre de cetero presumatis, et si quas in eos forsitan promulgastis, eas sine difficultate aliqua revocetis, ita quod exinde apud nos digni laudibus existatis et super hoc providere aliter non cogamur. Dat. Anagnie, XV kal. decembris, anno quinto. »

2989 Anagni, 20 novembre 1259.

Margaritae, comitissae Flandriae, indulget ut per litteras quae de comitatu non fecerint mentionem, conveniri nequeat. (Reg. 25, f. 228 v°, an. V, c. 217 ; Bormans et Halkin, t. XI, 2e partie, p. 119 ; Rodenberg, t. III, n° 502.)

« *Nobili mulieri Margarite, Flandrie et Ha[n]onie comitisse.* Efficax devotionis quem —. Cum igitur titulus comitatus Flandrensis adeo insignis sit, ut vix credatur ab hiis, qui contra te apostolicas litteras impetrant, sine malitia subticeri, nos et illorum fraudibus obviare et quieti tue consulere, cupientes tuis supplicationibus inclinati, tibi autoritate presentium indulgemus ut per hujusmodi litteras que de comitatu predicto mentionem non fecerint, nequeas [1] conveniri. Nulli nostre concessionis etc. presentibus post triennium etc. Dat. Anagnie, XII kal. decembris, anno quinto. »

2990 Anagni, 27 novembre 1259.

Cum mulieres in ecclesia S. Thomae de Colle Spoletano sub religioso habitu morantes, hospitali novi de Spoleto dictam ecclesiam cum bonis suis omnibus supponerent, seque cum aliis inibi sub B. Augustini regula commorantibus mulieribus recludi fecerent, omnia illa ab episcopo et capitulo Spoletanis accepta confirmat. (Reg. 25, f. 229, an. V, c. 218.)

« .. *preceptori et fratribus hospitalis novi de Spoleto, ordinis Sancti Augustini.* Solet annuere Sedes —. Dat. Anagnie, V kal. decembris, anno quinto. »

2991 Anagni, 22 novembre 1259.

Abbati monasterii S. Pauli Virdunensis mandat ut Nicolaum dictum Bridous, canonicum S. Mariae Magdalenae Virdunensis, in praebendae assecutione praeferri faciat. (Reg. 25, f. 229, an. V, c. 219.)

« .. *abbati monasterii Sancti Pauli Virdunensis.* Dilectus filius Nicolaus, dictus Bridous, canonicus ecclesie Sancte Marie Magdalene Virdunensis, nobis humiliter supplicavit ut, cum ipse in eadem ecclesia auctoritate litterarum executoriarum Sedis Apostolice, post constitutionem nostram per quam receptiones prebendas expectantium vacaturas factas in ecclesiis, quatuor dumtaxat exceptis, decrevimus irritas et inanes, canonice receptus fuerit in canonicum et in fratrem, et ex eo sibi prejudicium generari metuat, quod quosdam autoritate legatorum Sedis ejusdem dudum in ecclesia ipsa receptos, quorum receptiones per constitutionem eandem cassate fuerant post receptionem ipsius N., restituimus ad jus pristinum quod eis ex suis receptionibus in predicta ecclesia ante cassationem hujusmodi competebat, super hoc ei subvenire oportuno remedio misericorditer curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si tibi constiterit ita esse, facias eundem auctoritate nostra per te vel per alium, eisdem taliter restitutis, in prebende assecutione preferri, contradictores etc. Dat. Anagnie, X kal. decembris, anno quinto. »

2992 Anagni, 27 novembre 1259.

Magistro et fratribus hospitalis S. Stephani, regis Strigoniensis, ad Tusculani et Penestrini episcoporum supplicationem, indulget ut de possessionibus suis hactenus acquisitis, quas propriis manibus aut sumptibus colunt, nulli teneantur decimas exhibere. (Reg. 25, f. 229, an. V, c. 220.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancti Stephani, regis Strigoniensis, ordinis Sancti Augustini.* Pia mentis vestre —. Dat. Anagnie, V kal. decembris, anno quinto. »

2993 Anagni, 1 décembre 1259.

Decano et capitulo ecclesiae de Munsoce, Morinensis diocesis, indulget ut duas aut tres ecclesias parrochiales cum suis pertinentiis in quibus jus habent patronatus, possint in augmentum praebendarum nuper in ipsorum ecclesia creatarum convertere. (Reg. 25, f. 229, an. V, c. 221.)

« .. *decano et capitulo ecclesie de Munsoce, Morinensis diocesis.* Ad hoc Deus —. Sane porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat quod in ecclesia vestra que per unum dumtaxat rectorem gubernari consueverat, decano et duodecim canonicis per dilectum filium Henricum, decanum Metensem, capellanum nostrum, ex ordinatione patroni et consensu bone memorie C. diocesani ejusdem, necnon auctoritate felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, canonice institutis, et totidem prebendis creatis ibidem, adeo exilis portio ex proventibus ipsius ecclesie vestrum unumquemque contingit, tamque tenues sunt

1. Reg. : *nequeat.*

ex illis create prebende, quod ex eis sustentationem habere debitam non potestis. Ne igitur pro angusta rei familiaris inopia a divinis laudibus quibus estis ascripti, vos cessare contingat, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut duas aut tres ecclesias parrochiales, cum suis pertinentiis, in quibus illarum patroni jus vobis contulerint patronatus, de assensu diocesani earum et capituli sui, cedentibus vel decedentibus ipsarum rectoribus, libere valeatis in augmentum predictarum perpetuo convertere prebendarum, ita tamen quod in ecclesiis ipsis perpetuo per ydoneos vicarios serviatur, quibus pro sustentatione sua et aliis oneribus supportandis congrua portio de ipsarum proventibus assignetur. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, kalendis decembris, anno quinto. »

2994 Anagni, 20 novembre 1259.

Frederico de Bymbach, rectori ecclesiae in Shoffeym, Maguntinae diocesis, qui de proventibus ecclesiae suae valentiam duodecim marcarum argenti non excedentibus sustentari non potest, ad H. tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis supplicationem, concedit ut unicum aliud beneficium ecclesiasticum cum cura animarum recipere possit. (Reg. 25, f. 229, an. V, c. 222.)

« *Frederico de Bymbach, rectori ecclesie in Shoffeym, Maguntine diocesis.* Meritis laudabilis conversationis —. Dat. Anagnie, VII kal. decembris, anno quinto. »

2995 Anagni, 3 décembre 1259.

Abbati et conventui monasterii Cluniacensis indulget ut ad provisionem vel receptionem alicujus in pensionibus vel beneficiis ecclesiasticis per litteras apostolicas minime teneantur. (Reg. 25, f. 229 v°, an. V, c. 223 ; Potthast 17720.)

« .. *abbati et conventui monasterii Cluniacensis.* Sic odore vestre —. Dat. Anagnie, III nonas decembris, anno quinto. »

2996 Anagni, 5 décembre 1259.

Possessiones quas Johannes Laboratoris et Andreas Licardi de castro Toczanelli, monasterii Sublacensis monachi et procuratores, a nobilibus viris Petro, nato quondam Jacobi Surdi, Tosto et Altruda, filiis quondam Sullimani Leonis, civibus Romanis, in castro Cerreti ejusque pertinentiis, Tiburtinae diocesis, emerant et quicquid in dicto castro Cerreti et ejus territorio, nomine praedicti monasterii emi contigerit in futurum, in domanium roccae castri de Sublaco deputat, inhibens ne quis praedictas possessiones alienare praesumat. (Reg. 25, f. 229 v°, an. V, c. 224.)

« .. *abbati monasterii Sublacensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Sicut petitio tua —. Dat. Anagnie, nonis decembris, anno quinto. »

2997 Anagni, 4 novembre 1259.

Archiepiscopo Dublinensi supplicante, decanatum ecclesiae S. Mariae de Peneris, Conventrensis diocesis, cujus advocatiam clarae memoriae Johannes, rex Anglorum, certo modo concesserat pro animae suae remedio archiepiscopatui Dublinensi, cum omnibus libertatibus, immunitatibus et juribus praefato archiepiscopatui pleno jure in perpetuum unit. (Reg. 25, f. 229 v°, an. V, c. 225 ; Potthast 17697.)

« .. *archiepiscopo Dublinensi.* Personam tuam et —. Dat. Anagnie, II nonas novembris, anno quinto. »

2998 Anagni, 4 juin 1259.

Magistro scholarum ecclesiae Auriensi mandat ut Johanni Martini, canonico ecclesiae Ovetensis, cui episcopus Ovetensis, secundum mandatum sibi datum, praebendam per mortem Ordonii Fernandi ejusdem ecclesiae decani vacantem, sine praestimoniis eidem Ordonio ut canonico debitis, aliis contulerat, de aliis praestimoniis aequivalentibus provideat ; non vult autem quod per hujusmodi litteras Petro, capellano ipsius papae, magistro scholarum Lucensi, in praestimoniis in ipsa ecclesia Ovetensi sibi de jure debitis, aliquod praejudicium generetur. (Reg. 25, f. 229 v°, an. V, c. 226.)

« .. *magistro scholarum ecclesie Auriensi* Sua nobis dilectus —. Dat. Anagnie, II nonas junii, anno quinto. »

2999 Anagni, 28 novembre 1259.

Religiosis monasterii S. Bavonis Gandensis, Tornacensis diocesis, concedit ut, propter frigoris vehementiam, pilcis ordini suo congruentibus in monasterio uti possint. Reg. 25, f. 229 v°, an. V, c. 227.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Bavonis Gandensis, ordinis Sancti Benedicti, Tornacensis diocesis.* Virtutum merita quibus —. Dat. Anagnie, IIII kal. decembris, anno quinto. »

3000 Anagni, 22 novembre 1259.

Personam magistri Gervasii de Londoniis, canonici Lichefeldensis, a jurisdictione Herefordensis episcopi, negotio provisionis sibi factae ac lite inter se et eumdem episcopum occasione cujusdam spoliationis pendentibus, eximit. (Reg. 25, f. 230, an. V, c. 228.)

« *Magistro Gervasio de Londoniis, subdiacono et capellano nostro, canonico Lichefeldensi.* Per laudabilia conversationis et vite studia te dignum reddidisse diceris, ut ab Apostolica Sede adesse benemeritis delectante, favorem et gratiam consequaris. In nostra siquidem proposuisti presentia constitutus quod inter te ac venerabilem fratrem nostrum.. Herefordensem episcopum, tum pro eo quod idem te quibusdam beneficiis ecclesiasticis et aliis bonis, que in sua obtinebas diocesi, contra justitiam spoliavit, tum etiam occasione cujusdam provisionis tibi in eadem diocesi auctoritate apostolica faciende, tanta discordia est exorta tantumque idem episcopus ex hoc contra te rancorem noscitur concepisse, ut non solum te sed etiam tuos, quantum in ipso est, exterminare nitatur, prout per evidentiam operis et assiduam illationem injuriarum, quibus idem episcopus, sicut asseris, te contra justitiam graviter afficit, cogeris experiri. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum tibi nimis grave ac periculosum existat, ratione beneficiorum que in Herefordensi diocesi obtines et adhuc ex provisione hujusmodi obtinere debes, sub ipsius episcopi jurisdictione consistere, maxime cum idem pro nulla vel minima causa contra te occasionem posset assumere malignandi super hoc tibi, utpote senio jam confracto, providere misericorditer curaremus. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, personam tuam a jurisdictione ipsius episcopi, negotio dicte provisionis tue ac lite inter te et ipsum occasione spoliationis predicte pendentibus, de speciali gratia duximus eximendum, decernentes irritum et inane si quid contra exemptionis tenorem hujusmodi per eundem episcopum seu alium auctoritate sua contigerit attemptari. Nulli nostre exemptionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, X kal. decembris, anno quinto. »

3001 Anagni, 29 novembre 1259.

Abbati et priori S. Johannis in Vineis, Suessionensis dioecesis, mandat ut Henrico de Martini Monte, S. Stephani Drocensis, Carnotensis dioecesis, et B. Petri de Casello, Morinensis dioecesis canonico, qui lumen oculorum amiserat, proventus praebendarum suarum ac si personaliter resideret in eis ministrari faciant. (Reg. 25, f. 230, an. V, c. 229.)

« .. *abbati et priori monasterii Sancti Johannis in Vineis, Suessionensis diocesis.* Dilectus filius He[n]ricus de Martini Monte, Sancti Stephani Drocensis, Carnotensis diocesis, et Beati Petri de Casello, Morinensis diocesis, ecclesiarum canonicus, nobis exposuit quod, cum ipse studio theologice Facultatis ferventer insisteret, ut sibi per pie vite meritum et aliis posset proficere per exemplum, occulto Dei judicio lumen oculorum ammisit, propter quod medicorum consilium sibi esse dinoscitur quamplurimum oportunum. Cum autem idem canonicus, ex consuetudine vel statuto ecclesiarum ipsarum, teneatur in eis vel studio per certi temporis spatium annis singulis residere, nobis humiliter supplicavit ut, cum pro hujusmodi miserabili casu, residentiam ipsam facere nequeat ut tenetur, providere super hoc de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, non obstante hujusmodi consuetudine vel statuto, etiam si sint juramento vel confirmatione Sedis Apostolice roborata, vel si aliquibus a Sede sit indultum eadem quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, eidem canonicio, ubicunque fuerit propter hoc medicorum consilia petiturus, proventus prebendarum suarum earundem ecclesiarum ac si personaliter resideret in eis, cotidianis distributionis dumtaxat exceptis, faciatis quandiu defectum hujusmodi luminis patietur, integre ministrari, contradictores etc. Quod si non ambo etc. Dat. Anagnie, III kal. decembris anno quinto. »

3002 Anagni, 6-12 décembre 1259.

Omnibus ad monasterium S. Salvatoris Fuldensis, Herbipolensis diocesis, accedentibus in festivitatibus Beatorum Bonifacii, Simplicii et Faustini, ac etiam in anniversario die dedicationis ecclesiae ipsius monasterii, centum dies indulgentiae concedit. (Reg. 25, f. 230, an. V, c. 230.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis

fusi de pretioso corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute, inter que illud esse pregrande dinoscitur quod ubique, sed precipue in Sanctorum ecclesiis majestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatinus ad monasterium Sancti Salvatoris Fuldensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis Sancti Benedicti, Herbipolensis diocesis, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictum monasterium in festivitatibus Beatorum Bonifacii, Simplicii et Faustini martirum, quorum corpora venerabiliter requiescunt ibidem, ac etiam in anniversario die dedicationis ecclesie ipsius monasterii causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Dat. Anagnie, X idus decembris [1], anno quinto. »

3003 Anagni, 13 décembre 1259.

Archiepiscopo Ebredunensi super diversis articulis legationis officium sibi in Lombardia commissae tangentibus respondet. (Reg. 25, f. 230, an. V, c. 231 ; Potthast 17724 ; Rodenberg, t. III, n° 503.)

« .. *archiepiscopo Ebredunensi, Apostolice Sedis legato.* Satis ex devota tuarum serie litterarum, satis etiam ex nostra mente collegimus quam implicitus et confusus, quam detestabilis et dampnosus dudum fuerit et sit hodie Lombardie status, que in hoc potissime vigere dinoscitur quod dispendiosis litibus et periculosis discordiis, non sine offensa Dei gravissima implicetur, nobis sicut et quibusdam Romanis pontificibus, predecessoribus nostris, fundentibus propter hoc sepe profunda suspiria et etiam lacrimosa. Procedit ex hiis quod et super valitudine corporali, et multimoda cordis angustia, quam sub multorum de partibus illis detestanda versutia frequentissime pertulisse dinosceris, tibi paternis affectibus condolemus, ac etiam te plenis in Domino prosequimur actionibus gratiarum quod suscepte legationis officium cum omni diligentia et virtute prosequi studuisti. Ad hec, quia instanter ac humiliter petivisti ut super diversis articulis quos predicte tue littere continebant, tibi nostrum beneplacitum exponere curaremus, nos fraternitati tue duximus respondendum quod beneficium absolutionis per quandam religiosam personam Pelavicino et Bosio de Doata, ac etiam Cremonensibus illis qui tunc contra quondam perfidum et impium Ezelinum in exercitu existebant, temere prestitum, cum nullam super hoc potestatem habuerit, et Ecclesie formam in aliquo non servarit, fratribus Minoribus et Predicatioribus pretermissis per quos, juxta ordinationem tuam hujusmodi absolutio debuit provenisse, irritum [1] esse, auctoritate nostra decernas, ac illud publice denunties non tenere, proviso quod si predicti Pelavicinus et Bosius redire velint ad mandatum Ecclesie reverenter et in ejus devotione persistere pura fide, ac societatem seu confederationem penitus abjurare quam cum Manfredo, quondam principe Tarentino, seu quibusvis aliis Dei et Ecclesie inimicis dampnabiliter inierunt, necnon super hiis pro quibus per Sedem Apostolicam excommunicationis vinculo sunt astricti, satisfactionem congruam impertiri, tu eis, recepta prius ab ipsis de hiis observandis idonea cautione, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesie largiaris, facturus id ipsum circa Cremonenses et quoscunque alios aut communitates etiam Lombardie seu marchie Tervisine, quoad excommunicationis et interdicti sententias relaxandas ; si tamen ipsi, juxta predictum modum ad mandatum ipsius Ecclesie cum debita velint humilitate redire. Circa satisfactionem vero prestandam ab eis, cum vix aut nunquam posse provenire credatur, ac etiam super obtinenda ydonea cautione quod ipsi mandatum Ecclesie fideliter observabunt, procedas prout tua discretio melius viderit expedire, diligentiam quam poteris habiturus, ut ecclesiis et personis ecclesiasticis bonorum immobilium omnino necnon et mobilium, si qua extant, competens fiat restitutio, que predicti Pelavicinus et Bosius seu communitates olim eisdem Ecclesiis et personis indebite abstulerunt. Provideas etiam diligenter quod, si qua ipsa juga vel onera ecclesiis et personis eisdem imposuerint hactenus vel de

1. *Sic.* Il n'y a pas de X des ides dans le calendrier romain. La date est donc erronée. Les ides de décembre vont du 6 au 12 de ce mois, la date du document est donc comprise entre ces sept jours. Si l'on admet que le X a été mis pour un V, elle serait du 9.

1. Reg. : *iratum.*

cetero duxerint imponenda, illorum et statutorum ac omnium aliorum fiat amotio, que redundant in earum prejudicium et libertatis ecclesiastice detrimentum. De facienda quidem confederatione vel societate inter aliquas civitates Ecclesie Romane nomine, cum ipsam talibus non deceat implicari, te nullatenus intromittas. Preterea quia merentium consolator Dominus gemitus Ecclesie sue clementer audivit et lacrimis plurimorum, qui ejus misericordiam super tantis ipsorum angustiis assidue implorabant, finem imposuit affectatum, brachio sue potentie confrigendo predicti cornua Ezelini, crucem amodo non predices, nec facias predicari. Votorum etiam redemptionis non exigas nec facias ab illis exigi qui olim contra Ezelinum eundem crucis signaculum assumpserunt, quia nos oportuno tempore, prout expediens fuerit, super hoc curabimus providere. Ceterum tue circumspectioni committimus ut in partibus illis maneas, et tue legationis officium juxta morem prudenter ac laudabiliter exequaris, dummodo consideratis circumstantiis oportunis fiduciam habeas quod, super hiis que honorem contingunt Ecclesie, possis Deo propitio prosperari. Si vero tua presentia ibidem non fuerit fructuosa, licentiam tibi concedimus quod ad nos duce Domino revertaris. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quinto. »

3004 Anagni, 7 novembre 1259.

Episcopo, decano et capitulo Lingonensibus indulget ut ad receptionem seu provisionem quorundam in canonicos minime teneantur. (Reg. 25, f. 230 v°, an. V, c. 232.)

« .. *episcopo et.. decano et capitulo Lingonensibus.* Desideriis vestris in hiis affectu benivolo libenter annuimus per que materia summota gravaminis, status vestri tranquillitas procuretur. Sane vestra petitio nobis exhibita continebat quod, licet in Lingonensi ecclesia que per felicis recordationis Innocentium papam, predecessorem nostrum, super receptione plurium gravata extitit, quamplures ad mandatum nostrum receperitis in canonicos et in fratres, quorum tres nondum sunt prebendas inibi assecuti, tamen quidam alii, super receptione ac provisione sua in eadem ecclesia auctoritate litterarum nostrarum vos multipliciter inquietant. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, premissis veris existentibus, auctoritate vobis presentium indulgemus ut ad receptionem seu provisionem talium per litteras ipsas minime teneamini, nec ad id compelli possitis, etiam si ad inhibitiones, reservationes et alias processum sit per easdem, quod obstare nullatenus volumus, dummodo impetratores earum non fuerint per illas recepti vel assecuti prebendas in ecclesia supradicta ; suspensionis. excommunicationis et interdicti sententias, si quas auctoritate litterarum ipsarum in vos vel in aliquem vestrum contra tenorem presentium promulgari contigerit, decernentes irritas et inanes. Nolumus tamen quod dilectis filiis Paulo, nato nobilis viri Angeli de Sancto Eustachio, civis Romani, et Deodato, germano dilecti filii magistri Angeli, canonici Cathalaunensis, in nostra curia advocati, pro quorum receptione ac provisione in dicta ecclesia direximus scripta nostra, per hoc possit aliquod generari prejudicium vel gratiis eis factis in aliquo derogari, aut quod presentes ad ipsos aliquatenus se extendant. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, VI idus novembris, anno quinto. »

3005 Anagni, 13 décembre 1259.

Antonio, rectori medietatis ecclesiae de Choing cujus proventus valorem annuum quatuor marcarum Sterlingorum non excedunt, indulget ut ecclesiam de Steping, Lincolniensis diocesis, cujus proventus valentiam octo marcarum Sterlingorum non attingunt, recipere possit. (Reg. 25, f. 230 v°, an. V, c. 233.)

« *Antonio, rectori medietatis ecclesie de Choing, Lincolniensis diocesis.* Meritis laudabilis conversationis —. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quinto. »

3006 Anagni, 17 décembre 1259.

Magistro Johanni de Stampis canonico Meldensi, mandat ut magistro Johanni de Dobra, rectori ecclesiae de Radulphi Villa, Constantiensis diocesis, qui quamdam portionem in ecclesia de Amblia, Bajocensis diocesis, sine Apostolica dispensatione obtinuerat, eamdem portionem de novo conferat, receptione libera prius recepta etc. (Reg. 25, f. 230 v°, an. V, c. 234.)

« *Magistro Johanni de Stampis, canonico Meldensi.* Dilectus filius magister —. Dat. Anagnie, XII kal. januarii, anno quinto. »

3007 Anagni, 7 mars 1259.

Religiosis de Poenitentia Jesu-Christi ut apostatas ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare etc. possint, invocato si opus fuerit auxilio brachii secularis, concedit. (Reg. 25, f. 230 v°, an. V, c. 235.)

« .. *generali,.. rectori et fratribus de Penitentia Jesu Christi, ordinis Sancti Augustini.* Devotionis vestre precibus —. Dat. Anagnie, nonis martii, anno quinto. »

3008 Anagni, 13 décembre 1259.

Cantori ecclesiae S. Paulini Treverensis mandat ut Rembaldo, cantori ecclesiae Tullensis, nepoti Tullensis episcopi, canonico Virdunensi, de aliqua dignitate seu personatu vel officio in diocesi Virdunensi secundum continentiam litterarum N. tituli S. Sabinae presbytero cardinali, tunc in partibus illis A. Sedis legato, prius directarum, provideat. (Reg. 25, f. 231, an. V, c. 236.)

« .. *cantori ecclesie Sancti Paulini Treverensis* Significavit nobis dilectus —. Dat. Anagnie, idibus decembris. »

3009 Anagni, 3 décembre 1259.

Decano et capitulo Lismorensibus sententiam Innocentii papae III qua esse Lismorensem ecclesiam cathedralem diffinivit, auctoritate apostolica confirmat. (Reg. 25, f. 231, an. V, c. 237 ; Potthast 17718.)

« .. *decano et capitulo Lismorensibus.* Ea que judicio —. Dat. Anagnie, III nonis decembris, anno quinto. »

3010 Anagni, 4 décembre 1259.

Decano ecclesiae S. Aniani Aurelianensis mandat ut magistro Alano de Mellento, officiali Morinensi, dudum in majori ecclesia Morinensi in canonicum recepto, de praebenda debita provideat, nolens tamen magistro Dionisio capellano O. S. Adriani diaconi cardinalis, praejudicium aliquod per hoc generari. (Reg. 25, f. 231, an. V, c. 238.)

« .. *decano ecclesie Sancti Aniani Aurelianensis.* Significavit nobis dilectus —. Dat. Anagnie, II nonas decembris, anno quinto. »

Anagni, 23 décembre 1259.

Nobili viro Mauritio, filio Guillelmi, et Gilae, filiae Mauritii de Londoniis, dispensat ut in matrimonio contracto, non obstante quarto consanguinitatis linea, remanere possint. (Reg. 25, f. 231, an. V, c. 239.)

« *Nobili viro Mauritio, filio Guillelmi, et Gile, filie Mauritii de Londoniis, uxori ejus, Ossoriensis diocesis.* Intenta salutis operibus —. Dat. Anagnie, X kal. januarii, anno quinto. »

3012 Anagni, 11 octobre 1259.

Omnia ab O. Tusculano, S. Penestrino episcopis, ac R. S. Angeli diacono cardinalibus facta, qui auctoritate apostolica spontaneam Ratisponensis ecclesiae cessionem ab Alberto, episcopo ejusdem, pontificalium usu retento, receperant eique provisionem in beneficiis ecclesiastieis et in bonis Ratisponensibus quoad vixerit concesserant confirmat, dictorum cardinalium litterarum IIII kal. octobris 1259 datarum tenorem inserens. (Reg. 25, f. 231, an. V, c. 240 ; Rodenberg, t. III, n° 499.)

« *Alberto, episcopo quondam Ratisponensi.* Que de mandato —. Dat. Anagnie, V idus octobris, anno quinto. »

3013 Anagni, 11 octobre 1259.

Episcopo Pragensi et abbati de Plaz, Pragensis diocesis, mandat ut praedictum Albertum in possessionem omnium sibi concessorum inducant. (Reg. 25, f. 231 v°, an. V, d.c. ; Potthast 17677.)

« .. *episcopo Pragensi et.. abbati de Plaz, Pragensis diocesis.* Que de mandato —. Dat. ut in alia. »

3014 Anagni, 4 octobre 1259.

Eidem Alberto indulget ut, quamdiu de se conquaerentibus coram A. Sedis delegatis fuerit justitiam exhibere paratus, Ratisponensis qui pro tempore fuerit et alii episcopi in quorum diocesibus provisio beneficiorum sibi concessorum consistit, in se suspensionis vel interdicti aut excommunicationis sententias promulgare non possint nec sibi ingressum ecclesiae prohibere. (Reg. 25, f. 231 v°, an. V, c. 241.)

« *Alberto, episcopo quondam Ratisponensi.* Pro tui quiete —. Dat. Anagnie, IIII nonas octobris, anno quinto. »

3015 Anagni, 12 décembre 1259.

Roberto, priori de Corbeni, contrahendi mutuum usque ad summam octingentarum lib. Par. facultatem concedit. (Reg. 25, f. 231 v°, an. V, c. 242.)

« *Roberto, priori de Corbeni, ordinis Sancti Benedicti, Laudunensis diocesis.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expe-

diendis tuis et prioratus tui de Corbeni, Laudunensis diocesis, negotiis, pro quibus ad Sedem Apostolicam accessisti, te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam octingentarum librarum Parisiensium, et obligandi creditoribus usque ad summam hujusmodi te et prioratum ipsum et omnia bona sua, ac successores tuos, et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edita in concilio generali, et beneficio restitutionis in integrum, necnon et conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscunque tenoris in posterum impetrari contigerit, auctoritate presentium tibi concedimus facultatem, ita tamen quod tu et successores tui, usuris omnino cessantibus, teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non persolveritis memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia eadem in utilitatem dicti prioratus sit conversa pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, non obstantibus aliquibus priviligiis vel indulgentiis de quibus in nostris litteris oporteat fieri mentionem, et per que tu ac successores tui valeatis super hiis in aliquo vos tueri. Dat. Anagnie, II idus decembris, anno quinto. »

3016 Anagni, 17 juin 1259.

Sententiam a Matheo de Alperino, capellano apostolico, in causa inter Rogerium de Castello, canonicum ecclesiae de Bribia, Mediolanensis diocesis, ex parte una, ac Albertum de Ispira et Simonem de Varisio, clericos ejusdem diocesis ex altera vertente, latam confirmans, praeposito ecclesiae S. Petri ad Ulmum, Mediolanensis diocesis, mandat ut dictam sententiam exequi faciat. (Reg. 25, f. 232, an. V, c. 243.)

« .. *preposito ecclesie Sancti Petri ad Ulmum, Mediolanensis diocesis.* Petitio dilecti filii Rogerii de Castello, canonici ecclesie de Bribia, Mediolanensis diocesis, nobis exhibita continebat quod, cum in causa que vertebatur inter ipsum ex parte una, et Albertum de Ispira et Symonem de Varisio, clericos Mediolanensis diocesis, ex altera, super eo quod ipsi eum super beneficio, quod feudum vulgariter appellatur, vacans per mortem Philippi de Besucio, canonici ipsius ecclesie de Bribia, et quod fuerat auctoritate apostolica in eadem ecclesia canonice assecutus, in cujus etiam possessionem corporalem inductus extiterat, in quo uterque eorum se jus habere dicebat, contra justitiam multipliciter molestabant, dilectum filium magistrum Matheum de Alperino, subdiaconum et capellanum nostrum, concesserimus partibus auditorem, idem auditor, cognitis ipsius cause meritis et juris ordine observato licentiaque a nobis de sententiando super hoc recepta, presentibus Resonato, dicti R., et Butino de Velate, ipsius Alberti procuratoribus, ac dicto S. vel alio pro eo minime comparente, pronuntiavit dictum beneficium ad ipsum R. debere spectare de jure, ipsumque cum juribus et pertinentiis suis adjudicavit eidem, ipsis Alberto et Symoni super eo perpetuum silentium imponendo, quandam ordinationem de fructibus dicti beneficii inter ipsos R. et A. de utriusque voluntate ac speciali mandato nostro faciens, prout in instrumento inde confecto ipsius capellani munito sigillo dicitur plenius contineri. Nos igitur, ejusdem R. supplicationibus inclinati, quod ab eodem capellano super hoc provide factum est, ratum habentes et firmum, ac auctoritate apostolica confirmantes, mandamus quatinus processum dicti capellani per te vel per alium executioni debite studeas demandare, contradictores etc. invocato ad hoc, si opus fuerit etc. Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno quinto. »

3017 Anagni, 3 mai 1259.

Theodosio de Lavania, Macdensi, et Petro Angeli, Narniensi canonicis, Parisius commorantibus, mandat ut Morinensem episcopum ad pensionem exsolvendam provisionemque faciendam magistro de Orto, ipsius scriptori, compellant. (Reg. 25, f. 232, an. V, c. 244; Potthast 17560.)

« *Theodosio de Lavania, capellano nostro, Macdensi,* [1] *et Petro Angeli, Narniensi canonicis, Parisius commorantibus.* Exhibita nobis dilecti — Dat. Anagnie, V nonas maii, anno quinto. »

3018 Anagni, 16 décembre 1259.

Religiosis monasterii S. Mariae de Virginibus de Venetiis indulget ut nulla de terris et possessionibus quas colunt decima exigatur. (Reg. 25, f. 232, an. V, c. 245; Potthast, 17727.)

1. Ce mot est omis dans Sbaralea et dans Potthast.

« .. *priori et conventui monasterii Sancte Marie de Virginibus de Venetiis, ad Romanam Eccleciam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Marci Mantuani.* Monasterio vestro quod —. Dat. Anagnie, XVII kal. jannarii, anno quinto. »

3019 Anagni, 16 décembre 1259.

Magistro Galabrino, priori S. Caprasii Agennensis, et archidiacono Narbonensi mandat ut ad provisionem Petri dicti Syvada, canonici Narbonensis, secundum litteras prius directas procedant. (Reg. 25, f. 232, an. V, c. 246.)

« *Magistro Galabrino, priori secularis ecclesie Sancti Caprasii Agennensis, et.. archidiacono Narbonensi.* Dilectus filius magister Petrus, dictus Syvada, canonicus Narbonensis, capellanus dilecti filii nostri R. Sancti Angeli diaconi cardinalis, nobis exposuit quod, cum ipse olim super provisione sibi facienda in comitatu vel districtu aut dominio nobilis viri.. comitis Tholosani, de aliquo personatu vel dignitate aut ecclesiastico beneficio ad cujuscunque collationem spectante, ad.. prepositum ecclesie Magalonensis ejusque collegam, felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, sub certa forma executorias litteras impetrasset, iidem executores, mandatum apostolicum exequi cupientes, prioratum secularis ecclesie Sancti Caprasii Agennensis, tunc vacantem, ipsi magistro P. contulerunt, auctoritate hujusmodi litterarum, capitulo ejusdem ecclesie te, fili G., in suum priorem postmodum eligente. Cumque inter ipsum magistrum et te super eodem prioratu questio exorta fuisset, tandem inter vos, mediante ipso cardinali, hujusmodi compositio intervenit, videlicet ut tu, fili G., prioratum eundem obtinens, tandiu annuam pensionem quinquaginta librarum Turonensium ipsi magistro P. exhibere curares, donec idem beneficium in comitatu vel districtu aut dominio predicti comitis, juxta earundem litterarum continentiam, assecutus existeret, ac ipsius pacifica possessione gaudere, quam compositionem idem predecessor ratam habens et gratam ipsamque apostolica auctoritate confirmans, tibi fili G. et dilecto filio., priori de Siura, Nemausensis diocesis, per litteras suas injunxit ut prefato magistro P. provideretis, juxta litterarum continentiam earundem. Et licet nos postmodum, eodem predecessore viam universe carnis ingresso, tibi, fili G., dederimus nostris litteris in mandatis ut ad provisionem ejusdem magistri P. procederes juxta directarum ad te ac priorem predictum ejusdem predecessoris continentiam litterarum, idem tamen magister P. nullum adhuc exinde, sicut asserit, commodum reportavit, propter quod duxit ad Apostolice Sedis clementiam recurrendum. Nolentes igitur ut idem magister P. quem sue probitatis meritis digno favore prosequimur, hujusmodi gratie fraudetur effectu, tu, fili archidiacone, executioni hujusmodi negotii duximus adjungendum. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, ad provisionem ipsius magistri P. procedatis per vos vel per alios aut alium juxta priorum super hoc directarum continentiam litterarum. Quod si non ambo etc. Dat. Anagnie, XVII kal. januarii, anno quinto. »

3020 Anagni, 8 décembre 1259.

Hugoni, dicto Barbier indulget ut si S. Sulpicii, Bajocensis diocesis, et S. Dyonisi de Exprevilla, Rothomagensis diocesis ecclesias, curam animarum habentes, quas obtinet, se resignare contigerit, duo alia beneficia loco illarum, et si alteram tantum resignaverit, unum solum beneficium pro illa, etiam cum simili cura, recipere possit. (Reg. 25, f. 232 v°, an. V, c. 247.)

« *Hugoni, dicto Barbier, rectori ecclesie Sancti Sulpicii, Bajocensis diocesis.* Tue merita probitatis —. Dat. Anagnie, VI idus decembris, anno quinto. »

3021 Anagni, 13 décembre 1259.

Episcopo Cathaniensi mandat ut molendinum de Borrafaldo et terras Garelini de tenimento Lentino, quae ad domanium curiae sunt per excadentiam devoluta, annui redditus viginti unciarum auri, nobili viro Sanctorum de Lentino in perpetuum concedat, ita quod iidem Sanctorum et heredes ejus Ecclesiae Romanae aut regi per eam instituendo in regno Siciliae, pro dictis bonis fidelitatem consuetam praestent. (Reg. 25, f. 232 v°, an. V, c. 248.)

« .. *episcopo Calthaniensi.* Circa dilectum filium—. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quinto. »

3022 Anagni, 13 décembre 1259.

Archiepiscopo Toletano mandat ut Fernando Velasci, abbati seculari de Castro, Toletanae et Burgensis ecclesiarum canonico, litterarum studio insistenti, proventus praebendarum suarum quas in praefatis ecclesiis obtinet,

per quinquennium integre ministrari faciat, non obstantibus statuto et consuetudine praedictarum ecclesiarum. (Reg. 25, f. 233 v°, an. V, c. 249.)

« .. *archipiscopo Toletano.* Sicut dilectus filius —. Dat. Anagnie, idibus decembris, anno quinto. »

3023 Viterbe, 20 février 1258.

Abbatissam, conventum et monasterium S. Mariae de Longe Marke, Morinensis diocesis, generali ordinis et provinciali fratrum Minorum illius provinciae committit. (Reg. 25, f. 232 v°, an. V, c. 250 [1] ; Potthast 17193.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Clare de Longe Marke, ordinis Sancti Damiani, Morinensis diocesis.* Cum sicut ex —. Dat. Viterbii, X kal. marcii, anno quinto. »

3024 Anagni, 3 avril 1259.

Abbati monasterii Montismajoris, Arelatensis diocesis, mitra, annulo caeterisque pontificalibus utendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 233, an. V, c. 251.)

« .. *abbati monasterii Montismajoris, ordinis Sancti Benedicti, Arelatensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Laudabilis religio que in monasterio tuo ad Romanam Ecclesiam spectante colitur, sic ab eo mundane dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claustralis abstinentie nexibus relegatum, observantie puritate fulgeat regularis, et, voluntatis libitum coartans, omnino sub obedientie debito dignam et sedulam exhibeat Domino servitutem. Unde tamquam potiori devotioni preminens, attolli jamdudum exemptionis privilegio meruit et velut sanctitatis titulo pressignitum, nonnulis aliis gratiis decorari. Verum, ut eo majoris sinceritatis erga Sedem Apostolicam proficiat meritis quo per eam honore fuerit preditum ampliori, volumus ut adhuc decor, quem ex predicta exemptione recepit, exuberante Sedis ejusdem gratia, circa illud ad gloriam divini nominis pontificalibus insigniis augeatur. Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi et successoribus tuis, ut in ecclesiis prioralibus et locis aliis monasterio predicto subjectis, mitra et anulo ceterisque pontificalibus uti de cetero libere valeatis, auctoritate presentium indulgemus ; ita tamen quod in locis aliorum jurisdictioni subjectis, premissis absque licentia et beneplacito eorum qui in locis hujusmodi jurisdictionem obtinent, uti minime presumatis. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, III nonas aprilis, anno quinto. »

1. A partir de ce numéro, il n'y a plus d'initiale en couleur au début de l'acte.

3025 Anagni, 6 juillet 1259.

Episcopo Tornacensi omnibusque Tornacensis diocesis religiosis concedit ut de laicorum manibus decimas redimere possint. (Reg. 25, f. 233, an. V, c. 252.)

« .. *episcopo Tornacensi.* Fraternitatis tue precibus inclinati, tibi auctoritate presentium indulgemus ut, tam tu quam etiam dilecti filii decanus et capitulum Tornacenses, necnon prelati, capitula, collegia et conventus ecclesiarum et monasteriorum Tornacensium civitatis et diocesis, possitis decimas redimere de manibus laicorum, de rectorum ecclesiarum ad quas decime ipse spectant et locorum diocesanorum assensu, a te et ab ipsis prestita prius ydonea cautione quod eas eisdem restituetis ecclesiis, quandocunque de ipsarum pretio vobis fuerit satisfactum. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II idus julii, anno quinto. »

3026 Au Latran, 23 janvier 1259.

Heliae Jauberti, Petragoricensis diocesis, tabellianatus officium concedit. (Reg. 25, f. 233, an. V, c. 253.)

« *Helie Jauberti, Petragoricensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Laterani, X kal. februarii, anno quinto. »

3027 Viterbe, 12 juin 1259.

Magistro Petro de Solido, canonico Engolismensi, indulget ut, praeter praebendam Engolismensem, ecclesiam de Segontiaco, Xanctoniensis diocesis, et ecclesiam S. Martialis Engolismensis curam animarum habentes retinere possit. (Reg. 25, f. 233 v°, an. V, c. 254.)

« *Magistro Petro de Solido, canonico Engolismensi.* Meritis tue devotionis —. Dat. Viterbii, II idus junii, anno quinto. »

3028 Anagni, 9 novembre 1295.

Jolano, canonico ecclesiae de Leproso, Bituricenssis diocesis, mandat ut abbatem monasterii S. Gildasii de Castro Radulfi, ordinis S. Benedicti, ejusdem diocesis,

ad provisionem de aliquo beneficio Alano Britoni clerico. faciendam per censuram ecclesiasticam compellat. (Reg 25, f. 233, an. V, c. 255.)

« *Jolano, canonico ecclesie de Leproso, Bituricensis diocesis.* Sua nobis dilectus —. Dat. Anagnie, V idus novembris, anno quinto. »

3029 Anagni, 15 mai 1259.

Matheo, episcopo Trojano, indulget ut quosdam canonicatus et praebendas seu beneficia in aliquibus diocesibus retinere valeat. (Reg. 25, f. 233, an. V, c. 256.)

« *Matheo, episcopo Trojano.* Tuis devotis supplicationibus assensu benivolo concurrentes, devotioni tue canonicatus et prebendas seu beneficia que in Wellensi et in Anthoniensi, Cameracensis diocesis, Sancti Rasmi, et Sancti Lencii, Verulane civitatis et diocesis ecclesiis obtines, ecclesiam quoque de Bercham, Norwicensis diocesis, et Sancte Marie de Valle Babucii, Verulane diocesis, sive curam habeant annexam [animarum] sive non, que siquidem cum felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster, te ecclesie Trojane per dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem in pastorem fecit prefici, obtinebas, cum omnibus eorum juribus ad instar ejusdem predecessoris duximus auctoritate presentium reservanda, ut ea cum episcopatu Trojano licite ac libere retinere valeas, ipsorumque proventus percipere donec ipsius episcopatus pacificam fueris possessionem adeptus, constitutione generalis concilii non obstante, decernentes irritum et inane quicquid de premissis beneficiis contra reservationem hujusmodi per quoscumque contigerit attemptari. Nulli nostre reservationis etc. Dat. Anagnie, idibus maii, anno quinto. »

3030 Anagni, 9 novembre 1259.

Episcopo Wellensi et Bathoniensi, ac magistro Petro de Piperno, capellano apostolico, mandat ut praedictum episcopum Trojanum non permittant super canonicatu et praebenda Wellensibus et ecclesia de Bercham contra reservationem ab ipso papa factam, ab aliquo molestari. (Reg. 25, f. 233 v°, an. V, d.c.)

« .. *episcopo Wellensi et Bathoniensi, et magistro Petro de Piperno, capellano nostro in Anglia commoranti.* Supplicationibus venerabilis fratris —. Dat. ut in alia. »

3031 Anagni, 21 mai 1260.

Cantori et magistro Bartholomaeo de Mantua, canonico Cameracensi, mandat ut Balduino, presbytero, canonico ecclesiae Anthoniensis, Cameracensis diocesis, omnes fructus et proventus praebendae sibi concessae et quotidianas distributiones ministrari faciant sub residentiae conditione. (Reg. 25, f. 233 v°, an. V, c. 257.)

« .. *cantori et magistro Bartholomeo de Mantua, canonico Cameracensi.* Exposuit nobis venerabilis frater noster M. Trojanus episcopus, quod cum felicis recordationis I. papa, predecessor noster, et nos prebendas et beneficia que obtinebat, et jura que competebant sibi ex receptione sua in quibusdam ecclesiis ante promotionem suam donec pacificam possessionem sui episcopatus adeptus fuerit, sibi duxerimus reservandas, tandem inter ipsum et Balduinum, presbiterum, canonicum ecclesie Anthoniensis, Cameracensis diocesis, super prebenda que per mortem Walterii, decani ejusdem ecclesie, vacavit ibidem, quam uterque ipsorum ad se spectare dicebat, orta materia questionis, dilectus filius Jacob *(sic)* de Sabello, capellanus noster, quem in causa hujusmodi dedimus partibus auditorem, cognitis ipsius cause meritiis et juris ordine observato, dictam prebendam sententialiter B. ajudicavit eidem, statuens et diffiniens auctoritate nostra pro bono pacis ut prefatus B. medietatem fructuum et proventuum ipsius prebende persolvat ipsi episcopo annuatim, donec dictus episcopus prebendam in eadem ecclesia, juxta tenorem mandati apostolici, fuerit assecutus. Verum.. decanus et capitulum ipsius ecclesie statutum habere dicuntur quod quilibet ecclesie predicte canonicus in ea residentiam usque ad certum tempus tenetur facere personalem, et nisi per quindecim dies ante festum Beati Johannis Baptiste idem canonicus se ipsi capitulo presentaverit, facturus hujusmodi residentiam juxta tenorem statuti predicti, foraneus reputetur. Cum autem prefatus canonicus pro ejusdem cause prosecutione ad Sedem Apostolicam accessisse ac iter jam arripuisse dicatur redeundi ad propria, facturus eandem residentiam in ecclesia memorata, nos, ejusdem episcopi devotis supplicationibus inclinati, mandamus quatinus predicto canonico in prenominata ecclesia residere parato, faciatis auctoritate nostra, vos vel alter vestrum, per vos vel per alios, omnes fructus et proventus ipsius prebende necnon et cotidianas distributiones, ac si ad faciendam resi-

dentiam hujusmodi se tunc temporis obtulisset, sicut uni ex aliis ecclesie jamdicte canonicis in ea residentibus integre ministrari, etiam si ad pretaxatum tempus se non poterit eidem capitulo presentare, dummodo infra kalendas augusti proximo nunc venturas completurum, juxta dicti statuti tenorem, ipsam residentiam se duxerit presentandum, non obstante statuto ipso juramento, confirmatione dicte Sedis aut alia firmitate vallato; contradictores etc. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno VI [1]. »

3032 Anagni, 12 octobre 1259.

Wigorniensi, Lincolniensi et Herefordensi episcopis mandat ut in abbatem et conventum monasterii Glocestriae, Wigorniensis diocesis, qui in causa cum magistro Egidio, rectore ecclesiae de Stoke, Herefordensis diocesis, vertente, excommunicationem et interdicti sententias incurrerant, dictas sententias usque ad satisfactionem condignam publice nuntient. (Reg. 25, f. 233 v°, an. V, c. 258.)

« .. *Wigorniensi*,.. *Lincolniensi*, et.. *Herefordensi episcopis*. Sua nobis magister Egidius, subdiaconus noster, rector ecclesie de Stoke, Herefordensis diocesis, petitione monstravit quod, cum in causa que inter ipsum, ex parte una, et.. abbatem et conventum monasterii Glocestrie, Wigorniensis diocesis, super quadam pecunie summa, dampnis et expensis, ex altera vertitur, dilectum filium magistrum Bernardum Ispanum, capellanum nostrum, dederimus partibus auditorem, idem capellanus, quia dicti abbas et conventus, in prefixo eis termino peremptorio auctoritate litterarum Sedis Apostolice comparere coram nobis per se vel per procuratorem ydoneum contumaciter contempserunt, quamquam predictus capellanus ipsos in audientia publica pluries citari fecerit et diutius post eundem terminum expectavit, propter hujusmodi contumaciam manifestam in eundem abbatem excommunicationis et in predictos conventum interdicti sententias, exigente justitia, promulgavit, prout in instrumento publico inde confecto sigillato sigillo ipsius capellani plenius dicitur contineri. Quare predictus rector nobis supplicavit humiliter ut sententias ipsas robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca mandamus quatinus eundem abbatem excommunicatum et dictos conventum interdictos usque ad satisfactionem condignam singulis diebus dominicis et festivis publice nuntietis et ab aliis faciatis, per omnia loca in quibus expedire videritis, nuntiari. Quod si non omnes etc. Dat. Anagnie, IIII idus octobris, anno quinto. »

3033 Anagni, 11 juillet 1259.

Raymundo de Peralta, archidiacono Tirasonensi, episcopi Caesaraugustani nepoti, indulget ut praeter archidiaconatum Tirasonensem et ecclesiam de Pobo, Caesaraugustanae diocesis, curam animarum habentes quos obtinet, alia ecclesiastica beneficia etiam si similem curam habeant et personatus vel dignitates existant, usque ad summam centum marcarum argenti, computatis archidiaconatu et ecclesia praedictis, in Hispania recipere et retinere valeat, non obstante constitutione a quondam J. Sabinensi episcopo, tunc in partibus illis legato, edita. (Reg. 25, f. 233 v°, an. V, c. 259.)

« *Raymundo de Peralta, archidiacono Tirasonensi*. Adjutos morum et —. Dat. Anagnie, V idus julii, anno quinto. »

3034 Anagni, 30 juin 1259.

Episcopo Caesaraugustano successoribusque suis indulget ut de Zuerade, de Uslibol, de Albalato, de Almuchol, de Andorra, de Arcos S. Mariae et S. Spiritus de Turolio, S. Martini de Rivo, de Anempto, de Cotanda, de Xorchas, de Linares, de Portu, de Avingalbo et de Valderoures ecclesias cum pertinentiis sicut hactenus ad usus episcopalis mensae retinere possint. (Reg. 25, f. 234, an. V, c. 260.)

« .. *episcopo Cesaraugustano*. Cum a nobis —. Dat. Anagnie, II kal. julii, anno quinto. »

3035 Anagni, 20 juin 1260.

Ministro et vicario Sclavoniae ac guardiano ordinis Minorum Jadrensi mandat ut abbatissae et conventui monialium inclusarum monasterii S. Nicolai Jadrensis, ordinis S. Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quatuor de fratribus eorum ordinis pro celebrandis divinis officiis concedant in ipsorum monasterio permansuros. (Reg. 25, f. 224, an. V, c. 261 ; Potthast 17892a.)

1. *Sic.* On peut être surpris de voir une lettre de la sixième année du pontificat d'Alexandre IV figurer parmi les lettres de la cinquième année. Cependant nous en avons un autre exemple plus loin, sous le numéro 3035, alors que le document qui suit ce dernier est de la seconde année. Nous avons déjà signalé plus haut (nos 2765, 2766) deux lettres de la cinquième année enregistrées avec celles de la quatrième année. On remarquera toutefois que ces deux lettres ont été transcrites tout à la fin de cette partie du manuscrit réservée, en principe, aux lettres de la quatrième année et qu'elles précèdent ainsi immédiatement, sauf trois feuillets restés en blanc (voir plus haut n° 2767, note 1) celles de la cinquième année avec lesquelles elles font une transition toute naturelle.

« .. *guardiano ordinis Minorum Jadrensi.* Quia personas religiosas —. Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno sexto [1]. »

3036 23 octobre 1256.

Instrumentum super processus habitos per magistrum Albertum de Parma, notarium domini papae, cum rege Angliae et aliis super facto regni Siciliae. (Reg. 25, f. 234-235 v°, an. V, c. 262 ; Rodenberg, t. III, n° 446.)

« *In Dei nomine, amen.* In presentia Sanctissimi « Patris domini Alexandri pape quarti et venera- « bilium patrum dominorum G. episcopi Tuscu- « lani, fratris Johannis, tituli Sancti Laurentii in « Lucina, et fratris Hugonis, tituli Sancte Sabine « presbiterorum, ac R. Sancti Angeli, O. Sancte « Marie in Via Lata, J. Sancti Nicolai in Carcere « Tulliano et O. Sancti Adriani diaconorum cardi- « nalium, et magistri Jordani de Terracina, nota- « rii domini pape, ac mei, Bassi, notarii Camere « ejusdem domini, magister Albertus, notarius « domini pape, ad sancta Dei evangelia juravit « quod per se nullus alius habitus est processus « de facto regni Sicilie cum illustri rege Anglie « aut Cornubie et Provincie comitibus vel qualibet « alia persona, et quod ipse nullam dationem vel « concessionem fecit dictis personis vel aliis de « dicto regno nec faciet in futurum nisi quatenus « continetur in quodam transcripto quod idem « magister dictis domino pape et cardinalibus « dedit, assignavit et tradidit in manibus eorum- « dem. Juravit etiam dictus magister se restiturum « Camere domini pape omnes litteras quas de dicto « negotio penes se habet et que tangunt dictum « negotium seu processum. Tenor autem trans- « cripti predicti sic incipit :

« Sanctissimo in Christo patri et domino Alexan- « dro, Dei gratia Sancte Romane Ecclesie summo « pontifici, suus Albertus dictus notarius se ipsum « et pedum oscula beatorum. Ut de processu per « me habito cum illustri domino.. rege Anglie ac « ejus procuratoribus et nuntiis de mandato sancte « recordationis domini Innocentii pape IIII, pre- « decessoris vestri, Sanctitatem Vestram reddam « presentibus certiorem, noveritis me post multos « tractatus cum nobilibus viris dominis Richardo « Cornubie, et Karolo, Provincie comitibus, rece- « pisse prefati domini I. litteras in hunc modum :

Pérouse, 11 avril 1253.

« Innocentius etc. magistro Alberto, notario « nostro etc. Cum super negotio regni Sicilie caris- « simo in Christo filio nostro.. illustri regi Anglie « crucesignato, suo vel filii sui nomine committen- « do, alias tibi litteras dirigamus, providentie tue « concedendi eidem regi vel ipsius filio dictum « regnum, si prefatum negotium efficaciter assump- « serit, et absolvendi eundem regem a voto crucis « illudque in susceptionem et executionem ipsius « negotii commutandi, plenam et liberam tribui- « mus de fratrum nostrorum consilio et assensu « auctoritate presentium potestatem. Nulli ergo etc. « Dat. Perusii, III idus aprilis, pontificatus nostri « anno X. »

« Item r[ecepi] alias in hanc formam :

Au Latran, 20 décembre 1253.

« Innocentius etc. magistro Alberto, notario « nostro, Apostolice Sedis legato. Prudentie tue « concedendi dilecto filio nobili viro Aymoni *(sic)* « nato carissimi in Christo filii nostri Anglie regis « illustris, regnum Sicilie sub decentibus et con- « gruis conditionibus quas tu nosti, si Ecclesie et « ipsius regni negotium idem rex efficaciter as- « sumpserit, plenam et liberam tribuimus de fra- « trum nostrorum consilio et assensu auctoritate « presentium potestatem. Nulli ergo etc. Dat. « Laterani, XIII kal. januarii, pontificatus nostri « anno XI. »

« Harum igitur auctoritate, cum tractatus habiti « cum predictis nobilibus R. et C. comitibus in « nichilum devenissent nec esset spes quod pos- « sent resurgere cum effectu, multis difficultatibus « emergentibus hinc et inde, nec prefatus rex a « bono proposito quod concepisse dicebatur nisi « esset voluntati sue satisfactum in aliquo resiliret, « receptis ipsius regis litteris in hac forma :

Bazas, 12 février 1254.

« H. Dei gratia rex Anglie etc. venerabili viro « magistro A. domini pape notario, Apostolice « Sedis legato etc. Cum nos et progenitores nostri, « honores varios et quamplura beneficia recepe- « rimus a Sancta Romana Ecclesia matre nostra, « dignum reputamus et rationi consonum ut in « hiis que honori et utilitati domini pape et Eccle- « sie predicte congruunt et expediunt, exhibeamus « nos faciles et benignos. Sane cum idem dominus « papa per dilectum clericum nostrum Johannem

1. Au sujet de cette date voir plus haut n° 3031, note.

« de Amblione, decanum Montis Sancti Andree in « Sabaudia, ejusdem domini pape cappellanum, « nobis obtulerit regnum Sicilie et Apulie ad opus « Edmundi, filii nostri, et heredum suorum utrius- « que sexus in perpetuum tenendum, nobis et « predicto E., quamdiu vixerimus, et heredibus « nostris post ipsum si idem E. sine liberis obierit, « quod absit, et idem dominus papa vobis dederit « in mandatis ut predictum regnum ad opus pre- « dicti E. nobis, ut predictum est, conferetis, nos, « ob reverentiam ipsius domini pape et Ecclesie « Romane, oblationem predictam approbantes et « humiliter admittentes, dilectos clericos nostros « prefatum Johannem de Amblione et magistrum « P. de Evingam canonicum Herefordensem, « ad vos duximus transmittendos, constituentes « eosdem procuratores nostros speciales, et con- « cedentes eisdem plenam et liberam potestatem « ad predictum regnum a vobis nomine nostro et « prefati E. filii nostri, et collationem ejusdem « regni recipiendam secundum quod vos una cum « venerabilibus patribus O. Sancti Adriani diaco- « no cardinali, Philippo, Lugdunensi electo, P. « Herefordensi episcopo et Th. de Sabaudia comite, « P. de Sabaudia, Johanne Mansel preposito Ber- « velacensi[1] et P. Cachapor, archidiaconus *(sic)* « Wellensi, tam super subsidio nobis faciendo ad « predictum negotium prosequendum et consu- « mandum quam super aliis conditionibus omnibus « apponendis et removendis duxerint ordinandum, « et ad predictam ordinationem firmiter obser- « vandam, nos domino pape et Ecclesie Romane et « vobis per has litteras nostras patentes reddimus « obligatos, gratum et firmum habituri quicquid « predicti procuratores nostri fecerint super recep- « tione predicta prout superius est expressum. « In cujus rei testimonium etc. teste me ipso apud « Vesatum, XII die februarii, anno regni nostri « trecesimo octavo. »

« Litteras meas predictis procuratoribus supre « concessione regni Sicilie contuli in hac forma :

Vendôme, 6 mars 1254.

« Viris providis et discretis Johanni de Amblione, « decano Sancti Andree in Sabaudia, domini pape « capellano, magistro Petro de Ugnia, canonico « Herefordensi, clericis domini.. illustris regis « Anglie, Albertus, domini pape notarius, Apos- « tolice Sedis legatus salutem in Domino. Inter « ceteros reges mundi dominum illustrem regem « Anglie Romana Ecclesia tamquam ejus filium « predilectum illa[1] benivolentie prerogativa pro- « sequitur et favoris, illoque sinceritatis ardore ac « fervore complectitur caritatis ut donariis gra- « tiarum, honorum extollentia, et preeminentia « dignitatum ipsum eo spectabi[li]us preferre desi- « deret principibus et regibus universis, quo « sollicitius ipsius beneplacitis complacere, annuere « desideriis, necessitatibus subvenire ac adesse « utilitatibus hactenus studuit in promptitudine « devotionis et fidei puritate. Unde quod exstitit « in ejus possibilitate grandius quodque in ipsius « facultatibus ho[no]rabilius carius habetur et « majus, dominus papa una cum suis fratribus « prefato regi liberaliter obtulit conferendum, « Sicilie videlicet regnum vacans, quod est Eccle- « sie speciale, spe ac credulitate tenens firmissima « quod idem rex detestans indevotionis et perver- « sitatis opera, ac abhominans iniquitatis et pre- « sumptionis audaciam regum plurium dicti regni, « qui, nimis forsan ejus opibus et deliciis excecati, « nonnumquam Sanctam Ecclesiam, matrem su- « am et dominam dicti regni, necnon viros religiosos, « ecclesias, personas ecclesiasticas gravibus laces- « serunt injuriis et pressuris, tamquam princeps « catholicus inclitus et verus adleta *(sic)* Ecclesie « in fervore perpetue subjectionis, devotionis et « obedientie Romane Ecclesie perseverantia incon- « cussa persistat, ejus precipuus zelator honoris « ipsius prompte parendo beneplacitis, desideriis « annuendo, ac ecclesias et personas religiosas et « ecclesiasticas (cum) tamquam Christi familiam « regni defensionis et protectionis clipeo defen- « sando easque plurimis ampliando beneficiis et « confovendo presidiis, consiliis et auxiliis opor- « tunis. Prefatus itaque rex ut facto et opere « deceat se, sicut de ipso confidit et presumit « Ecclesia in ipsius existere devotione ferventem, « haberi ad ejus obsequia promptiorem quodque « dictorum domini pape et fratrum votis annuere « ac obsecundare desideriis prona mente promp- « tisque affectibus tamquam honestatis et reve- « rentie filius concupiscat, oblationem prefati regni « sibi per vos, decanum ex parte domini pape « factam, nomine Edemundi, nati sui, et collatio- « nem de ipso faciendam a nobis sub quibusdam

1. *Sic* ; il faudrait *Beverlacensi*. On retrouvera plus loin la même forme, et aussi *Bervalecensis*.

1. Reg. : *illam*.

« conditionibus acceptavit, prout in ipsius super « hoc confectis litteris plenius continetur. Quare « nos conferendi ipsi, nomine prefati E. filii sui, « regnum predictum Sicilie habentes ab eisdem « domino papa et fratribus sub certis conditionibus « plenariam potestatem, illud vobis dicti domini « regis procuratoribus per eundem dominum regem « ad hoc specialiter deputatis, predictorum domini « regis et Edmundi, filii sui, nomine, ad honorem « et gloriam Redemptoris, exaltationem Ecclesie « ac ad pacem et quietem ipsius regni totiusque « populi Christiani concedimus, juxta quod nos « una cum venerabilibus patribus domino O. « Sancti Adriani diacono cardinali, Ph. Lugdu-« nensi electo, P. Herefordensi episcopo et nobilii« bus viris Thoma de Sabaudia et Petro fratre « ejus, Richemundie comitibus, ac dilectis in Chris-« to Johanne Mansel, preposito Bervalecensi, et « Petro Cachaporo, archidiacono Wellensi, tam « super subsidio faciendo ad prefati regni nego-« tium prosequendum, et ad consumandum, quam « etiam super conditionibus apponendis et remo-« vendis ordinavimus a sepedicta Ecclesia in feu-« dum ab eodem E. et ejus heredibus perpetum « retinendum. Ita tamen quod, si dictus dominus « papa regni ejusdem collationem nostram hujus-« modi ratam et gratam habuerit ac ex certa scien-« tia presentium litterarum tenorem de verbo ad « verbum suis duxerit litteris inserendum, valida « sit et firma, alioquin cassa et irrita habeatur et « nullius penitus sit momenti. In perpetuum autem « testimonium premissorum has concessionis pre-« dicte litteras nostri sigilli munimine fecimus « roborari. Dat. Vindocini, anno Domini MCCLIII, « II nonas martii, pontificatus domini Innocentii, « pape quarti anno XI. [1] »

« Predicti vero procuratores super acceptione « collationis hujusmodi et observatione eorum que « continentur in ipsa, exhibuerunt mihi litteras « in hunc modum :

Vendôme, 6 mars 1254 n. s.

« Venerabili in Christo patri domino Alberto, « domini pape notario, Apostolice Sedis legato, « Johannes de Amblione decanus Sancti Andree « de Sabaudia, ejusdem domini capellanus, et « magister Petrus de Ugnia, clerici domini.. illus-« tris regis Anglie, salutem cum reverentia debita « et devota. Cum dominus papa per suas litteras « speciales et per me Johannem, capellanum « suum, domino meo illustri regi Anglie, regnum « Sicilie nomine Eadmundi *(sic)* filii sui, obtulisset, « dictus dominus rex, oblatione regni predicti « nomine ipsius E. nati sui, sub quibusdam condi-« tionibus acceptata, prout in ipsius super hoc « confectis litteris plenius continetur, nos, pro « receptione regni ejusdem nomine predicti Ead-« mundi, quos propter hoc idem rex suos procura-« tores constituit speciales ad vestram presentiam « destinavit. Unde vos, ejusdem domini regis « litteris super hujusmodi acceptatione dicti regni « receptis, prefatum regnum nobis dicti domini « regis et ejusdem E. filii sui nomine, sub certis « conditionibus contulistis, sicut per vestras litte-« ras super hujusmodi collatione factas evidentius « demonstratur. Nos itaque, confitentes a vobis « predictum regnum ejusdem Eadmundi nomine, « sub hiis conditionibus que predictis vestris anno-« tantur litteris recepisse, promittimus nomine « predictorum domini regis et Eadmundi, ac obli-« gamus eosdem dominum regem et regnum suum « et Eadmundum quod assument regni predicti « negotium viriliter et potenter, quodque facient « et inrefragabiliter observabunt universa et sin-« gula que per vos et venerabiles patres dominos « Ottobonum, Sancti Adriani diaconum cardina-« lem, et Ph. Lugdunensem electum, P. Herefor-« densem episcopum, et carissimos dominos nos-« tros Thomam de Sabaudia et Petrum, fratrem « ejus, Richemundie comites, ac viros providos « dominos Johannem Mansel, prepositum Berva-« lacensem et P. Cachaporo, archidiaconum Wel-« lensem, tam super subsidio faciendo ad predicti « regni negotium prosequendum et consumandum, « quam etiam super conditionibus apponendis et « removendis duxeritis ordinandum. In cujus rei « testimonium presentes litteras sigillorum nos-« trorum munimine fecimus roborari. Dat. Vindo-« cini, anno domini MCC quinquagesimo tertio, « II nonas, martii pontificatus domini Innocentii « pape quarti anno undecimo » [1].

« Completis igitur collatione et acceptione pre-« dictis, predictus rex pro dictorum confirmatione « et ego insinuatione procuratores et nuntios des-

1. Le II des nones de mars de la onzième année du pontificat d'Innocent IV correspond au 6 mars 1254, et si ce document porte l'année 1253, c'est évidemment qu'il a été daté d'après le style de Pâques ou celui de l'Annonciation. Ramené au style moderne, il est bien de 1254.

1. Au sujet de cette date, voir la note précédente.

« tinavimus festinanter, et tempore procedente, « super quadam confirmatione et collatione mu- « tanda recepi apostolicas litteras sub hac forma :

Assise, 14 mai 1254.

« Innocentius etc. Carissimo in Christo filio « in Christo filio Eadmundo, regi Sicilie illustri etc. « Specialis dilectionis affectum quem habemus ad « carissimum in Christo filium nostrum illustrem « regem Anglie, patrem tuum, cupientes in suis « evidentius ostendere per effectum, regnum Sicilie « et totam terram que est citra Farum usque ad « confinia terrarum Ecclesie Romane ad eandem « Ecclesiam devoluta, tibi, quem ad id inter alios « orbis principes preeligimus, jam pridem duximus « offerenda. Te igitur de assensu ejusdem regis « oblationem hujusmodi tamquam ipsius Ecclesie « devoto et catholico principe humiliter accep- « tante, dilectus filius magister Albertus notarius « noster, Apostolice Sedis legatus, cui velud illi « qui tuum honorem et commodum zelatur ut « proprium, negotium ipsum tecum consumandum « de consilio et assensu fratrum nostrorum com- « misimus, tibi tuisque heredibus in feudum in « perpetuum reg[n]um et terram predictam, excep- « ta civitate Beneventana, de speciali mandato « nostro concessit, prout in ejus litteris inde con- « fectis quorum tenorem de verbo ad verbum « presentibus inseri fecimus plenius continetur. « Nos itaque concessionem eandem ratam et gra- « tam habentes, ac defectum si quis ex quacunque « causa vel omissione in ea extitit supplentes, de « apostolice plenitudine potestatis regnum et ter- « ram predictam cum omnibus juribus, honoribus, « dist[r]ictibus et pertinentiis suis, excepta civi- « tate Beneventana cum ejus juribus, honoribus, « districtibus et pertinentiis universis, tibi qui de « voluntate predicti regis hec acceptasse dinosceris « tuisque heredibus in feudum in perpetuum auc- « toritate apostolica de predictorum fratrum nos- « trorum consilio confirmamus et presentis scripti « patrocinio communimus, ea tibi de novo in « feudum, salvis libertatibus et immunitatibus « ecclesiarum predictorum regni et terre, tam in « electionibus quam in aliis ad eas pertinentibus, « concedentes.

« Tenor autem litterarum predicti legati talis « est :

Vendôme, 6 mars 1254 n. s.

« Excellenti viro domino Eadmundo, nato do- « mini H. regis Anglie illustris, Albertus, domini « pape notarius, Apostolice Sedis legatus, salu- « tem et paratam ad obsequia voluntatem. Ut sin- « cera et inconcussa devotio quam dominus H., rex « Anglie illustris, pater vester habet ad Romanam « Ecclesiam in vobis paterna vestigia imitantibus « propagata, fructum non tam eidem Ecclesie quam « toti Christianitati necessarium afferat vosque « insigniat fastigio regie dignitatis, de speciali « auctoritate et mandato domini pape facto nobis, « de suorum fratrum consilio et assensu, vobis et « heredibus vestris regnum Sicilie et totam ter- « ram que est citra Farum usque ad confinia terra- « rum Ecclesie, cum omnibus juribus, honoribus, « districtibus et pertinentiis suis, excepta civitate « Beneventana cum ipsius juribus et pertinentiis, « universis in feudum concedimus, salvis liberta- « tibus et immunitatibus ecclesiarum predictorum « regni et terre, tam in electionibus quam in aliis « pertinentibus ad easdem. Super conditionibus « vero que pertinent ad idem negotium apponendis, « venerabilium patrum dominorum O. Sancti Adria- « ni diaconi cardinalis, Ph., electi Lugdunensis,.. « episcopi Herefordensis, et nobilium virorum Th. « de Sabaudia comitis et P. fratris ejus necnon « proborum virorum dominorum Johannis Mansel, « prepositi Bervarlecensis et Petri Cachaporo, « archidiaconi Vellensis, et nostro arbitrio, prout « vos et predictus dominus rex jam acceptastis, « stabitur hinc et inde. In cujus rei testimonium « et perpetuam firmitatem has litteras fieri feci- « mus et sigilli nostri munimine roborari. Dat. « Vindocini, anno domini MCC quinquagesimo « tertio, II nonas martii, pontificatus domini « Innocentii pape IIII anno XI. »

« Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Dat. Asisii, « II idus maii, pontificatus nostri anno undecimo. »

« Item recepi litteras alias sub hac forma :

Assise, 14 mai 1254.

« Innocentius etc. magistro Alberto, notario « nostro, Apostolice Sedis legato etc. Gratum geri- « mus et acceptum diligentiam tuam dignis in « Domino laudibus commendantes, super eo quod « negotium tibi ab Apostolica Sede commissum « cum carissimo in Christo filio nostro Edmundo, « rege Sicilie illustri, laudabiliter consumasti. Cum « igitur collationem sibi a te de ipso regno factam

« duxerimus de fratrum nostrorum consilio confir-
« mandam, defectu[m], si quis ex quacunque causa
« in ea exsitit, supplentes de plenitudine potestatis,
« volumus et per apostolica tibi scripta firmiter pre-
« cipiendo mandamus quatinus carissimum in
« Christo filium nostrum Anglie regem illustrem
« ad mittendum quantotius eundem regem in manu
« forti, ad prosequandum, prout decet tantum
« principem, viriliter et potenter idem negotium
« inducens et induci faciens modis quibus expedire
« videris secundum prudentiam a Domino tibi
« datam, collationis tue litteras eidem regi Sicilie
« renoves sub priori data in illum modum quem
« in confirmationis nostre litteris in quibus litte-
« rarum tuarum renovendarum tenor inscritur
« perspexeris contineri, eam in hiis et aliis que
« pertinent ad festignationem *(sic)* et promotio-
« nem ejusdem negotii sollicitudinem, prout bene
« fecisti hactenus habiturus, quod possis proinde
« apud Deum et homines non immerito commen-
« dari. Dat. Asisii, II idus maii, pontificatus nos-
« tri anno undecimo ».

« Predictis ergo litteris receptis et earum con-
« tinentia diligentius intellecta, rogavi eundem
« regem, apud ipsum per me et alios insistendo,
« ut se prepararet viriliter et potenter, prout dece-
« bat tantum principem, ad dictum negotium
« prosequendum, cum mora traheret ad se peri-
« culum et dilatio in talibus sit dumpnosa ; sed
« responso viva voce a predicto rege recepto quod
« pecuniam non habebat, nec sperabat se posse
« hujusmodi negotium prosequi, nisi primo per
« auxilium Ecclesie Romane sibi exhiberetur deci-
« ma eidem concessa in partibus Anglicanis, licet
« me rogaret et oportune instaret ac etiam impor-
« tune ut concessionem predictam juxta litterarum
« domini pape continentiam renovarem, videns
« ipsius debilitatem ac impotentiam quam publice
« allegabat, et attendens quod acceleratione nego-
« tium indigebat, renovationem non feci et ulte-
« rius in dicto negotio non processi, quare predic-
« tus rex litteras quas mihi prius presentari fece-
« rat reportavit ; cum dictis autem Cornubie et
« Provincie comitibus se[u] quovis alio ad collatio-
« nem dicti regni aliquatenus aliter non processi. »

« Et ego Bassus, filius quondam domini Roberti,
« apostolica auctoritate et nunc Camere ejusdem
« notarius, presens transcriptum prout in origi-
« nali transcripto per dictum magistrum Alber-
« tum domino pape et predictis cardinalibus pre-
« sentato, nil addens vel minuens, nisi ut ibidem
« inveni, de mandato dicti domini pape et rogatu
« dicti magistri Alberti, scripsi, ascultavi et in
« publicam formam redegi, sub anno Domini MCC
« quinquagesimo sexto, X kal. novembris, indic-
« tione XV, pontificatus vero domini pape Alexan-
« dri quarti anno secundo. »

3037 Anagni, 18 octobre 1259.

Subrogationem nonnullorum civium Coloniensium loco quorumdam campsorum et officialium dictae civitatis publica laborantium infamia ab archiepiscopo Coloniensi factam confirmat. (Reg. 25, f. 235 v° [1], an. V, c. 263 ; Rodenberg, t. III, n° 500.)

« .. *archiepiscopo Coloniensi.* Ex parte tua et dilectorum filiorum capituli, priorum, judicum, scabinorum, consulum, juratorum et universitatis civium Coloniensium fuit propositum coram nobis quod cum campsores sive monete tue Colonienses magistri, qui Husgeno et en [2] vulgariter appellantur, ac magistri civium et scabini qui tunc erant in civitate Coloniensi, in qua tu [3] jurisdictionem obtines temporalem, et quidam alii officiales qui appellantur scabinorum fratres, publica infamia laborarent, videlicet quod dicti campsores sive monete magistri monetam falsabant eandem, alii vero fraudulenter et inique commissa sibi officia exercebant, condempnando innocentes et impios absolvendo, tu, cui de hoc legitime constitit, prout spectabat ad te, campsores, magistros, scabinos et alios predictos, uno scabinorum ipsorum Brunone dicto Kranz videlicet qui scabinatus officium fideliter et laudabiliter executus fuerat, dumtaxat excepto, a commissis sibi officiis auctoritate propria sententialiter amovisti, justitia exigente, et eisdem [4] campsoribus abjudicasti feuda que occasione officii cudendi monetam a te detinebant, et loco campsorum, magistrorum, scabinorum et aliorum predictorum Gerardum de Scintkulen [5], Ricolfum Grun [6], Willelmum de Hunde-

1. Le reste du folio est en blanc ainsi que le folio suivant (236). Au folio 237 commence la partie du registre consacrée aux lettres de la sixième année du pontificat d'Alexandre IV.

2. *Sic.* Rodenberg corrige : *Husgenoeten*, en un seul mot, comme il convient.

3. Reg. : *tui.*

4. Reg. : *et ab eisdem.*

5. *Santculin* suivant l'acte d'investiture délivré par l'archevêque le 17 avril 1259 et dont le texte, collationné par Rodenberg, donne, pour plusieurs de ces noms, les formes signalées ci-dessous.

6. Rodenberg : *Grin.*

ga et eu[1] Theodericum filium Cuerstol[2], Gerlacum et Conradum fratres, Henricum de Wassenberg, Theodoricum de Ponte, Henricum Theclonearium[3], Johannem de Rile, Johannem filium Wichmanni et alios, cives Colonienses, in eisdem officiis subrogasti, prout in litteris inde confectis tui capituli et universitatis predictorum munitis sigillis, plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis capituli, priorum, judicum, scabinorum, consulum, juratorum et universitatis predictorum supplicationibus inclinati, quod super hiis a te provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. Dat. Anagnie, XV kal. novembris, anno quinto. »

1. Ce nom que Rodenberg met, comme plus haut, en un seul mot, figure, dans l'acte de 1259, sous la forme : *Huntgazzen*.
2. Rodenberg : *Overstolz*.
3. Rodenberg proposerait : *theolenarium*.

FIN DE LA CINQUIÈME ANNÉE

INCIPIT REGESTUM

DOMINI ALEXANDRI PAPE IIII

PONTIFICATUS SUI ANNO SEXTO[1]

3038 Anagni, 21 décembre 1259.

Magistro Rogero, rectori ecclesie de Worthe Abbatis, indulget ut ecclesiam de Acle, Lincolniensis diocesis, sibi ab episcopo Lincolniensi commendatam, una cum praedicta de Worthe Abbatis ecclesia retinere possit. (Reg. 25, f. 237, an. VI, c.l.)

« *Magistro Rogero, rectori ecclesie de Worthe Abbatis, Saresbiriensis diocesis.* Porrecta nobis ex —. Dat. Anagnie, XII kal. januarii, anno sexto. »

3039 Anagni 2 janvier 1260.

Nobili viro Mauritio, nato Mauritii Geroldi, Clonensis diocesis, dispensat ut in matrimonio cum Mathildi contracto remanere possit, non obstantibus sponsalibus a quondam David, fratre suo, cum eadem Mathildi contractis. (Reg. 25, fol. 237, an. VI, c. 2.)

« *Nobili viro Mauritio, nato Mauritii Geroldi, Clonensis diocesis.* Devotionis tue meretur —. Dat. Anagnie, IIII nonis januarii, anno sexto. »

3040 Anagni, 9 janvier 1260.

Johanni de Villanis, clerico Bajocensis diocesis, indulget ut beneficium ecclesiasticum curam animarum habens recipere possit dummodo ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri et in beneficio resideat. (Reg.25, f. 237, an. VI, c. 3.)

« *Johanni de Villanis, clerico Bajocensis diocesis.* De te in —. Dat. Anagnie, VI idus januarii, anno seuto. »

3041 Anagni, 12 janvier 1260.

Electionem Thomae, canonici et thesaurarii Lismorensis, in episcopum Lismorensem a vices gerentibus Clonensis episcopi et episcopo Lechlinensi factam confirmat, inhibens ne quis dictum Thomam molestare audeat. (Reg. 25, f. 237, an. VI, c. 4 ; Potthast 17748.)

« *Thome, episcopo Lismorensi.* Olim ut asseris —. Dat. Anagnie, II idus januarii, anno sexto. »

3042 Anagni, 13 janvier 1260.

Religiosis Majoris Monasterii Turonensis quos per viginti annos et amplius comes Blesensis infestaverat, indulget ut, in hoc temporis spatio, nulla contra ipsos currat praescriptio. (Reg. 25, f. 237, an. VI, c. 5 ; Potthast 17756.)

« .. *abbati et conventui Majoris Monasterii Turonensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Desideriis vestris in hiis affectu benivolo debemus annuere que vos et monasterium vestrum digne possint a dispendiis preservare. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, dudum inter vos, ex parte una, et nobilem virum.. comitem Blesensem, ex altera, materia dissentionis exorta, idem

1. Le titre reproduit ci-dessus est seul écrit en rouge ; les autres rubriques, comme précédemment, ne sont représentées que par l'indication donnée en marge à l'encre noire, au *rubricator*. De même ne trouve-t-on aucune initiale en couleur.

comes vos et dictum monasterium per viginti annos et amplius adeo infestavit quod in hujusmodi tempore, propter oppressionem ipsius, commode jura vestra et membrorum vestrorum prosequi et defendere minime potuistis. Nos itaque, vobis et eidem monasterio super hoc paterno compatientes affectu, vestris supplicationibus inclinati, ut, premissis veris existentibus, nulla hujusmodi tempore contra vos et membra vestra currat prescriptio sed tempus ipsum de prescriptione penitus subducatur devotioni vestre auctoritate presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno sexto. »

3043 Anagni, 30 janvier 1260.

Religiosis monasterii S. Bartholomaei de Trisulco, altare in ipsorum capitulo construendi et partem bonorum ipsis a Stephano dicto Buctu, cive Anagnino legatam retinendi concedit facultatem. (Reg. 25, f. 237 v°, an. VI, c. 6.)

« .. *priori et conventui monasterii Sancti Bartholomei de Trisulco, Cartusiensis ordinis, Alatrine diocesis.* Meritis vestre religionis inducimur ut vos benigni favoris gratia prosequamur et in hiis que digne deposcitis habeamus providentie studium efficacis. Lecta siquidem nobis vestra petitio continebat quod quondam Stephanus dictus Buctu, civis Anagninus, tertiam partem bonorum suorum vobis in ultima voluntate sub ea conditione legavit, ut in ecclesia vestra unum altare infra annum a die obitus sui fieret, in quo ad honorem Sancti Spiritus missarum sollepnia cotidie celebrentur ; alioquin ex tunc dicta tertia pars ad hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe integre devolvatur. Verum quia in ordine vestro de approbata consuetudine haberi dinoscitur ut in qualibet ecclesia ipsius ordinis unum altare tantummodo habeatur, propter repugnantiam ejusdem consuetudinis hujusmodi altare in majori ecclesia predicti monasterii erigere non audetis, quare humiliter petebatis a nobis ut cum vos illud in capitulo vestro, quod eidem ecclesie uno tantum pariete medio est conjunctum, facere intendatis, in quo juxta dispositionem supradicti civis hujusmodi missarum sollempnia per dies singulos celebrentur, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus ut in capitulo ipso predictum altare construere valeatis, et pro eo quod illud in prefata ecclesia non erigitur, dicta tertia pars ad idem hospitale Sancti Spiritus minime devolvatur nec super ea propter hoc possit vobis in posterum suscitari questio vel aliquod prejudicium generari. Nos enim nichilominus decernimus irritum et inane si secus fuerit attemptatum. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, III kal. februarii, anno sexto. »

3044 Anagni, 25 janvier 1260.

Riccardo, rectori ecclesiae de Trawelle, indulget ut praeter eamdem ecclesiam cujus proventus trium marcarum Sterlingorum valorem non excedunt, aliud beneficium ecclesiasticum cum cura animarum recipere possit. (Reg. 25, f. 237 v°, an. VI, c. 7.)

« *Riccardo, rectori ecclesie de Trawelle, Eboracensis diocesis.* Meritis laudabilis conversationis —. Dat. Anagnie, VIII kal. februarii, anno sexto. »

3945 Anagni, 18 janvier 1260.

Dispensationem ab H[ugone], tituli S. Sabinae presbytero cardinali Mathaeo de Gusencia, monacho S. Medardi Suessionensis concessam confirmat. (Reg. 25, f. 237, an. VI, c. 8.)

« *Matheo de Gusencia, diacono, monacho monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum. Sane exhibita nobis tua petitio continebat quod dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis, in cujus eras presentia constitutus, attendens quod licet defectum luminis ex quadam superveniente infirmitate in sinistro oculo patiaris, non tamen est talis vel tantus quod propter hoc possit scandalum generari, tecum in susceptis ministrare ordinibus ac ad sacerdotii ordinem premoveri necnon ad administrationes prioratuum tui ordinis dumtaxat assumi valeas, de speciali mandato nostro misericorditer dispensavit prout in litteris inde confectis ipsius cardinalis sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos igitur, tuis devotis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica

confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno sexto. »

3046 Anagni, 28 janvier 1260.

Belmest Graeco, dispensat ut in matrimonio cum Henya de Syria contracto remanere possit. (Reg. 25, f. 237 v°, an. VI, c. 9.)

« *Belmest, Greco, et Henye, uxori ejus, de Syria.* Intenta salutis operibus Apostolice Sedis circumspecta benignitas indulta sibi desuper plenitudine potestatis utitur sicut in Deo expedire conspicit, secundum qualitatem temporum et diversarum exigentiam personarum. Cum itaque vos, prout accepimus, conjuncti tertia consanguinitatis linea, matrimonium inter vos, juxta ritum Grecorum regni Jerosolimitani diutius observatum, contraxeritis, carnali copula subsecuta et, predicto ritui minime innitentes, humiliter petieritis nobis super hoc de dispensatione apostolica provideri, nos, vestris supplicationibus inclinati, ut in matrimonio ipso non obstante impedimento hujusmodi, licite ac libere remanere possitis, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli nostre dispensationis etc. Dat. Anagnie, V kal. februarii, anno sexto. »

3047 Anagni, 28 janvier 1260

Nobili viro Sanctoro de Lentino, Siracusanae diocesis, dispensat ut in matrimonio cum Magalda de Lentino contracto remanere possit, non obstante quod cum Hadierna de Lentino, quae eidem Magaldae tertio consanguinitatis gradu attinebat, sponsalia per verbo de futuro contraxisset. (Reg. 25, f. 237 v°, an. VI, c. 10.)

« *Nobili viro Sanctoro de Lentino, Siracusane diocesis.* Affectu benivolentie specialis —. Dat. Anagnie, V kal. februarii, anno sexto. »

3048 Anagni, 29 janvier 1260.

Omnia ab episcopo Civitatensi qui monasterium S. Angeli Civitatensis, ordinis S. Benedicti, cum omnibus juribus et pernentiis suis monasterio S. Pastoris, Cisterciensis ordinis, Reatinae diocesis, contulerat, confirmat. (Reg. 25, f. 238, an. VI, c. 11.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Pastoris, Cisterciensis ordinis, Reatine diocesis.* Cum a nobis —. Dat. Anagnie, IIII kal. februarii, anno sexto. »

3049 Anagni, 26 janvier 1260.

Religiosis monasterii de Bridelingtone indulget ut nullus contra Sedis Apostolicae privilegia, de lana, lacte et « agnis animalium » eorum in conductis seu quibuscumque pascuis pascentium decimas exigat. (Reg. 25, f. 238, an. VI, c. 12.)

« .. *priori et conventui monasterii de Bridelingtone, ordinis Sancti Augustini, Eboracensis diocesis.* Vestre meritis devotionis —. Dat. Anagnie, VII kal. februarii, anno sexto. »

3050 Anagni, 8 février 1260.

Magistro Ricardo de Bello, clerico Cantuariensis diocesis, indulget ut praeter de Kingesnade et de Demecherethe ecclesias curam animarum habentes, quarum primam intitulatam et alteram commendatam habet, unicum aliud beneficium cum simili cura recipere possit. (Reg. 25, f. 238, an. VI, c. 13.)

« *Magistro Riccardo de Bello, clerico Cantuariensis diocesis.* Volentes tibi tue —. Dat. Anagnie, VI idus februarii, anno sexto. »

3051 Anagni, 28 janvier 1260.

Magistro Petro dicto Rufo, doctori in theologica facultate Parisiensi, indulget ut, non obstante defectu natalium, personatum vel dignitatem ecclesiasticam cum cura vel sine cura obtinere possit. (Reg. 25, f. 238, an. VI, c. 14.)

« *Magistro Petro dicto Rufo, canonico Ebroicensi, doctori Parisius in theologica facultate.* Illum circa dignos modum gratie specialis libenter exquirimus quem ipsorum congrue meritis intuemur, sequentes in hac parte Regis eterni vestigia, qui bona reddit singulis secundum proprie studia bonitatis. Sane cum dudum felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, evidentiam tue probitatis considerans, tecum, sicut accepimus, per suas litteras dispensasset ut, non obstante defectu natalium quem pateris, de soluto genitus et soluta, posses promoveri ad omnes ordines et beneficium ecclesiasticum, etiam si haberet animarum curam, libere obtinere, nos postmodum intellecto quod nonnulla ecclesiarum regni Francie ac aliarum partium capitula statutum ediderunt, juramento firmatum, ut nullum clericum defectum natalium patientem in canonicum reciperent et fratrem admitti *(sic)*, consideratis tue laudabilis conversationis et vite meritis, per nostras litteras duximus

dispensandum. Quare pro parte tua humiliter petebatur a nobis ut de amplioris dispensationis beneficio tibi providere de benignitate solita curaremus maxime cum tu, per Dei gratiam, in theologica facultate adeptus, honorem cathedre magistralis fluenta scientie derives ad alios et eos, quantum tibi ex alto conceditur, studeas reddere gratiosos. Nos itaque tuis propter hoc supplicationibus annuentes, ut, predicto non obstante defectu, in prefatis vel quibuscunque aliis ecclesiis personatum vel dignitatem ecclesiasticam, cum cura vel sine cura, etiam si episcopalis fuerit, dummodo alias ad eam canonice evoceris, obtinere valeas tibi auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, V kal. februarii, anno sexto. »

3052 Anagni, 13 janvier 1260.

Privilegium abbati et conventui Majoris Monasterii Turonensis sub praecedenti cap. 5 (nº 3042) datum, in modo tamen differenti concedit. (Reg. 25, f. 238, an. VI, c. 15 ; Potthast 17756.)

« .. *abbati et conventui Majoris Monasterii Turonensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertinentis.* Justis petentium desideriis etc. usque complere. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod inter vos, ex parte una, et nobilem virum.. comitem Blesensem, ex altera, materia dissensionis exorta, idem comes monasterium vestrum et vos per viginti annos et amplius adeo infestavit quod vos, vestra et ipsius monasterii jura prosequi seu defendere minime potuistis. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ut per hujusmodi tempus non currat aliqua prescriptio contra vos auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno sexto. »

3053 Anagni, 23 janvier 1260.

Religiosis S. Galgani indulget ut de terris et vineis quas colunt nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 25, f. 238, an. VI, c. 16.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Galgani, Cisterciensis ordinis, Vulterrane diocesis.* Cum monasterium vestrum —. Dat. Anagnie, X kal. februarii, anno sexto. »

3054 Anagni, 29 janvier 1260.

Archiepiscopo Dublinensi et successoribus suis indulget ut de possessionibus archiepiscopalibus ad ecclesiam Dublinensem spectantibus quas propriis sumptibus excoli faciunt, et de nutrimentis animalium nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 25, f. 238 vº, an. VI, c. 17 ; Potthast 17776.)

« .. *archiepiscopo Dublinensi.* Desideriis tuis affectu —. Dat. Anagnie, IIII kal. februarii, anno sexto. »

3055 Anagni, 4 février 1260.

Archiepiscopo Cantuariensi ecclesiam de Mawefeld, diocesis Cicestrensis, in usus proprios concedit, sub conditione perpetuum vicarium in eadem instituendi et ecclesiam de Cranebrok dimittendi. (Reg. 25, f. 238 vº, an. VI, c. 18.)

« .. *archiepiscopo Cantuariensi.* Tue devotionis meretur affectus ut tuis petitionibus, quantum cum honestate possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut nobis significare curasti, desideres quoddam manerium construere in foresta tua de Mawefeld, diocesis Cicestrensis, ut tu et successores tui possitis ad illud honeste ac comode, cum necesse fuerit, declinare, nobis humiliter supplicasti ut ecclesiam de Mawefeld que in foresta predicta consistit et ad te in spiritualibus et temporalibus pertinet pleno jure, in qua etiam nullus alius jus obtinet patronatus, tibi tuisque successoribus in usus proprios concedere benignius curaremus. Nos itaque, tuis precibus inclinati predictam ecclesiam tibi et eisdem successoribus, premissis veris existentibus, concedimus in usus proprios, cedente vel decedente ipsius rectore, perpetuo retinendam. Ita tamen quod perpetuum vicarium instituas in eadem, cui de ipsius ecclesie proventibus sufficientem assignes, pro sustentatione sua et prefate ecclesie supportandis oneribus, portionem, et quod ecclesia de Crenebrok quam ex concessione felicis recordationis Gregorii pape, predecessoris nostri, in similes usus tenes, dimittas per rectorem de cetero gubernandam. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II nonas februarii, anno sexto. »

3056 Anagni, 13 janvier 1260.

Archiepiscopo Bituricensi mandat ut magistrum Hugonem de Voalhas, pauperem clericum in ecclesia B. Mariae de Salis Bituricensis, in canonicum recipiat eique de praebenda provideat. (Reg. 25, f. 238 vº, an. VI, c. 19.)

« .. *archiepiscopo Bituricensi.* Affectionis paterne studium —. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno sexto. »

3057 Anagni, 31 janvier 1260.

Episcopo Adriensi mandat ut Paulo, nato Ricerii, clerico, de aliquo beneficio ecclesiastico in civitate vel diocesi Veronensi, cathedrali ecclesia dumtaxat excepta, providere procuret. (Reg. 25, fol. 238 v°, an. VI, c. 20.)

« .. *episcopo Adriensi.* Dilectus filius Paulus —. Dat. Anagnie, II kal. februarii, anno sexto. »

3058 Anagni, 5 janvier 1260.

Decano et capitulo Ratisponensibus mandat ut fratrem Albertum, de ordine fratrum Praedicatorum, lectorem Coloniensem, cui eandam ecclesiam contulerat, tamquam pastorem recipiant, alioquin sententiam, quam dictus Albertus rite in rebelles tulerat, ipse ratam habebit. (Reg. 25, f. 239, an. VI, c. 21 ; Potthast 17738 ; Posse, n° 170 ; Rodenberg, t. III, n° 504.)

« .. *decano et capitulo Ratisponensibus.* Suscepte servitutis officium —. Dat. Anagnie, nonis januarii, anno sexto. »

3059 Anagni, 5 janvier 1260.

Praedicto fratri Alberto mandat ut ad praefatam ecclesiam accedens, eam in spiritualibus et temporalibus multipliciter deformatam restaurare procuret. (Reg. 25, f. 239, an. VI, d. c.)

« *Fratri Alberto, de ordine fratrum Predicatorum, lectori Coloniensi.* Suscepte servitutis officium —. Dat. ut in alia. »

3060 Anagni, 24 janvier 1260.

Galterro de Kilkenni, canonico Lismorensi, dispensat ut, non obstante defectu natalium, dignitatem ecclesiasticam, episcopali tamen excepta, obtinere possit. (Reg. 25, f. 239, an. VI, c. 22.)

« *Galterro de Kilkenni, canonico Lismorensi.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, VIIII kal. februarii, anno sexto. »

3061 Anagni, 3 février 1260.

Praedicto magistro Galtero indulget ut unicum beneficium ecclesiasticum, etiam cum cura animarum in Hibernia recipere ac una cum praebenda Lismorensis ecclesiae, cum ipsam adeptus fuerit, retinere possit. (Reg. 25, f. 239, an. VI, c. 23 ; Potthast 17784.)

« *Magistro Galtero de Kilkenni, canonico Lismorensi.* Etsi pretermitti non —. Dat. Anagnie, III nonas februarii, anno sexto. »

3062 Anagni, 8 février 1260.

Abbatissae et conventui monialium inclusarum monasterii S. Catharinae Januensis, quas magister Raynaldus, canonicus Theatinus, auctoritate apostolica in corporalem possessionem monasterii S. Johannis de Logano, ordinis S. Benedicti, Albinganensis diocesis, in spiritualibus et temporalibus deformati, die 9 decembris 1259 induxerat, hanc possessionem confirmat. (Reg. 25, f. 239, an. VI, c. 24 ; Potthast 17786.)

« .. *abbatisse et conventui monialium inclusarum monasterii Sancte Caterine Januensis, ordinis Sancti Damiani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Justis petentium etc. —. Dat. Anagnie, VI idus februarii, anno sexto. »

3063 Anagni, 9 janvier 1260.

Ossoriensi et Fernensi episcopis mandat ut sententiam a J[ohanne], tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali, latam et a Sede Apostolica confirmatam in lite super possessione vel quasi jurium spiritualium, tam legis jurisdictionis quam diocesanae quorumdam monasteriorum, ecclesiarum et capellarum vertente inter Thomam, episcopum, et capitulum Lismorenses, ex parte una, et David, archiepiscopum et capitulum Cassellenses ex altera, debitae demandent executioni, ejusdem sententiae tenorem inserens. (Reg. 25, f. 239 v°-240 v°, an. VI, c. 25 ; Potthast 17741.)

« .. *Ossoriensi et.. Fernensi episcopis.* Exposuerunt nobis venerabilis frater noster.. episcopus, et dilecti filii capitulum Lismorenses quod, cum venerabilis frater noster.. archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Cassellenses ipsos super possessione vel quasi jurium spiritualium, tam legis jurisdictionis quam diocesane quorundam monasteriorum, ecclesiarum et capellarum coram venerabili fratre nostro.. episcopo Duacensi,.. Maionensi et.. Duacensibus archidiaconis, quibus dilecti filii.. abbas de Geriponte,.. Sancti Johannis Kalkenie et.. Sancte Marie de Kenles priores, Ossoriensis diocesis, judices a Sede Apostolica delegati super hoc commiserant totaliter vices suas, traxissent in causam, iidem episcopus et capitulum a subdelegatis ipsis ex sufficientibus gravaminibus primo, et postmodum quia iidem subdelegati, lite non contestata, in causa perperam procedentes,

iniquam contra eos definitivam sententiam promulgarunt, ad nostram duxerunt audientiam appellandum, certumque sibi terminum ad prosequendam appellationem hujusmodi ab eadem diffinitiva interjectam apud Sedem Apostolicam prefixerunt. Verum archiepiscopus et capitulum supradicti, appellationibus contemptis hujusmodi, pretextu ejusdem diffinitive possessionem vel quasi jurium predictorum temere occuparunt, ac procurarunt in dictum episcopum Lismorensem et nonnullos de supradicto capitulo Lismorensi per dictos subdelegatos excommunicationis et interdicti sententias contra justitiam promulgari. Unde dilectus filius noster O. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis quem tam in causis appellationum hujusmodi quam etiam principali dedimus auditorem de attemptatis, post dictas appellationes legitime cognito, dictos episcopum et capitulum in quasi possessionem subjectionis et jurisdictionis ecclesiarum, capellarum et monasteriorum predictorum, in qua cardinalis ipse eos tempore appellationum hujusmodi extitisse cognovit, per interlocutoriam reducendos esse decrevit, prefatum quoque archiepiscopum et ecclesiam Cassellenses causam hujusmodi prosequentes, ad restitutionem fructuum ex predictis medio tempore perceptorum per eandem interlocutoriam condempnavit, predictas interdicti et excommunicationis sententias nullas esse penitus nuntiando, ac quicquid ex eis vel ob eas seu ex predicte diffinitive executione secutum est decernendo irritum et inane, prout in litteris inde confectis sigillo ipsius cardinalis munitis plenius continetur, quarum tenor talis est :

Anagni, 23 décembre 1259.

« In nomine Domini, amen. Nos frater J. miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Lucina « presbiter cardinalis, a domino nostro summo « pontifice in causis appellationum interpositarum « per venerabilem patrem Thomam, episcopum « et capitulum Lismorenses, a diffinitiva sententia et processibus ante diffinitivam habitis lata « ab.. episcopo Duacensis,.. Maionensi et.. Duacensi archidiaconis, subdelegatis in solidum ab« batis de Geriponte,.. Sancti Johannis Kilkeanie « et.. Sancte Marie de Kenles priorum Ossoriensis « diocesis, judicum a Sede Apostilica delegatorum, « necnon in causa principali que vertuntur inter « eosdem episcopum et capitulum Lismorenses, « ex parte una, et venerabilem patrem David, « archiepiscopum, et ecclesiam Cassellenses, ex « altera, super possessione vel quasi jurium spiri« tualium tam jurisdictionis quam legis diocesane « ecclesiarum, monasteriorum et capellarum de « Clonmelle, abbatie de Surio, de Dovenachimor, « de Lisrodrac, de Ballimamona, de Kiltagan, « de villa Adelagheles, de Clochtol, de Kilmoro« russino, de Ruthronan, de Kilcronactan, de Kil« silan, de Killoluwam, de Taheheyny, de Balliy« dina, de Kilrodan, de Kileassi, de Magtrechyr, « de Limyurenan, de Adhnagarbad, de Maclery, « de Fachymfatha, de Balliynruthca, de Athenyry, « de Karrec, de Novavilla, de Limian, de Tybra« chna, de villa Ademanci, de Ballilegan, de Lo« chluacra, de willa Adekarmerdin, de Nedan, de « Tulachmolan, de Molacha, de Ardfinam, de « Dergrad, de Ratherdunesk, de Killyinlach, et « de Hotheratha existentium in cantredo de Ywo« ghyn et dimidio cantredo de Yffathiatha ac « jurium et pertinentiarum earundem deputatus « auditor, receptisque libellis ex parte eorumdem « episcopi et capituli Lismorensium tam super « eisdem appellationibus quam super revocatione « attemptatorum seu innovatorum post predictas « appellationes prout in eisdem libellis plenius « continetur, litisque contestatione postmodum « super eisdem legitime subsecuta, factisque posi« tionibus, et responsionibus subsecutis ad eas « auditis, et plenius intellectis, ex fideli relatione « magistri Dalfinatis de Neapoli, domini pape « subdiaconi et capellani, auditoris in negotio « hujusmodi deputati a nobis, hiis que partes circa « restitutionem attemptatorum a predicto epis« copo Lismorensi et capitulo suo petitam allegare « et proponere voluerunt, ac de eisdem cum vene« rabili patre domino.. Penestrino episcopo, de « speciali Domini pape mandato deliberatione « prehabita diligenti, supradictum episcopum et « Gualterum, procuratorem capituli Lismorensis « ipsius capituli nomine ac ipsum capitulum in « quasi possessionem subjectionis et jurisdictionis « ecclesiarum, capellarum et monasteriorum pre« dictorum, in qua eos tempore appellationum « predictarum nobis constitit extitisse, articulis « partis dicti archiepiscopi quoad hoc nequaquam « obstantibus, decernimus reducendos atque redu« cimus, Jacobum, procuratorem predicti archie« piscopi et ecclesie Cassellensis presentem, eorum « nomine ac ipsum archiepiscopum ecclesiam ad

« restitutionem fructuum medio tempore exinde « perceptorum sententialiter condempnantes. Sen- « tentias quoque excommunicationum a predictis « episcopo Duacensi, Maiouensi et Duacensibus « archidiaconis, judicibus subdelegatis vel aliis de « ipsorum mandato, in predictum episcopum et « canonicos Lismorenses post predictam appella- « tionem occasione sententie prefate prolatas, pro- « nuntiamus penitus esse nullas, quicquid ex eis « vel ob eas seu executione predicte diffinitive « sententie secutum est decernentes irritum et « inane, predictis etiam archiepiscopo et judicibus « inhibemus ne circa statum cause predicte, hujus- « modi appellatione pendente in Romana curia « coram nobis, aliquod per se vel alios innovare « presumant. Articulos autem ab utraque parte « datos quantum ad causam seu causas appella- « tionum et principalis negotii, salvo jure imper- « tinentium duximus admittendos. In cujus rei « testimonium et notitiam pleniorem, presens scrip- « tum fieri mandamus per subscriptum Jacobum, « notarium, et sigilli nostri munimine roborari. « Facta est dicta pronuntiatio Anagnie, in hospitio « dicti domini J. cardinalis, presentibus domino « T. episcopo, Gualtero et Jacobo procuratore do- « mini archiepiscopi supradictis, sub anno Domi- « ni MCCLVIIII, tempore domini Alexandri pa- « pe IIII, mense decembri, die XXIII intrante, « II indictione, coram domino Monopolitano epis- « copo, domino archiepiscopo Tarentino, domino « Godefrido, domino Benedicto et fratre Hugone, « monachis, capellanis prefati domini J. cardinalis, « domino Adam, capellano domini archiepiscopi « Armachani, Marino, famulo dicti magistri Dalfi- « natis et aliis quampluribus testibus rogatis « hujus rei. Ego Jacob Thome, Sancte Romane « Ecclesie auctoritate notarius et ordinarius judex, « pronuntiationi interfui supradicte et eam pre- « dicti domini J. cardinalis mandato scripsi et « publicavi. »

Quocirca mandamus quatinus per vos vel alios interlocutoriam hujusmodi executioni debita demandetis, predictas interdicti et excommunicationis sententias nullas esse, ubi expedire videritis, nuntiantes, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstante si eidem archiepiscopo vel quibuscunque aliis a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu quavis alia dicte Sedis indulgentia crucesignatis illarum partium vel aliis quibuscunque concessa, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis etc. dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam diocesim etc. Quod si non ambo etc. Dat. Anagnie, V idus januarii, anno sexto. »

3064 Anagni, 4 février 1260.

Infrascriptis mandat ut eidem episcopo Lismorensi tamquam diocesano, sicut faciebant ante executionem praedictae diffinitivae sententiae, intendant. (REG. 25, f. 240 v°, an. VI, d. c.)

« *Abbatibus, prioribus, rectoribus, perpetuis vicariis et clericis ecclesiarum, monasteriorum et capellarum consistentium in cantredo de Yhogin et dimidio cantredo de Hifathayhather, Lismorensis diocesis, venerabili fratri nostro.. episcopo Lismorensi subjectis.* Exposuerunt nobis venerabilis —. Dat. Anagnie, II nonas februarii, anno sexto.

3065 Anagni, 28 février 1260.

Ludovico, Francorum regi, de tristi Ludovici filii ejus primogeniti obitu, litteras mittit consolatorias. (REG. 25, f. 240 v°-241 v°, an. VI, c. 26; POTTHAST 17796.)

« *Regi Francorum illustri.* Vox horroris et meroris, vox gemitus et lamenti sensibus nostris insonuit, que interiora cordis nostri, quasi quodam diri vulneris telo transverberans, in capite universalis Ecclesie, de tristi obitu clare memorie L. primogeniti tui, fontem aperuit lacrimarum nosque ac fratres nostros attonitos reddidit intensissima consideratione jacture quam ex hoc eadem Ecclesia et domus tua, caritatis apostolice probatissima filia, communiter sustulerunt. Inter mundi siquidem procellas, que assiduis adversus eandem Ecclesiam malignorum spirituum flatibus intumescunt, ipsa specialiter in regni tui prosperitate respirans, spem singularis presidii sibi in fidei ejuinviolabili firmitate dispositi in illum quem geniture series et rerum ordo jam certum premonstrabat regni ejusdem hereditarium successorem, pari confidentia prorogaret. Nimirum de ipso publica tenebat opinio, jugibus gratiose indolis proficiens incrementis quod si decreta fatalia sperate substitutionis ordinem non turbassent, idem paterne

discipline salutaribus eruditionibus institutus, suis temporibus te nomine ac moribus reddidisset. Et quia, velud germen odoris fructus honoris et gratie, jam erumpentibus laudabilium studiorum floribus, producebat unde sperabatur futurus post te, instar tui, ad robur religionis et fidei christiane, virtutis brachium, fulcimentum domus, stabilimentum et gloria gentis sue, quo ubere fonte lacrimarum regnum tuum flere sufficiat, se pignus tante fiducie qua etatis future tempora intrepide prospicere poterat, perdidisse. Auget autem, dolori nostro formidinem qua veremur ne forte meroris excessus animo tuo de tam amara carnis incisione carissime dominetur, et ne, si durum tibi divine voluntatis arbitrium impatienter accipias, Deum, quod absit, offendas ledasque te ipsum et ponas in gloria spei tue scandalum que cum infidelibus quos resurrectionis future nunc expectatio beata non recreat, contristari de dormientibus in Christo non patitur Christianos. Minuit autem hujus formidinis nostre pavorem quod exercitatum habeas animum ad patientiam in rebus asperis et adversis; omnem fortunam superare, ferendo invicto pectore didicisti, et confidimus quod hunc doloris accessum imperturbatus quamvis turbatus exceperis quem alias irruentes intollerabilium fere casuum impetus non fregerunt. Ad nichilum quippe valet, nisi ad subversionem salutis et vite, in memoria mortuorum ossa carnis immoderata spiritus exsiccare tristitia, dolores animi non tam lenire quam etiam exaggerare meroribus et ad cruciatus exitialis augmentum vulnus concidere super vulnus, quoniam nemo per lamentationes et luctus revocari poterit a defunctis. Inter hec autem potest propinatum tibi a Deo amaritudinis poculum temperare, quod vix tibi debebat cum multiplicatione sobolis vita produci, quin de alicujus eorum obitu, quorum ortus letanter fortassis acceperas, aliquando tristareris, cum raro cuiquam in filiis felicitas fecunde generationis obvenerit, qui aliqua natorum suorum funera meruerit non videre. Ergo si prout admonet inevitabilis mortalium sortis ambigua certitudo, eundem tuum secundum carnem, nostrum vero secundum spiritum, filium habuimus tamquam aliquando ammissuri, consequens est ut postquam humanitatem nostram dolendus de ipso turbavit eventus, desinamus moleste ferre quod ex necessitate futurum indicta nature mortali conditio promittebat. Gemitibus itaque ac singultibus imperantes, dijudicemus consulta ratione prudenter quid sit quo super eum quem tibi Dominus dedit et abstulit vendicare tibi lucrum legitime debeas, aut querelam preter momentaneum quoddam separationis incommodum quo illum asumpsit superna vocatio, te reliquit. An lugendus est tibi, quesumus, filius, quia communis mortalitatis legem excepit, a qua divine potestatis auctoritas humane salutis Auctorem, hominis Filium, Deum et hominem non exemit ? An quia flebile miserabilis vite hujus cito evasit exilium et in desertum patrie melioris, juxta spei nostre confidentiam, evolavit ? An quia, priusquam provectiorum etatum experiretur erumpnas, et antequam malitia in eo perverteret intellectum aut animam ipsius figmenta deciperent vanitatum, raptus est de iniquitatum medio et, miserante Deo in viventium fasciculo collocatus ? An quia pueritie sue leta et innocenti, ut creditur, sorte perfunctus, priusquam illum mortalis vite protractio robustioris adolescentie inficeret luxibus, aut ambitu juventutis afficeret aut conficeret defectibus torpide senectutis, meruit quasi adhuc primevum et tenerum germen de cedro regie sublimitatis abscidi, incorruptibiliter radicandus in desiderabili suspirii nostri terra, et eorum, qui Agnum Dei mundis gressibus prosequuntur, felicissimis cetibus inserendus ? Hinc enim ex eo procul dubio spem de ipso complectimur quod preoccupavit, ut gaudenter accepimus, in confessione humili et sacramentorum fidei perceptione devota, facie indicans quod in morte, mortis stimulo superato, in celestium potentiarum atria post capud fidelium Christum per fidei meritum nondum cognitis mundi negotiationibus introivit.

Cum igitur supervacaneum videri debeat et indignum gemitibus prosequi quem ad gaudia transisse credimus angelorum, qui, diruptis captivitatis corporee nexibus in libertatem spirituum exilivit, quesumus, carissime fili, et in debito caritatis exigimus ac mandamus ut, meroris nube depulsa, si qua forsan adhuc exinde vultum regie serenitatis obnubilat, proveniens ex premissis et in evum mansure letitie claritas te circumdet, ita quod hoc proveniat in consolationis quoque nostre profectum ut, qui fletum tuum venerint illacrimando diluere, potius inveniant unde consolationis debeant referre solatium quam afferre, Sic nempe viros decet, quibus debet robur firmitatis inesse, ne adversitatum congressibus impetiti, mollitie feminea sublabantur ; sic quoque decet

amicos qui sublatos e medio fideliter dilexerunt, hac ab illis diversitate distincti qui amicos interdum miserius deflent quos negligentius habuerunt, et amare quenquam nisi perditum nescientes tunc demum exhibent sera sue affectionis inditia, ut dubium an viventem amaverint, non relinquant. Etenim quia indecens meroris remedium est lassitudo merendi, licet a constitutione civili annus detur feminis ad lugendum, non ut tamdiu, sed ne diutius fletibus intabescant, nullum tamen viris a lege prescribitur flendi tempus legitimum, quia nullum eis ad hoc idoneum consulta prudentia indicavit, etsi sapientis auctoritas eis permittat paucissimos dies luctus ad caritatem fovendam superstitum et inhumanitatis calumpiam evitandam. Porro etsi superstiti, ut modicum super mortuum suum ploret, venerande imperet auctoritas vetustatis, venit tamen sub jubentis imperio intelligenda non tam forsitan plorandi actio quam modicitas actionis, ut per hoc quem ad flendum emollit imbecillitas anime indolentis, a multo lacrimarum profluvio compescatur. Veteribus sane patribus, ut longis indulgerent deplorationibus proximorum, non solum suggerebat humanitas, sed quia, quotquot universe carnis debitum exsolvebant, regnantis in omnes a primo parente mortis imperio, necdum secundo Adam triumphante devicta morte, ad inferos descendere cogebantur. Nunc vero, quando cum Christo in Deo fideliter morientium vita reponitur in excelsis, sine spei catholice injuria jam non possumus planctum producere super illos.

Igitur, christianissime princeps, cum lacrimam tuam siquam forsitan vehementia doloris excusserit, funditus debeat matris Ecclesie tibi fideliter condolentis lacrima compassiva siccare, quotiens memorie stimulo cor tuum, aut carissime in Christo filie nostre illustris regine Francorum, consortis tue, pupugerit cari nati acerbus excessus, quicquid hinc meroris infunditur, blanda hujuscemodi cogitatio et dulcis abstergat, quia in Christo vivens multo magis gloriose quam prius carissimis parentibus in resurrectione justorum, Deo dante, feliciter apparebit et congratulabitur se viam vite, illis erudientibus, tenuisse. Propterea reginam eandem debiliorem corporis tui partem exhortationis assidue confortatione sustenta, ut hiis et tuis consolationibus animam sublevet, ne insidentibus nimium doloribus opprimatur, sed potius dum carissimus filius amare recolitur defuisse, suaviter in mentem utriusque recurrat quam tuto exitu vite mortalis spatia consumavit, in lucem repositus apud Deum, ubi eum non amissum habent superstites, sed premissum. Quamobrem, siquid ei fortassis de contagio terrene habitationis aut carnalis infectionis inhesit, quod oporteat Ecclesie Sancte suffragiis, vel caforum auxiliis expiari, vigilet circa eum paterne ac materne diligentia pietatis, nostre quoque caritatis sinceritas ipsius apud Deum in ipsa presertim immolatione hostie salutaris, cum qua pro salute fidelium ante thronum Dei pia jugiter vota prosternimus, prout humana fragilitas permiserit, memor erit. Dat. Anagnie, III kal. martii, anno sexto. »

3066 Anagni, 28 janvier 1260.

Praeposito et capitulo ecclesiae Hasclacensis, Argentinensis diocesis, recipiendi Henricum de Phentensh, clericum Argentinensis diocesis, in ipsorum ecclesia eique de praebenda aliqua providendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 241, an. VI, c. 27.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Hasclacensis, Argentinensis diocesis.* Dilecti filii Henrici —. Dat. Anagnie, V kal. februarii, anno sexto. »

3067 Anagni, 28 janvier 1260.

Praeposito et capitulo ecclesiae S. Petri Argentinensis in e. m. pro Burchardo de Argentino. (Reg. 25, f. 241 v°, an. VI, d. c.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Sancti Petri Argentinensis.* Dilecti filii Burchardi de Argentino, clerico etc. ut in alia per totum. »

3068 Anagni, 20 février 1260.

Praeceptoribus et fratribus hospitalis S. Mariae Theutonicorum Jerosolimitani in Livonia et Pruscia constitutis, concedit ut, in subsidium suum, per fratres clericos sui ordinis ad hoc idoneos, crucem praedicari faciant sub illa forma quam Sedes Apostolica Praedicatorum et Minorum ordinum fratribus ac etiam quibusdam episcopis commisit. (Reg. 25, f. 241 v°, an. VI, c. 28; Potthast 17792.)

« *Preceptoribus et fratribus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Livonia et Pruscia.* Vix absque lacrimis —. Dat. Anagnie, X kal. martii, anno sexto. »

3069 Anagni, 20 février 1260.

Fratribus clericis hospitalis S. Mariae Theutonicorum mandat ut ad requisitionem praeceptorum sub quorum regimine constituuntur, praedictae praedicationis officium devote ac humiliter assument. (Reg. 25, f. 241 v°, an. VI, c. 28*bis*.)

« *Fratribus clericis hospitalis Sancte Marie Theotonicorum presentes litteras inspecturis.* Vix absque lacrimis meditari etc. usque roboretur, quod ad partes ipsas peregrinorum confluat multitudo, nos dilectorum filiorum preceptorum et fratrum ipsius ordinis in eisdem Livonia et Pruscia luctuosis precibus inclinati, eis per litteras nostras duximus concedendum quod in suum et aliorum fidelium Christi subsidium manentium in partibus supradictis, per aliquos ex vobis ad hoc ydoneos in regnis ac provinciis et terris aliis que predicta Sedes ad idem subsidium deputavit, crucem cum omni diligentia sub ea forma faciant predicari, quam Sedes ipsa per suas litteras in instantiam eorundem preceptorum et fratrum, dilectis filiis Predicatorum et Minorum ordinum fratribus ac etiam quibusdam episcopis dinoscitur commisisse. Ceterum volumus quod peregrini qui pro negotio ipso assumpserint crucis signaculum vel assument juxta consilium eorundem preceptorum et fratrum, contra infideles eosdem proficiscantur et agant, ac etiam quod redemptiones votorum crucesignatorum hujusmodi, prout eisdem preceptoribus et fratribus est a prefata Sede concessum, ab illis ex vobis qui predicationi hujusmodi fuerint deputati, dictis preceptoribus et fratribus integre assignentur per manus ipsorum in predictum subsidium convertende. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus ad requisitionem preceptorum ejusdem ordinis sub quorum estis regimine constituti, hujusmodi predicationis officium devote ac humiliter assumatis, studentes illud ita laudabiliter exercere quod optata exinde, auctore Deo, producatur utilitas et apud nos vestra diligentia possit merito commendari. Dat. ut in alia. »

3070 Anagni, 30 janvier 1260.

Ordinationem in controversia inter monasterium S. Michaelis de Clusa, ex una parte, et episcopum Maurianensem, capitulum ejusdem loci, priorem et canonicos Ethonis, ex altera, super prioratu S. Laurentii de Ethone orta, a Johanne Viennensi archiepiscopo, P. Gratianopolitano episcopo, et Philippo Lugdunensi electo, factam confirmat, dictae ordinationis tenorem inserens. (Reg. 25, f. 240 v°, an. VI, c. 29.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Michaelis de Clusa, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Taurinensis diocesis.* Que, strepitu litigioso semoto, compositione concordi et amicabili terminantur convenienter apostolici roborantur muniminis firmitate ut perpetuis consistant temporibus firmiora. Sane, lecta coram nobis vestra petitio continebat quod primo per felicis recordationis Innocentium papam, predecessorem nostrum, de Calasco, ac deinde per nos, de Cucurno prioratibus spectantibus ad vestrum monasterium pleno jure, ecclesie Sancti Salvatoris de Lavania, quam idem predecessor a primis erexerat fundamentis collatis, nos, vobis et eidem monasterio de prioratibus ipsis recompensationem facere intendentes, ecclesiam Sancti Laurentii de Ethone cum pertinentiis et juribus suis, tunc ordinis Sancti Augustini, Maurianensis diocesis, vobis et vestro monasterio duximus conferrendam. Ceterum venerabili fratri nostro.. episcopo et capitulo Maurianensibus jus asserentibus in ipsa ecclesia se habere, ac orta propter hoc inter vos, ex parte una, et ipsos, ex altera, materia questionis, fuit tandem a partibus super hoc in venerabiles fratres nostros.. archiepiscopum Viennensem et.. episcopum Gratianopolitanum, ac dilectum filium .. Lugdunensem electum, sub certa pena, juramento hinc inde prestito, tamquam in arbitros arbitratores et amicabiles compositores concorditer compromissum, qui super hoc quandam ordinationem de consensu earundem partium ediderunt, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Quare a nobis humiliter postulastis ut, quod ab eis super premissis factum est, confirmare de benignitate solita curaremus. Nos itaque, vestris precibus inclinati, ordinationem predictam sicut rite sine pravitate, provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum presentibus inseri fecimus qui talis est :

Bourgoin, 27 octobre 1257.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, « Amen. Nos Dei gratia Johannes, Sancte Vien-

« nensis ecclesie archiepiscopus, P. Gratianopoli-
« tanus episcopus, Philippus, Lugdunensis electus,
« cognoscentes, ut arbitri arbitratores et amicabiles
« compositores, de querelis seu controversis agita-
« tis inter venerabilem patrem P. Dei gratia
« episcopum Maurianensem, et capitulum ejusdem
« loci, P. priorem et canonicos Ethonis, ex una
« parte, et viros religiosos D. abbatem, et venera-
« bilem conventum Sancti Michaelis Clusini ex
« altera, super prioratu Hethonis et pertinentiis,
« quem dictus abbas cum conventu suo sibi et
« monasterio suo appropriare auctoritate aposto-
« lica intendebat, recepto in nos compromisso
« juramento firmato et sub certa pena a partibus
« supradictis inquisito negotio, diligenter auditis
« et intellectis que partes proponere voluerunt,
« tractatu habito cum eisdem, communicato juris
« peritorum consilio, die lune ante festum Omnium
« Sanctorum partibus assignata, ad dictum nos-
« trum statutum et arbitrium proferendum in
« ipso dicto statuto et arbitrio proferendo de peri-
« torum consilio procedimus in hunc modum. In
« primis quidem, de expresso consensu partium
« predictarum, retinemus quod nos tres vel duo
« ex nobis usque ad annum et diem, declarandi,
« interpretandi, augendi, minuendi, corrigendi dic-
« tum nostrum statutum seu arbitrium habeamus
« plenariam potestatem. Subsequenter proferimus,
« pronuntiamus, ordinamus, statuimus arbitrando
« quod prioratus Ethonis, Maurianensis diocesis,
« cum suis appenditiis, juribus et pertinentiis
« universis applicetur et subiciatur ordini et mo-
« nasterio Sancti Michaelis Clusini, et pleno jure
« ad monasterium pertineat in perpetuum supra-
« dictum, et sic statuimus arbitrando et amicabi-
« liter componendo. Statuimus etiam quod abbas
« Sancti Michaelis, qui nunc est et qui pro tempore
« fuerit, ponat et possit ponere ibidem monachos
« et priorem sui ordinis, et regulam suam a mona-
« chis suis ibidem degentibus faciat observari.
« Sane canonicis nunc presentibus in dicto priora-
« tu provideatur honorifice per dictum abbatem,
« quamdiu vixerint in habitu regulari Sancti
« Augustini quem deferunt, vel in habitu mona-
« chali, si sumere voluerint, et hoc reservamus
« arbitrio singulorum. Porro episcopus Mauria-
« nensis, qui nunc est et qui pro tempore fuerit,
« habeat et percipiat ibidem spiritualia in clero et
« populo et procurationem debitam ratione visi-
« tationis, obventiones et exactiones alias ibidem
« exigendi non habeat potestatem ; pro aliis autem
« que habebat vel percipiebat ibidem dictus epis-
« copus, habeat et percipiat annuatim in perpe-
« tuum ipse et successores ejus quadraginta libras
« Viennensium assignandas super bonis domus de
« Ethone predicte ad extimationem nostri episcopi
« Gratianopolitani. Item statuimus quod capitulo
« Maurianensi assignet dictus abbas, super bonis
« dicte domus Ethone, decem libras fortium Segu-
« siensium vel quindecim libras Viennensium an-
« nuas et perpetuo pro omnibus que in loco pre-
« dicto percipere consuevit ad estimationem nostri
« episcopi Gratianopolitani. Decernimus etiam arbi-
« trando quod prefatus abbas priori dicti loci, qui
« nunc est, provideat competenter et persolvat
« totaliter debita dicte domus. Item dicimus arbi-
« trando quod.. prior Ethonis, qui pro tempore
« fuerit, a contributione expensarum domini pape
« nuntiorum et consecrationis episcopi Mauria-
« nensis nullatenus excusetur. Injungimus etiam
« dicto abbati arbitrando quod arbitrium istud
« per Sedem Apostolicam faciat confirmari, et
« quod ipse et successores sui revocationem hujus-
« modi statuti possint nullatenus impetrare et
« contra ordinationem hujusmodi aliquod immu-
« tare vel attemptare. Partes autem supradicte
« supradictum statutum et arbitrium ipsis recita-
« tum, scienter et prudenter approbant et accep-
« tant. In cujus rei testimonium nos, predicti
« archiepiscopus, episcopus et electus, sigillis nos-
« tris presentes litteras sigillamus una cum sigillis
« partium predictarum. Actum in ecclesia de
« Burgundio, predicta die lune ante festum Om-
« nium Sanctorum, anno Domini MCCLVIIII. »
Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, III kal. februarii, anno sexto. »

3071 Anagni, 30 janvier 1260.

Abbati Athanatensi, Lugdunensis diocesis, mandat ut dictam ordinationem observari faciat. (Reg. 25, f. 242, an. VI, c. 29 *bis*.)

« .. *abbati Athanatensi, Lugdunensis diocesis*. Lecta coram nobis dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Sancti Michaelis de Clusa, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Taurinensis diocesis, petitio continebat quod, primo per felicis recordationis Innocentium papam, predecessorem nostrum etc.

ut in alia, verbis competenter mutatis usque duximus confirmandam. Quocirca mandamus quatinus ordinationem ipsam sicut rite, sine pravitate, provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, facias per te vel per alium auctoritate nostra, appellatione remota, firmiter observari, non obstante aliqua Sedis Apostolice indulgentia quibuscunque personis concessa quod suspendi, interdici vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de ipsa indulgentia mentionem, sive quavis alia Sedis ejusdem indulgentia per quam in nostris litteris non expressam effectus presentium impediri valeat vel differri. Dat. ut in alia. »

3072 Anagni, 30 janvier 1260.

Eidem abbati in e. m. per totum. (Reg. 25, f. 242, an. VI, d. c.)

« .. *abbati Athanadensi, Lugdunensis diocesis.* Lecta coram nobis —. Dat. ut in alia. »

3073 Anagni, 29 janvier 1260.

Archiepiscopo Dublinensi qui, licet ratione dignitatis archiepiscopalis sit Dublinensis ecclesiae canonicus, praebendam tamen aliquam non obtinet in eadem, concedit ut praebendam de Swerdes eidem dignitati applicet. (Reg. 25, f. 242, an. VI, c. 30 ; Potthast 17777.)

« .. *archiepiscopo Dublinensi.* Petitio tua nobis —. Dat. Anagnie, IIII kal. februarii, anno sexto. »

3074 Anagni, 6 mars 1260.

Episcopo et capitulo Lismorensibus indulget ut, durantibus quaestione inter ipsos, ex una parte, et archiepiscopum ac capitulum Cassellenses ex altera, super nonnullis ecclesiis et non minima parte diocesis Lismorensis, necnon inquisitione a J[ohanne], tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali, facienda, per litteras apostolicas specialem non facientes mentionem, non possint alibi quam apud Sedem Apostolicam conveniri. (Reg. 25, f. 242 v°, an. VI, c. 31.)

« .. *episcopo et capitulo Lismorensibus.* Inducunt nos vestre —. Dat. Anagnie, II nonas marcii, anno sexto. »

3075 Anagni, 9 mars 1260.

Abbatissae et conventui monasterii monialium S. Clarae de Longe Marke juxta Ipram indulget ut eisdem privilegiis et indulgentiis apud Rosendale supra plateam de Longe Marke in parrochia S. Johannis, ubi accomodam elegerunt mansionem, gaudeant quibus in illo loco fruebantur. (Reg. 25, f. 242 v°, an. VI, c. 32 ; Potthast 17807.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii monialium Sancte Clare de Longe Marke juxta Ipram, Morinensis diocesis, ordinis Sancti Damiani.* Devotionis vestre meretur [1] —. Dat. Anagnie, VII idus martii, anno sexto. »

3076 Anagni, 28 février 1260.

Episcopo Morinensi mandat ut, sententiis suspensionis et interdicti quas ad instantiam praepositi et capituli S. Martini Iprensis, ordinis S. Augustini, praedictum locum de Rosendale in ipsorum parrochia consistere asserentium promulgaverat, relaxatis, praefatis abbatissae et conventui S. Clarae, qui ad audientiam papae appellaverant, transferendi se ad locum ipsum et ibi monasterium construendi facultatem concedat. (Reg. 25, f. 242, an. VI, c. 32, recentiori manu.)

« .. *episcopo Morinensi.* Sua nobis dilecte —. Dat. Anagnie, IIII kal. martii, anno sexto. »

3077 Anagni, 2 février 1260.

Decano ecclesiae S. Petri Argentinensis mandat ut Corradi de Riste cujus receptio in Virdunensi ecclesia a quadam constitutione cassata erat, de praebenda aliqua provideat. (Reg. 25, f. 242 v°, an. VI, c. 33.)

« .. *decano ecclesie Sancti Petri Argentinensis.* Exhibita nobis petitio —. Dat. Anagnie, IIII nonas februarii, anno sexto. »

3078 Anagni, 26 janvier 1260.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Theutonicorum Jerosolimitani supplicantibus, omnes terras, regiones, castra, villas et oppida et quaecumque loca quae eis in Ruscia legitime dantur aut data sunt, et ea quae eripere poterint de Tartarorum manibus, ex nunc in jus et proprietatem B. Petri suscipit et illa sub speciali protectione ac defensione Apostolicae Sedis, postquam ad christianum cultum reducta fuerint, perpetuis temporibus remanere sancit etc. (Reg. 25, f. 242 v°, an. VI, c. 34 ; Potthast 17769.)

1. Dans Potthast l'incipit est : *Meretur honestas ut.*

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Jerosolimitani.* Operis evidentia declarante —. Dat. Anagnie, VIII kal. februarii, anno sexto. »

3079 Anagni, 25 janvier 1260.

Eisdem concedit ut, sicut de Pruscia duas partes habent, et episcopi tertiam partem obtinent, sic etiam de terre Curoniae seu Curlandiae duas partes in perpetuum habeant, tertia loci episcopo reservata. (Reg. 25, f. 243, an. VI, c. 35 ; Potthast 17768.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Jerosolmitani.* Operis evidentia declarante —. Dat. Anagnie, VIII kal. februarii, anno sexto. »

3080 Anagni, 25 janvier 1260.

Omnes terras, regiones, castra, villas seu oppida et quaecumque loca quae fratres hospitalis praedicti, christiani exercitus subsidio adjuti, de paganorum manibus eripere poterunt, dummodo ad aliquos christianos non pertineant, in sua suscipit protectione, ipsaque eis in perpetuum possidenda concedit ; vult autem quod, postquam illa ab eis fuerint acquisita et pacifice possessa, omnium praedictarum certam decimarum partem ecclesiis earumque praelatis ibidem constituendis assignare teneantur. (Reg. 25, f. 243, an. VI, d. c.)

« *Eisdem.* Operis evidentia declarante —. Dat. Anagnie, VIII kal. februarii, anno seuto. »

3081 Anagni, 29 mars 1260.

Domum Floridi Montis supra Nigram Undam, Bisuntinae diocesis, ac alias domus eidem subjectas sub sua protectione suscipit. (Reg. 25, f. 243, an. VI, c. 36.)

« .. *priori et fratribus heremitis domus Floridi Montis supra Nigram Undam, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus etc. usque infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et domum Floridi Montis supra Nigram Undam, Bisuntine diocesis, ac alias domos domui eidem subjectas in quibus divino vacatis obsequio, ad instar felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti regulam in domibus ipsis auctoritate Apostolica institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecumque bona predicte domus in presentiarum juste ac canonice possident aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante Domine, poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : loca ipsa in quibus prefate domus site sunt cum omnibus pertinentiis suis, videlicet cum ecclesiis, decimis, ortis, vineis, olivetis, pratis, terris, nemoribus, usuagiis, pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum que etc. usque presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in domibus vestris professionem fas sit sine prioris sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eisdem locis discedere ; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus vel quelibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire vel judicio seculari de vestra propria sustantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi vel aliquos conventus publicos convocandi, venire presumat, nec regularem prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit, contra statuta vestri ordinis se aliquatenus intromittat. Illud adjicientes ut scilicet priores ipsi episcopo, salvo ordine suo, profiteri debeant et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquid audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopi diocesani impendant. Alioquin liceat vobis quoscunque malueritis catholicos adire antistites, gratiam et communionem Apostolice Sedis [habentes] qui, nostra freti auctoritate, vobis quod postulatur impendant. Quod si sedes diocesanorum episcoporum

forte vacaverint, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut, ex hoc in posterum, propriis episcopis nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quos episcopos Romane Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentes, et de quibus plenam notitiam habeatis per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium et ordinationes clericorum auctoritate Apostolice Sedis recipere valeatis. Cum autem generale interdictum etc. usque celebrare. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum et ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint, et gratiam et communionem sacrosancte Romane Sedis habuerint et ea vobis voluerint sine pravitate quolibet exhibere. Prohibemus insuper ut, infra fines parrocchiarum vestrarum, nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis, a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque in ecclesiis vestris liberam esse decernimus, ut eorum devotioni etc. usque assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero generali priori vestro vel suorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet sub rectionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel eorum major pars consilii sanioris, secundum Deum et Beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre etc. usque exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus locis vestris concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino etc. usque profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate, et diocesanorum episcoporum canonica justitia et in supradictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona etc. usque ultioni. Cunctis autem etc. usque inveniant. Amen, amen, amen. Dat. Anagnie per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, IIII kal. aprilis, indictione II, Incarnationis Dominice anno MCCLX, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno sexto. »

3082 Anagni, 12 avril 1260.

Alano de Saffreio, militi, et Aanori uxori ejus, Nannetensis diocesis, dispensat ut in matrimonio contracto, non obstante consanguinitate, remanere possint. (Reg. 25, f. 243 v°, an. VI, c. 37.)

« *Alano de Saffreio, militi, et Aanori, uxori ejus, Nannetensis diocesis.* Intenta salutis operibus —. Dat. Anagnie, II idus aprilis, anno sexto. »

3083 Anagni, 12 avril 1260.

Magistro et fratribus militiae S. Jacobi, intuitu devotionis Emmanuelis, germani regis Castellae, concedit ut semper unus miles idoneus et fidelis de ipso ordine, ad insidendum in mensa Romani pontificis debeat deputari, ita quod, illo cedente vel decedente, alius idoneus subrogetur. (Reg. 25, f. 243 v°, an. VI, c. 38.)

« .. *magistro et fratribus militie Sancti Jacobi.* Devotionis vestre operosa —. Dat. Anagnie, II idus aprilis, anno sexto. »

3084 Anagni, 10 avril 1260.

Johanni de Heslerton, rectori ecclesiae S. Petri de « Cokefend », Norwicensis diocesis, ad supplicationem praedicti Emmanuelis, Castellae et Legionis regis germani, indulget ut, praeter beneficia ecclesiastica quorum duo commendata et unum intitulatum obtinet, unicum aliud beneficium cum cura animarum recipere possit. (Reg. 25, f. 243 v°, an. VI, c. 39.)

« *Johanni de Heslerton, rectori ecclesie Sancti Petri de Cokefend, Norwicensis diocesis.* Licet ne quis —. Dat. Anagnie, IIII idus aprilis anno sexto. »

3085 Anagni, 17 avril 1260.

Magistri Martini, capellani apostolici et Burgensis ecclesiae decani, electionem in ejusdem ecclesiae episcopum confirmans, mandat capitulo Burgensi ut praedicto Martino debitam impendant obedientiam. (Reg. 25, f. 244, an. VI, c. 40.)

« *Capitulo ecclesie Burgensi.* Rationis oculis intuentes —. Dat. Anagnie, XV kal. maii, anno sexto. -

3086 Anagni, 17 avril 1260.

Clero Burgensium civitatis et diocesis in e. m. (Reg. 25, f. 244, an. VI, d. c.)

« *Clero Burgensium civitatis et diocesis.* Rationis oculis intuentes commoda etc. ut in alia de verbo ad verbum usque in finem. »

3087 Anagni, 17 avril 1260.

Populo Burgensium civitatis et diocesis mandat ut dicti electi ut pastoris monitis intendant. (Reg. 25, f. 244, an. VI, d. c.)

« *Populo Burgensium civitatis et diocesis.* Rationis oculis intuentes —. Dat. ut in alia. »

3088 Anagni, 17 avril 1260.

Regi Castellae et Legionis praedictum electum commendat. (Reg. 25, f. 244, an. VI, d. c.)

« .. *illustri regi Castelle ac Legionis.* Rationis oculos *(sic)* intuentes —. Dat. ut in alia. »

3089 Anagni, 17 avril 1260.

Reginae Castellae ac Legionis, in e.m. (Reg. 25, f. 244, an. VI, d. c.)

« .. *illustri regine Castille et Legionis.* Rationis oculis intuentes —. ut in alia. »

3090 Anagni, 17 avril 1260.

Eidem electo mandat ut ecclesiae sibi commissae curam sollicite gerat. (Reg. 25, f. 244, an. VI, d. c.)

« *Magistro Martino, Burgensi electo.* Rationis oculis intuentes —. Dat. ut in alia. »

3091 Anagni, 21 décembre 1259.

Personis ecclesiaticis Tornacensis diocesis fructus ex quibusdam decimis a laicis detentis quas in pignus receperant, perceptos donat. (Reg. 25, f. 244, an. VI, c. 41 ; Potthast 17830.)

« .. *episcopo,.. decano et capitulo Tornacensibus ac aliis ecclesiarum et monasteriorum prelatis eorumque capitulis, conventibus et collegiis ac ceteris clericis Tornacensium civitatis et diocesis.* Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum vos olim quasdam decimas detentas a laicis in parrochiis ecclesiarum illarum in quibus jus patronatus seu altaria vel partem aliquam ipsarum decimarum obtinebatis, in pignus receperitis a laicis supradictis, et fructus perceperitis ex eisdem, prospicere in hac parte vobis et conscientiis vestris de benignitate solita curaremus. Cum igitur hujusmodi bona sint ecclesiastica et in nostra plenarie potestate consistant, nos volentes et animarum vestrarum saluti consulere et vestris indempnitatibus providere, vobis universis et singulis predictos fructus perceptos ex decimis hujusmodi apostolica auctoritate donamus, ita quod illos in sortem nullatenus teneamini computare, nec vos vel successores vestri ad restitutionem hujusmodi fructuum remaneatis quomodolibet obligati, constitutione aliqua non obstante. Nulli nostre donationis etc. Dat. Anagnie, XII kal. januarii, anno sexto. »

3092-3093 Anagni, 17 avril 1260.

Eisdem indulget ut praedictos fructus suos facere possint nisi dicti laici decimas redimeant memoratas. (Reg. 25, f. 244 v°, an. VI, c. 41 *bis.*)[1]

« *Eisdem.* Ex parte vestra — remedio curaremus. Cum itaque hujusmodi bona ecclesiastica in nostra plena dispositione consistant, vobis universi et singulis auctoritate presentium indulgemus ut, si dicti laïci a vobis non redimeant decimas memoratas, ne propter memoriam hujusmodi vobis vel locis vestris posset aliquod dispendium imminere, liceat vobis et successoribus vestris, donec ab eis redempte fuerint hujusmodi decime, facere fructus restros interim percipiendos ex ipsis eosque non teneamini computere in sortem —. Dat. Anagnie, XV kal. maii, anno sexto. »

1. En marge est écrit : *Due alie ejusdem tenoris fuerunt registrate, facta additione istius clausule : constitutione aliqua etc.*

3094 Anagni, 17 avril 1260.

Priori et conventui Cartusiae ac universis prioribus et fratribus Cartusiensis ordinis indulget ut de pratorum suorum foeno nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 25, f. 244 v°, an. VI, c. 42 ; Potthast 17831.)

« .. priori et conventui Cartusiensibus ac universis prioribus et fratribus Cartusiensis ordinis. Hoc sibi apud —. Dat. Anagnie, XV kal. maii, anno sexto. »

3095 Anagni, 17 avril 1260.

Petro dicto de Ronia, Lemovicensis diocesis, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 244 v°, an. VI, c. 43.)

« Petro dicto de Ronia, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis. Ne contractuum memoria —. Dat. Anagnie, XV kal. maii, anno sexto. »

3096 Anagni, 17 avril 1260.

Bernardo Bordas de S. Leonardo, clerico ejusdem diocesis, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 244 v°, an. VI, d. c.)

« Bernardo Bordas de Sancto Leonardo, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis. Ne contractuum memoria usque in finem. »

3097 Anagni, 30 avril 1260.

Ministro provinciali Castellae, custodi et guardiano ac fratribus de S. Facundo, ordinis Minorum, Legionensis diocesis, quibus Nicolaus, abbas monasterii S. Facundi, ordinis S. Benedicti, ejusdem diocesis, locum in quo illi morantur, situm ad portam S. Petri extra muros villae suae de S. Facundo sicut olim limitatus fuit et postmodum muris est circumdatus, cum fontibus, aquaeductibus per agrum ipsius monasterii derivatis, ac omnibus utilitatibus et pertinentiis suis contulit, concedens eis ut in eodem loco ecclesiam in B. Francisci honorem construant et cimeterium juxta eam habeant etc. hanc collationem confirmat. (Reg. 25, f. 244 v°, an. VI, c. 44 ; Potthast 17844.)

« .. ministro provinciali Castelle,.. custodi,.. guardiano et fratribus de Sancto Facundo, ordinis fratrum Minorum, Legionensis diocesis. Petitio vestra nobis —. Dat. Anagnie, II kal. maii, anno sexto. »

3098 Anagni, 24 avril 1260.

Cum episcopus et capitulum Menevenses officium thesaurariae instituissent in ipsorum ecclesia, cumque ordinavissent quod, loco praebendae thesaurariae deputatae, praebendam quae de Breudi nuncupatur, in subsidium mensae episcopalis de caetero remaneret, dictam constitutionem confirmat. (Reg. 25, f. 245, an. VI, c. 45.)

« .. episcopo, et capitulo Mene[ve]nsibus. Solet annuere Sedes —. Dat. Anagnie, VIII kal. maii, anno sexto. »

3099 Anagni, 3 mai 1260.

Godefrido de Merk dispensat ut ecclesiam de Aloham, curam animarum habentem, cum ecclesia de Lavenham, similem curam habentem retinere possit. (Reg. 25, f. 245, an. VI, c. 46.)

« Godefrido de Merk, rectori ecclesie de Lave[n]ham, Norwicensis diocesis. Virtutum merita quibus —. Dat. Anagnie, V nonas maii, anno sexto. »

3100 Anagni, 13 avril 1260.

Quibusdam clericis et laïcis falso fratrum de Poenitentia Jesu-Christi, ordinis S. Augustini, habitum assumentibus et a fidelibus nomine eorum elemosinas quaerentibus, dictis fratribus capiendi tales clericos et laicos, eos expoliandi bonis taliter acquisitis illosque puniendos locorum episcopis praesentandi, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 245, an. VI, c. 47.)

« .. rectori et fratribus de Penitentia Jesu-Christi, ordinis Sancti Augustini. Exhibita nobis vestra —. Dat. Anagnie, idibus aprilis, anno sexto. »

3101 Anagni, 20 avril 1260.

Religiosis monasterii de Calatrava indulget ut de bonis de paganorum manibus acquisitis nulli decimas exhibere teneantur. (Reg. 25, f. 245, an. VI, c. 48.)

« .. magistro et fratribus monasterii de Calatrava, Cisterciensis ordinis, Toletane diocesis. Devotionis augmentum vobis, Deo propitio, provenire confidimus si super hiis que digne cupitis nos invenisse benivolos gaudeatis. Sane, referente dilecto

filio nostre J. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbitero cardinali, accepimus quod vos ad impugnandum hostes fidei, non sine magno personarum et rerum vestrarum discrimine magnanimiter insistentes, salinas, molendina, argenti vivi fodinas, oliveta et quedam alia bona post generale concilium acquisistis de manibus paganorum, aliqua vero similia bona carissimus in Christo filius noster.. rex Castelle ac Legionis illustris erepta de manibus paganorum, prout spectabat ad eum, intuitu obsequiorum que in expugnatione dictorum hostium impendistis eidem, vobis in perpetuum liberali contulit pietate. Quia vero, sicut asseritis, non est in alicujus memoria ut de premissis ullo unquam tempore fuerint alicui decime persolute, nos, obtentu prefati regis, nobis super hoc per speciales litteras et nuntium supplicantis, supradicta vestra dispendia in aliquo relevare volentes, ut decimas de proventibus illorum ex bonis predictis que juste ac pacifice obtinetis, quas hactenus fuisse aliis solutas in alicujus non extat memoria, nulli exhibere teneamini vobis auctoritate presentium indulgemus, districtius inhibentes ne quis decimas hujusmodi a vobis exigere vel extorquere presumat. Nulli nostre concessionis et inhibitionis etc. Dat. Anagnie, XII kal. maii, anno sexto. »

3102 Anagni, 9 avril 1260.

Compositionem inter religiosos Montisburgi, Constantiensis diocesis, et archidiaconum Constantiensem supra quibusdam decimis, Radulfo scholastico, magistro Rogero de Ingarvilla et Herveo, Constantiensibus canonicis, mediantibus habitam confirmat. (Reg. 25, f. 245 v°, an. VI, c. 49.)

« .. *abbati et conventui monasterii Montisburgi, ordinis Sancti Benedicti, Constantiensis diocesis.* Cum a nobis —. Dat. Anagnie, V idus aprilis, anno sexto. »

3103 Anagni, 9 avril 1260.

Omnes libertates et immunitates, possessiones et alia bona praedicti monasterii confirmat. (Reg. 25, f. 245 v°, an. VI, d. c.)

« *Eisdem.* Cum a nobis —. Dat. Anagnie, V idus aprilis, anno sexto. »

3104 Anagni, 10 mai 1260.

Archiepiscopo Bituricensi mandat ut Guillelmo de Castromellani, clerico, de aliquo beneficio ecclesiastico provideat. (Reg. 25, f. 245 v°, an. VI, c. 50.)

« .. *archiepiscopo Bituricensi.* Dilectus filius Guillelmus —. Dat. Anagnie, VI idus maii, anno sexto. »

3105 Anagni, 11 mai 1260.

Abbatissae et conventui monialium S. Arentii de Frusinone indulget ut, pro redditibus et servitiis quae Nicolaus dictus Capore, Johannes Runolus et Ginna uxor ejus de Castro Frusinone laïci, qui possessiones et omnia bona sua dictis monialibus obtulerant, Ecclesiae Romanae annuatim exhibere tenentur, duas cerae libras dumtaxat eidem Ecclesiae annis singulis exhibeant. (Reg. 25, f. 245 v°, an. VI, c. 51 ; Potthast 17849.)

« .. *abbatisse et conventui monialium inclusarum Sancti Arentii de Frusinone, ordinis Sancti Damiani, Verulane diocesis.* Devotionis augmentum vobis —. Dat. Anagnie, V idus maii, anno sexto. »

3106 Anagni, 6 mars 1260.

Concessionem ecclesiae de Londres et capellae de Brodepelle cum institutione unius praebendae in Saresbiriensi ecclesia a Saresbiriensi episcopo abbati monasterii de Montisburgo factam confirmat. (Reg. 25, f. 245 v°, an. VI, c. 52.)

« .. *abbati conventus monasterii de Montisburgo, ordinis Sancti Benedicti, Constantiensis diocesis.* Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod bone memorie.. Saresbiriensis episcopus, sui capituli ad id accedente consensu, ecclesiam de Londres et capellam de Brodepelle cum juribus et pertinentiis suis, Saresbiriensis diocesis, in quibus jus patronatus habetis, vobis in proprios usus concessit, ita quod cedentibus vel decedentibus ipsarum rectoribus, possitis eas hujusmodi usibus applicare ac in ipsis per capellanos ydoneos facere deservire. Postmodum vero idem episcopus de consensu ipsius capituli ex eisdem ecclesia et capella in Saresbiriensi ecclesia quandam prebendam instituit, volens hujusmodi prebendam ea qua gaudent alie prebende ipsius Saresbiriensis ecclesie libertate gaudere ac statuens quod abbas vestri monasterii qui pro tempore fuerit in eodem,

canonici locum et stallum obtineat in Saresbiriensi ecclesia memorata, et in ea vicarium instituat loco sui, cui de proventibus dicte prebende quadraginta solidos Sterlingorum exhibeat annuatim, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris precibus inclinati, quod ab eodem episcopo in hac parte provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, II nonas martii, anno sexto. »

3107 Anagni, 7 mai 1260.

Religiosis hospitalis leprosorum S. Mariae Magdalenae et S. Lazari Vallis Donize indulget ut de possessionibus quas colunt, nulli decimas exhibere teneantur. (Reg. 25, f. 246, an. VI, c. 53.)

« .. *priori et fratribus hospitalis leprosorum Sancte Marie Magdalene et Sancti Lazari Vallis Donize, Castellane diocesis.* Cum sicut petitio —. Dat. Anagnie, nonis maii, anno sexto. »

3108 Anagni, 6 mai 1260.

Capitulo Gebennensi significat se Gebennensi ecclesiae per cessionem Aymonis episcopi vacanti Henricum, tunc priorem prioratus S. Albani Basiliensis, Cluniacensis ordinis, in episcopum et pastorem praefecisse. (Reg. 25, f. 246, an. VI, c. 54 ; Potthast 17848 ; Bernouilli, n° 681.)

« *Capitulo Gebennensi.* Recte tunc ecclesiarum —. Dat. Anagnie, II nonas maii, anno sexto. »

3109 Anagni, 6 mai 1260.

Clero civitatis et diocesis Gebennensium in e.m. (Reg. 25, f. 246, an. VI, d. c. ; Bernouilli, *loc. cit.*)

« *Clero civitatis et diocesis Gebennensium.* Recte tunc ecclesiarum —. etc. ut in alia de verbo ad verbum usque in finem. »

3110 Anagni, 14 mai 1260.

Priori de Casalia mandat ut, obtentu O. S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, Oderico, plebano plebis S. Jerusalem, Florentinae diocesis, capellam S. Mariae Matripauli, Fesulanae diocesis, conferat. (Reg. 25, f. 246, an. VI, c. 55.)

« .. *priori de Casalia, Vulterrane diocesis.* Sicut dilectus filius —. Dat. Anagnie, II idus maii, anno sexto. »

3111 Anagni, 22 avril 1260.

Episcopo Magalonensi mandat ut dispenset Petro de Urna, decretorum doctori, archidiacono de Agantico, in Magalonensi ecclesia, ordinis S. Augustini, quod, propter tenuitatem redditiuum dicti archidiaconatus sexaginta solidos Turonensium, valorem vix excedentium, S. Eulaliae et S. Leocadiae de Vallibus ecclesias, curam animarum habentes, secundum antiquam consuetudinem retinere possit. (Reg. 25, f. 246, an. VI, c. 56.)

« .. *episcopo Magalonensi.* Dilectus filius magister —. Dat. Anagnie, X kal. maii, anno sexto. »

3112 Anagni, 18 mai 1260.

Guillelmo, canonico Senonensi, regis Navarrae germano, indulget ut in ecclesiarum capitulis in quibus receptus est in canonicum et in fratrem et recipi se contigerit, sicut earumdem ecclesiarum canonici praebendas obtinentes in eis et in sacris ordinibus constituti, vocem habeat et ad communes tractatus capitulorum ipsarum ecclesiarum admittatur. (Reg. 25, f. 246 v°, an. VI, c. 57.)

« *Guillelmo, canonico ecclesie [Se]nonensi, germano carissimi [in Christo] filii nostri regis Navarre illustris, Campanie et Brie comitis Palatini.* Speciali gratia et —. Dat. Anagnie, XV kal. junii, anno sexto. »

3113 Anagni, 19 mai 1260.

Archiepiscopo Senonensi proventus aliquarum ecclesiarum suae diocesis ad Senonensis ecclesiae decanatus reddituum augmentum applicandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 246 v°, an. VI, c. 58.)

« .. *archiepiscopo Senonensi.* Tua nobis fraternitas intimavit quod proventus decanatus ecclesie Senonensis, quem ante promotionem tuam habueras, adeo sunt tenues et exiles quod decanus qui pro tempore fuerit non potest ex eis, utpote non excedentibus annuatim summam quadraginta librarum Parisiensium, juxta persone sue statum commode sustentari, maxime cum oporteat in ecclesia ipsa personalem residentiam facere, ac in diebus sollempnibus, juxta ejusdem ecclesie consuetudinem, gravia subire onera expensarum.

Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ut de proventibus aliquarum ecclesiarum tue diocesis ad tuam collationem spectantium, quas in redditus pinguiores tibi fore constiterit, redditus quadraginta librarum Parisiensium monete, de tui consensu capituli vel majoris et sanioris partis ipsius, demere ac illos decanatui predicto in augmentum suorum reddituum applicare, libere valeas tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, contradictores autem etc. Dat. Anagnie, XIIII kal. junii, anno sexto. »

3114 Anagni, 20 mai 1260.

Magistro et fratribus hospitalis Pisani indulget ut, hospitali eorum magistri regimine destituto, nullus deinceps in magistrum assumatur ipsius nisi quem ordinem S. Augustini professum in hospitali praedicto sub eodem ordine B. Augustini et communi vita degentem, vel major et sanior pars eorum canonice duxerint eligendum, cujus electio per Romanum pontificem confirmetur. (Reg. 25, f. 246 v°, an. VI, c. 59.)

« .. *magistro et fratribus hospitalis Pisani, quod pape Alexandri dicitur, ordinis Sancti A[ugustini], ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Illa vos prosequimur —. Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno sexto. »

3115 Anagni, 23 janvier 1260.

Henrico, decano Metensi, ad Apostolicam Sedem pro quibusdam negotiis accedenti, concedit ut sex menses computandi a die quo iter arripuit, in tempore residentiae quam tenetur in Metensi ecclesia facere, computentur. (Reg. 25, f. 246 v°, an. VI, c. 60.)

« *Henrico, decano Metensi, capellano nostro.* Cum ad Apostolicam —. Dat. Anagnie, X kal. februarii, anno sexto. »

3116 Anagni, 2 février 1260.

Eidem Henrico mandat ut Folmaro de Riste, clerico, cujus receptio in Argentinensi ecclesia a constitutione inde edita cassata erat, de praebenda aliqua provideat. (Reg. 25, f. 247, an. VI, c. 61; Rodenberg, t. III, n°. 505.)

« *Henrico, decano Metensi, capellano nostro.* Exhibita nobis petitio —. Dat. Anagnie, IIII nonas februarii, anno sexto. »

3117 Anagni, 25 février 1260.

Cantori ecclesiae S. Petri Argentinensis mandat ut ad receptionem Henrici, clerici de Vinstingen, Metensis episcopi consanguinei, in ecclesia Metensi procedat, juxta litterarum tenorem quas idem Henricus a bonae memoriae P., S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legati, impetraverat. (Reg. 25, f. 247, an. VI, d. c.)

« .. *cantori ecclesie Sancti Petri Argentinensis.* Ex parte dilecti —. Dat. Anagnie, VI kal. marcii, anno sexto. »

3118 Anagni, 25 février 1260.

Decano ecclesiae S. Salvatoris Metensis mandat ut receptionem Johannis de Lapide, canonici Treverensis, in ecclesia Argentinensi a constitutione inde edita cassatam, ad efficaciam juris pristini, majore ad id capituli parte accedente, reducat. (Reg. 25, f. 247, an. VI, d. c.)

« .. *decano ecclesie Sancti Salvatoris Metensis.* Ex parte dilecti —. Dat. Anagnie, VI kal. martii, anno sexto. »

3119 Anagni, 25 mai 1260.

Religiosis monasterii Aquae Vivae, Turonensis diocesis, decimas quas infra limites parrochiarum de Faverolis, de Monte Riccardi et quarumdam aliarum ecclesiarum legitime praescripserunt et possident, confirmat. (Reg. 25 f. 247, an. VI, c. 62.)

« .. *abbati et conventui monasterii Aque Vive, ordinis Sancti Augustini, Turonensis diocesis* Solet annuere Sedes —. Dat. Anagnie, VIII kal junii, anno sexto. »

3120 Anagni, 20 mai 1260.

Priori heremi Camaldulensis, Aretinae diocesis, indulget ut in monasterio S. Savini, Camaldulensis ordinis, Pisanae diocesis, sicut in aliis ejusdem ordinis monasteriis, visitationis officium consuetum impendere possit. (Reg. 25, f. 247, an. VI, c. 63.)

« .. *priori heremi Camaldulensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Aretine diocesis.* Petitio tua nobis —. Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno sexto. »

3121 Anagni, 18 mai 1260.

Priorissae et conventui monialium inclusarum monasterii S. Trinitatis de Lissomulin, Midensis diocesis, quarum coenobium Avitia de Lacortiere vidua, de propriis bonis suis fundarat, indulget ut de oblationibus dicto monasterio et ejus ecclesiae proventuris, minime teneantur alicui respondere nec aliquam impendere pensionem. (Reg. 25, f. 247, an. VI, c. 63b ; Potthast 17861.)

« .. *priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii Sancte Trinitatis de Lissomulin, ordinis Sancti Augustini, Midensis diocesis.* Cum sicut ex —. Dat. Anagnie, XV kal. junii, anno sexto.

3122 Anagni, 27 mai 1260.

Religiosis monasterii Plumtoni indulget ut, juxta indulti ipsis a Caelestino papa concessi tenorem, ecclesiam de Den, Exoniensis diocesis, vacantem, cujus proventus decem marcarum Sterlingorum valorem annuum vix excedunt, retinere possit. (Reg. 25, f. 247 v°, an. VI, c. 63c, et, manu recentiori, 64.)

« .. *priori et conventui [monasterii] Plumtoni. ordinis [Sancti] Augustini, Exoniensis diocesis.* Exhibita nobis vestra —. Dat. Anagnie, VI kal, junii, anno sexto. »

3123 Anagni, 21 mai 1260.

Cum abbas et conventus S. Mariae de Josaphat, cujusdam exemptionis privilegii occasione a jurisdictione patriarchae Jerosolimitani se subtrahere moliebantur, dictum privilegium revocat. (Reg. 25, f. 247 v°, c. 64.)

« *Patriarche Jerosolimitano.* Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus et ab hiis per que possent tibi provenire dispendia, te favore benivolo preservamus. Sane tua nobis conquestio patefecit quod.. abbas et conventus monasterii Sancte Marie de Josaphat, ordinis Sancti Benedicti, Jerosolimitane diocesis, tibi subjecti, exemptionis privilegium a nobis se habere dicentes, occasione hujusmodi, a jurisdictione tua se subtrahere moliuntur, in tuum et ecclesie Jerosolimitane prejudicium non modicum et gravamen. Quare nobis humiliter supplicasti ut super hoc tue ac ipsius ecclesie indempnitati consulere paterna sollicitudine curaremus. Licet igitur non credamus abbati et conventui predictis hujusmodi exemptionis privilegium aliquatenus concessisse, ut tamen tibi super hoc salubrius consulatur, hujusmodi privilegium, si quod a nobis, quod non credimus, forsitan emanavit, auctoritate presentium duximus revocandum, decernentes illud nullius prorsus existere firmitatis. Nulli nostre revocationis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno sexto. »

3124 Anagni, 6 mai 1260.

Arnaldo, thesaurario Terraconensi, in capellanum suum recepto, litteras in hujus receptionis testimonium concedit. (Reg. 25, f. 247 v°, an. VI, c. 65.)

« *Arnaldo, thesaurario Terraconensi, capellano nostro.* Tua nobis olim —. Dat. Anagnie, II nonas maii, anno sexto. »

3125 Anagni, 15 mai 1260.

Petro dicti Comiti, Albiensi, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 247 v°, an. VI, c. 66.)

« *Petro dicto Comiti, in minoribus ordinibus constituto, Albiensi.* Ne contractuum memoria —. Dat. Anagnie, idibus maii, anno sexto. »

3126 Anagni, 31 mai 1260.

Episcopo Pragensi scribit fratrem Martinum qui pastorem ordinis de Poenitentia Beatorum Martyrum se confingit et nonnullos alios ejusdem ordinis fratres multas litteras falsas sub papae nomine fabricare, insuper populis praedicare atque confessiones temere audire etc. Mandat itaque ut omnes hujusmodi litteras sibi faciat exhiberi praedicationesque et confessiones in eorum ordine prohibeat omnino ; litteras illas Romam, contravenientes vero de caetero in carceres mittat. (Reg. 25, f. 247 v°, an. VI, c. 67 ; Potthast 17878.)

« .. *episcopo Pragensi.* Miranter accepimus et —. Dat. Anagnie, II kal. junii, anno sexto. »

3127 Anagni, 21 mai 1260.

Regis Scotiae gravamina quae ob illam causam sibi et regno suo imminere dicebat, quia papa magistrum Johannem de Cheam, capellanum suum, Glasguensi ecclesiae praefecerat in episcopum, rejicit et addit se, ne aliquorum jura vel approbatas laedat consuetudines, duxisse providendum « quod idem episcopus sub tuo conductu ad regalem presentiam libere perveniat et secure, ac tibi praestet fidelitatis debite juramentum et ecclesie sue regalia seu temporalia de manibus tuis recipiat subsequenter. » (Reg. 25, f. 248, an. VI, c. 68 ; Potthast 17870.)

« .. *illustri regi Scotie.* Celsitudinis tue nuntii —. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno sexto. »

3128 Anagni, 18 mai 1260.

Abbatissae et conventui monasterii S. Silvestri de Ilreto monasterium ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis de novo confert. (Reg. 25, f. 248, an. VI, c. 69; Potthast 17862.)

« .. *abbatisse et conventui monialium Sancti Silvestri de Isketo* [1], *ordinis Sancti Damiani, Urbinate diocesis.* Specialis gratia et —. Dat. Anagnie, XV kal. junii, anno sexto. »

3129 Anagni, 8 juin 1260.

Episcopo Saresbiriensi concedit facultatem providendi per se vel per alium Thomae de Rumesya et tribus aliis clericis suis quos ad hoc idoneos esse cognoverit, videlicet cuilibet eorum de unico beneficio ecclesiastico competenti, praebendali vel alio, etiam animarum curam habente ac pertinente ad collationem vel praesentationem cujuscumque, non tamen Cisterciensis vel alicujus patroni laïci. (Reg. 25, f. 248, an. VI, c. 70.)

« .. *episcopo Saresbiriensi.* Tuam volentes honorare —. Dat. Anagnie, VI idus junii, anno sexto. »

3130 Anagni, 8 juin 1260.

Eidem concedit facultatem dispensandi praedicto Thomae de Rumesya et tribus aliis clericis sibi obsequentibus quod eorum quilibet, praeter ecclesiastica beneficia quae obtinet, unicum aliud, etiamsi personatus aut dignitas existat, recipere possit. (Reg. 25, f. 248 v°, an. VI, d. c.)

« *Eidem.* Tuam volentes honorare —. Dat. Anagnie, VI idus junii, anno sexto. »

3131 Anagni, 20 juin 1260.

Electionem Roberti, archidiaconi Bathoniensis, in episcopum Karleolensem confirmans, indulget magistro Johanni, cancellario Eboracensi, quem archiepiscopus Eboracensis, praedicto Roberto electioni de se factae infra legitimum tempus non consentiente, eidem ecclesiae Karleolensi praefecerat, ut ad episcopalem dignitatem eligi et assumi, vel si voluerit, religionem ingredi possit. (Reg. 25, f. 248 v°, an. VI, c. 71.)

« *Magistro Johanni, [can]cellario Eboracensi, [ca]pellano nostro.* Speciali gratia et —. Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno sexto. »

1. *Sic* dans l'adresse et dans le texte.

3132 Anagni, 17 juin 1260.

Priori de Nocere mandat ut episcopo Lemovicensi personam idoneam de canonicis monasterii Guabonensis, Lemovicensis diocesis, inibi in priorem instituendam praesentare procuret. (Reg. 25, f. 248 v°, an. VI, c. 72.)

« .. *priori de Nocere, ordinis Sancti Augustini,..* [1] *diocesis.* Cum presentatio prioris prioratus de Tullo vacantis ad presens, ad.. prepositum et capitulum monasterii Guabonensis, ordinis Sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, quibus dicitur subesse pertinere dicatur, et idem monasterium preposito vacet ad presens, et negotium electionis de preposito a canonicis ipsius monasterii in discordia celebrate apud Sedem Apostolicam ventiletur, propter quod nequit [2] de priore dicto prioratui provideri, cum, prefato monasterio vacante, presentatio prioris jamdicti secundum consuetudinem ejusdem monasterii ad capitulum minime devolvatur, ne idem prioratus ex vacatione diutina in spiritualibus et temporalibus gravem lesionem incurrat, discretioni tue de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, venerabili fratri nostro.. episcopo Lemovicensi, ad quem institutio prioris in eodem prioratu pertinet, ad prioratum eundem auctoritate nostra personam ydoneam de canonicis ipsius monasterii, cum per ipsos consueverit hactenus gubernari, hac vice presentare procures instituendam inibi per eundem, non obstante quavis Apostolice Sedis indulgentia per quam effectus presentium differri possit vel etiam impediri. Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno sexto. »

3133 Anagni, 18 juin 1260.

Raynaldo de Germita, nepoti suo, indulget ut ecclesiam S. Mariae de Norwalescham, Norwicensis diocesis, cum ecclesia SS. Petri et Pauli de Tranges, Lincolniensis diocesis, retinere possit. (Reg. 25, f. 248 v°, an. VI, c. 73.)

« *Raynaldo de Germita, nepoti, subdiacono et capellano nostro.* Non est inconveniens —. Tue igitur devotioni auctoritate presentium indulgemus ut ecclesiam Sancte Marie de Norwalescham, Norwicensis diocesis, curam animarum annexam habentem, non obstante quod ecclesiam Sancto-

1. Le nom du diocèse est très effacé ; il semble commencer par *B* et se terminer par *cen*.
2. Reg. : *ne quid*.

rum Petri et Pauli de Tranges, Lincolniensis diocesis, cui similis cura imminet, postmodum sine dispensatione apostolica recepisti, cujus quidem ecclesie de Norwalescham fructus ex ea perceptos a tempore receptionis ipsius ecclesie de Tranges apostolica tibi auctoritate donamus, possis cum ipsa Sanctorum Petri et Pauli licite insimul retinere, ita quod, occasione predictarum ecclesiarum vel alicujus ex eis, altiores suscipe[re] ordines et in ipsis vel ipsarum aliqua residere personaliter minime tenearis, neque ad hoc per quemcumque vel quoscunque auctoritate ordinaria vel delegata compelli possis invitus, sed earundem ecclesiarum fructus, redditus et proventus cum ea integritate percipere valeas cum qua illos perciperes si in ipsis ecclesiis residentiam faceres personalem, et omnes hujusmodi altiores ordines suscepisses ; non obstantibus constitutione concilii generalis et quibuscumque contrariis consuetudinibus vel statutis juramento vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si locorum diocesanis vel quibuscunque aliis personis a Sede Apostolica sit indultum et in posterum indulgeri contingat quod personas in suis civitatibus aut diocesibus, ecclesias et alia ecclesiastica beneficia cum cura vel sine cura obtinentes, ad susceptionem ordinum et ad residentiam in eis personaliter indultis hujusmodi non obstantibus valeant coartare, et quibuslibet aliis apostolicis indulgentiis predictis diocesanis vel aliis quibuscumque personis concessis vel imposterum concedendis per quas hujusmodi gratie quoquomodo impediri possit effectus. Ad hec apostolica tibi auctoritate concedimus ut in nullis spiritualibus tibi obsit nec quoad hec neque quoad alia nocumentum aliquod vel obstaculum ti[bi] prestet nec unquam ad impedimentum tuum obici tibi possit quod prefatam ecclesiam de Tranges post dictam ecclesiam de Norwalescham, et tam ipsius de Tranges quam ejusdem de Norwalescham ecclesiarum proventus post receptionem dicte ecclesie de Tranges in subdiaconatus ordine, non susceptis altioribus, sine dispensatione apostolica recepisti, et utramque retines, nondum promotus ad ordinem sacerdotii quem ecclesiarum ipsarum cura requirit, proviso quod in ecclesiis ipsis congrue per vicarios ydoneos facias deserviri et quod in eis animarum cura nullatenus negligatur. Nulli nostre indulgentie, donationis et concessionis etc. Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno sexto. »

3134 Anagni, 17 juin 1260.

Nicolao de Brithania, clerico Lemovicensis diocesis, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 249, an. VI, c. 74.)

« *Nicolao de Brithania, clerico in [mi]noribus ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno sexto. »

3135 Anagni, 8 juin 1260.

Abbatissae monasterii Fontis Ebraudi indulget ut priores, priorissae, fratres et moniales in prioratibus suo ministerio pleno jure subjectis, absque sua licentia res eorum prioratuum in judicium deducere aut mutuum contrahere de caetero sicut hactenus non praesumant. (Reg. 25, f. 249, an. VI, c. 75.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Fontis Ebraudi ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Meritis vestre religionis —. Dat. Anagnie, VI idus junii, anno sexto. »

3136 Anagni, 27 mai 1260.

Renunciationem Voraldi, episcopi, et capituli Halberstadensium cuidam consuetudini qua erga ipsos ecclesia in Quidelingeburg tenebatur, necnon recognitionem juris dictae ecclesiae in Quidelingeburg super ecclesia de Walbeke confirmat, litterarum super hoc confectarum tenorem inserens. (Reg. 25, f. 249-250, an. VI, c. 76 ; Potthast 17873 ; Rodenberg, t. III, nº 506.)

« *Dilectis in Christo filiabus.. abbatisse et capituli secularis ecclesie in Quidelingeburg, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Halberstadensis diocesis.* Inducunt etc —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod Halberstadenses episcopi qui fuerunt pro tempore, ad ecclesiam vestram in dominica in Ramis Palmarum annis singulis consueverunt accedere, vosque ipsis tunc consuevistis providere in victualibus, et in festo Purificationis Beate Marie Virginis annuatim septem candelas et unum fertonem auri Halberstadensi ecclesie exhibere a tempore cujus memoria non existit. Porro venerabilis frater noster.. episcopus et capitulum Halberstadenses, attendentes quod ex hoc interdum eadem vestra ecclesia multipliciter gravabatur, vobis et predicte ecclesie vestre premissa omnia totaliter remiserunt, recepta propter hoc a vobis quadam pecunie quantitate. Ad hoc cum inter vos, ex parte una, et eosdem

episcopum et capitulum super ecclesia de Walbeke ad predictam ecclesiam vestram pleno jure spectante orta esset, ex altera, materia questionis, tandem dicti episcopus et capitulum, considerantes quod eadem ecclesia de Walbeke, per privilegia Sedis Apostolice dicte ecclesie vestre concessa, ab ipsorum erat jurisdictione prorsus exempta, confessi fuerunt in predicta ecclesia de Walbeke in temporalibus et spiritualibus aut institutione vel destitutione prepositi ejusdem se nichil juris habere, prout in litteris inde confectis, sigillatis sigillis eorundem episcopi et capituli, plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eisdem episcopo et capitulo provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterrum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

Halberstad, 30 septembre 1259.

« Volradus, Dei gratia Halberstadensis ecclesie « episcopus, Hermannus prepositus, Wibertus deca- « nus totumque ejusdem ecclesie capitulum, om- « nibus in perpetuum. Propter variabiles hominum « voluntates, presentis temporis brevem vitam, « et precipue propter oblivionem que, ratione « corruptionis nature humane, virtutem memorie « obscuravit, opere pretium est ea, que perpetuo « inviolabiliter observari debent, roborari testimo- « nio scripturarum ut, supervenientibus novis, « preterrita tamquam presentia cognoscantur. Hinc « est quod notum esse volumus tam presentibus « quam futuris quod, cum ita fuisset antiquitus « observatum ut episcopus Halberstadensis, qui « pro tempore extitit, in ramis Palmarum veniens « ad monasterium Quidelingeburg, ad amplian- « dum cultum Dei ob reverentiam diei sancte, « licet numerus evectionum fuisset sibi aliquando « per venerabilem Conradum, Portuensem epis- « copum, tunc legatum Sedis Apostolice, consti- « tutus, tamen per nobiles terre, milites et plures « alios, qui ad sollempnitatem hujus d[i]ei con- « fluebant, dictum monasterium plurimum grava- « batur ; item quod in festo Purificationis septem « candele nostre dabantur ecclesie, ferto auri, qui « similiter nostre ecclesie a jam dicto monasterio « tradebatur. Quia hec omnia monasterio Quideli- « geberg dampnosa fuerunt, eo quod in prejudi- « cium libertatis monasterii fieri videbantur, et « ecclesie nostre utilitatis modicum conferebant, « ita duximus de prudentium virorum, clericorum, « laicorum, ministerialium utriusque ecclesie [con- « silio] ordinandum ut, receptis a prefato monas- « terio ducentis marcis Halberstadensis argenti, « relaxavimus omnia supradicta, nos et succes- « sores nostros tenore presentium obligantes quod « nec jus, nec consuetudinem, nec aliquid aliud « quocunque nomine appellari possit, contra mo- « nasterium sepedictum super hujusmodi ullo « unquam tempore allegabunt ; omnibus etiam « exceptionibus que circa tenorem presentis scripti « oriri possent, renuntiantes penitus et in totum. « Adicimus preterea de cenobio Walbeke, de quo « aliquando inter antedictum monasterium et « ecclesiam nostram orta fuerat materia questio- « nis, quod in eodem cenobio, nec in temporalibus, « nec in spiritualibus, nec in prepositi loci illius « institutione aut destitutione nobis nichil juris « penitus dicimus aut dicemus, nec etiam preposi- « tus venire ad synodum aliquatenus teneatur, « quia in privilegiis monasterii Quidelingeburg « invenimus cenobium Walbeke ad hec omnia non « teneri, sed monasterium Quidelingeburg in pre- « fato monasterio Walbeke, quemadmodum in « cenobio Sancte Marie ordinis Sancti Benedicti, « in Monte, Sancti Wichberti, ordinis Beati Augus- « tini, et in Wonethusen, pleno jure gaudeat et « omnimoda libertate, hoc adjuncto quod parrochie « ville Walbeke prepositus, loci, qui pro tempore « fuerit, sacerdotem preficiet qui ab archidiacono « loci curam recipiet animarum. Hujus rei testes « sunt Hermannus prepositus, Wiclectus [1] deca- « nus, Burchardus vicedominus, Cono de Diefolt, « Rodulphus portenarius, Volradus de Kireberg, « Querinus [2] prepositus Sancti Bonifatii, Henricus « de Regensten, Widekindus de Nivenburg [3], Hen- « ricus de Drondorp, Hermannus scolasticus, Al- « bertus de Aldenburg, Bertoldus de Clectenberg, « Cristianus de Scalberg, Hermannus, Hodo, Lu- « degerus Struz, Guntherus de Mannesvelt, Ludol- « fus de Dalem, Otto prepositus Wallebicon, Arino « de Heymburg, Withmatinus de Barbuic, Heiden- « ricus de Schartvelt, Heidericus de Tangenberg, « nostre majoris ecclesie canonici. Laici vero : « Fridericus comes de Kirberge [4], Wernerus de

1. Rodenberg : *Wicketus.*
2. Id. : *Everinus.*
3. Id. : *Nivenberg.*
4. Id. : *Kircberg.*

« Scheronbeke, Guetardus [1] de Suseliz, nobiles. « Ministeriales autem nostre ecclesie : Johannes « de Katerfleve [2], Nicolaus de Heymburg, Alveri« cus pincerna, Gerehardus de Slage, Jacobus de « Severthusen, Henricus Isemborde. Ministeriales « vero Quidelingeburgensis ecclesie : Bernardus « marescallus, Bertoldus de Ditforde, Tidericus « pincerna, Tydericus filius suus, Johannes de « Wederstide, Henricus de Aqua, Johannes Kno« tel, Otto camerarius, Johannes Albus, Henricus « et Bernardus fratres de Ditforde, Olricus et « Johannes fratres de Morsleve, Henricus de Gro« tunge, Fridericus [3] Marroch, Conradus et Gerar« dus fratres cognomento Struven et alii quam« plures milites et servi. Acta sunt hec anno gratie « MCCLVIIII, indictione III.

« Ut autem hoc factum omni eo inviolabiliter « observetur presentem paginam exinde conscrip« tam sigillis tam nostro quam ecclesie nostre « duximus muniendam, et sepedicto monasterio « Quidelingeburgensi ad cautelam dedimus abun« dantem. Dat. Halberstad, II kal. octobris, pon« tificatus nostri anno quarto. »

Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno sexto. »

3137 Anagni, 28 juin 1260.

Magistro Hugoni de Mortuo Mari, capellano suo, ecclesias de Clive, de Orpintune et de Chelfeld, Roffensis diocesis, de Godmeresham, Cantuariensis diocesis, de Falkenham, Cicestrensis diocesis, et de Frakenham, Norwicensis diocesis ecclesias praebendasque quas in Londoniensi, Lincolniensi, Saresbiriensi et de Suhtmaulinges, Cicestrensis diocesis, ecclesiis obtinet, confirmat. (Reg. 25, f. 250, an. VI, c. 77.)

« *Magistro Hugoni de Mortuo Mari, capellano nostro, rectori ecclesie de Clive, Roffensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno sexto. »

3138 Anagni, 27 juin 1260.

Priorissae et conventui monialium inclusarum ecclesiae S. Caterinae Vesprimiensis, annuum redditum sexdecim marcarum argenti quem eis Bartholomaeus Vesprimiensis episcopus anno 1240, die 27 junii juxta insertum documentum donaverat, confirmat. (Reg. 25, f. 250, an. VI, c. 78 ; Potthast 17904.)

1. Bodenberg : *Everardus*.
2. Id. : *Katersleve*.
3. Id. : *Thidericus*.

« .. *priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii Sancte Caterine Vesprimiensis, ordinis Sancti Augustini, secundum instituta fratrum Predicatorum viventibus.* Justis petentium desideriis —. Dat. Anagnie, V kal. julii, anno sexto. »

3139 Anagni, 20 juin 1260.

Henrico, Londoniensi episcopo, indulget ut communibus tractatibus capituli Londoniensis ecclesiae tamquam canonicus interesse ac sibi aliquam ex ejusdem ecclesiae praebendis retinere valeat. (Reg. 25, f. 250 v°, an. VI, c. 79.)

« *Henrico, episcopo Londoniensi.* Sincere dilectionis affectu —. Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno sexto. »

3140 Anagni, 9 juin 1260.

Eidem indulget ut tres quas maluerit ex nonnullis ecclesiis ad collationem suam spectantibus, in quibus nullus alius jus obtinet patronatus, mensae suae episcopali applicare possit, proviso quod perpetuis vicariis in eisdem ecclesiis servituris, de proventibus et redditibus congruae assignentur portiones. (Reg. 25, f. 250 v°, an. VI, c. 80.)

« *Eidem.* Speciali gratia et —. Dat. Anagnie, V idus junii, anno sexto. »

3141 Anagni, 15 mai 1260.

Episcopo Caesaraugustano concedit ut ecclesias de Turolio, de Zecha et de Monteregali, Caesaraugustanae diocesis, quas de Sarracenorum manibus ereptas Ildefonsus, Aragonum rex, ex privilegio Petro regi et heredibus suis ab Apostolica Sede concesso, episcopo praedecessori suo donaverat, tenere et possidere valeat. (Reg. 25, f. 250 v°, an. VI, c. 81.)

« .. *episcopo Cesara[u]gustano.* Tua devotio promeretur —. Dat. Anagnie, idibus maii, anno sexto. »

3142 Anagni, 3 juillet 1260.

Archiepiscopo Toletano mandat ut Fernando Velasci cui Penestrinus episcopus abbatiam de Cervatos in ecclesia Burgensi contulerat, de aliquo beneficio in dicta Burgensi ecclesia providere procuret. (Reg. 25, f. 250 v°, an. VI, c. 82.)

« .. *archiepiscopo Toletano.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius Fernandus Velasci, subdiaconus noster, capellanus venerabilis fratris

nostri.. episcopi Penestrini, abbas de Cervatos in ecclesia Burgensi, nobis exposuit quod, cum felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, ad preces carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle ac Legionis illustris, et dilecti filii nobilis viri comitis Molinensis tibi, tunc Tolletano electo, tuoque college super receptione ipsius in aliqua ecclesiarum cathedralium regni Castelle ac provisione de prebenda et dignitate seu personatu sub certa forma direxerit scripta sua, tu, cui super hoc memoratus collega commiserat, prout ex dictarum litterarum beneficio poterat vices suas, sibi canoniam cum prebenda quas quondam D. Gondisalvi, Burgensis canonicus, in ecclesia Burgensi obtinuerat tunc vacantes, auctoritate litterarum ipsarum canonice conferens ipsumque per anulum tuum investiens de eisdem, fecisti ei stallum in choro et locum in capitulo assignari, quem bone memorie episcopus et dilecti filii *(sic)* capitulum Burgenses ad prebendam ipsam receperunt in canonicum et in fratrem. Et licet predictus Fernandus per mensem et amplius fuisset in possessione pacifica premissorum, cotidianas distributiones in ecclesia ipsa sicut canonicus pacifice percipiens et quiete, tamen predicti *(sic)* capitulum postmodum prebendam et distributionem hujusmodi, pretextu quarundam litterarum predecessoris ipsius, Fernando subtraxerunt eidem, propter quod, ipso ad nostram providentiam recurrente, tibi nostris dedimus litteris in mandatis ut ad canoniam predictam et alia que sibi ex collatione ac receptione predictis in ecclesia competebat eadem, per te vel alium predictum Fernandum restituens, faceres eum vel procuratorem suum ejus nomine pacifica ipsorum possessione gaudere, ad provisionem ipsius de dignitate vel personatu, juxta predecessoris ejusdem ad te et predictum collegam directarum continentiam litterarum cum se offerret oportunitas processurus, contradictores etc. Cumque tu, auctoritate predictarum litterarum nostrarum ad te directarum, vacantem secularem abbatiam de Castro Soriz in predicta Burgensi ecclesia F. contulisses eidem, tandem magistro Johanne Dominici, ejusdem ecclesie canonico in eadem abbatia jus se proponente habere, ac orta inter ipsum et dictum F. super abbatia hujusmodi materia questionis, partes ordinationi venerabilis fratris nostri Penestrini episcopi, quem ipsis dedimus in causa hujusmodi auditorem super hoc se totaliter summiserunt. Porro idem episcopus cui ordinandi de quibusdam dignitatibus, personatibus, beneficiis et prestimoniis in dicta Burgensi ecclesia vacantibus plenariam contulimus potestatem, sepedictam abbatiam de Castro Soriz auctoritate sibi a nobis in hac parte commissa dicto magistro Johanni, abbatiam vero de Cervatos in ecclesia predicta vacantem per liberam resignationem dilecti filii magistri Martini Tomesii, capellani nostri, ecclesie predicte decani, tunc abbatis de Cervatos, Fernando contulit supradicto, ac de prestimoniis ad magistrum Johannem et decanum predictos spectantibus usque ad summam annuam ducentorum Marabutinorum Fernando assignavit eidem, tandiu retinendis ab eo donec alium personatum vel dignitatem in predicta Burgensi ecclesia pacifice fuerit assecutus. Cum autem predicta abbatia de Cervatos, comparatione quorundam personatuum et dignitatum ipsius ecclesie modici valoris existat, mandamus quatinus dicto F. in sepedicta ecclesia de personatu vel dignitate seu abbatia, Sancti Guirici et Sancti Emiliani de Lara abbatiis et archidiaconatu de Palantiola dumtaxat exceptis, si vacant ad presens ibidem vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, juxta predictarum litterarum nostrarum continentiam, ac nichilominus de prestimoniis cedentis vel decedentis, de cujus personatu vel dignitate seu abbatia sibi provisum fuerit, per te vel per alium aut alios providere procures, non obstante si direximus super provisione facienda aliquibus de prestimoniis in dicta ecclesia scripta nostra quibus per hoc quoad assecutionem aliorum prestimoniarum nolumus prejudicium generari, aut si dilectis filiis electo et capitulo Burgensibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod ad provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis ad collationem eorum spectantibus, nulli valeat provideri per litteras dicte Sedis que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quavis alia indulgentia Sedis ejusdem cujuscunque tenoris existat per quam presentibus totaliter non insertam dicti F. provisio impediri quomodolibet valeat vel differri, contradictores etc.. Volumus tamen quod postquam memoratus Fernandus provisionem hujusmodi cum effectu fuerit asse-

cutus, vacet abbatia quam dictus F. noscitur obtinere, quodque hujusmodi prestimonia que nominatus episcopus assignavit eidem, ad magistrum Johannem et decanum predictos libere revertantur. Et ne dictus F. spe quam de nostra concepit gratia defraudetur, decernimus irritum et inane si secus de dignitate vel personatu aut de abbatia et prestimoniis hujusmodi apostolica vel quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari. Dat. Anagnie, V nonas julii, anno sexto. »

3143 Anagni, 3 juillet 1260.

Berengario de Pulcro Vicino consideratione Caesaraugustani episcopi, concedit ut, praeter praebendam Barchinonensem et ecclesiam S. Felicis de Rahonia, alia beneficia usque ad valorem annuum quinquagenta marcarum Sterlingorum, computatis dicta ecclesia et praebenda, recipere possit. (Reg. 25, f. 251, an. VI, c. 83.)

« *Berengario de Pulcro Vicino, canonico Barchinonensi, rectori ecclesie Sancti Felicis de Rahona, Barchinonensis diocesis.* Etsi propter ambitiones quorundam ne quis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat sacri concilii constitutio interdicat, illos tamen nonnunquam apostolica gratia prosequitur ampliori qui nobilibus orti natalibus, moribus ornant scientiam et conversationem muniunt honestate. Cum itaque de litterarum scientia, nobilitate generis, munditia vite bonisque moribus commenderis, nos bonis benefacere cupientes ac volentes te propter hoc et consideratione venerabilis fratris nostri.. episcopi Cesaraugustani apostolicam super hoc gratiam implorantis, cujus clericus et familiaris existis, speciali gratia prosequi et favore, tecum auctoritate apostolica dispensamus ut preter prebendam Barchinonensem et ecclesiam Sancti Felicis de Rahona curam animarum habentem quas obtines, possis alia beneficia cum cura vel sine cura, etiam si sint personatus vel dignitates, et tibi in Ispania canonice offerantur, usque ad valorem annuum quinquaginta marcharum Sterlingorum, computatis dicta ecclesia et prebenda, libere recipere ac una cum eisdem ecclesia et prebenda licite retinere, non obstantibus constitutione predicta et illa quam bone memorie.. Sabinensis episcopus tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus contra obtinentes plura ecclesiastica beneficia dinoscitur edidisse, proviso quod prebenda, ecclesia et beneficia seu personatus vel dignitates hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis quibus eam imminere contigerit, nullatenus negligatur. Nulli nostre dispensationis etc. Dat. Anagnie, V nonas julii, anno sexto. »

3144 Anagni, 19 mai 1260.

Eidem indulget ut dictam ecclesiam S. Felicis de Rahona una cum « canonia » et praebenda Barchinonensis ecclesiae, non obstante ejusdem ecclesiae statuto, retinere possit. (Reg. 25, f. 25, an. VI, c. 84.)

« *Berengario de Pulcro Vicino, capellano dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis.* Petitio tua nobis . Dat. Anagnie, XIIII kal. junii, anno sexto. »

3145 Anagni, 11 juin 1260.

Monasterii monialium S. Nicolaï Jadrensis, ordinis S. Damiani, patrocinium suscipit ; omnia ejus bona ac possessiones confirmat atque omnes libertates et immunitates quas earum monasterio Laurentius, Jadrensis episcopus, anno 1260, mense martii, die VII exeunte (25 martii) indulsit, tenorem dictarum litterarum inserens, communit. (Reg. 25, f. 251 v°, an. VI, c. 85 ; Potthast 17890.)

« .. *abbatisse monasterii Sancti Nicolaï Jadrensis ejusque sororibus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.* Religiosis vitam etc. —. Dat. Anagnie, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, III idus junii, indictione II, Incarnationis Dominice anno MCCLX, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII, anno sexto. »

3146 Anagni, 12 juillet 1260.

Praeposito ecclesiae Tholosanae, ad R., S. Angeli diaconi cardinalis, supplicationem indulget ut de decimis et redditibus Savesii, Gimonensis, « Garnesii et Jumadesli » archipresbyteratuum, Tholosanae diocesis, ipsi, quoad vixerit ab episcopo Tholosano concessis, ad ejusdem ecclesiae mensam inde reverturis, provideat. (Reg. 25, f. 251 v°, an. VI, c. 87 [1]. »

« .. *preposito ecclesie Tholosane, ordinis Sancti Augustini.* Cum sicut ex —. Dat. Anagnie, IIII idus julii, anno sexto. »

1. Il n'y a pas de c. 86.

3147 Anagni, 30 avril 1260.

Religiosis de Montisburgo indulget ut decimas legitime praescriptas, de quibus sustentatio eorum provenit, sicut hactenus retinere possint. (Reg. 25, f. 252, an. VI, c. 88.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Montisburgo, ordinis Sancti Benedicti, Constantiensis diocesis.* Cum sicut nobis —. Dat. Anagnie, II kal. maii, anno sexto. »

3148 Anagni, 7 juillet 1260.

Archiepiscopo Rigensi mandat ut episcopo Vironensi, suffraganeo suo qui, paupertatis onere oppressus, a quatuordecim praeteritis annis in episcopatu suo residere non potuit, episcopatum alterum, primo dimisso, conferat. (Reg. 25, f. 252, an. VI, c. 89 ; Potthast 17914.)

« .. *archiepiscopo Rigensi.* Favoris nostri provenire —. Dat. Anagnie, nonis julii, anno sexto. »

3149 Anagni, 11 juillet 1260.

Roberto de Ulflayt indulget ut medietatem ecclesiae de Bampton, Karleolensis diocesis, quae per duos consuevit gubernari rectores cujusque proventus summam decem marcarum argenti annuam non excedunt, una cum ecclesia de Landploth, Eboracensis diocesis, licite tanquam intitulatam retinere valeat. (Reg. 25, f. 252, an. VI, c. 90.)

« *Roberto de Ulflayt, rectori ecclesie de Landpholh, Eboracensis diocesis.* Licet sacri concilii —. Dat. Anagnie, V idus julii, anno sexto. »

3150 Anagni, 24 juin 1260.

Abbati, prioribus et canonicis presbyteris monasterii S. Rufi Valentini prioratuumque sibi subjectorum, audiendi confessiones eorum qui in eisdem conventibus immorantur et etiam pauperum ad hospitale confluentium necnon poenitentiam injungendi sacramentaque ecclesiastica ministrandi sicut in antea facultatem concedit. (Reg. 25, f. 252, an. VI, c. 91.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Rufi Valentini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini.* Petitio vestra nobis —. Dat. Anagnie, VIII kal. julii, anno sexto. »

3151 Anagni, 22 juin 1260.

Magistro Rogerio de Warwick dispensat ut, praeter ecclesiam de Eckeleshale, cujus proventus quindecim marcarum Sterlingorum annis singulis valentiam vix excedunt, unicum aliud beneficium, etiam animarum curam habens, recipere possit. (Reg. 25, f. 252, an. VI, c. 92.)

« *Magistro Rogerio de Warwik, rectori ecclesie de Eckeleshale, Wigorniensis diocesis.* Eo tibi libentius —. Dat. Anagnie, X kal. julii, anno sexto. »

3152 Anagni, 27 juin 1260.

Archiepiscopo Antibarensi et Dioclenensi mandat ut fratrem Petrum de Tybure, ordinis Minorum, Sardinensi ecclesiae praeficiat in episcopum. (Reg. 25, f. 252 v°, an. VI, c. 93 ; Potthast 17902.)

« .. *archiepiscopo Antibarensi et Dioclenensi.* Quoniam inter sollicitudines —. Dat. Anagnie, V kal. julii, anno sexto. »

3153 Anagni, 4 novembre 1259.

Cum decanus et capitulum ecclesiae S. Arnualdi, Metensis diocesis, Bartholonaeum de Metis, diaconum, in canonicum et in fratrem recipere eique praebendam assignare juxta litteras ipsis super hoc prius directas, Colino dicto Bellegree, canonico ecclesiae S. Salvatoris Metensis, eidem Bartholomaeo monitore concesso, non curaverint, decano ecclesiae S. Mariae Namurcensis mandat ut praefatos decanum et capitulum ad praemissa facienda inducat. (Reg. 25, f. 252 v°, an. VI, c. 94.)

« .. *decano ecclesie Sancte Marie Namurcensis, Leodiensis diocesis.* Constitutus in presentia —. Dat. Anagnie, II nonis novembris, anno quinto. »

3154 Anagni, 15 juillet 1260.

Henrico, comiti de Chastel, et natae Ludwici, comitis de Ottingen, dispensat ut, non obstante quarta consanguinitatis linea, matrimonium contrahere possint. (Reg. 25, f. 252, an. VI, c. 95 ; Rodenberg, t. III, n° 507.)

« *Nobili viro Henrico, comiti de Chastel, et nobili mulieri.., nate dilecti filii nobilis viri Ludwici, comitis de Ottingen, Herbipolensis et Augustensis diocesium.* Licet contractum conjugalis —. Dat. Anagnie, idibus julii, anno sexto. »

3155 Anagni, 2 juin 1260.

Praeposito et capitulo ecclesiae Argentinensis recipiendi Fridericum de Bechburc, canonicum ecclesiae Conningensis, in canonicum et in fratrem eique praebendam conferendi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 252 v°, an. VI, c. 96 ; Bernoulli n° 683.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Argentinensis.* Meritis laudabilis conversationis —. Dat. Anagnie, IIII nonis junii, anno sexto.

Anagni, 20 mai 1260.

In e. m. pro Hermanno de Tiersten, clerico in eadem ecclesia. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno sexto.

Anagni, 21 mai 1260.

In e. m. eisdem pro Alberto de Blanken, clerico in eadem ecclesia. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno sexto.

3156 Anagni 13 janvier 1260.

Abbati et conventui monasterii Casae Dei indulget ut universi priores, monachi et conversi prioratuum et membrorum eidem monasterio subjectorum qui in manibus abbatis ipsius professionem emittunt et ad prioratus et membra eadem mittuntur, gaudeant et utantur libere privilegiis, indulgentiis etc. quibus gaudent monachi in praedicto monasterio commorantes. (Reg. 25, f. 252 v°, an. VI, c. 97.)

« .. *abbati et conventui monasterii Case Dei, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Laudabilis religio que in monasterio vestro colitur sic ab eo mundane dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claustralis abstinentie nexibus religatum, observantie puritate fulgeat regularis et, voluntatis libitum coartans omnino sub obedientie debito, dignam et sedulam exhibeat Domino servitutem, tamquam potiori devotione preminens, attolli jamdudum exemptionis privilegio meruit, et, velut sanctitatis eminentia presignitum, nonnullis diversarum gratiarum titulis honorari. Propterea hoc sane in privilegiis ipsius monasterii per Sedem Apostolicam est statutum, sicut nos ipsi ex inspectione privilegiorum ipsorum collegimus evidenter, ut nulli archiepiscopo vel episcopo liceat super vestrum cenobium vel abbatem aut ejusdem cenobii fratres, excommunicationis, interdicti vel suspensionis manum extendere, et decretum, si secus factum fuerit, vos ea sententia non teneri, sed in beati Petri et ejus vicariorum manu semper quieti et liberi per omnipotentis Dei gratiam maneatis. Cum igitur universi priores, monachi et conversi prioratuum et membrorum eidem monasterio pleno jure subjectorum, in eo et in manibus abbatis ipsius, prout asseritis, professionem emittant, et ad voluntatem abbatis ejusdem monasterii, qui est in eo pro tempore, mittantur ad prioratus et membra eadem, moraturi in eis, ac ab ipso abbate, cum ei placuerit, ad idem monasterium revocentur, et conveniens sit ut qui eidem monasterio pari se in illo professione alligant, eadem gaudere debeant libertate, nos, vestris devotis supplicatibus inclinati, ut universi priores, monachi et conversi predicti, ubicunque in prioratibus et membris predictis fuerint, et etiam dum ad prioratus et membra ipsa iverint et ab illis redierint, gaudeant et utantur libere privilegiis supradictis necnon et aliis indulgentiis, libertatibus, immunitatibus et gratiis quibus gaudent ac utuntur monachi in predicto monasterio commorantes, nisi in eundo et redeundo priores, monachi et conversi predicti talia forsitan agerent propter que forum ordinariorum sortirentur et ab ipsis ordinariis posset de jure in illos jurisdictio ecclesiastica exerceri, constitutione seu declaratione felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, circa exemptos edita, vel quibuscunque aliis statutis seu declarationibus factis et promulgatis ab Apostolica Sede ad instantiam quorumcunque, et quibuscunque litteris apostolicis per quoscunque super hiis obtentis nequaquam obstantibus, auctoritate presentium vobis de speciali gratia indulgemus. Nos enim decernimus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et processus, si quos in vos aut priores, monachos sive conversos predictos seu monasterium, prioratus vel membra eadem contra presentis indulti tenorem per quoscunque ferri vel haberi contigerit, irritas et inanes. Nulli nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno sexto. »

3157 Anagni, 18 janvier 1260.

Abbati Crudatensi et praeposito Brivatensi mandat ut eosdem Casae Dei religiosos contra praedictae concessionis tenorem ab aliquo molestari non permittant. (Reg. 25, f. 253, an. VI, c. 97*bis*.)

« .. *abbati Crudatensi, ordinis Sancti Augustini. et.. preposito Brivatensi, Claromontensis diocesis.* Laudabilis religio que — irritos et inanes [1]. Quo, circa mandamus quatinus vos vel alter vestrum abbatem et conventum, priores, monachos et conversos eosdem seu monasterium, prioratus et membra predicta contra concessionis et constitutionis nostre tenorem non permittatis ab aliquibus indebite molestari, non obstante —. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno sexto. »

3158 Anagni, 13 janvier 1260.

Praefato Casae Dei monasterio simile privilegium concedit ac ut supra c. 97 (nº 3156), omissis tantum verbis « et etiam dum ad prioratus et membra ipsa iverint et ab illis redierint » ac « nisi in eundo et redeundo » ad « ecclesiastica exerceri ». (Reg. 25, f. 253 vº, an. VI, c. 98.)

« .. *abbati et conventui monasterii Case Dei, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Laudabilis religio que —. Dat. Anagnie, idibus januarii, anno sexto. »

3159 Anagni, 18 janvier 1260.

Sancti Theofredi et Sancti Petri de Curte abbatibus mandat ut eosdem Casae Dei religiosos contra praedictae concessionis tenorem ab aliquo molestari non permittant. (Reg. 25, f. 253 vº, an. VI, c. 98*bis*.)

« .. *Sancti Theofredi, ordinis Sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, et.. secularis ecclesie Sancti Petri de Curte Aniciensis abbatibus.* Laudabilis religio que —. Dat. Anagnie, XV kal. februarii, anno sexto. »

3160 Anagni, 4 juillet 1260.

Abbati et conventui monasterii Sanctae Mariae Eboracensis indulget ut in ecclesiis et capellis eorum, sicut hactenus possint per capellanos proprios deservire quodque, ipsis invitis, in futurum vicariae taxari seu institu- perpetui vicarii non valeant in eisdem. (Reg. 25, f. 254 an. VI, c. 99.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie Eboracensis, ordinis Sancti Benedicti.* Ordinis vestri meretur —. Dat. Anagnie, IIII nonas julii, anno sexto. »

1. Le passage ici supprime n'est que la reproduction du document précédent c. 97 (nº 3156).

3161 Anagni, 9 juin 1260.

Eisdem indulget ut perpetuae vicariae in quibusdam ecclesiis in quibus jus patronatus habent quasque in usus proprios canonice obtinent, taxatae de proventibus portionibus congruis vicariis servituris assignatis, a quoquam augmentari non possint. (Reg. 25, f. 254, an. VI, d. c.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancte Marie Eboracensis, ordinis Sancti Benedicti.* Meritis vestre devotionis —. Dat. Anagnie, V idus junii, anno sexto. »

3162 Anagni, 4 juin 1260.

Eisdem concedit ut nullus, contra privilegia ipsis concessa, de lana, lacte et « agnis eorum animalium » in conductu seu quibuscumque pascuis pascentium, ab ipsis decimas exigere praesumat. (Reg. 25, f. 254, an. VI, d. c.)

« *Eisdem.* Vestre meritis devotionis —. Dat. Anagnie, II nonas, junii anno sexto. »

3163 Anagni, 5 février 1260.

Monasterio S. Mariae de Viano, Anagninae diocesis, ecclesiam S. Silvestri de Pocomario, Verulanae diocesis, ad Andreae episcopi et capituli Verulanorum instantiam concedit, procuratoriam ab ipsis episcopo et capitulo magistro Petro Anastasii, eorum concanonico, die II[a] februarii, anno 1260 datam inseri faciens. (Reg. 25, f. 254, an. VI, c. 100.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancte Marie de Viano, ordinis Sancti Benedicti, Anagnine diocesis.* Etsi de universis —. Dat. Anagnie, nonis februarii, anno sexto. »

3164 Anagni, 10 juillet 1260.

Praeposito ecclesiae S. Euphemiae Placentinae mandat ut monasterium S. Sixti Placentini, ordinis S. Benedicti, si in suo ordine reformari nequeat, abbatissae et conventui monialium inclusarum monasterii S. Francisci, ordinis S. Damiani, ejusdem loci, conferat. (Reg. 25 f. 254 vº, an. VI, c. 101 ; Potthast 17918.)

« .. *preposito ecclesie Sancte Euphemie Placentine.* Ad nostram noveris —. Dat. Anagnie, VI idus julii, anno sexto. »

3165 Anagni, 25 mai 1260.

Episcopo Zamorensi mandat ut omnes sententias a quibusdam legatis et nuntiis Apostolicae Sedis in abbates et conventus monasteriorum Cisterciensis ordinis de Castellae, Legionis ac Portugaliae regnis indebite latas cum ab ipsis exactiones multiplices contra indulta apostolica extorquere praesumant, nullas denuntiet (Reg. 25. f. 254 v°, an. VI, c. 102.)

« .. *episcopo Zamorensi*. Ex parte dilectorum —. Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno sexto. »

3166 Anagni, 10 juillet 1260.

Valasco Fernandi dispensat ut, praeter ecclesiam S. Nicolaï Ulixbonensis ac praebendam quam in Egitaniensi ecclesia obtinet, unicum aliud beneficium in Hispania recipere possit, constitutione a bonae memoriae Sabinensi episcopo, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legato, edita non obstante. (Reg. 25, f. 255, an. VI f. 103.)

« *Valasco Fernandi, rectori ecclesie Sancti Nicolai Ulixbonensis*. Licet ne quis —. Dat. Anagnie, VI idus julii, anno sexto. »

3167 Anagni, 9 juillet 1260.

Magistro Radulfo de Fremingeham dispensat ut, praeter ecclesiastica beneficia curam animarum habentia quae obtinet, unicum aliud beneficium recipere possit. (Reg. 25, f. 255, an. VI, c. 104.)

« *Magistro Radulfo de Fremingeham, rectori ecclesie de Royuges, Londoniensis diocesis*. Volentes tibi facere . Dat. Anagnie, VII idus julii, anno sexto. »

3168 Anagni, 9 juillet 1260.

Henricum de Sarum, regis Angliae capellanum, in capellanum suum recipit. (Reg. 25, f. 255, an. VI, c. 105.)

« *Henrico de Sarum, presbitero, capellano capelle carissimi in Christo filii nostri.. regis Anglie illustris*. Honestas morum et —. Dat. Anagnie, VII idus julii, anno sexto. »

3169 Anagni, 13 juillet 1260.

Vincentio Roderici dispensat ut, praeter ecclesiam S Mariae de Lauriana, Ulixbonensis diocesis, unicum aliud beneficium ecclesiasticum in Hispania retinere possit, constitutione a bonae memoriae J. Sabinensis episcopi, tunc in Hispaniae partibus Apostolicae Sedis legato, edita non obstante. (Reg. 25, f. 255, an. VI, c. 106.)

« *Vincentio Roderici, rectori ecclesie Sancte Marie de Lauriana, Ulixbonensis diocesis*. Licet ne quis —. Dat. Anagnie, III idus julii, anno sexto. »

3170 Anagni, 23 juillet 1260.

Johannem, abbatem monasterii de Burgo Sancti Petri, ad J. tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis instantiam, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 255, an. VI, c. 107.)

« *Johanni, abbati monasterii de Burgo Sancti Petri, ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis, capellano nostro*. Meritis tue probitatis —. Dat. Anagnie, X kal. augusti, anno sexto. »

3171 Anagni, 28 juillet 1260.

Egidium, abbatem monasterii Bergensis, in capellanum suum admittit. (Reg. 25, f. 255 v°, an. VI, c. 108.)

« *Egidio, abbati monasterii Bergensis, ordinis Sancti Benedicti, Morinensis diocesis*. Meritis tue probitatis —. Dat. Anagnie, V kal. augusti, anno sexto. »

3172 Anagni, 17 juillet 1260.

Decano et capitulo ecclesiae S. Deodati mandat ut magistro Gerardo de Nossoncort, eorum ecclesiae canonico, Tullensis episcopi obsequio commoranti, fructus praebendae suae quam in ipsa ecclesia obtinet, per triennium integraliter ministrent. (Reg. 25, f. 255 v°, an. VI, c. 109.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Sancti Deodati, Tullensis diocesis*. Cum dilectus filius magister Gerardus de Nossoncort, ecclesie vestre canonicus, clericus venerabilis fratris nostri .. Tullensis episcopi, non minus ipsius episcopi insistens obsequio quam presens in ipsa ecclesia eidem utilis esse possit, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus prefato canonico in ipsius episcopi obsequio commoranti, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, fructus prebende sue quam in ipsa ecclesia obtinet, per triennium integraliter ministretis, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, consuetudine contraria ejusdem ecclesie, vel statuto juramento vallato seu firmitate alia non obstante. Alioquin damus dilecto filio.. decano ecclesie Liberdunensis, Tullensis diocesis, nostris litteris in mandatis ut

vos ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Dat. Anagnie, XVI kal. augusti, anno sexto. »

3173 Anagni, 23 mai 1259.

Archiepiscopo Tarantasiensi mandat ut ecclesiam Ripaltae, ordinis S. Augustini, Taurinensis diocesis, cum membris ejusdem, de Cisterciensi, si in suo reformari non possit, ordine reformare studeat et praeposito dictae ecclesiae de bonis ejusdem provideat. (Reg. 25, f. 255 v°, an. VI, c. 110 [1].)

« .. *archiepiscopo Tarantasiensi.* Cum sicut dilecto filio .. preposito ecclesie Ripalte, ordinis Sancti Augustini, Taurinensis diocesis, accepimus exponente, ecclesia ipsa cum membris ejus, propter quarundam personarum ejusdem malitiam et guerrarum incursus frequentes, in spiritualibus et temporalibus sit collapsa, nos, dilectorum filiorum nostrorum Hugonis, tituli Sancte Sabine presbiteri, et Octoboni, Sancti Adriani diaconi cardinalium, precibus inclinati, fraternitati tuo per apostolica scripta mandamus quatinus predictam ecclesiam cum membris ejusdem studeas, cum ab ipso preposito fueris requisitus, de Cisterciensi,si in suo reformari non possit, ordine, per te vel alium seu alios reformare, ac provideas eidem preposito, pro sustentatione sua, de ipsius ecclesie prioratibus vel possessionibus seu bonis prout decens fuerit et tibi videbitur expedire, si prefatam ecclesiam contigerit de predicto Cisterciensi ordine reformari ; canonicos vero ecclesie prefate, qui in ea eundem Cisterciensem ordinem noluerint profiteri, studeas in aliis ejusdem ordinis Sancti Augustini ecclesiis collocare. Ecclesie quoque Taurinensi pro juribus episcopalibus que in ecclesia et membris predictis obtinet, de bonis ipsius ecclesie Ripaltensis competentem recompensationem exhibeas et assignes, contradictores etc. Dat. Anagnie, X kal. junii, anno quinto. »

3174 Anagni, 21 juillet 1260.

Eidem iterum mandat ut ad dictae Ripaltensis ecclesiae reformationem juxta traditam sibi formam, summoto cujuslibet dilationis et difficultatis dispendio, procedat. (Reg. 25, f. 255, an. VI, c. 110 *bis*.)

« *Eidem.* Sua nobis dilectus filius.. prepositus ecclesie Ripaltensis, ordinis Sancti Augustini, Taurinensis diocesis, petitione monstravit quod nos, anno elapso et amplius, tibi dedimus nostris litteris in mandatis ut prefatam ecclesiam, cum membris ejus, propter quorundam ipsius ecclesie canonicorum malitiam et guerrarum incursus frequentes in spiritualibus et temporalibus deformatam, in suo si posset, alioquin de Cisterciensi ordine, exhibita Taurinensi ecclesie pro juribus que in ea obtinet de bonis ipsius recompensatione congrua, reformares. Sed tu, diocesis negotiis impeditus, necnon propter guerras quibus sepe regio illa turbatur et alia etiam impedimenta, hiis intendere, prout idem asserit prepositus, nequivisti. Verum quia sicut relatione fidedignorum accepimus, eadem non potest ecclesia in suo ordine reformari, nos dilecti filii nostri H., tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis, precibus inclinati, mandamus quatinus per te vel per alium seu alios viros religiosos providos et discretos in negotio procedens hujusmodi juxta traditam tibi formam, dictam Ripaltensem ecclesiam de prefato Cisterciensi ordine studeas, summoto cujuslibet dilationis et difficultatis dispendio, reformare ac ipsam tamquam abbatiam eidem incorpores ordini et in ipsam ecclesiam de monachis alicujus monasterii ipsius Cisterciensis ordinis, cujus sit filia et subjecta, conventum et abbatem inducas, contradictores etc. Dat. Anagnie, XII kal. augusti anno sexto. »

3175 Anagni, 8 juin 1260.

Praedictae de Ripalta ecclesiae praeposito et capitulo indulget ut de quibusdam bonis, necnon de quibusdam legatis et votorum redemptionibus usque ad summam quingentarum librarum Viennensium recipere valeant. (Reg. 25, f. 255 v°, an. VI, c. 111.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie de Ripalta, ordinis Sancti Augustini, Taurinensis diocesis.* Devotionis vestre inducimur meritis ut vos prosequamur gratia que vestris esse dinoscitur necessitatibus oportuna. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus annuentes, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, si hii quibus restitutio fieri debeat omnino inveniri et sciri non possint, necnon de quibuslibet legatis in pios usus indistincte relictis, si executorum testamentorum ad id accedat assensus, ac de redemptionibus votorum que fuerint auctoritate diocesanorum pontificium commutata, Jerosolimitano dumtaxat excepto, usque ad summam quingentarum librarum Viennensium reci-

1. Voir plus haut, p. 41, note.

pere valeatis auctoritate vobis presentium indulgemus, si pro similium receptione alias non sitis a nobis hujusmodi gratiam consecuti, ita quod, si aliquid de ipsis quingentis libris dimiseritis vel restitueritis aut dederitis illis a quibus eas receperitis, hujusmodi dimissum, restitutum seu datum nichil ad liberationem eorum prosit nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, VI idus junii, anno sexto. »

3176 Anagni, 15 mai 1260.

Priorissam et conventum monasteri de Wimental, secundum instituta fratrum Praedicatorum viventes hortatur ut dictum ordinem inviolabiliter observent. (Reg. 25, f. 256, an. VI, c. 112 ; Potthast 17856 ; Bernouilli, n° 682.)

« .. *priorisse et conventui monasterii in Wimental, ordinis Sancti Augustini, Constantiensis diocesis, secundum instituta fratrum Predicatorum viventibus.* Pro vite perennis —. Dat. Anagnie, idibus maii, anno sexto. »

3177 Anagni, 5 juillet 1260.

Abbatissae et capitulo saecularis ecclesiae Dauratensis, Lemovicensis diocesis, recipiendi Isembertum Folii, subdiaconum, rectorem ecclesiae de Brigolio ejusdem diocesis, in canonicum eique praebendam assignandi facultatem concedit. (Reg. 25, f. 256, an. VI, c. 113.)

« .. *abbati et capitulo secularis ecclesie Dauratensis, Lemovicensis diocesis.* Exigentibus probitatis meritis . Dat. Anagnie, III nonas julii, anno sexto. »

3178 Anagni, 29 juin 1260.

Decano et capitulo ecclesiae S. Hilarii Pictavensis, mandat ut magistrum Petrum Lavelli, pauperem clericum de nobilibus ortum natalibus, secundum litterarum ipsis prius directarum tenorem, in eorum ecclesia recipiant eique praebendam assignent. (Reg. 25, f. 256, an. VI, c. 114.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Sancti Ilarii Pictavensis.* Olim vobis pro —. Dat. Anagnie, IIII kal julii, anno sexto. »

3179 Anagni, 20 juillet 1260.

Dispensationes prius Ewardo, decano Wellensis ecclesiae, de soluto genito et soluta concessas ampliare volens, indulget ut etiam ad episcopalem dignitatem eligi possit. (Reg. 25, f. 256, an. VI, c. 115.)

« *Ewardo presbitero, decano ecclesie Wellensis,* De consueta benignitate —. Dat. Anagnie, XII kal. augusti, anno sexto. »

3180 Anagni, 20 avril 1260.

Rectoribus Romanae Fraternitatis et clero Urbis mittit constitutionem qua dissentionem inter canonicos tam saeculares quam regulares et monachos omnium parochialium ecclesiarum exortam de honoris gradu in praeferendis signis et de stipendiis exigendis pro annua supplicatione in festo S. Marci procedendo ad basilicam S. Petri dirimit. (Reg. 25, f. 256, an. VI, c. 116 ; Potthast 17834.)

« *Rectoribus Romane Fraternitatis et clero Urbis.* Jurgia litium quibus —. Dat. Anagnie, XII kal. maii, anno sexto. »

3181 Anagni, 3 juin 1260.

Matherino de Gisulfo et Aydelinae, natae Thomae Malocensis, facultatem contrahendi matrimonium, non obstante quarto consanguinitatis gradu, concedit. (Reg. 25, f. 256 v°, an. VI, c. 117.)

« *Dilecto filio nobili viro Matherino de Gisulfo, civis* (sic), *Januensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Aydeline, nate quondam Thome Malocensis, civis Januensis.* Cum summus pontifex —. Dat. Anagnie, III nonas, junii, anno sexto. »

3182 Anagni, 14 mars 1260.

Magistris Johanni de Deo, archidiacono, et Bartholomaeo canonico Ulixbonensibus, mandat ut Ulixbonensem episcopum et majores de capitulo per sententias ecclesiasticas ad restitutionem compellant summae centum marcarum argenti quam Sinibaldus Capucii, civis et mercator Romanus, ipsis pro causae magistrum Petrum decanum, Ricardum cantorem aliosque canonicos Ulixbonenses tangentis prosecutione mutuaverat. (Reg. 25, f. 256 v°, an. VI, c. 118.)

« *Magistris Johanni de Deo, archidiacono, et Bartolomeo, canonico Ulixbonensibus.* Significavit nobis dilectus —. Dat. Anagnie, II idus martii, anno sexto. »

3183 Anagni, 21 janvier 1260.

Prefatis Petro et Ricardo pro prosecutione causae inter ipsos et quosdam canonicos Ulixbonenses, ex una parte, et magistrum scholarum Ulixbonensem, qui pro Ulixbonensi episcopo se gerit, ex altera, vertentis, [Riccardo], S. Angeli diacono cardinali auditore dato, contrahendi mutuum usque ad summam centum marcarum argenti et obligandi propter hoc ecclesiam Ulixbonensem ac bona ipsius, facultatem concedit. (Reg. 25, f. 257, an. VI, d.c.)

« .. *magistris Petro, decano et Ricardo, canonico Ulixbonensibus.* In nostra proposuistis —. Dat. Anagnie, XII kal. februarii, anno sexto. »

3184 Anagni, 9 décembre 1259.

Capitulo Zamorensi mandat ut, juxta tenorem litterarum ipsis prius directarum, Martinum Dominici, clericum chori ecclesiae eorum, in fratrem et portionarium admittant. (Reg. 25, f. 257, an. VI, c. 119.)

« *Capitulo Zamorensi.* Significavit nobis dilectus —. Dat. Anagnie, V idibus decembris, anno quinto. »

3185 Anagni, 15 mai 1260.

Generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum inhibet ne de caetero aliquibus sui ordinis licentiam transeundi ad S. Benedicti vel Carthusiensis ordines concedant, nisi sub ea conditione quod in ordine ad quem licenciantur remanere debeant. (Reg. 25, f. 257, an. VI, c. 120 ; Potthast 17859.)

« .. *generali et provincialibus ministris ordinis, fratrum Minorum.* Cum et plantare —. Dat. Anagnie, idibus maii, anno sexto. »

3186 Anagni, 3 juillet 1260.

Ordinat ut in insula Cypri de caetero infra Latinorum episcoporum dioceses et sub Nicosiensi metropoli, quatuor dumtaxat existant Graecorum pontificales sedes et ecclesiae cathedrales olim per Petrum, Albanensem episcopum, locis specialibus assignatae, cum quatuor solummodo in eadem insula fore noscantur episcopales sedes et ecclesiae pontificum Latinorum : unam siquidem pontificalem sedem Graecorum in Nicosiensi apud Soliam, aliam in Paphena apud Archinos, tertiam vero in Famagustana apud Carpasiam et reliquam in Nimociensi diocesibus apud Lescaram consistere vult. Porro ordinat ut quoties unam praedictarum sedium Graecorum praesule vacare contigerit, alter a clericis sedis ejusdem in episcopum eligatur etc. (Reg. 25, f. 257 v°, an. VI, c. 121 ; Potthast 17910, incipit : *In perpetuum cultus.*)

« *Ad futuram rei memoriam in perpetuum.* Cultus justitie late —. Dat. Anagnie per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii et notarii, V nonas julii, indictione II[a], Incarnationis Dominice anno MCCLX, pontificatus vero donni *(sic)* Alexandri pape IIII[ti] anno sexto. »

3187 Subiaco, 30 août 1260.

Praeposito ecclesiae S. Mariae de Torello, Cumanae diocesis, mandat ut Rogerium de Laturre, clericum Cumanum, in ecclesia S. Eufemiae de Insula ejusdem diocesis prius canonicum, non obstante constitutione apostolica inde lata, pro canonico tractari faciat eique praebendam assignari. (Reg. 25, f. 259, an. VI, c. 122 ; Bernouilli, n° 684.)

« .. *preposito ecclesie Sancte Marie de Torello, Cumane diocesis.* Cum a nobis —. Dat. Sublaci, III kal. septembris, anno sexto. »

3188 Subiaco, 30 août 1260.

Eidem simili modo pro Romelio de Stabio, clerico Cumano. (Reg. 25, f. 259, an. VI, d. c. ; Bernouilli, *loc. cit.*)

« *Eidem.* Significavit nobis dilectus — etc. ut in alia mutatis mutandis usque in finem. »

3189 Anagni, 6 octobre 1260.

Nicolaum, regis Bohemiae natum, legitimitatis titulo decorat eique concedit ut ad omnes dignitates, honores et principatus saeculares assumi possit. (Reg. 25, f. 259, an. VI, c. 123 ; Potthast 17948.)

« *Nobili viro Nicolao, nato carissimi in Christo filii nostri illustris regis Boemie.* Sedes Apostolica gratiarum —. Dat. Anagnie, II nonas octobris, anno sexto. »

3190 Anagni, 7 octobre 1260.

Praedicto Bohemiae regi petenti concedit ut filiae ejus duae e soluta genitae, ad omnes dignitates, honores et principatus seculares assumi possint. (Reg. 25, f. 259 v°, an. VI, d. c. ; Potthast 17949.)

« .. *illustri regi Bohemie.* Sedes Apostolica gratiarum —. Dat. Anagnie, nonis octobris, anno sexto. »

3191 Anagni, 6 octobre 1260.

Pragensi et Olomucensi episcopis mandat ut praefato regi Bohemiae unctionem impendant et capiti ejus regale imponant diadema, cum electus Maguntinus nondum sit a Sede Apostolica confirmatus ; statuit autem ut nullum ex hoc in posterum pontificibus Maguntinis qui erunt pro tempore, et ecclesiae Maguntinae generetur praejudicium, quin circa ipsius regis successores exequantur libere quod ad eos in hac parte pertinet. (Reg. 25, f. 259 v°, an. VI, c. 124 ; Potthast 17947 ; Rodenberg, t. III, n° 508.)

« .. *Pragensi et.. Olmucensi episcopis.* Quoniam ad substantiam —. Dat. Anagnie, II nonas octobris, anno sexto. »

3192 Anagni, 21 octobre 1260.

Eidem Bohemiae regi per Berardum de Furcon[io], scriptorem ipsius papae, epistolae suae latorem, declarat nequaquam intentionis suae esse ut Nicolaus, filius, vel filiae ejus legitimitatis titulo decoratae, regnum Bohemiae vel ejusdem regni regiam dignitatem obtinere vel habere possint aut succedere in eisdem. (Reg. 25, f. 260, an. VI, d. c. ; Potthast 17956 ; Rodenberg, t. III, n° 509.)

« .. *illustri regi Boemie.* Ex parte tua —. Dat. Anagnie, XII kal. novembris, anno sexto. »

3193 Anagni, 21 octobre 1260.

Dicto magistro Berardo de Furcon[io] mandat ut, regem Bohemiae adiens litterasque apostolicas ei assignans, intentionem ipsius papae quoad filium filiasque ejus coram testibus idoneis aperte declarat. (Reg. 25, f. 260, an. VI, c. 125 ; Potthast 17957.)

« *Magistro Berardo de Furcon[io], scriptori nostro.* Ex parte carissimi —. Dat. ut in alia. »

3194 Anagni, 21 octobre 1260.

Alexandro de Hothun indulget ut, praeter ecclesiam de Honneby, cujus proventus annui quindecim marcarum Sterlingorum summam non excedunt, unicum aliud beneficium ecclesiasticum retinere et, si alterum ex eis se resignare contigerit, aliud recipere possit. (Reg. 25, f. 260, an. VI, c. 126.)

« *Alexandro de Hothun, rectori ecclesie de Honneby, Lincolniensis diocesis.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Anagnie, XII kal. novembris, anno sexto. »

3195 Anagni, 14 octobre 1260.

Abbati et conventui monasterii S. Remigii Remensis indulget ut de abbate per archiepiscopum Remensem provideri possint. (Reg. 25, f. 260 v°, an. VI, c. 127.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Remigii Remensis, ordinis Sancti Benedicti.* Monasterium vestrum sincera diligentes in Domino caritate, libenter vobis illa concedimus que ipsius et personarum in eo degentium comodum respicere dinoscuntur. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, ut, cedente vel decedente te, fili abbas, vel quolibet successorum tuorum, Remensis archiepiscopus qui pro tempore fuerit, non nisi in casu negligencie dumtaxat providere auctoritate sua valeat dicto monasterio de abbate, dummodo id alias ei non competat de consuetudine vel jure alio speciali, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli nostre concessionis etc. Dat. Anagnie, II idus octobris, anno sexto. »

3196 Au Latran, 9 novembre 1260.

Episcopo Regensi mandat ut de electione Jacobi in abbatem monasterii S. Genesii de Bersello, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Parmensis diocesis, inquisitione facta, ei munus benedictionis impendat, recepturus postmodum ab ipso fidelitatis juramentum. (Reg. 25, f. 260 v°, an. VI, c. 128.)

« .. *episcopo Regensi.* Ex parte dilecti —. Dat. Laterani, V idus novembris, anno sexto. »

3197 Au Latran, 24 novembre 1260.

Infrascriptis ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, in matrimonio contracto licite remanere possint concedit. (Reg. 25, f. 260 v°, an. VI, c. 129.)

« *Pontio de....* [1] *et Alamande de.... na, uxori ejus,.... censis diocesis.* Etsi conjugalis contractum —. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno sexto. »

3198 Au Latran, 22 novembre 1260.

Petro Gregorii, canonico de Urbe, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 260 v°, an. VI, c. 130.)

1. L'adresse, mise dans la marge interne du registre, est cachée en partie et rendue illisible par la reliure. Il en est de même pour les deux lettres suivantes.

« *Petro Gregor[ii, canoni]co de Urbe.* Quoniam si jus —. Dat. Laterani, X kal. decembris, anno sexto. »

3199 Anagni, 9 juillet 1260.

Petro Fidelis indulget ut ecclesiam S. Mariae de Ulme et portionem quam in ecclesia B. Mariae de Portu Molarum obtinet, quarum proventus annui sex marcarum argenti valorem vix excedunt retinere possit, constitutione a bonae memoriae J. Sabinensi episcopo tunc in Hispaniae partibus legato, lata non obstante. (Reg. 25, f. 260 v°, an. VI, c. 131.)

« *Petro Fidelis, rec[tori ecclesie] Sancte Marie de Ul[me], portionario par[rochialis] ecclesie Sancte Marie de [Portu] Molarum, Ulixbonensis diocesis.* Tue devotionis merita —. Dat. Anagnie, VII idus julii, anno sexto. »

3200 Au Latran, 26 novembre 1260.

Ecclesiam S. Leonardi de Lamabolaria, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem, ordinis S. Augustini, Sipontinae diocesis, propter maliciam temporis et incursum Sarracenorum de Lucera [1] collapsam, inquisitione a Melfitensi episcopo et priore fratrum Praedicatorum de Barulo, diocesis Tranensis, facta, ordini S. Mariae Theutonicorum reformandam unit. (Reg. 25, f. 261, an. VI, c. 132 ; Rodenberg, t. III, n° 510.)

« .. *magistro et fratribus Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitani.* Provisionis nostre prevenire —. Dat. Laterani, VI kal. decembris, anno sexto. »

3201 Au Latran, 22 novembre 1260.

Praefatis Melfitensi episcopo et priori fratrum Praedicatorum de Barulo mandat ut dictos magistrum et fratres in ejusdem S. Leonardi ecclesiae possessionem inducant. (Reg. 25, f. 261, an. VI, d. c.)

« .. *episcopo Melfitensi et.. priori de ordine fratrum Predicatorum de Barulo, Tranensis diocesis.* Provisionis nostre provenire —. Dat. Laterani, X kal. decembris, anno sexto. »

3202 Au Latran, 27 novembre 1260.

Collationem prioratus de Sera, Viennensis diocesis, Hugoni de Brissiaco, canonico Viennensi, factam confirmat. (Reg. 25, f. 261 v°, an. VI, c. 133 ; Bernouilli, n° 685.)

1. Reg. : *Lucora.*

« *Hugoni de Brissiaco, canonico Viennensi.* Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum. Sane exhibita nobis tua petitio continebat quod, cum felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, dilecto filio.. priori de Corbellino, ordinis Sancti Augustini, Bellicensis diocesis, suis dedisset litteris in mandatis ut tibi in aliqua ecclesiarum Lugdunensis aut Viennensis civitatum vel diocesium seu provinciarum, de dignitate seu personatu aut beneficio prebendali vel alio ad cujuscunque collationem spectante providere curaret, contradictores etc. usque compescendo, dilectus filius.. prior de Martianco, ordinis Sancti Augustini, Viennensis diocesis, cui predictus prior de Corbellino, prout ex forma litterarum ipsarum poterat, commiserat super hoc vices suas, prioratum de Sera, ejusdem Viennensis diocesis, tunc vacantem tibi contulit, ac te in ipsius prioratus possessionem induxit, prout in litteris ejusdem prioris de Martianco inde confectis ipsius sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque, obtentu dilecti filii magistri Johannis de Sancto Germano, subdiaconi et notarii nostri, cujus existis clericus, nobis pro te supplicantis, tuis devotis precibus inclinati, collationem hujusmodi ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, non obstantibus quod dictus prioratus non consueverit clericis secularibus assignari, seu aliquibus litteris veritati et justitie prejudicantibus a Sede Apostolica impetratis, ita tamen quod, te cedente vel decedente, dictus prioratus ad monasterium ad quod pertinet libere revertatur. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, V kal. decembris, anno sexto. »

3203 Au Latran, 8 décembre 1260.

Episcopo Lemovicensi committit ut de Ponte Riomi et Tauront [1] ecclesiis resignationem a magistro Petro de Benevento, canonico Lemovicensi, qui in eis personaletir residere non potest, recipiat easque ydoneae conferat personae. (Reg. 25, f. 261 v°, an. VI, c. 133[2] recentiori manu.)

« .. *episcopo Lemovicensi.* Ex parte dilecti —. Dat. Laterani, VI idus decembris, anno sexto. »

1. Reg. : *Tuaront.*

3204 Au Latran, 24 novembre 1260.

Collationem ecclesiae de Juncheria, Lemovicensis diocesis, ab episcopo ejusdem diocesis praedicto magistro Petro de Benevento factam confirmat. (Reg. 25, f. 261 v°, an. VI, c. 134.)

Magistro Petro de Benevento, canonico Lemovicensi. Cum a nobis . Petitio tua siquidem nobis exhibita continebat quod cum tecum olim auctoritate litterarum nostrarum duxerimus dispensandum ut preter de Tauront et de Ponte Riomii ecclesias, Lemovicensis diocesis, quarum una dependet ab altera quasque tu te canonice proponis adeptum, posses unicum aliud beneficium ecclesiasticum curam habens animarum, si tibi canonice offerretur, licite recipere et cum dictis ecclesis libere retinere, non obstante constitutione concilii generalis, postmodum venerabilis frater noster.. Lemovicensis episcopus, vacantem ecclesiam de Juncheria, ejusdem diocesis, nulli alii de jure debitam, tibi duxit canonice conferendam. Nos itaque obtentu ipsius episcopi, cujus socius esse dinosceris, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo provide super hoc factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno sexto. »

3205 Au Latran, 24 novembre 1260.

Collationem capellae de Laforest a priore ecclesiae de Benevento eidem Petro factam confirmat. (Reg. 25, f. 261 v°, an. VI, c. 134[2] recentiori manu.)

« *Eidem.* Cum a nobis etc. ut in alia usque continebat quod cum dilecti filii.. prior et conventus ecclesie de Benevento, ordinis Sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, grata devotionis obsequia que tu eis et ecclesie prefate fideliter exhibueras attendentes, capellam de Laforest, tunc vacantem, nulli alii de jure debitam, cum villa loci ejusdem et quibusdam bladi ac pecunie redditibus, sicut spectabat ad eos, tibi liberalitate provida contulissent, nos tandem, ad tue supplicationis instantiam, dilecto filio.. cantori Dauratensis ecclesie suisque collegis dedimus per nostras litteras in mandatis ut collationem hujusmodi, si eam invenirent provide fore factam, auctoritate nostra confirmare curarent, qui postmodum collationem ipsam, quam provide fuisse factam legitime didicerunt, auctoritate dictarum litterarum nostrarum confirmare curarunt. Nos itaque, obtentu venerabilis fratris nostri.. episcopi Lemovicensis cujus socius esse dinosceris, tuis supplicationibus inclinati, quod super premissis provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. ut in alia. »

3206 Au Latran, 24 novembre 1260.

Collationem capellae de Porvos cum pertinentiis ejus a priore prioratus S. Andreae, Lemovicensis diocesis, eidem Petro factam confirmat. (Reg. 25, f. 261 v°, an. VI, c. 134[3] recentiori manu.)

« *Eidem.* Cum a nobis petitur etc. ut in alia usque continebat quod, cum dilectus filius.. prior prioratus Sancti Andree, ordinis Sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis, grata devotionis obsequia que tu ei et dicto prioratui fideliter exhibueras attente considerans, capellam de Porvos, tunc vacantem et nulli alii de jure debitam, ac loci ejusdem de Mons et de Lasalessa necnon de Mons villas ad prioratum ipsum spectantes, cum omnibus juribus et pertinentiis earum, de assensu dilectorum filiorum.. prioris et conventus de Benevento, ipsius ordinis, quibus dictus prioratus subesse dinoscitur, tibi liberalitate provida contulisset, nos tandem, ad tue supplicationis instantiam etc. ut in alia usque in finem. »

3207 Subiaco, 25 août 1260.

Magistro Rogero de Salenges dispensat ut ecclesiam de Boketone, Norwicensis diocesis, intitulatam, et ecclesiam de Menecherichamptone, Wigorniensis diocesis, commendatam retinere possit. (Reg. 25, f. 261 v°, an. VI, c. 135.)

« *Magistro Rogero de Salenges, rectori ecclesie de Boketone, Norwicensis diocesis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. Sublaci, VIII kal. septembris, anno sexto. »

3208 Au Latran, 15 décembre 1260.

David, rectori ecclesiae de Manestone, dispensat ut unicum aliud beneficium ecclesiasticum recipere possit. (Reg. 25, f. 262, an. VI, c. 136.)

« *David, rectori ecclesie de Manestone, Saresbiriensis diocesis.* Volentes tibi gratiam —. Dat. Laterani, XVIII kal. januarii[1], anno sexto. »

3209 Au Latran, 9 décembre 1260.

Clerum Lucanae civitatis et diocesis a quadam provisione Monopolitano episcopo procuranda absolvit. (Reg. 25, f. 262, an. VI, c. 137 ; Rodenberg, t. III, n° 511.)

« *Clero Lucane civitatis et diocesis.* Desideriis vestris in hiis affectu benivolo libenter annuimus per que, materia submota gravaminum, vestri status tranquillitas procuretur. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod nos dilecto filio magistro Dalfinati de Neapoli, capellano nostro, dedimus nostris litteris in mandatis ut venerabili fratri nostro.. Monopolitano episcopo, donec ad ecclesiam suam redire possit ibique secure morari, in centum et decem libris Provisinorum faceret a vobis annis singulis provideri, contradictores etc., vosque dicto episcopo per unum annum in hujusmodi pecunia providistis ; quare nobis supplicastis humiliter ut, cum nimia gravemini paupertate vestrique redditus et proventus propter guerrarum discrimina sint non modicum diminuti, et vos in procurationibus legatorum et nuntiorum Sedis Apostolice frequenter per partes [1] vestras transeuntium sepius aggravari contingat, providere vobis super hoc paterna solicitudine curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, vos ab hujusmodi provisione ipsius auctoritate presentium absolvimus de gratia speciali. Nulli nostre absolutionis etc. Dat. Laterani, V idus decembris, anno sexto. »

3210 Au Latran, 4 décembre 1260.

Bartholomaeo Quirini indulget ut, praeter S. Bartholomaei, S. Juliani, S. Martini de Venetiis et S. Petri de Litore, Torcellanae diocesis, plebanatus et decanatum Chi.. onensem [2], unicum aliud beneficium ecclesiasticum in illis vel Cretensibus partibus recipere possit. (Reg. 25, f. 262, an. VI, c. 138.)

« *Bartholomeo Quirini, capellano nostro, plebano ecclesie Sancti Bartholomei de Venetiis.* Etsi praetermitti non —. Dat. Laterani, II nonas decembris, anno sexto. »

1. Reg. : *patres*.
2. Le milieu du mot illisible par suite d'un défaut du parchemin.

3211 Au Latran, 4 décembre 1260.

Donato, laïco, tabellionatus officium concedit. (Reg. 25, f. 262, an. VI, c. 139.)

« *Donato, nato quondam magistri Guidonis Nasi de Florentia, laïco.* Quia si jus —. Dat. Laterani, II nonas decembris, anno sexto. »

3212 Au Latran, 9 décembre 1260.

Priori et conventui monasterii S. Mariae de Virginibus Venetiarum indulget ut de possessionibus quas in Tervisina diocesi obtinent, nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 25, f. 262, an. VI, c. 140.)

« .. *priori et conventui monasterii Sancte Marie de Virginibus de Venetiis, ordinis Sancti Marci Mantuani.* Solet annuere Sedes —. Dat. Laterani, V idus decembris, anno sexto. »

3213 Au Latran, 17 décembre 1260.

Quod a Treverensi archiepiscopo, qui abbati et conventui monasterii Aurae Vallis ecclesiam de Giverceyo et capellam de Trembloit cum juribus et pertinentiis in usus proprios deputaverat, factum est confirmat. (Reg. 25, f. 262 v°, an. VI, c. 141[a].)

« .. *abbati et conventui monasterii Aurevallis, Cisterciensis ordinis, Treverensis diocesis.* Speciali gratia et favore vos illa de causa dignos potissime reputamus, quia toto cordis affectu ad hoc semper intenditis, ut per sancte conversationis et vite studium in conspectu Dei et hominum placeatis. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod quondam L. comes de Chiney, et S. mater ipsius, jus patronatus quod ipsi in ecclesia de Giversti *(sic)* et capella de Trembloit dependente ab eadem ecclesia, Treverensis diocesis, obtinebant, vobis pro suarum remedio animarum, pia et provida liberalitate donarunt, quod bone memorie Johannes, Treverensis archiepiscopus, approbavit. Postmodum autem idem archiepiscopus, loci archidiaconi ad quem institutio rectoris in ecclesia et capella predictis de antiqua et approbata et usque ad illud tempus pacifice observata consuetudine, pertinebat, ad id accedente consensu, easdem ecclesiam et capellam vacantes per liberam resignationem rectoris earum, cum juribus et pertinentiis suis, reservata de ipsarum proventibus perpetuo

vicario in eis servituro pro sustentatione sua congrua portione, ita quod vos episcopalia et alia consueta onera supportetis, vobis in usus proprios deputavit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri, vosque ecclesiam et capellam predictas per quadraginta annos et amplius tenuistis, et adhuc detinetis in usus hujusmodi pacifice et quiete. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem archiepiscopo provide factum est ratum et firmum habentes, id, non obstante quod super hoc capituli Treverensis non intervenit assensus, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, XVI kal. januarii, anno sexto. »

3214 Au Latran, 17 décembre 1260.

Eisdem pro ecclesiis de Jamognes et de « Moidi » et capella de « Isers. » (Reg. 25, f. 262 v°, an. VI, c. 141b.)

« *Eisdem.* Speciali gratia etc. ut in alia usque continebat quod bone memorie Johannes, archiepiscopus Treverensis, de Jamognes et de Moidi ecclesias, necnon capellam de Isers, dependentem ab eadem ecclesia de Jamognes, Treverensis diocesis, per liberam resignationem rectorum earum vacantes, cum juribus et pertinentiis suis, patronorum ipsarum et loci archidiaconi ad quem institutio rectorum in eis de antiqua et approbata et usque ad illud tempus pacifice observata consuetudine pertinebat, ad id accedente consensu — nos itaque etc. usque in finam. »

FIN DE LA SIXIÈME ANNÉE

INCIPIT REGESTRUM

DOMINI ALEXANDRI PAPE IIII

PONTIFICATUS SUI ANNO SEPTIMO

Les lettres de la septième année du pontificat d'Alexandre IV ne sont aujourd'hui représentées aux Archives du Vatican que par une copie moderne (Ref. 25[a] dans : *Ad Vaticani archivi Romanorum pontificum regesta manuductio*, de D. GREGORIO PALMIERI).

L'original se trouve à la Bibliothèque nationale à Paris, dans un recueil venant du cardinal Mazarin et portant le n° 4038 B du fonds latin. Il a été décrit et son contenu analysé par Léopold Delisle. Ce dernier le considérait comme un travail inachevé, et, avec toute la prudence d'un consciencieux érudit, hésitait à voir là le registre original (L. DELISLE, *Fragment du dernier registre d'Alexandre IV* ; *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes* 1877, t. XXXVIII, p. 103-113), mais le P. Deniffle prouva que c'était bien celui qui figurait jadis dans les archives apostoliques car il répond exactement à la description qu'en donne un inventaire dressé en 1339 (H. DENIFFLE, dans *Archiv fur Litteratur und Kirchengeschichte des Mittelalters*, vol. II, 1886, p. 80.)

Ce manuscrit est un cahier de 14 feuillets, le dernier resté blanc, qui contient 48 bulles ou lettres enregistrées sous les cotes I à XL et dont la date est comprise entre le 28 décembre 1260 et le 9 avril 1261 ; à peine six semaines après cette dernière date mourait le pape (25 mai), et c'est sans doute cet événement qui interrompit le travail. Le manuscrit ne porte ni titre général, ni initiales, ni rubriques mais ces indications ont été, suivant l'usage, inscrites à l'encre en très petits caractères sur les marges, pour le *rubricator* qui devait les reproduire en rouge, ainsi pouvons-nous savoir à qui ces lettres étaient adressées. C'est d'après le manuscrit original de la Bibliothèque nationale que nous terminons la publication des registres d'Alexandre IV en donnant plus que ne l'a fait L. DELISLE, quelque développement aux analyses d'actes particulièrement intéressants.

3215 Au Latran, 13 janvier 1261.

Episcopo Leodiensi indulget ut sex ipsius clerici suae civitatis et diocesis possint in absentia sua, episcopi obsequiis insistendo, proventus beneficiorum suorum percipere. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B., f. 1, c. I.)

« .. *episcopo Leodiensi*. Desideriis tuis in —. Dat. Laterani, idibus januarii, anno septimo. »

3216 Au Latran, 13 janvier 1261.

Scolastico ecclesiae Beatae Mariae Trajectensis mandat ut praedictis sex clericis proventus ministrari faciat. juxta praefatae concessionis tenorem. (Paris, Bib. nat, ms. lat. 4038 B. f. 1 c. 1 *bis*.)

« .. *scolastico ecclesie Beate Marie Trajectensis, Leodiensis diocesis*. Desideriis venerabilis fratris —. Dat. ut in alia. »

3217 Au Latran, 1 février 1261.

Wissegradensi et Olomucensi decanis mandat ut Johanni, canonico ecclesiae Posnanniensis, de aliquo ecclesiastico beneficio competenti, cum cura vel sine cura, in civitate vel diocesi Wratislaviensi providere curent. (PARIS, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 1, c. 2.)

« .. *Wissegradensi et.. Olomucensi decanis*. Affectionis paterne studium —. Dat. Laterani, kalendis februarii, anno septimo. »

3218 Au Latran, 29 janvier 1261.

Latino de Perusio confirmat Podium de Capanellis et ejusdem tenimentum, situm in territorio Orclae, quae dicto Latino in feudum concesserat (28 octobre 1260) Raynerius de Viterbio, domini papae capellanus, patrimonii Beati Petri in Tuscia rector, virtute litterarum Alexandri papae IV, Anagniae IIII idus julii, pontifi-

catus anno sexto (12 juillet 1260 [1]) datarum, dictorum Raynerii et Alexandri papae litterarum tenorem inserens. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 1, c. 3.)

« *Latino de Perusio, familiari nostro.* Hiis que fiunt —. Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno septimo. »

3219 Au Latran, 9 février 1261.

Cum contingat aliquando, aliquibus in Claromontensi ecclesia praebendis sacerdotalibus vacantibus, recepti in canonicos ejusdem ecclesiae quibus praebendae ipsae debentur annexum onus sacerdotii refugere satagentes, eas petere vel de ipsis sibi facere provideri non curant, capitulo dictae ecclesiae indulget quod ad providendum talibus de aliis praebendis minime teneantur. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 1 v°, c. 4.)

« *Capitulo ecclesie Claromontensis.* Lecta coram nobis —. Dat. Laterani, V idus februarii, anno septimo. »

3220 Au Latran, 5 janvier 1261.

Episcopo Cameracensi liberam concedit facultatem recipiendi duas personas idoneas in canonicos et in fratres et providendi earum utrique de praebenda, ne debitis fraudetur obsequiis ecclesia Cameracensis, in qua Italici canonici sunt quam plures non residentes. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 1 v°, c. 5.)

« .. *episcopo Claromontensi.* Tua nobis fraternitas —. Dat. Laterani, nonis januarii, anno septimo. »

3221 Au Latran, 13 janvier 1261.

Magistro Riccardo de Liguatao indulget ut, praeter ecclesiam Sancti Martini de Sarcellis, Sagiensis diocesis, curam animarum habentem, unicum aliud beneficium similem curam habens in regno Franciae recipere valeat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 2, c. 6.)

« *Magistro Riccardo de Liguatao, canonico ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis, clerico et familiari dilecti filii magistri Johannis de Saronneto, nepotis et capellani nostri.* Quamvis ut plures —. Dat. Laterani, idibus januarii, anno septimo. »

1. Incipit : *Cum dilectus filius*. Cette lettre ne figure pas dans le registre de la sixième année.

3222 Au Latran, 10 février 1261.

Abbati et monasterio Beatae Mariae de Siriaco indulget ut ecclesiam de Nigellula, Ambianensis diocesis, in qua duos seculares clericos successive instituerant, cedente vel decedente clerico qui nunc ecclesiam ipsam obtinet, in usus proprios resumere possint. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 2, c. 7.)

« .. *abbati et conventui monasterii Beate Marie de Siriaco, Premonstratensis ordinis, Ambianensis diocesis.* Religionis vestre meritis —. Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno septimo. »

3223 Au Latran, 20 février 1261.

Guillelmo de Sillaio indulget ut, praeter ecclesiam de Quetetot, animarum curam habentem, unicum aliud beneficium, etiam si curam similem habeat, libere recipere valeat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 2, c. 8.)

« *Guillelmo de Sillaio, rectori ecclesie Sancte Marie de Quetetot, Constantiensis diocesis.* Tue devotionis meretur —. Dat. Laterani, X kal. martii, anno septimo. »

3224 Au Latran, 12 février 1261.

Cum monasterium Sancti Francisci Cremonensis sit nimis paupertate gravatum, inhibet ne aliqua persona ecclesiastica vel secularis cujuscumque ordinis, conditionis vel dignitatis existat, aliquod monasterium vel ecclesiam ordinis eorum in civitate Cremonensi vel ejus territorio construere vel aedificare praesumat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 2, c. 9.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Sancti Francisci Cremonensis, ordinis Sancti Damiani.* Favoris nostri provenire —. Dat. Laterani, II idus februarii, anno septimo. »

3225 Au Latran, 16 février 1261.

Magistrum Guale, notarium suum, ad partes Tusciae ac marchiae Januensis in pacis pulchritudine reformandas commisso ipsi plenae legationis officio, destinat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 2 v°, c. 10.)

« *Magistro Guale, notario nostro, Apostolice Sedis legato.* Inter omnia nostre —. Dat. Laterani, XIIII kal. martii, anno septimo. »

3226 Au Latran, 4 janvier 1261.

Abbati et conventui Sancti Petri Gloverniae confirmat ecclesiam de Covra, Herefordensis diocesis, cujus patronatum ipsis dederat Bernardus de Novo Mercato, accedente episcopi et capituli consensu. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3, c. 11.)

« .. *abbati et conventui Sancti Petri Glovernie, ordinis Sancti Benedicti, Wigorniensis diocesis.* Solet annuere Sedes —. Dat. Laterani, II nonas januarii, anno septimo. »

3227 Au Latran, 3 janvier 1261.

Eisdem confirmat ecclesiam Sancti Laurentii de Tointona, Herefordensis diocesis, a Matilde de Wattele datam. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3, [c. 11 *bis*].)

« *Eisdem.* Solet annuere etc. —. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno septimo. »

3228 Au Latran, 25 janvier 1261.

Abbati et conventui monasterii Ferreriensis indulget ut, praetextu litterarum ab Innocentio papa contra litterarum apostolicarum abusores editarum, coram aliquibus archiepiscopis vel episcopis aut quibusdam aliis conveniri minime valeant. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3, c. 12.)

« .. *abbati et conventui monasterii Ferreriensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Senonensis diocesis.* Desideriis vestris in —. Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno septimo. »

3229 Au Latran, 23 février 1261.

Guillelmo Arnaldi de Mora confirmat archidiaconatum Blaviensem, quem ipsi Gualhardus Dornon, thesaurarius et vicarius capituli ecclesiae Burdegalensis, sede Burdegalensi vacante, concesserat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3, c. 13.)

« *Guillelmo Arnaldi de Mora, capellano dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, archidiacono Belvacensi* [1] *in ecclesia Burdegalensi, ordinis Sancti Augustini.* Inducunt nos devotionis —. Dat. Laterani, VII kal. martii, anno septimo. »

1. *Sic*, lisez : *Blaviensi*.

3230 Au Latran, 15 février 1261.

Abbatissae et conventui monasterii de Coeli Porta confirmat jus patronatus ecclesiae Sancti Vuenceslay de Thusnawrez ipsis a quondam Constantia, regina Boemsae, datum. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3, c. 14 ; Potthast, 18046.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii de Celiporta, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis.* Devotionis augmentum nobis —. Dat. Laterani, XV kal. martii, anno septimo. »

3231 Au Latran, 4 janvier 1261.

Priorissae et conventui monasterii Sanctae Crucis de Nurembereh, regulam Sancti Augustini secundum instituta fratrum Praedicatorum quam a viginti annis praeteritis professae sunt, confirmat, concedens ut privilegiis et indulgentiis eidem ordini Praedicatorum ab Apostolica Sede concessis uti et gaudere valeant, diocesani episcopi jure salvo. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3 v°, c. 15.)

« .. *priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii Sancte Crucis de Nuremberch, ordinis Sancti Augustini, Bambergensis diocesis, secundum instituta fratrum Predicatorum viventibus.* Devotionis augmentum vobis —. Dat. Laterani, II nonas januarii, anno septimo. »

3232 Au Latran, 14 février 1261.

Priorum et collegiorum ecclesiarum subscriptarum regulam cujus tenor inseritur confirmat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 3 v°-4 v°, c. 16.)

« *Prioribus et collegiis ecclesiarum Sancti Marci de Mantua, Sancti Spiritus de Verona, domus religionis de Parma, Sancte Perpetue de Faventia, Sancti Eusebii de Seratico, Sancti Thome de Vicentia, Sancti Viti de Mantua, Sancte Marie virginum de Venetiis, Sancte Trinitatis de Mutina, Sancti Bartholomei de Vicentia, Sancti Apollenaris de Gambara, Sancte Pellagie de Cremona, Sancti Antonii de Coneglano et Sancti Leonardi de Verona, ordinis Sancti Marci de Mantua et omnibus qui se in futurum eidem ordini sociare voluerint.* Justis petentium etc. —. Dat. Laterani, XVII [1] kal. martii, anno septimo. »

1. *Sic.* L. Delisle note, avec raison, qu'on a voulu après coup annuler le dernier I pour ramener ce chiffre à XVI. En effet il n'y a pas de XVII des calendes de mars.

3233 Au Latan, 25 février 1261.

Monasterium Sanctae Crucis de Nuremberch sub Beati Petri et sua protectione suscipit. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 4 v°, c. 17.)

« .. *priorisse monasterii Sancte Crucis de Nurenberch ejusque sororibus, tam presentibus quam futuris religiosam vitam professis, in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus —. Dat. Laterani, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii et vicecancellarii, V kal. martii, indictione III, Incarnationis Dominice anno MCCLX, pontificatus vero donni Alexandri pape IIII anno septimo. »

3234 Au Latran, 28 janvier 1261.

Abbatissae et conventui monasterii Vallis Sanctae Mariae de Colania confirmat ecclesiam Sancti Jacobi de Burgo Brimensi, quam ipsis quondam P. rex Bohemiae de assensu Olomucensis episcopi dederat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 5, c. 18.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii Vallis Sancte Marie de Colania, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis.* Devotionis augmentum vobis —. Dat. Laterani, V kal. februarii, anno septimo. »

3235 Au Latran, 30 janvier 1261.

Abbatissae et conventui monasterii de Coeli Porta confirmat eamdem ecclesiam. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 5, c. 19 ; Potthast 18024.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii de Celi Porta, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis.* Devotionis augmentum vobis —. Dat. Laterani, III kal. februarii, anno septimo. »

3236 Au Latran, 2 février 1261.

Episcopo Constantiensi committit petitionem priorissae et conventus monasterii in Wumental, Constantiensis diocesis, quae, cum se Cisterciensi ordini astrinxissent, ordinem Sancti Augustini secundum instituta fratrum Praedicatorum resumendi licentiam postulabant. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 5, c. 20 ; Bernouilli, n° 686.)

« .. *episcopo Constantiensi.* Sua nobis dilecte —. Dat. Laterani, IIII nonas februarii, anno septimo. »

3237 Au Latran, 8 janvier 1261.

Nobili mulieri Floradanae, ipsius sorori, confirmat compositionem quam magister Gregorius de Neapoli, subdiaconus et capellanus papae, fecerat inter ipsam et Gregorium ac Bartholomoeum, cives Anagninos, super quibusdam terris in castri Fumonis territorio positis, ejusdem sententiae latae Anagniae, die mercurii, XXVII octobris, anno Domini MCCLX, tenorem inserens. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 5 v°-6, c. 21.)

« *Nobili mulieri Floradane, sorori nostre.* Ea que judicio —. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno septimo. »

3238 Au Latran, 5 mars 1261.

Episcopo Mantuano mandat quatinus Veronensem electum in possessionem inducat terrarum et jurium de Bonaico et de Cisan., quae archiepiscopus Ravennatensis, tunc in illis partibus Apostolicae Sedis legatus, indebite concesserat Polcinellae de Carcere, militi Veronensi, quascumque alias concessiones taliter factas quibuscumque personis de bonis ad eamdem Sedem Veronensem spectantibus per eumdem archipeiscopum aut quoscumque alios legatos praedictae Sedis Apostolicae dum quondam perfidus Ezelinus de Roman, qui Veronensem ecclesiam in multis afflixisse dinoscitur civitati praefuit Veronensi, revocans. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 6, c. 22.)

« .. *episcopo Mantuano.* Dilectus filius.. Veronensis —. Dat. Laterani, III nonas martii, anno septimo. »

3239 Au Latran, 8 février 1261.

Electo Veronensi de eodem. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 6, c. [22 *bis*].)

« .. *electo Veronensi.* Desideriis tuis in —. Dat. Laterani, VI idus februarii, anno septimo. »

3240 Au Latran, 1 mars 1261.

Wigorniensi, Lincolniensi, Saresbiriensi, Conventrensi et Landavensi episcopis, de remediis ecclesiae Anglicanae, quae ex avara quorundam religiosorum cupiditate gravibus affligitur scandalis, adhibendis. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 6 v°-8 v°, c. 23.)

« .. *Wigorniensi,.. Lincolniensi,.. Saresberiensi,.. Conventrensi, et.. Landavensi episcopis.* Quoniam in nobis —. Dat. Laterani, kalendis martii, anno septimo. »

3241 Au Latran, 1 mars 1261.

Cum in ecclesiis parrochialibus quas Apostolica Sedes religiosis conventibus in proprios usus concessit intuitu pietatis, vicariae aut nullae sint, aut tam tenues constitutae quod vicarii ex eis commode sustentari non possint nec episcopalia et archidiaconalia jura persolvere neque earumdem ecclesiarum consueta onera supportare, priori provinciali ordinis Praedicatorum et ministro fratrum Minorum in Anglia mandat ut, super hoc inquisitione facta diligenter, quid faciendum fuerit, diocesanorum concurrente consensu, statuant. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 8 v°, [c. 23 *bis*].)

« .. *priori provinciali ordinis Predicatorum et.. ministro fratrum Minorum regni Angliae.* Frequens nonnullorum prelatorum —. Dat. Laterani, kalendis martii, anno septimo. »

3242 Au Latan, 15 février 1261.

Priorum et collegiorum ecclesiarum ordinis Sancti Marci Mantuani regulam confirmat. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 8 v°-10, c. 24 ; Potthast 18017.)

« *Prioribus et collegiis ecclesiarum ordinis Sancti Marci Mantuani, tam presentibus quam futuris, regulam professis, in perpetuum.* Pie postulatio voluntatis —. Dat. Laterani, XV kal. martii, anno septimo. »

3243 Au Latran, 18 mars 1261.

Ecclesiam Sanctae Mariae de Gildeforda, Wintoniensis diocesis, sub sua protectione suscipit. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 10, c. 25.)

« .. *priori ecclesie Sancte Marie de Gildeforda ejusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.* Religiosam vitam etc. —. Dat. Laterani, per manum magistri Jordani, Sancte Romane Ecclesie notarii, et vicecancellarii, XV kal. aprilis, indictione III^a^. Incarnationis Dominice anno MCCLX, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno septimo. »

3244 Au Latran, 7 mars 1261.

Episcopo Astensi, de restitutionibus exigendis a civibus Astensibus qui sic sunt usurarum labe polluti ut ipsi, nullis aut paucis exceptis, plura extorserint per usurariam pravitatem quam ad praesens in bonis possidere noscuntur. (Paris, Bib. nat., ms. lat. 4038 B, f. 10 v°, c. 26.)

« .. *episcopo Astensi.* More Illius qui —. Dat. Laterani, nonis martii, anno septimo. »

3245 Au Latran, 4 mars 1261.

Rogerum de Wirecestre in capellanum suum admittit. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 10 v°, c. 27.)

« *Rogero de Wirecestre, priori prioratus de Graneis*[1], *Conventrensis diocesis, capellano nostro.* Meritis tue probitatis —. Dat. Laterani, IIII nonas martii. »

3246 Subiaco, 9 septembre 1260.

Diffinit castrum Gennae ad Rainaldum et Johannem, nepotes suos, feudum vero Johannis Rolandi ad Abbaiamontum ejusque socios de jure spectare. Inserta sunt ; 1° Instrumentum quo constat Symonem, Sublacensem abbatem, Philippo [de Maranis, Alexandri papae IV proavo,] ejusque filiis in feudum dedisse Gennam et feudum Johannis Rolandi, 30 junii 1176 ; 2° Bulla qua Alexander papa III concordiam inter dictos abbatem et Philippum factam confirmat, II julii 1176 (« Dilectis filiis nobilibus viris Philippo de Maranis et R. et B. filiis ejus, salutem. » Cum inter vos. — Dat. Anagnie, per manum Gratiani, Sancte Romane Ecclesie subdiaconi et notarii, V idus julii, indictione IX, Incarnationis Dominice anno MCLXXVI, pontificatus vero domini Alexandri pape III anno XVII°). (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 10 v°-12, c. 28.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Olim inter quondam —. Dat. Sublaci, V idus septembris, anno sexto. »

3247 Au Latran, 8 mars 1261.

Univercis personis ecclesiasticis per Sardiniam et Corsicam constitutis nuntiat se P. Turritano archiepiscopo plenae legationis officium in utraque insularum praedictarum commisisse. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 12, c. 29.)

« *Universis archipiscopis et episcopis, abbatibus prioribus, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris, pleban et isaliis prelatis, exemplis et non exemplis, per Sardiniam et Corsicam constitutis.* Ad hoc, disponente —. Dat. Laterani, VIII idibus marcii, anno septimo. »

3248 Au Latran, 8 mars 1261.

P. archipiscopo Turritano plenae legationis officium in Sardinia et Corsica committit. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 12 v°, [c. 29 *bis*].)

1. L. Delisle lit *Stanes*.

« *P. archiepiscopo Turritano. Apostolice Sedis legato.* Ad hoc disponente —. Dat. ut in alia. »

3249 Au Latran, 28 février 1261.

Archipresbytero et capitulo Turritanis mandat se magistri Robaldi, canonici, in Turritanum archieposcopum electi, electionem justitia cassavisse exigente, et eidem ecclesiae in archiposcopum et pastorem praefecisse P. tunc abbatem monasterii de Pruliaco, Cisterciensis ordinis. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 12 v°, c. 30.)

« .. *archipresbitero et capitulo Turitanis.* Debitum officii nostri —. Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo. »

3250 Au Latran, 25 mars 1261.

Priori et fratribus ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli in Accon commorantibus, indulget ut in loco quem in civitate Acconensi possident aut etiam in alio civitatis ejusdem quem, si de illo eos amoveri contingeret, poterint adipisci, oratorium et ecclesiam cum campanili et campana unica, necnon cimiterium juxta ecclesiam ipsam habere possint, et in eadem ecclesia vel oratorio divina officia celebrare, contradictione Acconensis episcopi non obstante. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 12 v°, c. 31 ; Potthast 18075.)

« .. *priori et fratribus ordinis Beate Marie de Monte Carmeli in Accon commorantibus.* Speciali gratia et —. Dat. Laterani, VIII kal. aprelis, anno septimo. »

3251 Au Latran, 23 mars 1261.

Priorissae et conventui monasterii Sanctae Crucis in Nuremberch indulget ut ipsarum capellanus pueris ipsarum obsequiis deputatis ministrare ecclesiastica valeat sacramenta et eos, cum decederunt, in ipsius monasterii cimeterio sepelire valeant. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13, c. 32.)

« .. *priorisse et conventui monasterii Sancte Crucis in Noremberg, ordinis Sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum Praedicatorum viventibus, Bambergensis diocesis.* Devotionis augmentum vobis —. Dat. Laterani, X kal. aprelis, anno septimo. »

3252 Au Latran, 18 mars 1261.

Abbati et conventui monasterii Grandis Silvae, cum licet a fondatione eorum monasterii a qua centum et viginti anni effluxisse dicuntur, semper fuerint immunes a praestatione canonicae portionis de hiis quae ipsis a Christi fidelibus in ultimis voluntatibus relinquuntur, tamen nonnulli ecclesiarum praelati, capituli seu conventus parrochialium ecclesiarum de novo super dicta portione praestanda eis de relictis hujusmodi eos multipliciter aggravant et molestant, indulget ut nulli de eisdem legatis exhibere portionem hujusmodi teneantur. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13, c. 33.)

« .. *abbati et conventui monasterii Grandis Silve, Cisterciensis ordinis, Tholosane diocesis.* Ordinis vestri meretur —. Dat. Laterani, XV kal. aprelis, anno septimo. »

3253 Au Latran, 29 mars 1261.

Thomae de Leukenote indulget ut, praeter ecclesiam de Severnestoke curam animarum habentem, duo beneficia ecclesiastica, si similem curam habeant, recipere possit, non obstante aetatis defectu, cum octavum decimum annum attigisse dicatur, proviso quod se faciat ad sacros ordines promeveri. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13, c. 34.)

« *Thome de Leukenote, rectori ecclesie de Severnestoke, Wigorniensis diocesis,* Licet ne suis —. Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno septimo. »

3254 Au Latan, 1 avril 1261.

Thomae de Ingaldestorp, cui non obstante defectu quem patitur, de soluto genetus et soluta, bonae memoriae O. Portuensis episcopus, tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis et in partibus Anglicanis Apostolicae Sedis legatus, indulserat ut ad omnes ordines, excepta episcopali dignitate, promoveri posset, indulget ut ad episcopalem valeat assumi dignitatem. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13, c. 35.)

« *Magistro Thome de Ingaldestorp, clerico, juris civilis professeri, Norwicensis diocesis, capellano dilecti filii O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis.* Quemadmodum si arbor —. Dat. Laterani, kalendis aprelis, anno septimo. »

3255 Au Latran, 30 mars 1261.

Prioribus ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli indulget ut volentibus ipsorum aggregari collegio et professionem facientibus in eorum ordine, qui suspensionis aut interdicti vel excommunicationis sententiis sunt ligati, absolutionis beneficium impertiri et ipsos in fratres recipere valeant. (Paris, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13 v°, c. 36 ; Potthast, 18078.)

« .. *generali et universis prioribus et fratribus ordinis Beate Marie de Monte Carmeli.* Qui [1] ex apostolica —. Dat. Laterani, III kal. aprelis, anno septimo. »

3256 Au Latran, 9 avril 1261.

Guillelmo Maurandi notarii officium concedit. (PARIS, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13 v°, c. 37.)

« *Guillelmo Maurandi, clerico, in minoribus ordinibus constituto, Petragoricensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Laterani, V idus aprelis, anno septimo. »

3257 Au Latran, 22 décembre 1260.

Priori et fratribus heremi Camaldulensis ac omnibus Camaldulensis ordinis conventibus indulget ut in locis et domibus suis exemptionis libertate gaudentibus, possint de novo construere oratoria et capellas et in eis parrochianis ipsis subjectis sacramenta ministrare ecclesiastica. (PARIS, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13 v°, c. 38.)

« .. *priori et fratribus heremi Camaldulensis, ac abbatibus, abbatissis, prioribus et conventibus Camaldulensis ordinis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus.* Devotionis vestre precibus —. Dat. Laterani, XI kal. januarii, anno septimo. »

1. *Sic.* Lisez : *Quoniam.*

3258 Au Latran, 8 avril 1261.

Priori provinciali et universis ordinis Sancti Augustini fratribus per Hispaniam constitutis indulget ut de terris et possessionibus suis quas propriis manibus aut sumptibus colunt nulli primitias solvere teneantur. (PARIS, Bib. nat. f. 13 v°, c. 39.)

« .. *priori provinciali et universis fratibus heremitis ordinis Sancti Augustini per Spaniam constitutis.* Religionis obtentu sub —. Dat. Laterani, VI idus aprilis, anno septimo. »

3259 Au Latran, 9 avril 1261.

Abbati et conventui monasterii Beatae Mariae de Seriaco indulget ut capellam Sancti Jacobi de Bollaincort in Seriaco, ab ecclesia Sancti Stephani de Seriaco, Ambianensis diocesis, dependentem, in suos usus retinere possint, quamvis olim, deprecante Guillelmo milite de Caiaco, ad eamdem capellam Balduinum clericum praesentassent. (PARIS, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13 v°, c. 40.)

« .. *abbati et conventui monasterii Beate Marie de Seriaco, Premonstratensis ordinis, Ambianensis diocesis.* Sane presentata nobis —. Dat. Laterani, V idus aprilis, anno septimo. »

3260 Au Latran, 4 février 1261.

Guillelmum Guarini in capellanum suum admittit. (PARIS, Bib. nat. ms. lat. 4038 B, f. 13 v°, c. 41.)

« *Guillelmo Guarini, cantori Brivatensi et canonico Aniciensi.* Meritis tue probitatis —. Dat. Laterani, II nonas februarii, anno septimo. »

FIN DE LA SEPTIÈME ET DERNIÈRE ANNÉE

FONDERIE DU MIDI, 67, RUE MONTMÉJAN — BORDEAUX